BIBLIOTHECA
PATRISTICA
MEDII ÆVI

MEDII ÆVI
BIBLIOTHECA
PATRISTICA

SEU EJUSDEM TEMPORIS

PATROLOGIA

AB ANNO MCCXVI USQUE AD CONCILII TRIDENTINI TEMPORA;

SIVE

OMNIUM DOCTORUM, JURIS CONSULTORUM, SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,
AC PRÆSERTIM SUMMORUM PONTIFICUM
QUI AB INNOCENTIO III USQUE AD PIUM IV FLORUERUNT, OPERUM QUÆ EXSTANT, VEL EDITA,
SED IN PLURIBUS LOCIS ET VOLUMINIBUS DISPERSA, VEL INEDITA,
IN QUANTUM FIERI POTUIT,

AMPLISSIMA COLLECTIO, CHRONOLOGICE RECUSA AD EXEMPLAR PATROLOGIÆ MIGNE

Et ad ejusdem *Patrologiæ* continuationem

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS ET CODICES MSS., TUM SOLERTI TUM DILIGENTI CASTIGATIONE EMENDATA
DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS ILLUSTRATA;
INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS AUCTA; GENERALIBUS VERO INDICIBUS AMPLIFICATA,
RERUM SCILICET ET SCRIPTURÆ SACRÆ LOCORUM.

SERIES PRIMA

QUÆ COMPLECTITUR OMNES DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ
AD SÆCULUM DECIMUM TERTIUM PERTINENTES,

Recognoscente et annotante

HOROY,

SACERDOTE E BELLOVACENSI DIŒCESI ORIUNDO,
Dre Romano in sacra Theologia,
Licentiato in Jure Gallico, Dre Rom. in Jure civili, Dre in Jure ecclesiastico, Advocato Romano,
Dre tum in Philologia Græca et Latina, tum in Archæologia et Historia,
Dre Rom. in Philosophia, Scientiis Mathem. et Physicis,
Dre Scientifico in Philosophia et Litteris in Universitate Leodiensi.

BIBL. PATRISTICÆ TOMUS QUINTUS.

HONORII III TOMUS QUINTUS ET ULTIMUS.

PARIS
IMPRIMERIE DE LA BIBLIOTHÈQUE ECCLÉSIASTIQUE
AVENUE D'ORLÉANS, 32

1882

SÆCULUM XIII. — ANNI 1216-1227.

HONORII III

ROMANI PONTIFICIS

OPERA OMNIA

QUÆ EXSTANT, VEL EDITA, SED IN PLURIBUS LOCIS ET VOLUMINIBUS DISPERSA, VEL INEDITA, IN QUANTUM FIERI POTUIT,

TUM LITURGICA, TUM JURIDICA,
TUM CONCIONATORIA, TUM EPISTOLARIA, TUM AD HISTORIAM VEL AD GEOGRAPHIAM,
VEL AD COMPUTATIONEM REDITUUM ECCLESIÆ ROMANÆ PERTINENTIA.

EDITIO NOTIS VARIIS, COMMENTARIIS, DISSERTATIONIBUS, INDICIBUS ILLUSTRATA;
CUM MANUSCRIPTIS CODICIBUS BIBLIOTH. NATION. PARIS., IMPRIMIS LA PORTE DU THEIL COLLATA;

COMPLECTENS CONSTITUTIONES, EPISTOLAS,
QUARUM MAJOR PARS USQUE ADHUC INEDITA, ET PRIMA VICE IN UNUM COLLECTAS;

Præsertim

SERMONES A DOMNO BOTTINO

ORDINIS CISTERCIENSIS PROCURATORE GENERALI

E CODICE MS. EXCERPTOS ET QUI NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODEUNT.

TOMUS QUINTUS ET ULTIMUS.

PARIS
IMPRIMERIE DE LA BIBLIOTHÈQUE ECCLÉSIASTIQUE
AVENUE D'ORLÉANS, 32

1882

HONORII III, PONTIFICIS ROMANI

EPISTOLÆ

PRIMA VICE IN UNUM COLLECTÆ

LIBRI DECIMI

CONTINUATIO.

LXVII

Ad abbatem et conventum monasterii S. Richerii, Ambianensis diœcesis.

5 januarii 1226.

[Regest., lib. X, epist. 148. Mss. La Porte du Theil.]

Quædam privilegia ipsis ab Alexandro III concessa definit et explicat.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati, et conventui monasterii Sancti Richerii, Ambianensis diœcesis, salutem, etc.

Mota olim a bonæ memoriæ... Ambianensi episcopo super vestri subjectione monasterii quæstione, ac coram felicis recordationis Innocentio papa prædecessore nostro aliquandiu agitata, nos tandem, cum quæstio eadem ad nostrum devenisset examen, monasterium ipsum de fratrum nostrorum consilio liberum decrevimus, et ad solum Romanum Pontificem pertinere. Sed venerabilis frater noster... Ambianensis episcopus proponens, quod vos secundum privilegium bonæ memoriæ Alexandri papæ prædecessoris nostri chrisma, et oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes monachorum, seu clericorum, qui ad sacros sunt ordines promovendi ab eo petere, et recipere debeatis, quasdam super hoc a nobis contra vos litteras impetravit. Cumque per venerabilem fratrem nostrum.... Silvanectensem episcopum, et ejus collegas quos super his vos, et idem episcopus arbitros elegistis ad nos partem utramque mandaverimus evocari, vestro tandem et alterius partis procuratoribus in nostra præsentia constitutis in recipiendis consecrationibus altarium, seu basilicarum et ordinationibus monachorum vel clericorum ab Ambianiensi episcopo, communicato fratrum nostrorum consilio, vos decrevimus non teneri. Super receptione chrismatis, et olei taliter providentes, quod ea ab Ambianensi recipiatis episcopo, si ea vobis gratis, et sine pravitate aliqua voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem, gratiam, et communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis quod postulatur impendat. Ambianensis tamen episcopus ex hoc quod præmissa vobis exhibet in monasterio vestro, quod ad nos, ut dictum est, specialiter pertinet, nullam jurisdictionem sibi valeat vendicare. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ diffinitionis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Reate, nonis januarii, anno decimo.

LXVIII

Ad decanum et capitulum Trecenses.

7 januarii 1226.

[Regest., lib. X, epist. 136. Mss. La Porte du Theil.]

Præcipit eis, ut non obstante indulgentia quadam ecclesiæ Trecensi concessa, Valerianum clericum, germanum judicis Morici civis Romani, in canonicum et fratrem recipiant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... decano, et capitulo Trecensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum olim venerabili fratri nostro... episcopo Trecensi et vobis scripserimus, ut vos dilectum filium Valerianum clericum, germanum nobilis viri judicis Morici civis Romani pro nostra et Ecclesiæ Romanæ reverentia, reciperetis in canonicum et in fratrem, et idem episcopus conferret et assignaret sibi præbendam, si qua in ecclesia vestra vacaret ad præsens, vel quantocius opportunitas se offerret, indulgentia quam de non providendo aliis a Sede Apostolica obtinuisse dicitur eadem ecclesia non obstante, præfatus episcopus personaliter ad præsentiam nostram accedens super provisione clerici supradicti humiliter tandem in parte paruit nostræ beneplacito voluntatis, concessis eidem litteris suis, in quibus forma provisionis ipsius clerici continetur, quam auctoritate Apostolica duximus confirmandam. Quocirca universitatem vestram monemus per iterata vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus non obstante indulgentia memorata, quam alias vobis volumus esse salvam, prænominatum clericum in fratrem et canonicum admittatis, nuntio suo ejusdem clerici nomine, stallum in choro, et locum in capitulo assignando : Alioquin dilectis filiis... abbati Sanctæ Genovefæ, et archidiacono Parisiensi, et Matthæo Johanni Elperini Belvacensi canonico, Parisius commoranti, nos noveritis per nostras litteras injunxisse, ut vos ad id per censuram ecclesiasticam, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis impedimento, compellant. Datum Reate, VII idus januarii, anno decimo.

Illis scriptum est *in eumdem modum*, verbis competenter mutatis, ut eos ad id compellere debeant.

LXIX

Ad abbatem et conventum Sancti Arnulphi Metensis.

7 januarii 1226.

[Tabouillot, Hist. de Metz, III, 186.]

Quoddam statutum eis confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Sancti Arnulphi Metensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quia providendum est ecclesiis de personis, per quas Deo in divinis officiis per ecclesiasticos ordines congrue serviatur, deliberatione provida statuistis, ut dicitis, ut cum, per impressionem laicalem, plures laicos in monasterio vestro reciperetis inviti, nulli de cætero in tonsura vel habitu laicali recipiantur ibidem; nec infra monasterium, vel extra, talibus ministrentur stipendia monachorum. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, quod a vobis provide ac utiliter factum est, in hac parte, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Reate, VII idus januarii, pontificatus nostri anno decimo.

LXXX

Ad Hugonem de Leziniaco, Marchiæ comitem.

8 januarii 1226.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, p. 769; Regest., lib. X, epist. 137.]

Querente Anglorum rege a fidelitate sibi debita et hominio defecisse Hugonem de Leziniaco, Marchiæ comitem, cum Pictaviæ baronibus aliis, scripsit Honorius ad Hugonem, objurgans perjurium, minasque intentans.

Honorius episcopus..., dilecto filio nobili viro comiti Marchiæ (1), salutem, etc.

Fidelitatis vinculum quo vassallus tenetur domino, est adeo celebre apud omnes, ut etiam religione juramenti qua vallari assolet

(1) Apud Rymer, perperam scriptum *Gaufrido de Leziniaco*.

circum scripta, ipsum per se vinculum quasi pro sacro ubique terrarum et gentium habeatur, nec extimetur levem notam incurrere quicumque illius exstiterit violator. Unde qui veteres revolvere volet historias, inveniet multos pro illo servando inhumanis cibis, urgente obsidionis angustia, esse usos, et, illis quoque deficientibus, elegisse potius fame deficere quam fidelitatis vinculum violare. Tu vero, sicut carissimo in Christo filio nostro H(enrico III) illustri rege Anglorum conquerente, didicimus, hæc nequaquam, prout te decuisset, attendens, fidelitatem qua ipsi regi tenebaris adstrictus, et adhuc quoque teneris, cum ab ea, ut creditur, te nequaquam absolverit, nulla famis nullave obsidionis coactus angustia violasti; contra juramentum quo te ad illam servandam astrinxeras, famæ ac salutis tuæ prodigus veniendo.

Cum igitur totiens pejeres, quotiens faciens (1) contra fidelitatis juramentum præstitum dicto regi (2), nos, qui ex debito pastoralis officii tenemur Deo de anima tua reddere rationem, tam manifestum ipsius animæ tuæ periculum sine nostro dissimulare periculo non valentes, prudentiam tuam sollicitandam duximus et monendam, per Apostolica tibi scripta firmiter injungendo mandantes, quatenus, famæ tuæ providens ac saluti, ad fidelitatem ipsius regis, occasione ac excusatione cessantibus, redeas, ut teneris, servesque inviolabiliter sibi præstitum juramentum, juramento contrario non obstante, si quod forsitan præstitisti, cum illicitum fuerit et ideo non servandum : salubres monitiones nostras taliter auditurus, quod, reconciliatus terreno, cœlesti quoque reconciliari Domino merearis, sciens nos venerabilibus fratribus nostris Aquensi et Vasatensi episcopis, et dilecto filio archidiacono Vasatensi, per nostras litteras mandavisse ut, nisi curaveris infra mensem post receptionem præsentium, nostrum in hoc adimplere mandatum, ipsi te ad id per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis impedimento, compellant. Tu ergo, sicut vir providus, potius eligas errorem tuum humiliter satisfaciendo corrigere, quam illi pertinaciter insistendo inducere temetipsum in ejus necessitatis articulum, de quo non facile te valeas expedire. Datum Reate, VI idus januarii, anno decimo.

In eumdem modum scriptum est nobili viro Galfrido de Leziniaco ;

Item nobili viro vicecomiti Lemovicensi;

Item nobili viro Savarico de Maloleone ;

Item nobili viro Americo de Rupe, Engolismensis diœcesis;

Item nobili viro Hugoni de Thoarcio;

Item nobili viro Willelmo Maingot, Xanctonensis diœcesis;

Item nobili viro Galfrido de Rancon, Xanctonensis diœcesis ;

Item nobili viro Reginaldo de Pontibus, Xanctonensis diœcesis;

Item nobili viro comiti Petragoricensi;

Item nobili viro Galfrido Rudel;

Item nobili viro Willelmo archiepiscopo ;

Item Aquensi et Vasatensi episcopis, et archidiacono Vasatensi, verbis competenter mutatis, ut, si infra mensem post receptionem litterarum ipsarum dicti nobiles mandatum Apostolicum non curaverint adimplere, ipsi eos ad id per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis impedimento, compellant, non obstante constitutione de duobus diætis edita in Concilio generali. Quod si non omnes, etc. Datum ut supra.

LXXXI

Ad Aquensem et Vasatensem episcopos.

8 januarii 1226.

[Regest., lib. X, ep. 157. Mss. La Porte du Theil.]

Ut mandata Apostolica contra barones regni Angliæ subjectos supersedeant.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus...

(1) *Legendum* facis.

(2) Famosos ob dubiam fidem Pictavienses barones perstringunt scriptores omnes, tam Franci quam Anglici. Sic Guillelmus Armoricus, tomo nostro XVII, pag. 190, Philippidos lib. VI, versu 356, inquit :

At Picti, quibus est fidei mutatio semper
Grata comes, varia vice qui didicere favorem
Nunc huic, nunc illi venalem exponere regi;
Nulla tamen quibus est gens acceptatior armis.

Idem habet, lib. VIII, versu 437, pag. 218. Et Matthæus Paris, in eodem volumine, de Pictaviensibus loquens : *O innata Pictaviensibus proditio !* exclamat ibid., pag. 759. Cæterum ipsi Pictaviæ barones, a fide Angliæ regi debita deficientes, anno 1224, mense maio, novas cum rege Ludovico inierant fœderis conventiones, quas videre est apud Martenium, t. I *Collectionis Ampliss.*, col. 1184.

Aquensi, et Vasatensi episcopis, et dilecto filio archidiacono Vasatensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quia quæ de novo emergunt consilio indigent propter quædam, quæ imminent, præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus litteris ad vos contra barones impetratis a nobis supersedere curetis, donec nostræ receperitis beneplacitum voluntatis. Datum (*sic*).

LXXXII

Ad abbates et conventum monasterii de Dunfermelyn.

13 januarii 1226.

[Theiner, Monum. Hibernorum, p. 23, n. 58.]

Eis proventus ecclesiarum de Hales et de Kinglassin S. Andreæ diœcesis vacaturarum conceduntur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... abbati et conventui monasterii de Dunfermelyn, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex relatione vestra plenius intelleximus, quod cum ad divini cultus augmentum monasterium vestrum tam numero personarum, quam et nobiliori structura fabricæ duxeritis augmentandum, pro sustentatione fratrum et hospitum vobis non sufficiunt facultates, quin plerumque propter hoc subire vos oporteat onera debitorum. Unde cum multa precum instantia postulastis, ut dignaremur vobis ad hospitalitatem præcipue conservandam, quod in de Hales et de Kinglassin ecclesiis vestris Sancti Andreæ diœcesis, quas a veris patronis vobis concessas et confirmatas per loci diœcesanum de capituli sui assensu pacifice obtinetis, cedentibus vel decedentibus eorum personis, proventus ipsarum possitis in usus vestros convertere, liberum tunc de nostra promissione habendo ingressum in ecclesias memoratas. Nos vero laudabile in vobis hospitalitatis studium favorabiliter prosequentes, devotioni vestræ, auctoritate præsentium, concedimus postulata : sic tamen ut honestam habeant sustentationem ipsarum vicarii,quos diœcesano episcopo,ut ei de spiritualibus, vobis autem de temporalibus respondeant, præsentetis. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc. Datum Reate, idus januarii, pontificatus nostri anno decimo.

LXXXIII

Ad episcopum Glasguensem et abbatem ac conventum monasterii Sanctæ Trinitatis de Dunfermelyn.

13 januarii 1226.

[Registrum de Dunfermelyn, 166, n. 256.]

Indulget ut ea occasione quod magister Acuncius molendina quædam et illi redditum ipsum concesserunt in eis Stephano clerico, non teneantur post decessum ejusdem molendina ipsa in beneficium unquam concedere.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Glasguensi, et dilectis filiis abbatibus et conventui monasterii Sanctæ Trinitatis de Dunfermelyn, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum in molendinis quæ in beneficium a vobis tenuit bonæ memoriæ magister Acuncius, subdiaconus et capellanus noster, dilecto filio Stephano clerico nobilis viri Johannis Mancini civis Romani redditum.... ad preces nostras liberaliter contuleritis, quem eidem clerico duximus confirmandum : nos, ne inde incurratis dispendium, unde debetis gratiam promereri, devotioni vestræ auctoritate præsentium indulgemus, ut ea occasione quod dictus magister tenuit molendina prædicta et vos redditum ipsum concessistis in eis clerico memorato, non teneamini post decessum ejusdem, molendina ipsa in beneficium unquam concedere, vel in illis pensionem aut redditum assignare. Ea ergo cum dictus Stephanus debitum naturæ persolverit, ad usus vestros libere devolvant. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Reate, idus januarii, pontificatus nostri anno decimo.

LXXXIV

Ad abbatem conventumque de Dunfermelyn et abbatem, canonicosque de Scona S. Andreæ diœcesis.

13 januarii 1226.

[Registrum de Dunfermelyn, 167, n. 258.]

Compositionem inter abbatem conventumque de Dunfermelyn et abbatem canonicosque de Scona super quibusdam decimis initam confirmat.

Honorius episcopus, etc.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exi-

git rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, compositionem quæ inter vos ex parte una et abbatem et canonicos de Scona, S. Andreæ diœcesis, ex altera, supra quibusdam decimis, mediantibus abbate de Kelch et collegis ipsius quibus commissa super hoc a Sede Apostolica erat, amicabiliter intervenit, sicut sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta, et hactenus pacifice observata, ac in confecto inde authentico dicitur plenius contineri, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino, etc. Si quis autem, etc. Datum Reate, XVIII kalendas februarii, pontificatus nostri anno decimo.

LXXXV

Ad episcopum, decanum et scholasticum Tornacensem.

17 januarii 1226.

[Regest., lib. X, ep. 162. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut ad ecclesiam Sancti Audomari accedentes ad observationem ordinationis a legato Apostolico olim factæ decanum et capitulum cogant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... episcopo, et dilectis filiis... decano, et... scholastico Tornacensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilectus filius... præpositus ecclesiæ Sancti Audomari, Morinensis diœcesis, porrecta nobis petitione monstravit, quod cum olim bonæ memoriæ R., tituli Sancti Stephani in Cœlio monte presbyter cardinalis, tunc Apostolicæ Sedis legatus, intellecto, quod eadem ecclesia erat in spiritualibus et temporalibus enormiter deformata, quæ inter alias floruerat in utrisque per... archidiaconum Remensem et collegam ipsius ei visitationis officium impendi mandarit, ipsi ad reformationem intendentes ejusdem, quædam ibidem, quæ ipsius ecclesiæ utilitati expedire noverant ordinarunt, dicto legato quædam cum eis pariter statuente. Sed... decanus, et capitulum ipsius ecclesiæ ordinationem illorum pro suæ voluntatis arbitrio non servantes, gravius quam antea ecclesiam deformarunt eamdem, cui super hoc præpositus compatiens memoratus, a nobis humiliter petiit, ut subvenire illi misericorditer dignaremur. Volentes igitur, ut quodcirca prædictæ reformationem ecclesiæ memorati auctoritate legati, canonice ac utiliter factum est, inviolabiliter observetur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad ecclesiam accedentes eamdem, et supplentes siquidem in prædictorum ordinatione utili et canonica inveneritis esse defectum, decanum, et capitulum memoratos ad observationem ordinationis ejusdem, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cognita veritate cogatis. Quod si non omnes, etc. Datum Reate, decimo sexto kalendas februarii, anno decimo.

LXXXVI

Ad abbatem S. Genovefæ, magistros Gaufridum et Johannem de Monte Mirabili, archidiaconum Parisiensem.

19 januarii 1226.

[Regest., lib. X, epist. 166. Mss. La Porte du Theil.]

Dat eis provinciam examinandi causam quæ inter episcopum Lingonensem ab una, et capitulum Lingonense ab altera parte super Hospitali Mormonti reformando vertebatur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... abbati Sanctæ Genovefæ et magistris Gaufrido et Johanni de Monte Mirabili, archidiacono Parisiensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Exposuit nobis olim per litteras suas venerabilis frater noster... episcopus Lingonensis, quod cum Hospitale Mormonti suæ diœcesis in spiritualibus esset, et temporalibus sic collapsum, quod per degentes ibi personas reformari nequiret, disposuit ipse dictum Hospitale cum pertinentiis suis fratribus Hierosolymitani Hospitalis convertendum in eorum ordinem et per ipsum in statum debitum reformandum concedere, si de nostra procederet voluntate. Quo nobis humiliter supplicante, ut dispositioni suæ super hoc benevolum præberemus assensum, nos plenam de discretione sua gerentes fiduciam, sibi per litteras nostras mandavimus ut ad id auctoritate nostra procederet sine alieni juris præjudicio et suo, ac Lingonensis ecclesiæ jure salvo. Nuper

autem dilectus filius W., archidiaconus Barri... suo, et procuratorio nomine quorumdam aliorum de capitulo Lingonensi, ac magister domus Morinensis comparentes in nostra præsentia proponere curaverunt, quod eisdem litteris in capitulo Lingonensi perlectis, præsente quoque magistro Hierosolymitani Hospitalis in Francia, totius capituli Lingonensis concors voluntas extitit, et unanimis, quod nullo modo converteretur in alium ordinem domus ipsa quamdiu reperiri via posset, per quam in statum valeret debitum reformari, pluribus tunc ex parte domus ejusdem, et Lingonensis ecclesiæ allegatis, et propositis rationibus, ex quibus id nec fieri poterat, nec debebat, et ob hoc tam ex parte domus et ecclesiæ, quam quorumdam archidiaconorum Lingonensium, videlicet ipsius W. et de Bassignicio, quorum dicitur specialiter interesse, appellatione ad Sedem Apostolicam interposita, ne memoratus episcopus occasione mandati nostri super hoc aliquid immutaret. Unde intelligens idem episcopus ea, quæ coram ipso fuerunt proposita tam ratione, quam veritate suffulta noluit ultra procedere in negotio, sed illud ad nos duxit integrum remittendum, prout in relatione continebatur nobis exhibita, quæ ipsius episcopi existere dicebatur. Idem itaque archidiaconus Barri, et dictus magister appellationem prosequentes eamdem cum multa precum instantia postularunt, ut tali domus ipsius mutatione quæ propter multiplices rationes dexteræ Excelsi non esset penitus interdicta, eidem inhiberemus episcopo ne amplius debeat ad eam faciendam intendere, sed ad reformationem domus potius sibi utique non difficilem paternam sollicitudinem adhibere. Econtra vero ex parte Fratrum Hierosolymitani Hospitalis fuit propositum coram nobis, quod de concessione prænominati episcopi... decani Lingonensis, et Fratrum domus Mormonti extitit, et assensu, quod in ordinem Hierosolymitani Hospitalis converteretur domus prædicta, super quo etiam confectæ dicuntur litteræ ab episcopo memorato, qui cum plenam in domo ipsa jurisdictionem habeat, ita quod irrequisito Lingonensi capitulo, et aliis potest ibi reformare, ac corrigere, prout correctionis, et reformationis est officium opportunum, ejus concessio, non obstante contradictione cujuslibet, firma debet haberi, maxime cum iidem Fratres Hospitalis Hierosolymitani sint cavere parati quod nulli ex hoc aliquod præjudicium generatur. Quia vero super his nobis non potuit fieri plena fides, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus si nondum eisdem Fratribus facta est de domo ipsa concessio, sed res existit adhuc integra, sicut dicitur ex adverso, et dicti episcopus, et capitulum ac magister possunt domum eamdem in suo ordine reformare, vos id ab eis fieri auctoritate Apostolica concedetis. Quod si non possunt ad reformationem hujusmodi, eadem auctoritate procedere procuretis. Si vero res integra non existit, vocatis qui fuerint evocandi, quod canonicum fuerit statuatis. Testes autem, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Reate, XIV kalendas februarii, pontificatus nostri anno decimo.

LXXXVII

Ad episcopum, decanum et scholasticum Tornacenses.

21 januarii 1226.

[Regest., lib. X, ep. 163. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut auxilium comitissæ Flandriæ, adversus quosdam excommunicatos, in favorem ecclesiæ Sancti Audomari, implerent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri..., episcopo et dilectis filiis..., decano, et scholastico Tornacensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilectus filius... præpositus Sancti Audomari sua nobis insinuatione monstravit, quod cum olim B. de Comines, et B. filius ejus milites, ac quidam alii Morinensis et Tornacensis diœcesum quosdam homines ecclesiæ suæ ceperint, et arctæ custodiæ manciparunt ac alias sibi, et eidem gravia intulerint detrimenta, ipse super his ad... decanum Cameracensem et conjudices suos Apostolicas litteras impetraverit, qui, exigente illorum contumacia, excommunicationis in eos sententiam promulgarunt. Ipsi vero cum ex hoc humiliari debuerint, et ad satisfactionem induci, tamquam in profundum vitiorum devenerint contemnentes, et maledictionem bibentes, ut aquam, eamdem excommunicationis sententiam jam elapso biennio contumaciter despexerunt. Ut ergo quos Dei timor a malo non revovat, pœna

coerceat temporalis, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus nisi milites et alii supradicti a vobis adhuc sollicite moniti, ad Ecclesiæ mandatum redierint infra terminum, quem eis duxeritis præfigendum, vos cum multa interdum bona præstentur invitis, ad eorum molliendam duritiam, nobilis mulieris.., comitissæ Flandriæ, cui super hoc scribimus auxilium invocetis. Quod si non omnes, etc. Datum Reate, XII kalendas februarii, anno decimo.

LXXXVIII

Ad Willelmum abbatem monasterii Sancti Jacobi Apostoli, et Sancti Marini confessoris de Passelet.

23 januarii 1226.

[Theiner, Vetera Monum. Hibernorum, 23, n. 59.]

Monasterium Sancti Jacobi Apostoli et Sancti Marini confessoris de Passelet, ordinis Sancti Benedicti, una cum singulis ejus possessionibus, sub beati Petri protectione suscipitur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Willelmo, abbati monasterii Sancti Jacobi Apostoli, et Sancti Marini confessoris de Passelet, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum, salutem et Apostolicam benedictionem.

Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis enervet. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus clementer annuimus, et monasterium Sancti Jacobi Apostoli et Sancti Marini confessoris de Passelet, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus, in primis statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti regulam, atque institutionem Cluniacensium fratrum in eodem monasterio, etc., *usque* observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum capella de Locwinnoc et aliis pertinentiis suis de Inwirnic, de Leggardewde, de Katkert, de Ruthirglen, de Curmanoc, de Polloc, de Meornes, de Neston, de Kirberchan, de Villa Hugonis, de Kilhelan, de Hirskin, de Kirmalkome, de Invirkip, de Prestinc, de altera Prestinc, de Daliel, de Cragin, de Turneberige ecclesias cum capellis et aliis pertinentiis suis; et totam illam terram, quæ jacet ex utraque parte aquæ Kert, sicut bonæ memoriæ Gualterius filius Alani, dapifer regis Scotiæ, fundator monasterii vestri, vestris prædecessoribus assignavit, et carucatam terræ, quam quondam Grunketel tenuit, quæ nunc dicitur Arkillistou, et carucatam terræ inter Kert et Grif, quæ nunc insula appellatur, et totam terram de Drep, quam quondam Willelmus filius Maiduse a vestro monasterio ad firmam tenuit, et carucatam terræ apud Hunteleie, quam bonæ memoriæ Willelmus rex Scotiæ vobis cambiavit cum terra, quam habuistis in Hatstanisden, et carucatam terræ, quam nobilis mulier Eschiva de Molla vobis contulit intuitu pietatis, et piscariam super aquam Clud inter Perthec et insulam, et annuum redditum dimidiæ marcæ argenti, quem percepistis ex firma de burgo Reinfrui et molendinum ejusdem burgi, et unum Tohstum plenarium in Reinfrui, et unum Rece ad Salmonem, et terram apud Rainfru juxta molendinum vestrum, ubi olim quidam vestrum habitaverunt, et unam carucatam terræ apud Invirnic, cum communi pastura ejusdem villæ, et totum molendinum de Inwirnic præter annuum redditum unius marcæ argenti, quam redditis ex eodem, et unam salinam in Kalmir, et totam terram de Prestinc cum pertinentiis suis, quæ nunc dicitur Villa monachorum, et terram de Moniabroc, sicut in instrumentis donatorum dicitur contineri : et annuum redditum quinque marcarum argenti, quam percipistis apud Machelm, et molendinum de Passelet cum sua plenaria secta, quod a nobili viro Waltero filio Alani, senescallo regis Scotiæ, monasterii vestri patrono, tenetis ad perpetuam firmam, et annuum redditum duarum celdrarum farinæ ex firma ejusdem molendini, quam idem senescallus vobis

contulit intuitu pietatis et medietatem piscariæ in exitu laci de Lochwinnoc, cum libertate piscandi in ipso lacu, quotiens idem senescallus, vel hæredes ejus facient ibidem piscari, prout in instrumento inde confecto dicitur contineri; et totam terram de Pennild, quæ nunc dicitur Fulton, cum pertinentiis suis, quam vobis quondam Henricus de Sancto Martino de assensu domini sui vobis contulit intuitu pietatis et terram inter Mach et Kaldviter cum suis pertinentiis suis, et partem illam terræ, ubi molendinum de Passelet situm est, per certas metas a dicto senescallo vobis assignatam, et terram ultra Kert inter Espedar et Aldepatric, sicut idem senescallus vobis dedit, cum omnibus libertatibus et asiamentis in foresta ipsius de Passelet de Senecathir, prout in ipsius litteris dicitur contineri ; et terram apud Carnebro, quam habetis ex dono quondam Vitredi, filii Pagani, et terram apud Orde ex dono quondam Walterii Murdac, et annuum redditum unius celdræ frumenti, quam percipitis ex donatione nobilis viri Patricii comitis de Dumbar; ex dono bonæ memoriæ Roberti de Londoniis, fratris regis Scotiæ, annuum redditum unius celdræ frumenti et dimidiæ marcæ argenti apud Cadiou; ex dono bonæ memoriæ Philippi de Valons annuum redditum unius marcæ argenti apud Killebride; ex dono nobilis viri M., comitis de Levenas, piscariam super Leven, sicut in ejusdem litteris dicitur contineri; ex dono quondam Thomæ, filii Thancardi, terram apud Moderval, quam vobis contulit intuitu pietatis; ex dono quondam Radulfi de Cler terram, quæ vocatur Garin; ex dono nobilis viri Dunkani de Carric, totam terram de Crosragmol et Sutheblan cum pertinentiis suis; et unam carucatam terræ in Hibernia apud Dunmals, quæ vocatur Tibiror; et omnes decimas mensæ, reddituum et eschaetarum ejusdem nobilis, prout in ejus litteris dicitur contineri; præterea Sache et Soche, Thol et Them et Infangghuthef et alias libertates a præfatis Willelmo, rege Scotiæ, et Waltero senescallo, ac eorum successoribus juste vobis concessas, cum prædictis terris, nemoribus, usuagiis et pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis.

Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos et absolutos e sæculo fugientes ad conversionem recipere, et eos sine contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit sine abbatis sui licentia, nisi arctioris religionis obtentu, ab eodem loco discedere. Discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Illud districtius inhibentes, etc., *usque* censemus. Licitum præterea sit vobis in causis propriis, sive civilem sive criminalem contineant quæstionem fratrum vestrorum testimoniis uti, ne pro defectu testium jus vestrum valeat in aliquo deperiri. In parochialibus vero ecclesiis, quas habetis, liceat vobis sacerdotes diœcesano episcopo præsentare, quibus, si idonei fuerint, episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis vero de temporalibus debeant respondere. Cum autem generale terræ, etc. Chrisma, etc. Prohibemus, etc. Sepulturam quoque ejusdem loci liberam esse omnino decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel majors pars fratrum consilii sanioris, secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam, providerint eligendum. Sub excommunicationis insuper pœna districtius inhibemus, ne quis ab electo vestro, qui pro tempore fuerit, pro benedictione ipsius, vel pro deducendo seu locando eum in sede, sub obtentu alicujus consuetudinis, palafridum seu capam sericatam seu aliquod aliud, cum simoniacam sapiat pravitatem, exigere audeat vel extorquere præsumat. Libertates et immunitates a regibus, principibus et aliis personis tam ecclesiasticis, quam mundanis rationabiliter monasterio vestro concessas, et antiquas et rationabiles consuetudines hactenus observatas integras illibatasque manere præsenti decreto sancimus. Decernimus ergo, ut

nulli omnino hominum liceat præfatum cœnobium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra et illibata serventur eisdem, pro quorum gubernatione ac sustentatione, salva Sedis Apostolicæ auctoritate, et diœcesani episcopi canonica justitia, etc., *usque* generalis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore, etc., *usque* ultioni. Cunctis autem eidem loco, etc., *usque* pacis inveniant. Amen. Amen.

Datum Reate, per manus magistri Guidonis domini papæ notarii, X kalendas februarii, indictione XIV, Incarnationis Dominicæ anno MCCXXV (?), pontificatus vero domini Honorii papæ III anno decimo.

LXXXIX

Ad Fridericum Romanorum imperatorem.

24 januarii 1226.

[Huillard-Bréholles, Hist. diplom., II, 538.]

Friderico Romanorum imperatori nuntiat quomodo preces ejus super absolutione comitis Tripolitani admittere non potuit, cum nuntii ejusdem comitis conditiones a cardinalibus oblatas recipere noluerint.

Honorius, etc., Friderico, etc....

Super absolutione vero Tripolitani comitis tua noverit Celsitudo, quod ipsius comitis nuntii petierant quædam juri et Ecclesiæ Romanæ consuetudini contraria manifeste; unde licet preces tuas velimus semper, in quibus secundum Deum possumus, exaudire, nequivimus tamen ipsorum petitionem admittere nuntiorum, idque circumspectio tua ægre ferre non debet, cum non velis, ut credimus, quod juris scripti et approbatæ consuetudinis ordinem confundamus. Licet autem idem comes etiam ipsa exhibitione justitiæ, propter multa, quæ nunc narrari non expedit, reddiderit se indignum, tuarum tamen precum intuitu voluimus totum ipsum negotium bonis viris committere sub hac forma, ut videlicet idem comes præstaret in eorum manibus juramentum de stando mandatis Ecclesiæ super iis, pro quibus in eum sententia excommunicationis lata fuit, ac deinde præstaret de manifestis emendam, ac de parendo juri super dubiis exhiberet idoneam cautionem; quo facto, absolutionis beneficium impenderetur eidem, et consequenter de dubiis congnitio haberetur, et statueretur quod posceret ordo juris. Et hæc omnia dictis nuntiis benigne obtulimus per venerabilem fratrem nostrum H., episcopum Hostiensem, ac dilectum filium nostrum G., tituli Sancti Martini presbyterum, et Gregorium Sancti Theodori diaconum cardinales, a quibus eosdem nuntios audiri fecimus diligenter, cum non sit consuetudinis, quod Romanus Pontifex, nisi per interpositam personam, ad colloquium excommunicatos admittat; ipsi autem nuntii prædicta recipere renuerunt, asserentes se ad hoc non habere mandatum, nec nos, ut prædiximus, potuimus facere quod petebant, cum ubi agitur de justitia, gratiæ in alterius injuriam non sit locus, etc.... Datum Reate, IX kalendas februarii, anno decimo.

XC

Ad abbatem et conventum monasterii de Passelet.

24 januarii 1226.

[Regist. monasterii de Passelet, 343.]

Inhibet ne episcopi vel officiales eorum subditas monasterio ecclesias audeant in recipiendis procurationibus ultra taxatum in Lateranensi Concilio personarum et evectionum numerum aggravare.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii de Passelet, Cluniacensis ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum e membrorum gravamine caput condoleat et ex illorum afflictionibus perturbetur, nos quieti vestræ in vestrorum tranquillitati membrorum providere volentes, auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne aliqui episcopi vel officiales eorum subditas vobis ecclesias audeant in recipiendis procurationibus, ultra taxatum in Lateranensi Concilio personarum et evec-

tionum numerum, aggravare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Reate, IX kalendas februarii, pontificatus nostri anno decimo.

XCI

Ad archiepiscopos, episcopos, abbates, priores, et alios prælatos Hiberniæ.

28 januarii 1226.

[Theiner, Mon. Hibernorum, 25, n. 60.]

Eos hortatur ut, quum regnum Hiberniæ ad Henricum regem Angliæ pertineat, eidem regi subveniant et collectam faciant ad expensarum ejusdem onera supportanda.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, et aliis prælatis ac rectoribus ecclesiarum in Hibernia constitutis, salutem, etc.

Non læditur libertas ecclesiastica, sed defenditur, cum defensori ejus, statu rerum et temporum exigente, subsidium liberaliter exhibetur. Cum ergo carissimo in Christo filio nostro H[enrico], regi Anglorum illustri, multa immineant necessariarum onera expensarum, et propter hoc sibi mandavimus a clero Angliæ subsidium exhiberi, universitatem vestram sollicite hortamur per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus cum regnum Hiberniæ ad ipsum pertinere noscatur, ac per hoc eidem incumbat defendere vestrarum ecclesiarum libertates et jura, vosque deceat sibi, cum exposcere videtur necessitas, liberaliter subvenire, collectam, pensatis singularum ecclesiarum facultatibus, faciatis ad expensarum ipsius regis onera supportanda, cum consilio venerabilis fratris nostri..... archiepiscopi Dublinensis aliquos viros notæ prudentiæ ac probatæ fidei eligentes, qui pecuniam recipiant pro subventione hujusmodi colligendam, eamque assignent ipsi archiepiscopo et duobus aliis, qui ad hoc idonei videbuntur, per eos ad expensas ipsius regis, quæ videbuntur ei et regno suo magis necessariæ, ministrandam, mandatum nostrum taliter impleturi, quod ipsum regem ad vestrum et ecclesiarum vestrarum favorem per hoc specialiter inclinetis, gratamque vicissitudinem ab eo exspectare possitis tempore opportuno. Nolumus autem, quod exhibitio subventionis hujusmodi trahatur ad consequentiam, vel præjudicium generet ecclesiasticæ libertati. Datum Reate, V kalendas februarii, pontificatus nostri anno decimo.

XCII

Ad episcopum, decanum S. Stephani et archidiaconum Trecensem.

29 januarii 1226.

[Regest., lib. X, epist. 165. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut in causa, quæ inter magistrum et Fratres Hospitalis Mormonti ab una, et abbatem conventumque de Moris ab altera parte, vertebatur, juxta tenorem mandati Apostolici de hoc jam dati definitive procedant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri.... episcopo, et dilectis filiis.... decano Sancti Stephani, et archidiacono Trecensi, salutem, etc.

Dilecti filii... magister, et fratres Hospitalis Mormonti sua nobis insinuatione monstrarunt, quod cum prædecessor magistri ejusdem, et fratres ipsi cognitionem cujusdam diffinitivæ sententiæ, quam... abbas Sancti Michaelis Tornodorensis et conjudices sui delegati a nobis contra eos pro... abbate, ac conventu de Moris, Cisterciensis ordinis, Lingonensis diœcesis, super de Queren et de Bellisverre grangiis protulerunt, vobis dum tu, frater episcope, canonicus Trecensis existeres, obtinuerint a Sede Apostolica delegari et fuerit coram vobis super hujusmodi negotio per annum et amplius litigatum, tandem per prædicti prædecessoris incuriam negotium ipsum ultra quadriennium est neglectum : quare postularunt a nobis, ut per beneficium restitutionis in integrum, si sit necessarium, subvenientes eisdem, admitti eos ad prosequendum memoratum negotium, non obstante tanti decursu temporis mandaremus. Ideoque mandamus, quatenus, hoc non obstante, in negotio juxta prioris mandati tenorem, appellatione remota, ratione prævia procedatis. Quod si non omnes, etc. Datum Reate, XIV kalendas februarii, pontificatus nostri anno decimo.

XCIII

Ad priorem et fratres Heremitas de Monte Carmelo.

30 januarii 1226.

[Bull. Rom., III, I, 242.]

Approbatio regulæ ordinis fratrum Heremitarum beatæ Mariæ de Monte Carmelo.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori, et fratribus Heremitis de Monte Carmelo, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ut vivendi normam, regulariter a bonæ memoriæ Hierosolymitano patriarcha editam, quam ante generale Concilium vos dicitis humiliter suscepisse, in posterum vos et successores vestri, quantum cum Dei adjutorio poteritis, observetis, in remissionem vobis injungimus peccatorum.

Datum Reate, tertio kalendas februarii, pontificatus nostri anno decimo.

Regulæ prædictæ tenor subsequitur.

Albertus, Dei gratia Hierosolymitanæ ecclesiæ vocatus patriarcha, dilectis in Christo filiis, Brocardo et cæteris Heremitis, qui sub ejus obedientia juxta fontem, in Monte Carmeli morantur, salutem in Domino, et Sancti Spiritus benedictionem.

Multifarie, multisque modis sancti patres instituerunt, qualiter quisque in quocumque ordine fuerit, vel quemcumque modum religiosæ vitæ elegerit, in obsequio Jesu Christi vivere debeat, et eidem fideliter de corde puro, et bona conscientia deservire. Verum quia requiritis a nobis, ut juxta propositum vestrum, tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in posterum debeatis :

CAP. I.

Illud in primis statuimus, ut unum ex vobis habeatis priorem, qui ex unanimi omnium assensu, vel majoris et sanioris partis, ad hoc officium eligatur, cui obedientiam promittat quilibet aliorum, et promissam studeat operis veritate servare.

CAP. II.

Præterea juxta situm loci, quem inhabitare proposueritis, singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas, sicut per dispositionem prioris ipsius, et de assensu aliorum fratrum, vel sanioris partis, eædem cellulæ cuique fuerint assignatæ.

CAP. III.

Nec liceat alicui fratrum, nisi de licentia prioris, qui pro tempore fuerit deputatus, sibi locum mutare, vel cum alio permutare.

CAP. IV.

Cellula prioris sit juxta introitum loci, ut venientibus ad eumdem locum primus occurrat : et de arbitrio, et dispositione ipsius, postmodum quæ agenda sunt, cuncta procedant.

CAP. V.

Maneant singuli in cellulis suis, vel juxta eas, die ac nocte in lege Domini meditantes, et orationibus suis vigilantes, nisi aliis justis occasionibus occupentur.

CAP. VI.

Hi, qui litteras noverunt, et legere psalmos, per singulas horas eos dicant, qui ex institutione sanctorum patrum, et Ecclesiæ approbata consuetudine ad horas singulas sunt deputati. Qui vero litteras non noverunt, viginti quinque vicibus dicant *Pater noster*, in nocturnis vigiliis. Exceptis Dominicis et solemnibus diebus, in quorum vigiliis prædictum numerum, statuimus duplicari, ut dicatur *Pater noster* vicibus quinquaginta. Septies autem eadem dicatur oratio in laudibus matutinis. In aliis quoque horis septies similiter eadem sigillatim dicatur oratio : præter officia vespertina, in quibus ipsam quindecies dicere debeatis.

CAP. VII.

Nullus fratrum sibi dicat aliquid esse proprium : sed sint vobis omnia communia. Et ex his, quæ vobis Dominus dederit, distribuatur unicuique per manum prioris, id est, per hominem ab eo ad idem officium deputatum, prout unicuique opus fuerit, inspectis ætatibus et necessitatibus singulorum. Ita tamen, ut sicut præmissum est, in deputatis cellulis singuli maneant, et ex his, quæ sibi distributa fuerint, singulariter vivant.

CAP. VIII.

Oratorium, prout commodius fieri poterit, construatur in medio cellularum, ubi mane per singulos dies ad audienda missa-

rum solemnia convenire debeatis, ubi hoc commode fieri poterit.

CAP. IX.

Dominicis quoque diebus, vel aliis, ubi opus fuerit, ad custodia ordinis tractetis. Ubi etiam excessus, et culpæ fratrum, si qui de aliquo deprehendi fuerint, caritate media corrigantur.

CAP. X.

Jejunium singulis diebus, exceptis Dominicis, observetis, a festo exaltationis S. Crucis usque ad diem Dominicæ Resurrectionis : nisi infirmitas, vel debilitas corporis, aut alia justa causa jejunium solvi suadeat, quia necessitas non habet legem.

CAP. XI.

Ab esu carnium semper abstineatis, nisi pro infirmitatis, aut nimiæ debilitatis remedio sint sumendæ.

CAP. XII.

Quia vero militia est vita hominis, et omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur : adversarius quoque vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, omni sollicitudine studeatis indui armatura Dei, ut possitis stare adversus insidias inimici.

Accingendi sunt lumbi vestri cingulo castitatis. Muniendum est pectus cogitationibus sanctis. Scriptum est enim : Cogitatio sancta servabit te.

Induenda est lorica justitiæ; ut Dominum Deum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota virtute diligatis, et proximum vestrum tamquam vosmetipsos.

Sumendum est in omnibus scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Sine fide enim impossibile est placere Deo. Et hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides vestra.

Galea quoque salutis imponenda est capiti, ut de solo Salvatore speretis salutem, qui salvum facit populum suum a peccatis eorum.

Gladius autem spiritus, quod est verbum Dei, abundanter habitet in ore, et in cordibus vestris. Et quæcumque vobis agenda sunt, in verbo Domini fiant.

CAP. XIII.

Faciendum est vobis aliquod operis, ut semper vos diabolus inveniat occupatos, ne ex otiositate vestra aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat invenire. Habetis ad hoc beati Pauli Apostoli magisterium pariter et exemplum, in cujus ore Christus loquebatur. Qui positus est, et datus a Deo prædicator, et doctor gentium in fide et veritate : quem si secuti fueritis, non poteritis aberrare. In labore, *inquit*, et fatigatione fuimus inter vos nocte, ac die, operantes, ne quem vestrum gravaremus. Non quasi nos non habeamus potestatem; sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam cum essemus apud vos, hæc denunciabamus vobis : quoniam si quis non vult operari, non manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulantes in quiete, nihil operantes. His autem, qui ejusmodi sunt, denunciamus, et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent. Hæc via sancta, et bona : ambulate in ea.

CAP. XIV.

Commendat vobis Apostolus silentium, cum in eo præcipit operandum. Et quemadmodum propheta testatur : Cultus justitiæ, silentium est. Et rursum : In silentio, et spe erit fortitudo vestra. Ideoque statuimus, ut ab hora vespertina, usque ad horam tertiam sequentis diei silentium teneatis, nisi forte necessitas, vel causa rationabilis, aut licentia prioris silentium interrumpat. Alio vero tempore, licet silentii non habeatur observatio tanta, diligentius tamen a multiloquio caveatur. Quoniam scriptum est, et non minus experientia docet : In multiloquio non deerit peccatum : et qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Item, qui multis utitur verbis, lædit animam suam. Et Dominus in Evangelio : De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Faciat ergo unusquisque stateram verbis suis, et frænos rectos ori suo, ne forte labatur, et cadat in lingua sua, et insanabilis sit casus ejus ad mortem. Custodiens cum propheta vias suas, non delinquat in lingua sua. Et silentium, in quo cultus justitiæ est, diligenter, et caute studeat observare.

CAP. XV.

Tu autem, Brocarde, et quicumque post te

institutus fuerit prior, illud semper habeatis in mente, et servetis in opere, quod Dominus ait in Evangelio : Quicumque voluerit inter vos major esse frater, erit vester minister : et quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.

Cap. XVI.

Vos quoque, cæteri fratres, priorem vestrum honorate humiliter : Christum potius cogitantes, quam ipsum, qui posuit illum super capita vestra. Et ecclesiarum præpositis etiam, ait : Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit, ut non veniatis in judicium de contemptu, sed de obedientia mereamini vitæ æternæ mercedem.

Hæc breviter scripsimus, vobis conservationis vestræ formulam statuentes, secundum quam vivere debeatis. Si quis autem super erogaverit, ipse Dominus cum redierit, reddet ei. Utatur tamen discretione, quæ virtutum est moderatrix.

Ex Achon, idus januarii, anno Domini MCXXXI.

XCIV

Ad Nicosiensem et Cæsariensem archiepiscopos et abbatem Montis Oliveti.

30 januarii 1226.

[Raynald, Ann. ad ann. 1226, § 57.]

Eis mandat ut comitem Tripolitanum diebus festi solemni ritu fidelium communione depellant ac principatum sacris interdicant.

Honorius, etc.

Comes Tripolitanus, qui pro diversis et variis excessibus suis ad illum deberet intuitum erigere, quo respiciente, Petrus legitur in amaras lacrymas effluxisse, gravi demersus oblivionis somno, et totus per voraginem desperationis absorptus, nullam recipit, cum percussus non doleat, disciplinam. Idem enim, inter alios ejus divulgatos excessus, Antiochiam et castrum Antiochenum, quod fratribus hospitalis Hierosolymitani custodiendum dimisit venerabilis frater noster Albanensis episcopus, tunc Apostolicæ Sedis legatus, et domum quamdam, quam ipsi habent apud Tripolim, capiens violenter, rabie concitatus diabolica, unum ex ipsis excoriari, et alium, ut dicitur, occidi fecit, præter id quod quibusdam eorum crudeliter et inhoneste tractatis, damna eis gravia et injurias irrogavit. Unde dictus episcopus his, aliisque de causis pluribus manifestis, in eum, fautores, complices, et participantes eidem, protulit excommunicationis sententiam, quæ auctoritate Apostolica extitit postmodum approbata. Sed ipse tanquam peccator, qui contemnit postquam in profundum labitur vitiorum, eamdem sententiam penitus vilipendens, de redeundo ad mandatum Ecclesiæ, cum ablata detineat, et de damnis et injuriis nullam satisfactionem impenderit, non videtur etiam cogitare. Ut autem de salute sua idem excitatus a nobis recogitet, qui per septennium despexit sententiam supradictam, discretioni vestræ, etc. Præcipit, ut ipsum diebus festis solemni ritu fidelium communione depellant, ac principatum sacris interdicant. Datum Reate, III kalend. februarii, anno decimo.

XCV

Ad abbatem de Josaphat, archidiaconum et subdecanum Carnotensem.

16 februarii 1226.

[Regest., lib. X, epist. 218. Mss. La Porte du Theil.]

J. reginæ quondam Franciæ tutelam ipsis committit.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati de Josaphat... archidiacono, et... subdecano Carnotensi, salutem, etc.

Licet Apostolicæ Sedis benignitas, etc., *ut infra usque* promptiores. Unde nos devotionis fervorem, quem carissima in Christo filia nostra J., quondam regina Francorum illustris, relicta inclytæ recordationis Philippi regis Franciæ ad sacrosanctam Romanam Ecclesiam matrem suam, et nos ipsos habere dignoscitur, attendentes, etc., *usque* viduarum specialem sibi gratiam exhibentes, personam suam cum omnibus bonis, etc., *usque* suscipimus, et communimus patrocinio, scripti nostri districtius inhibentes, ne quis in ipsam, vel terram ejus sine manifesta, etc., *usque* requirat. Ad hæc ejusdem scripti auctoritate duximus indulgendum, ut si se senserit in aliquo prægravari liceat sibi ad Sedem Apostolicam appellare. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus reginam præfatam non permittatis contra protectionem,

inhibitionem aut concessionem nostram ab aliquibus indebite molestari. Si quis vero contra inhibitionem nostram in nominatam reginam, vel terram ejus excommunicationis vel interdicti sententias post appellationem ad nos legitime interpositam præsumpserit promulgare, vos eas denuntiantes penitus nullas esse, audiatis si quid remanserit quæstionis, et appellatione remota, etc., *usque* observari. Testes, etc. Quod si non omnes, etc. Datum ut infra, col. 29.

XCVI

Ad Ingeburgem, quondam Francorum reginam.

16 februarii 1226.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 770; Regest., lib. X, epist. 203.]

Constitutis a regina redditibus pro sustentatione tredecim presbyterorum in hospitali Corboliensis oppidi, piis ejus votis annuens Honorius perpetuam fundationem ejus confirmat.

Honorius episcopus..... carissimæ in Christo filiæ I(ngeburgi) quondam reginæ Francorum illustri, relictæ inclytæ recordationis Philippi regis Franciæ, salutem, etc.

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis et honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Ex parte siquidem tua fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum dilectis filius Guarinus de Monteacuto, magister Hospitalis Hierosolymitani, de communi consilio et assensu fratrum suorum et capituli generalis, tibi concesserit quod in ecclesia Hospitalis eorum de Corbolio tredecim fratres presbyteri, secundum ordinem et constitutionem Hospitalis ejusdem, in perpetuum pro anima dicti regis et tua, antecessorum et successorum vestrorum, officia divina celebrent, ac tu eidem domui pro sustentatione dictorum fratrum, scilicet pro quolibet eorumdem, annuum duodecim librarum redditum contuleris intuitu pietatis, concessionem ipsam Apostolico dignaremur munimine roborare; nos igitur, tuis devotis precibus gratum impertientes assensum, concessionem præfatam, sicut pie ac provide facta est, et in litteris exinde confectis, quarum tenorem de verbo ad verbum præsentibus præcepimus annotari, plenius continetur, Apostolica auctoritate confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem ipsarum litterarum est talis :

Noverint universi quod nos frater Guarinus de Monteacuto, Dei gratia sanctæ domus Hospitalis Hierosolymitani magister humilis et pauperum Christi custos, ad petitionem nobilissimæ dominæ et quondam Francorum reginæ, uxoris Philippi illustris Franciæ regis, de communi assensu et consilio fratrum nostrorum et capituli nostri generalis, concessimus eidem in ecclesia nostra de Corbolio tredecim fratres presbyteros, secundum ordinem et consuetudinem Hospitalis Hierosolymitani ibidem in perpetuum permansuros, pro anima piæ recordationis Philippi regis Franciæ memorati et ipsius reginæ, et antecessorum ac successorum omnium, divina obsequia celebrantes. De quibus tredecim tres singulis diebus tres missas celebrare perpetuo tenebuntur, e quorum tredecim (1) unus, si inventus fuerit idoneus, aliis tamquam prior præerit universis; si autem aliquis ex illis tredecim non inveniatur idoneus, secundum et ad dispositionem prioris Franciæ, uno de illis tredecim amoto, ibidem apponetur alius prior idoneus, sufficiens et honestus, qui curam ejusdem domus in spiritualibus ac temporalibus semper habebit, si ipsi priori Franciæ et capitulo generali ad hoc sufficiens videatur. Præfata vero regina, amore Dei et nomine eleemosynæ perpetuæ, cuilibet tredecim fratrum sacerdotum ad eorum sustentationem duodecim libras redditus annui perpetuo assignavit. Si vero processu temporis (quod absit!) contingeret quod prædicta domus nostra de Corbolio jamdictorum fratrum presbyterorum numerum non teneret, nisi infra quadraginta dies illum numerum eadem domus complevisset, domino regi Franciæ et successoribus suis regibus liceret redditus omnes quos memorata regina, de consensu Ludovici Francorum regis, eidem domui ad usum et sustentationem dictorum presbyterorum contulit saisire et tamdiu in manu sua tenere, quousque præfatus presbyterorum numerus compleretur. Concedimus etiam et volumus bona fide quod domus nostra de Ligeriaco, cum omnibus bonis ad eamdem domum pertinentibus, quam dilectus noster Durandus civis Lugdunensis ad vitam suam tantum tenet,

(1) *Suppl.* numero.

post ipsius obitum libere revertatur ad usus proprios et expensas domus nostræ de Corbolio superius annotatæ, ita tamen quod quidquid ultra sufficientes et honestas ejusdem domus expensas residuum fuerit, totum illud transmittetur ad subsidium Terræ Sanctæ. Ut autem omnia prædicta semper de cætero melius et firmius observentur, præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ in pleno capitulo generali, ut quicumque hoc statutum infringere temeritate aliqua præsumpserit, inobediens sit et tanquam inobediens puniatur. Actum apud Terasas, anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo quinto, mense junii.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XIV kal. martii, pontificatus nostri anno decimo.

XCVII

Ad eamdem, quondam Francorum reginam.

16 februarii 1225.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 771; Regest., lib. X, epist. 216.]

Devotionis ejus et viduitatis intuitu, recipit eam Honorius sub speciali protectione S. Petri et Romanæ Ecclesiæ.

Honorius episcopus....., carissimæ in Christo filiæ I., quondam reginæ Francorum illustri, relictæ inclytæ memoriæ Ph. regis Franciæ, salutem, etc.

Licet Apostolicæ Sedis benignitas, cui auctore Domino præsidemus, tamquam universalis mater omnibus aperiat viscera pietatis, non tamen æquali affectione prosequitur universos, sed illos majori prærogativa diligit et honorat, quos in devotione reperit promptiores. Hinc est quod, devotionem quam ad sacrosanctam Romanam Ecclesiam matrem tuam et nos ipsos habere dignosceris attendentes, præter commune debitum officii pastoralis, quo curam et sollicitudinem gerere cogimur viduarum, specialem tibi gratiam exhibentes, personam tuam cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabitlier possides aut in futurum (1), etc., (*usque* communimus), districtius inhibentes ne quis in te vel terram tuam, sine manifesta et rationabili causa canonica, etiam monitione præmissa, excommunicationis vel interdicti præsumat sententias promulgare, ni forte fuerit talis excessus qui ordinem judiciarium non requirat. Ad hæc auctoritate tibi præsentium indulgemus ut, si te senseris in aliquo prægravari, libere tibi liceat ad Sedem Apostolicam appellare. Nulli ergo liceat hanc paginam nostræ protectionis, inhibitionis et concessionis infringere, etc. Datum Laterani, XIV kal. martii, anno decimo.

(1) Dotales Reginæ terras, in Aurelianensi territorio sitas, notas fecimus supra, pag. 324: quas quidem sub tutela abbatis Josaphatensis monasterii, archidiaconi et subdecani Carnotensis ecclesiæ, constituit Honorius, litteris in eumdem fere modum scriptis numeris 217 et 218. (Bouquet.)

XCVIII

Ad Romanum, Sancti Angeli cardinalem, A. S. legatum.

(Anno 1226, februarii vel martio mense)

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 766. Regest., lib. X, ep. 261.]

Gratulatus illi quod rex Ludovicus sacro adversus Albigenses bello nomen dederit, salubribus addit monitis Pontifex, ut abstineant cruce signati ab occupandis catholicorum, maxime regis Angliæ, terris in ea regione constitutis.

Honorius episcopus....., dilecto filio R., Sancti Angeli diacono cardinali, A. S. legato, salutem, etc.

Nuncios tuos et litteras consueta benignitate recepimus, et dictis eorumdem nunciorum ac ipsarum continentia litterarum cum diligentia intellectis, gavisi sumus in Domino Jesu Christo, qui fidei suæ fervore carissimi in Christo filii nostri Ludovici regis Francorum illustris, et prælatorum ac magnatum regni sui, animos sic accendit (2), ut plenam spem et fiduciam conceperimus, quod ipse Dominus Jesus Christus per eorum ministerium confundet hæreticorum Albigensium pertinacissimam et perniciosissimam pravitatem, et qui jam cœperant

(2) Anno 1226, die 28 januarii, habitus fuit Parisiis permagnus conventus, in quo rex Ludovicus cum omnibus fere episcopis et baronibus regni crucis Dominicæ adversus Albigenses signo fuit insignitus. (Bouquet.)

insultare contra cultores fidei orthodoxæ, experimento cognoscent quod, etsi Dominus fideles suos propter peccata ipsorum ad tempus quadam confusione perfuderit, ipsos tamen ejus miseratio perpetuo non reliquit.

Cæterum, quia tunc Deo accepta sunt humana servitia, cum ad ejus honorem et laudem principaliter referuntur, discretionem tuam sollicitandam duximus et monendam, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus ipsum regem, et prælatos ac magnates alios dicti regni, secundum datam tibi a Deo prudentiam moneas diligenter, ut, habentes simplicem oculum in hoc facto, quatenus arbor bona faciat fructus bonos, oblationem obsequii sui non contaminent alicujus ammixtione fermenti, sed omni vitio cupiditatis excluso, sic pure intendant ad exstirpationem hæreticæ pravitatis, quod ad occupandum terram catholicorum, ac specialiter ad terram imperii vel regum Angliæ ac Aragonum sitam in partibus illis manus extendere non præsumant, ne pietatem convertisse videantur in quæstum, et ad suum retorsisse compendium quod ob divinum noscuntur obsequium incœpisse.

Denique illud tibi esse volumus manifestum, quod nobis et fratribus nostris valde molestum existeret, si terra præfati regis Angliæ, quam habet in partibus illis, hujusmodi occasione destrui contingeret vel invadi, quia quæ ejusdem regis commodo et honori tenemur intendere, diceremur ejus gravi dispendio causam manifeste dedisse. Quare studeas sollicite providere, ut catholicorum omnium, et specialiter ipsius regis, honores et jura illibata serventur, secundum statutum Concilii generalis, eam in hoc diligentiam adhibendo, quod tuæ circumspectionis sollicitudinem possimus in hoc specialiter commendare. (*Sic terminatur, absque temporaria nota.*)

XCIX

Ad Andream, regem Hungariæ.

17 februarii 1226.

[Fejer, Cod. diplom. Hung., III, II, 74.]

Andream regem Hungariæ equitum Theutonicorum revocandorum, restituendorumve gratia extrema contentio.

Honorius, etc., illustri regi Hungariæ, etc.

Sicut serenitati tuæ jam multoties litteris nostris insinuasse recolimus, inspectis privilegiis tuis, liquido continentibus, te terram Bozæ, ac ultra Montes Nivium, dilectis filiis fratribus domus Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum regia liberalitate donasse, terram ipsam ad precum tuarum constantiam sub Apostolicæ Sedis protectione suscepimus, eamque libertate dotavimus speciali, statuendo eam nulli, nisi Romano Pontifici subjacere, quatenus eadem per hoc colonis citius impleretur; et tuæ largitionis meritum eo altius surgeret, quo pium munificentiæ tuæ donum Terræ Sanctæ, cujus obsequiis dicti fratres se totaliter devoverunt, uberius proveniret. Deinde post multas vexationes et molestias, quas super dicta terra dicebaris ipsis fratribus irrogasse, super quibus tibi multoties direximus scripta nostra, te demum nostris auribus intimante, quod ipsi fratres fines possessionum, a te sibi concessarum, egressi, quasdam ex tuis possessionibus occuparunt; cum per litteras nostras mandassemus eisdem, ut ipsas possessiones tuæ celsitudini restituerent, et ab occupatione aliorum bonorum tuorum de cætero abstinerent. Tu, quod intelleximus, de possessionibus illis, quas dicebantur extra concessarum sibi terminos occupasse, nitens retorquere, ad illas, quas eis pia liberalitate donasti, et quæ, ut duximus, eis ad preces tuas sunt auctoritate Apostolica confirmatæ, præcepisti eisdem, ut terram ipsam a te, prout jam duximus, sibi donatam intuitu pietatis, et a Sede Apostolica confirmatam, tibi continuo resignarent; eis, nisi tuæ jussioni parerent, gravia comminando. His itaque ad audientiam nostram ipsorum fratrum insinuatione perlatis, nos honori et saluti tuæ, ac juri dictorum fratrum volentes, prout ad nostrum spectat officium, providere, circumspectionem tuam per litteras nostras monere, ac hortari studuimus diligenter, ut prudenter attendens, quod nihil in tuto reponitur, nisi quod pia liberalitate donatur, ac præfatas litteras nostras secundum sanum intellectum superius expressum, accipiens, dictos fratres non molestares ulterius super terra sibi a te pia liberalitate donata, sed eam pacifice sibi dimitteres secundum limites in privilegio tuæ donationis expressos, ac restituto eis quodam castro, quo spoliasse dicebaris eos-

dem, satisfaceres eis, et satisfieri faceres de damnis aliis et injuriis per te, ac tuos eisdem hactenus irrogatis; ipsis etiam fratribus per nostras dedimus litteras in mandatis, ut tibi restituerent universa, quæ invenirentur extra præfatos limites occupasse; ac ne hujusmodi contentio posset amplius invalescere..., de Linewet, et... de Egris, et... de Kerch abbatibus dedimus in mandatis, ut ad loca ipsa personaliter accedentes, diligenter inspicerent limites antedictos, et si viderint ipsos fratres aliqua extra eosdem terminos, seu limites occupasse, ipsis auctoritate nostra injungerent ut ea tibi restituerent sine mora; quidquid super his invenirent, et facerent, fideliter nobis relaturi. Tuæ quoque scripsimus celsitudini, ut permitteres ipsos abbates libere investigare prædicta, et si tibi expedire videres, nuncios tuos mitteres cum eisdem, investigationis hujusmodi seriem inspecturos. Videat igitur regia circumspectio, utrum pendente investigatione et relatione hujusmodi, debuerit aliquid a te, vel ab ipsis fratribus renovari. Certe te nobis interim denuo intimante, quod ipsi fratres tuæ liberalitatis gratia non contenti, multa de tuis temere occuparant : et tibi ea repetenti respondeant; quod in pugna propter hoc potius mori vellent, quam restituere illa tibi; nos moti graviter contra præsumptionem hujusmodi, ad venerabiles fratres nostros... Varadiensem et... Geuriensem episcopos, asperas valde direximus litteras contra eos : asperas, inquam, quantum ad exagerationem culpæ, quæ fratribus imponebatur eisdem; non quantum ad mandati formam, quæ et rationabilis est et justa; ita ut sicut nec per alias, quas, ut supra diximus, nisus es ad sensum alienum retorquere, ita nec per illas sane intellectas, materiam habeas fatigandi fratres ipsos super terris sibi, imo verius Deo a tua liberalitate donatis, sed recuperandi duntaxat, si quas forte extra prædictos terminos temere invaserunt. Sine ea vero contra fratres nos commovisti prædictos, et sine causa nostras ad præfatos episcopos impetrasti litteras, cum prius ipsos non solum terris, quas illos extra sæpe dictos terminos occupasse dicebas; verum etiam his, quas eis donaveras, pendente prædictorum abbatum relatione, pro tuæ voluntatis arbitrio spoliasses, sicut nobis eorum conquestio postmodum patefecit; ex eo colligimus, quod præceptor domorum ipsius hospitalis, quæ intra supra dicta consistunt, secundo vel tertio die, quo nuncius tuus a nobis licentiam ad te redeundi receperat, ad nostram venit præsentiam, spoliatus terra, prout dicebat, eadem; et ab ea cum fratribus suis violenter ejectus. Sicut ergo tuam aliquas paterno affectu monuimus providentiam, ita nunc monemus et hortamur attentius, ac obsecramus in Domino Jesu Christo, quatenus spretis pravis suggestionibus malignorum, qui videntes præfatam terram per immensum fratrum dictorum studium profecisse, ad ejus cupidinem venosis suasionibus te accedunt; fratres ipsos in regnum tuum non differas revocare, ac eis restituens, et restitui faciens integre omnia bona sua, dictamque terram pacifice ipsis et quiete dimittens, secundum limites in ipsis tuis privilegiis designatos, sic eis satisfacias de damnis et injuriis irrogatis, quod Deum, cujus offensam ex hoc procul dubio nosceris incurrisse, digna possis satisfactione placere, ac ei acceptum reddere munus tuum, a quo habes non solum omnia bona tua, sed et temetipsum; sciens, quod nisi hac vice exaudire curaveris, non est nostri propositi ulterius verba perdere super negotio hujusmodi, te monendo, sed prout ratio postulaverit, assistere in justitia sua fratribus sæpedictis; cum tantam eorum injuriam, et detrimentum subsidii Terræ Sanctæ, dissimulare amplius nequeamus. Non autem moleste ferat tua sublimitas, quod dilectus filius frater Hermannus, magister domus prædictæ, ad tuam præsentiam non accedit, quando quidem id facere voluit, sed propter quædam negotia Ecclesiæ, ac imperii, ad quæ tractanda industriam et sollicitudinem ejus esse vidimus necessariam, ipsum duximus retinendum; serenitatem tuam attente rogantes, ut ejus absentiam apud celsitudinem tuam suppleant preces nostræ. Datum Laterani, XIII kalendas martii, anno decimo.

C

Ad episcopum Vesprimiensem et præpositum Albensem.

17 februarii 1226.

[Fejer, Cod. dipl. Hungariæ, III, II, 78.]

Andream regem Hungariæ per episcopum etiam Vesprimiensem, ac præpositum Albensem coram archiepiscopis et episcopis moneri jubet.

Honorius, etc., episcopo Vesprimiensi, etc., præposito Albensi, Vesprimiensis diœcesis, etc.

Sicut carissimo in Christo filio nostro... illustri regi Hungariæ, jam multoties litteris nostris insinuasse recolimus, inspectis privilegiis ejus, liquido continentibus, ipsum terram Bozæ (ut supra, *usque* nequeamus, *verbis competenter mutatis*). Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, regem ipsum, archiepiscopis et episcopis ipsius regni præsentibus, ad ea, quæ præmisimus, facienda monere, prudenter et efficaciter inducere studeatis; quod inde feceritis, ac responsionem ipsius nobis quantocius fideliter rescripturi. Datum ut supra.

CI

Ad Yolantham, reginam Hungariæ.

17 februarii 1226.

[Fejer, Cod. dipl. Hung., III, II, 79.]

Honorius id ipsum per reginam etiam Yolantham sollicitat.

Honorius, etc., reginæ Hungariæ, etc.

Sperantes, quod preces nostras velis efficaciter exaudire, præsertim in his, quæ manifestam continent pietatem, et ad salutem carissimi in Christo filii nostri Andreæ, illustris regis Hungariæ, viri tui, et tuam, non est dubium, pertinere; serenitatem tuam attente rogandam duximus et hortamur, quatenus diligenter et efficaciter ipsum regem inducas, ut juxta preces et exhortationes nostras dilectis filiis, fratribus domus Sanctæ Mariæ Theutonicorum restituat terras et alia universa, quæ per ipsum regem, vel nuncios ejus sunt eisdem ablata; et satisfaciens eis, et satisfieri faciens de damnis et injuriis irrogatis, ita ipsos divino, et nostro intuitu foveat, protegat et defendat, quod divinam ex hoc mereatur specialiter gratiam; et nos, qui ad ultimum non poterimus dictis fratribus in sua deesse justitia, aliter procedere non cogamur. Taliter autem exaudias preces nostras, quod gratum habere possimus, et ad exaudiendas tuas, cum oportuerit, reddamur merito proniores. Datum Laterani, XIII kal. martii, anno decimo.

CII

Ad abbatem conventumque de Dunfermelyn.

20 februarii 1226.

[Regist. de Dunfermelyn, 168, n. 259.]

Eis inhibet ne quis episcopus aut officialis ipsius eos vel eorum ecclesias super procurationibus ultra taxatum in Lateranensi Concilio personarum et evectionum numerum aggravare.

Honorius episcopus, etc.

Cum ex indebitis gravaminibus plerumque contingant in regularibus sanctæ contemplationis otium perturbari; nos quieti vestræ providere volentes, auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne quis episcopus aut officialis ipsius vos, vel ecclesias vestras, audeat super procurationibus ultra taxatum in Lateranensi Concilio personarum et evectionum numerum aggravare. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, X kalendas martii, pontificatus nostri anno decimo.

CIII

Ad priorem S. Trinitatis Londoniensis.

20 februarii 1226.

[Rymer, Fœdera, I, I, 100.]

Ei indulget ut terminatis causis ab Apostolica Sede ipsi commissis per commissiones ejusdem, quas de cætero ad ipsum impetrari contigerit, nullatenus teneatur procedere.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio priori Sanctæ Trinitatis Londoniensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

A nobis humiliter postulasti, ut, cum non habeas juris peritiam, et propter judiciorum strepitum contingat sanctæ contemplationis in te otium impediri, eximere te a commissionum nostrarum sollicitudine dignaremur. Nos ergo tuis supplicationibus an-

nuentes, auctoritate tibi præsentium indulgemus ut, terminatis causis ab Apostolica tibi Sede commissis, per commissiones nostras, quas de cætero ad te impetrari contigerit, non tenearis procedere, nisi de indulgentia hujusmodi fecerit mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, X kal. martii, pontificatus nostri anno decimo.

CIV

Ad Rodericum, archiepiscopum Toletanum.

20 februarii 1226.

[Sbaralea, Bullar. Francisc., I, 24, n. 24.]

Ut fratres ordinis Prædicatorum, et Minorum ad regnum Miramolini pro fide Christi servanda, et dilatanda destinare curet; et si expedierit, etiam ex illis episcopum, vel duos ibi constituat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... archiepiscopo Toletano, salutem et Apostolicam benedictionem.

Urgente officii nostri debito, quo sapientibus, et insipientibus, fidelibus et infidelibus efficimur debitores, dudum fraternitati tuæ dedimus in mandatis, ut cum in regno Miramolini plures christiani captivi terrore pœnarum, et mortis apostotasse dicantur; quin etiam pusillanimes in fide nutantes ad præcipitium essent proni; aliquos viros prudentes ex fratribus Prædicatoribus, et fratribus Minoribus illuc auctoritate nostra transmitteres ad convertendum infideles, divina gratia præeunte, prædicationibus et exemplis erigendum collapsos, confortandum dubios, et confirmandum robustos. Adjecimus insuper, ut aliquem ex ipsis fratribus auctoritate Apostolica in episcopum consecrares, qui pontificale ibidem officium exerceret, quo fideles illarum partium a tempore, quo non exstat memoria. caruerunt. Unde tu, ut devotus ecclesiæ filius, diligenter mandatum Apostolicum per omnia exsequi curavisti, super quo caritatem tuam debita prosequimur gratiarum actione. Verum fideles religionis illius, ut veridica relatione accepimus, tanto propter hoc tripudio exultarunt, ac si novus eis Lucifer illuxisset, multaque spiritualia beneficia per episcopum, et fratres prædictos divina favente gratia tam ipsis, quam aliis provenerint, de quo gaudemus plurimum in Domino, et lætamur. Sane cum christani per diversa, et remota loca illius regni, quod vastæ amplitudinis esse describitur, ubique dispersi non possint ab uno episcopo, et paucis fratribus visitari, præsertim, propter feritatem gentis illius, quæ crudelitate nimia persequitur christiani nominis professores, et fratres etiam inter hostes et rabias sævientium discurrentes sacerdotalia indumenta, et vasa ministerio dicata secum deferre non valeant absque mortis discrimine manifesto; inevitabilis necessitatis articulus instanter exposcit in hoc negotio abundantius provideri. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus fratres utriusque ordinis providos, et discretos zelatores animarum, et in Christi nominis confessione constantes, quotiens opus fuerit, et expedierit, ad illam provinciam pro tam necessario, et excellenti opere destinare procures: et si, ut nobis suggeritur, pernecessarium esse cognoveris, et expediens, unum vel duos ex ipsis magis eruditos in lege Domini, et in Christi dilectione ferventes in episcopos consecrare, ac ad diversa loca illarum partium ad evangelizandum, et pontificale officium exercendum in susceptæ paupertatis humilitate dirigere poteris; prout fuerit opportunum, dans ipsis consilia salubria, et salutis monita, quomodo caute apud illos ambulare studeant, qui sunt foris, non quasi insipientes, indiscreti, et præcipites, sed ut sapientes, providi, et maturi, tempus, ut expedierit, redimentes, omnibus omnia facti secundum Apostoli magisterium, ut Christo multos lucrifaciant, et copiosæ messis abundantiam inferant horreis dominicis, mercedis immensitatem pro laboris magnitudine postmodum recepturi. Datum Laterani, X kal. martii, anno decimo.

CV

Ad monasterium de Beyhartingen.

27 februarii 1226.

[Monum. Boica, V, 462.]

Illud monasterium sub beati Petri et suo protectione suscipit atque donationem ecclesiæ in Tuntenhausen ei confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito et conventui monasterii de Beyhartingen, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis præstante Domino poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem ecclesiam de Tuntenhausen, quam venerabilis frater noster Frisingensis episcopus ad sustentationem vestram, capituli sui accedente consensu, pia vobis liberalitate contulit, sicut eam juste, canonice ac pacifice obtinetis, et in litteris ipsius episcopi plenius dicitur contineri, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, III kalendas martii, pontificatus nostri anno decimo.

CVI

Ad Henricum abbatem monasterii de Ettenheim ejusque fratres.

27 februarii 1226.

[Wurdtwein, Nova subsidia, XIII, 282.]

Monasterium de Ettenheim protectionem suscipit, ejusdemque bona confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Henrico, abbati monasterii de Ettenheim, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito avocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et præfatum monasterium Sanctæ Dei Genitricis Virginis Mariæ in Ettenheim, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostro protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, in primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis; curiam dominicam circum adjacentem eidem monasterio cum omnibus pertinentiis suis ; de Derlebac, de villa monachorum, de Ettinheim, de Rustein, de Ringsheim, de Rubiaco et de Stozheim curias dominicas cum molendinis, piscationibus et omnibus pertinentiis earumdem; de Burbach, de Valberc, de Kencingen, de Forcheim et de Lunichheim possessiones, cum omnibus pertinentiis earumdem; de Tuswelt, de Herbotsheim, de Hosswilere, de Kippenheim, de Tundelingen, de Friesenheim, de Otenheim, de Schopfheim, de Ruchelheim, de Ongersbac, de Oterdern, de Wihwilre, de Edingen, de Ottmarsheim et de Rinawe mansos, cum omnibus possessionibus et pertinentiis suis; ecclesiam S. Petri, sitam infra septa dicti monasterii, cum omnibus pertinentiis suis, et ecclesiam in Sweghusen cum decimis et pertinentiis, quas bonæ memoriæ Henricus, episcopus Argentinensis, accedente capituli sui consensu, eidem monasterio pia liberalitate

donavit; jus patronatus, quod habetis in ecclesia de Roccingen; duas partes decimarum quas habetis in ecclesia de Ettenheim cum jure patronatus: duas partes decimarum quas habetis in Altdorf, in Ringsheim et in Granvinhusen capellis ecclesiæ memoratæ; jus patronatus, quod habetis in villa monachorum cum medietate decimarum et aliis pertinentiis suis; jus patronatus, quod habetis in ecclesia de Russtein cum medietate decimarum et aliis pertinentiis suis; jus patronatus, quod habetis in ecclesia de Lounicheim et de Stolzheim cum omnibus pertinentiis suis; annuos redditus quos habetis in ecclesiis supradictis, salva tamen in prædictis decimis moderatione Concilii generalis, etc. Sane novalium, etc.

Ego Honorius, catholicæ Ecclesiæ episc.

Ego Guala, S. Martini presb. card., tit. Equitii.

Ego Stephanus, basilicæ Duodecim Apostolorum presbyter card.

Ego Thomas, tit. S. Sabinæ presb. card.

Ego Joannes, tit. Sanctæ Praxedis presbyter cardinalis.

Ego Hugo, Hostiensis et Velletrensis episc.

Ego Nicolaus, Tusculanus episcopus.

Ego Oliverus Sabinensis episcopus.

Ego Otto SS. Sergii et Bacchi card. diac.

Ego Stephanus, S. Adriani diac. card.

Ego Rainerus, S. Mariæ in Cosmedin diac. card.

Ego Egidius, SS. Cosmæ et Damiani diaconus cardinalis.

Ego Petrus, Sancti Georgii ad Velum Aureum diac. cardinalis.

Datum Laterani, per manum magistri Guidonis domini papæ notarii, III kal. maii, [*legerim* martii], indictione XIV, Incarnationis Dominicæ anno MCCXXVI, pontificatus vero domini papæ III anno decimo.

CVII

Ad episcopum Argentinensem, archidiaconum Rhemensem, decanum Bivinensem, Coloniensis diœcesis.

28 februarii 1226.

[Regest., lib. X, epist. 227. Mss. La Porte du Theil.]

Præcipit eis ut infra terminum præscriptum in causa electi Virdunensis procedant, eamque sufficienter instructam ad Sedem Apostolicam remittant.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Argentinensi, H. quondam archidiacono Rhemensi, et... decano Bivinensi, Coloniensis diœcesis, salutem, etc.

H. et R. procuratores H. archidiaconi, et quorumdam canonicorum Virdunensium ad nostram nuper præsentiam venientes procuratorio prædictorum nomine coram nobis proponere curaverunt, quod causa, quæ inter dictum archidiaconum et canonicos memoratos ex parte una, et R. cantorem Laudunensem, qui pro electo Virdunensi se gerit ex altera, super electionibus de magistro J. Cathalaunensi archidiacono, et prædicto cantore celebratis in Virdunensi ecclesia vertitur, in non modicum ejusdem ecclesiæ præjudicium protrahitur, et gravamen, cum mora in talibus sit damnosa, et pars sua fatigata laboribus, et expensis a juris sui jam cogatur prosecutione cessare, adjicientes quod si in Virdunensi civitate discutiatur negotium, ibidem facilius poterit ipsius veritas indagari, quam civitatem tanquam locum idoneum partibus, et communem, ut ibi de negotio tractaretur aliquando elegistis. Superadditum quoque fuit a procuratoribus memoratis, quod cum tu, frater episcope, judex a nobis datus fueris ad petitionem partis adversæ in præjudicium partis suæ insertum erat prioribus litteris, ut cum altero ipsorum procederes si omnes non possetis negotio interesse. Super quibus procuratores ipsi provideri a nobis humiliter petierunt, et ne, fili H., impediaris interesse hujusmodi causæ, pro eo quod resignasti archidiaconatum Rhemensem cujus archidiaconus in prædictis litteris dicebaris. Quocirca discretioni vestræ districte præcipiendo mandamus, quatenus ad locum convenientes eumdem, et causam in ipso tractantes, gratia, odio et timore postpositis juxta priorum continentiam litterarum, quas vobis direximus ratione prævia in causa procedatis eadem, ita quod infra proximo venturum festum Omnium Sanctorum instructum sufficienter ad nos negotium remittatis, partes ad cantorem prædictum citantes, ut partes per se, vel procuratores idoneos, cantor vero personaliter in termino prætaxato nostro se conspectui repræsentent sententiam recepturæ. Ad hæc volumus auctoritate vobis præsentium sicut alias venerabili fratri nostro... episcopo Parisiensi et collegis ejus mandavimus injungentes, ut cum ecclesia ipsa

gravi dicatur premi onere debitorum, eidem cantori inhibeatis expresse, ne vel ipsam debitis onerare, vel bona ejus obligare, seu aliquatenus alienare præsumat, inhibitionem hujusmodi facientes publice nuntiari per loca, in quibus videritis expedire, mandatum nostrum taliter impleturi, quod super hoc scribere denuo non cogamur. Quod si non omnes, etc., duo vestrum. Datum Laterani, II kalendas martii, anno decimo.

CVIII

Ad Johannem S. Georgii Numburgensis, et de Buch Misnensis diœcesis abbates et decanum Misnensem.

2 martii 1226.

[Gersdorsf, Cod. dipl. Saxoniæ, I, 93, n. 100.]

Eos constituit judices inter Wratizlaviensem episcopum et ducem Zlesiæ de decimis litigantes.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Sancti Georgii Numburgensis et de Buch, Misnensis diœcesis, abbatibus et decano Misnensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilectus filius, nobilis vir dux Zlesiæ sua nobis insinuatione monstravit, quod venerabilis frater noster Wratislaviensis episcopus, homines volentes in sui ducatus finibus nemora et alia loca inculta inhabitare ac deducere ad culturam, adeo gravat indebitis exactionibus nomine decimarum contra terræ consuetudinem, quam observant episcopi convicini, quod non solum ad incolenda et excolenda loca ipsa dubitant convenire, verum etiam hi, qui ex iis ad aliqua jam convenerant excolenda, eapropter difficultates, quas eis ingerit, deserentes ad alias se transferunt regiones in prædicti ducis non modicum detrimentum, cum per hoc non solum loca ipsa deserta remaneant, sed etiam ducatus sui termini occupantur et inter ipsum et vicinos nobiles, ad quorum terras ejus coloni se transferunt, graves interdum discordiæ oriantur. Denique cum prædecessores episcopi memorati quibusdam servis ejusdem ducis, qui smardi vulgariter appellantur, decimas omnino remiserint, quibusdam ex servis ipsius ejusdem conditionis cum certis possessionibus ab eisdem in decimarum recompensatione receptis, dictus episcopus nihilominus ab eis decimas contra justitiam exigit et extorquet, alias multipliciter existens sibi et suis difficilis et molestus. Quare nos ipsi episcopo, nostris damus litteris in mandatis, ut super præmissis et aliis sic studeat abstinere ab ipsius ducis indebito gravamine ac suorum, quod iidem de ipso justam non habeant materiam conquerendi. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si dictus episcopus mandatum nostrum neglexerit adimplere, vos audiatis, quæ dux ipse contra eum et quæ idem episcopus contra ducem duxerit proponenda, et diligenter intendatis ad sopiendas compositione amicabili et honesta hujusmodi quæstiones, et si per vestrum studium ipsa nequiverit compositio provenire, quæstiones ipsas curetis, si de partium voluntate processerit, per diffinitivam sententiam mediante justitia terminare. Quod si forte partes concordare nequiverint, ut in partibus illis super his sententia proferatur, causam ad nos remittatis sufficienter instructam, præfigentes partibus terminum competentem, quo propter hoc per se vel per procuratores idoneos Apostolico se conspectui repræsentent, justam auctore Deo sententiam recepturi, non obstante eo, quod estis extra provinciam constituti, dummodo episcopum sæpedictum ultra duas diætas extra suam diœcesim non trahatis. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, cogatis testimonium veritati perhibere. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, VI nonas martii, pontificatus nostri anno decimo.

CIX

Ad rectorem et fratres domus S. Joannis Evangelistæ extra Blidam.

7 martii 1226.

[Dugdale, Monast. anglic., IV, 621, n. 7.]

Eos tuendos suscipit, specialiter autem libertates et immunitates eis a nobili viro W. de Cressi fundatore domus dictæ collatas confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis rectori et fratribus domus Sancti Joannis Evangelistæ extra Blidam,

salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati... et domum vestram cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum, præstante Domino, justis modis poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus ; specialiter autem libertates et immunitates a priore de Blida, conventus sui accedente consensu, et nobili viro W. de Cressi fundatore domus vestræ pia eidem domui liberalitate collatas, terras, possessiones, ac alia bona vestra, sicut ea omnia juste, canonice, et pacifice possidetis, ac in litteris inde confectis dicitur contineri, vobis et per vos dictæ domui auctoritate Apostolica confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, districte inhibentes, ne quis de hortis, et virgultis seu vestrorum animalium nutrimentis, decimas a vobis exigere vel extorquere præsumat. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis, confirmationis, et inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, nonas martii, pontificatus nostri anno decimo.

CX

Ad abbates Rigniaci, et Corensem et decanum Virziliacensem, Autissiodorensis et Eduensis diœcesis.

11 martii 1226.

[Regest., lib. X, epist. 230. Mss. La Porte du Theil.]

Comitissam Nivernensem sub protectione beati Petri recipit, et ejus tutelam eis committit.

Honorius, etc., dilectis filiis... Rigniaci, et... Corensi abbatibus, et... Virzialicensi decano, Autissiodorensis et Eduensis diœcesis, salutem, etc.

Quamvis Apostolica Sedes, cui licet immeriti præsidemus, tanquam universorum mater fidelium omnibus aperiat viscera pietatis, non tamen omnes æquali affectu prosequitur, sed illos majori prærogativa diligit, et honorat, quos in devotione sua reperit promptiores. Nos igitur devotionem, quam ad Romanam Ecclesiam, et ad personam nostram nobilis mulier M., comitissa Nivernensis habere dignoscitur attendentes, præter commune debitum pastoralis officii, quo curam et sollicitudinem viduarum gerere cogimur specialem sibi gratiam exhibendo in his, quæ secundum Deum requirit a nobis devotioni suæ libenter annuimus, et favorem etiam benivolum impertimur. Qua propter ejusdem comitissæ postulationibus grato concurrentes assensu, personam ipsius cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, per litteras nostras districtius inhibentes, ne quis sine manifesta, et rationabili causa in personam suam excommunicationis, et in terram interdicti sententias promulgare præsumat, semper autem admonitio canonica præmittatur, nisi talis fuerit forsan excessus, qui ordinem judiciarium non requirat. Ad hæc adjicientes statuimus, ut si in aliquo præsenserit se gravari, libere sibi liceat Sedem Apostolicam appellare. Si quis vero post appellationem ad nos legitime interpositam in personam, vel interdicti sententias promulgaverit, ipsas decernimus non tenere : præterea de benignitate Apostolica eidem indulsimus, ut si terra ipsius extiterit supposita interdicto in una dumtaxat ecclesiarum villa in qua fuerit, cum sex de familia sua, tribus videlicet masculis, et totidem mulieribus, a proprio possit presbytero, qui auctoritate nostra, sed submissa voce celebret, excommunicatis et interdictis exclusis, clausis janius, non pulsatis campanis, audire divina, dum tamen comitissam eamdem interdicto præstare causam aliquam non contingat. Quocirca mandamus, quatenus præfatam comitissam contra protectionem, inhibitionem, constitutionem et concessionem hujusmodi non permittatis ab aliquo molestari, molestatores indebitos per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, IV idus martii, anno decimo.

In eumdem modum scriptum est M. comitissæ.

CXI

Ad capitulum Strigoniensem.

13 martii 1226.

[Fejer, Cod. diplom., III, II, 80.]

Se Robertum, Vesprimiensem episcopum, metropolitanum Strigoniensem constituisse capitulo Strigoniensi affirmat, eidemque obedientiam exhiberi exigit.

Honorius, etc., capitulo Strigoniensi, etc. In gravamen ecclesiarum, quarum nobis est sollicitudo commissa, non decet aliquibus nos deferre, ut eorum arbitrio ecclesiarum ipsarum ordinatio relinquatur; si eis in talibus suæ semper permitteretur libertati voluntas, plerique contra proprium et illarum commodum agerent, vel non consuleretur ecclesiis, sed personis. Dudum sane Strigoniensis ecclesia, pastoris solatio destituta, primum duo videlicet venerabiles fratres nostri... Cenadiensis et... Nitriensis episcopi, fuerunt in ejus archiepiscopatum postulati; sed cum minus canonica utriusque postulatio fuerit, nos neutra ipsarum admissa, licet aliter potuerimus de juris vigore procedere, iterato eligendi vel postulandi canonice de gratia vobis concessimus potestatem; sed cum votis vestris in diversa divisis quidam postularunt eumdem Cenadiensem episcopum, et alii T. archidiaconum elegissent; quoniam utriusque partis processus inventus est minus legitimus, electionem cassavimus, et postulationem non duximus admittendam; ac vobis denuo gratiam facientes, universitati vestræ per litteras nostras injunximus, ut quatuor vestrum ad nostram mitteretis præsentiam, quorum consilio prædictæ possemus ecclesiæ de archiepiscopo providere. Nuper autem dilectis filiis... thesaurario, Nicolao... et Joanne canonicis Strigoniensibus coram nobis comparentibus vice vestra, nos, intellecta voluntate ipsorum, cum eadem ecclesia diu viduata extiterit, unde non modicam sustimuit in spiritualibus et temporalibus læsionem, nosque habere oportuerit respectum ad Deum, animarum salutem, profectum ecclesiæ memoratæ, ac necessitatibus ejus consulere, cujus jam parcendum erat laboribus, expensis, quibus est hactenus non modicum fatigata, venerabilem fratrem nostrum R. Vesprimiensem episcopum, virum dilectum a Deo et hominibus, visa ejus conversatione præclara, de quo certi sumus, quod carissimi in Christo filii nostri A. regis Hungariæ et regni sui exaltationem diligit, et augmentum; cum nullum alium ad prædicta invenerimus tam idoneum, de fratrum nostrorum consilio ad eamdem ecclesiam assumendum ex officio nostro providimus in pastorem; et absolventes eum a vinculo, quo Vesprimiensi ecclesiæ tenebatur, ad Strigoniensem metropolim ipsum transferimus, ac sibi tribuimus licentiam transeundi. Quia vero, si patrem quis tenetur honorare carnalem, spiritualis debet ab ipso eo amplius honorari, quo pretiosior est carne spiritus et corporibus sunt animæ digniores : universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi tanquam patri et pastori animarum vestrarum, plene ac humiliter intendatis, et exhibeatis eidem obedientiam et reverentiam debitam ac devotam, ejus salubria monita et mandata suscipiendo devote, et inviolabiliter observando; alioquin sententiam, quam ipse rationabiliter tulerit in rebelles... servari. Datum Laterani, III idus martii, anno decimo.

CXII

Ad Andream regem Hungarorum.

13 martii 1226.

[Fejer, Cod. diplom., III, II, 82.]

Id ipsum etiam Andreæ, regi Hungariæ, notificat, ipsumque favoribus hujus commendat.

Honorius, etc., regi Hungarorum illustri, etc.

Dudum Strigonensis Ecclesia, pastoris solatio destituta, *ut supra usque* præclara, quem tamquam experti novimus, exaltationis tuæ avidum, et regii zelatorem honoris; cum ipse olim sic efficaciter, quo nullus alius efficacius, pro sedanda cum honore tuo discordia inter te, et natum tuum habita laboravit; ad eamdem ecclesiam, cum nullum alium invenerimus tam idoneum, de fratrum nostrorum consilio, assumendum ex officio nostro providimus in pastorem, et absolventes eum vinculo, quo Wesprimiensi ecclesiæ tenebatur, ad Strigoniensem metropolim ipsum transferimus, ac sibi tribuimus licentiam transeundi. Quocirca serenitatem regiam roga-

mus, monemus, et hortamur attente, quatenus diligenter attendens, quam utiliter prospexerimus eidem Strigoniensi ecclesiæ ac tibi et regno tuo in persona episcopi memorati, in facto hujusmodi, acceptum et gratum illud habendo, voluntati nostræ prompto concurras affectu, sicque ipsum episcopum cum concessa sibi a nobis Strigoniensi ecclesia propensius habeas commendatum; quod et idem tui favoris suffultus suffragio prodesse ipsi ecclesiæ, ac in ea, ut speratur, fructificare valeat, et tu exinde a Deo meritum consequaris. Datum Laterani, idus martii, anno decimo.

CXIII

Ad Robertum episcopum Wesprimiensem.

13 martii 1226.

[Fejer, Cod. dipl. Hung., III, II, 83.]

Hoc ipsum etiam Roberto notitiæ dat.

Honorius, etc., episcopo Wesprimiensi. In gravamen, *ut supra usque* fatigata, te ad ipsam, quam credimus incrementum in spiritualibus et temporalibus sub tuo regimine suscepturam, de fratrum nostrorum consilio, assumendum ex officio nostro providimus in pastorem; atque absolutum a vinculo, etc., *usque* transeundi. Quia vero translationi hujusmodi te decet humiliter consentire, ne vocationi divinæ contraire, si secus ageres, videaris, fraternitati tuæ in virtute obedientiæ præcipiendo mandamus, quatenus in Dei nomine ipsius ecclesiæ curam suscipias, et ad eam transeas, sine mora, ibique te talem exhibeas, ut cum honoris augmento crevisse in virtutibus comproberis. Datum ut supra.

CXIV

Ad archiepiscopos et episcopos in regno Franciæ.

14 martii 1226.

[Regest., lib. X, ep. 245. Mss. La Porte du Theil.]

Inhibet ne monachos Sancti Germani de Pratis excommunicare præsumant.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis in regno Franciæ constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quanto amplius esse debetis justitiæ zelatores, tanto magis vos dedecet facere fraudem legi, et præsertim in Apostolicæ Sedis injuriam, et contemptum. Sane dilecti filii... abbas, et conventus Sancti Germani de Pratis Parisiensis gravem de vobis querimoniam obtulerunt, quod quidam vestrum, et eorum officiales cum in eos, et sui monasterii monachos non possint excommunicationis, aut interdicti proferre sententias, eo quod super hoc Apostolicæ Sedis privilegiis sunt muniti in eos, qui molunt in molendinis, aut coquunt in furnis eorum, et qui vendendo seu emendo, aut alias ei communicant, sententias proferunt memoratas, et sic Apostolicorum privilegiorum non vim, et potestatem, sed sola verba servantes, dicti monasterii monachos quodam modo excommunicant, dum eis alios communicare non sinunt. Ex quo illud etiam evenit inconveniens, ut ipsi monachi quantum ad hoc judicentur judicio Judæorum, et qui eis communicant in prædictis majorem pœnam incurrant, quam etiam excommunicatis communicando fuerant incursuri. Nolentes igitur hoc crebris ad nos clamoribns jam perlata ulterius sub dissimulatione transire, vobis universis, et singulis districtissime inhibemus, ne hujusmodi proferre sententias de cætero præsumatis, sed si forsitan inter vos, et ejusdem monasterii monachos aliquam contigerit emergere quæstionem, ad Apostolicæ Sedis indicium, si aliter sopiri nequiverit, perferatur, quæ vobis justitiæ plenitudinem exhibebit, pro certo scientes, quod si tales sententias de cætero protuleritis, nos, cum id nobis constiterit, eas tanquam contra inhibitionem Sedis Apostolicæ promulgatas decernemus irritas et inanes, et promulgatores earum severitate canonica corrigemus. Datum Laterani, II idus martii, anno decimo.

CXV

Ad abbatem et conventum S. Germani de Pratis Parisiensis.

14 martii 1226.

[Regest., lib. X, epist. 244. Mss. La Porte du Theil.]

Inhibet in ipsorum favorem ne archiepiscopi aliive prælati procurationes ab ipsorum domibus, quæ visitatione non indigent, extorquere præsumant.

Honorius, etc., dilectis filiis.... abbati et

conventui Sancti Germani de Pratis Parisiensis, salutem, etc.

Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod quidam archiepiscopi et episcopi, et alii ecclesiarum prælati, quibus incumbit prioratus vestros ratione parochiæ visitare, procurationibus quas in eis recipiunt non contenti, grangias, et alias domos vestras in quibus non sunt parochiales ecclesiæ visitare contendunt, ut sic procurationes extorqueant ab eisdem. Cum ergo visitatione non egeant hujusmodi grangiæ sive domus, auctoritate præsentium districte inhibemus, ne quis ab illis procurationes exigere, vel extorquere præsumat. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ inhibitionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, II idus martii, anno decimo.

CXVI

Ad abbatem S. Martini de Gemellis, archidiaconum majoris ecclesiæ, et Michaelem, canonicum S. Nicolai Ambianensis.

14 martii 1226.

[Regest., lib. X, ep. 267. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut præbendas quasdam quas abbates Sancti Vedasti laicis, in præjudicium monachorum concesserant, ad monasterium illud revocent.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati Sancti Martini de Gemellis... archidiacono majoris ecclesiæ, et Michaeli, canonico Sancti Nicolai Ambianensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex insinuatione.... abbatis, et conventus monasterii Sancti Vedasti Atrebatensis accepimus, quod quidam abbates, qui eidem monasterio pro tempore præfuerunt, quibusdam laicis non regularibus, nec oblatis præbendas concesserunt in ipso monasterio monachales, ex quo prædictum monasterium enormiter est gravatum, cum dicti laici cum uxoribus, et filiis in domibus propriis præbendas consumant easdem, ex quibus possent plures monachi sustentari. Unde petebant ut eas revocari ad monasterium mandaremus. Quia vero regularium domorum dispendiis debemus occurrere, sicut et utilitatibus providere, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si vobis constiterit de præmissis, præbendas easdem ad dictum monasterium, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, revocetis, præsertim si noveritis ex hoc monasterium graviter esse læsum. Contradictores, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, II idus martii, anno decimo.

CXVII

Ad abbatem et conventum S. Petri Gandensis.

16 martii 1226.

[Lockeren, Chart. et Doc. de l'abb. de St.-Pierre. 234, 486.]

Eis ecclesias de Estgrenewiz et de Lievesham confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui S. Petri Gandensis, salutem etc.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, de Estgrenewiz et de Lievesham ecclesias, a bonæ memoriæ episcopo Roffensi, capituli sui accedente consensu, monasterio vestro pia liberalitate collatas, sicut eas juste, canonice ac pacifice possidetis, et in litteris inde confectis plenius contineri dicitur, vobis et per vos, eidem monasterio auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XVII kal. aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

CXVIII

Ad fratres Prædicatorum et fratres Minores in Marochinato.

17 martii 1226.

[Bullarium Romanum, III, I, n. 224.]

Ordinis Prædicatorum, et Sancti Francisci fratribus apud infideles degentibus, ut habitum mutare, barbam et comam nutrire, ac pecunias tractare valeant, indulgetur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei,

dilectis filiis fratribus Prædicatoribus, fratribusque Minoribus in regno Marochitano de mandato Sedis Apostolicæ commorantibus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod cum ad mandatum Sedis Apostolicæ voluntarie vos discrimini obtuleritis ob multorum salutem, provido usi consilio interdum mutatis habitum, barbam nutritis et comam, non tam ad declinandum ad tempus gentis barbaræ feritatem, quæ in Christianis crudelius debacchatur, quam etiam ut prodesse pluribus, et liberius visitare christianos in carceribus, et locis aliis valeatis ad injungendum eis pœnitentiam, dandum salutis monita, exhibendum ecclesiastica sacramenta. Cumque in terra illa gratis non possitis victualia invenire, pro eo, quod non panis, sed pecunia consuevit ibidem pauperibus in subsidium erogari, urgens necessitas vos compellit caritative recipere, sed parce denarios expendere, et tantummodo propter cibum, et vestes ; unde cum hæc sint contra vestri ordinis instituta, licet videatur vos ab his excusare inevitabilis necessitas, ac grandis, et evidens utilitas aliorum, quia tamen cum Job veremini omnia vestra opera districti examen judicis recolentes, humiliter postulastis vestræ super his per Sedem Apostolicam subveniri conscientiæ, atque famæ. Cum igitur ex causa David coram Abimelech legatur habitum commutasse, ac Dominum se junxisse in specie peregrini discipulis in Emmaus in fractione panis eis postmodum revelatum, qui etiam tam dictos pueros super eo, quod in necessitate comederant panes sanctos, quos eos contingere non licebat, quam Apostolos excusavit, dum ipsos Pharisæi arguerent, quod esurientes alienas non lotis fricantes spicas manibus comedebant. Nos laudabile opus vestrum, piumque propositum attendentes vestris supplicationibus inclinati, super prædictis vobiscum in illis regionibus, quamdiu præscripta vos arctat necessitas, et invitat utilitas, misericorditer dispensamus, dummodo tamen fraus non interveniat, sive dolus, vel sinceritatem vestram cupiditas non seducat.

Datum Laterani, XVI kalendas aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

CXIX

Ad universos archiepiscopos, episcopos et alios prælatos Ecclesiæ, per Angliam constitutos.

18 martii 1226.

[Bullar. Roman., III, I, 244.]

In sanctorum confessorum Pontificum numerum refertur B. Wilhelmus, Eboracensis in Anglia archiepiscopus.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, universis archiepiscopis, et episcopis, et aliis ecclesiæ prælatis, et clericis, ac laicis per Angliam constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Qui statuit terminos gentium secundum numerum angelorum, ut ruinam prævaricatorum, spiritum rectorum hominum suppletione restauraret, volens diversitatem gentium in confessione sui nominis adunare, coæternum scilicet et consubstantialem filium in uterum immaculatæ Virginis cœlitus irroravit : qui siquidem ex ea humana carne dignanter assumpta, fons Dei, et hominum mediator Ecclesiam de omnibus gentibus aggregans, et qui de latere suo formans eam in sanguine suo redemit, et lavit, ipsamque, ut sororem diligens, et ut sponsam, eamdem sibi junxit invincibili caritate : quæ utique nova semper prole fœcunda, donec impleatur numerus electorum, partim in terra contra hostes multiplices militans, partim in cœlo cum Christo triumphans, hic gratia Redemptoris adjuta meretur. Unde ibi feliciter coronatur, hic contemplatur per speculum in enigmate, quidquid facie ad faciem ibi cernit ; et quia tanto ibi flagrant ardentius caritate, qui divinæ fruuntur dulcedine visionis, quanto eum, qui caritas est, vicinius intuentur, etiam hi certantes non solum suis orationibus adjuvant apud Deum verum, et miraculorum signis obtinent confortari, quibus ipsi magnifice coruscantes, divinæ gloriæ participes ineffabiliter se ostendunt, et dum de re ad spem, et de spe ad rem caritate nullatenus decedentes, sed potius argumentata, exhibent se feliciter pervenisse, datur promissi præmii certantibus certitudo, et sic finalem in bono perseverentiam efficaciter suadent. Quis enim videns electos Ecclesiæ post finem hujus vitæ felicem, novis coruscare miraculis, capiti ejus, Christo videlicet, non cupiat inseparabiliter adhærere, ut

unus spiritus sit cum eo? Aut quomodo ei obsequium denegabit, qui sibi obsequentibus dans virtutes, tanta præmia elargitur, ut hæredes quidem Domini, cohæredes autem Christi effecti gloriæ regni cœlestis, insignia quæque feliciter obtinentes, miraculose revelentur in terris, et quidquid petierint, fiat eis? Confundantur ergo Judæi, confundantur hæretici, erubescant pagani, et peccatores ad pœnitentiam convertantur; dum fidem in Christo credentium tanta remunerari donorum conspiciunt largitione.

Sane venerabilis frater noster archiepiscopus, et dilecti filii decanus, et capitulum Eboracense apud nos per litteras, et per magistros G. pœnitentiarium, et Heliam Bernardi Eboracensem, et Laurentium Aquilegensem, canonicos opportune, importune pluries insistere, ut sanctæ memoriæ Wilhelmum, quondam archiepiscopum, sicut ex multorum fide dignorum testimoniis apparebat, tanta fulsit gratia meritorum, quod multa per eum Dominus dignatus est gloriosa miracula operari, et post decessum ipsius corpus ejus multo pluribus dedit mirabilibus coruscare, catalogo sanctorum adscriberemus in Ecclesia militanti, cum non esset dubium, ipsum in triumphanti a Domino multipliciter honorari. Verum licet fidem testimoniis adhibentes, et famæ jugiter de ipso crescenti credulitatem minime denegantes, libenter vellemus annuere precibus supplicantium ; quia tamen in tam sancto, et divino negotio non erat, nisi cum maturitate plurima procedendum, pluries per viros electos tam super vita quam super miraculis sancti prædicti inquisitionem fieri fecimus diligentem ; cum etsi ad sanctitatis existentiam sufficiat perfectio caritatis, ad ostensionem tamen ipsius miraculorum exhibitio exigatur, eo quod, et nonnulli justitiam suam faciunt, coram hominibus, ut videantur ab eis, et nonnunquam diabolus se in lucis angelum transfigurans illudit hominibus fraudulenter. Unde cum inquisitores prædicti receptis super his quampluribus testibus fide dignis, et examinatis, sicut oportuit, diligenter, nobis ipsius sancti sanctissimæ vitæ ordinem, et multa, et magna miracula, quibus post decessum ejus, ipsum Dominus magnifice illustravit, plene ac plane fideliter retulissent, nos provide attendentes, quod non erat tanta lucerna ponenda sub modio, sed super candelabrum statuenda, cum præter alia miracula, quæ longum esset per singula enarrare, sepulchrum ejus olei ubertate pinguescat, quo ægri quam plures inuncti a suis infirmitatibus sunt sanati, et quod non est prætereundum silentio, tres mortuos mirifice suscitarit, et quinque cæcos illuminans, uni ex eis, qui in duello devictus et undique damnificatus, cum ad sepulchrum ipsius sancti clamaret instanter, et peteret confidenter, ut ei oculos restitueret, quibus injuste ipsum sciebat orbatum, alios oculos novos reddiderit mirabili novitate, ipsum de communi fratrum nostrorum, et aliorum prælatorum, qui præsentes erant, consilio, adscripsimus, vel potius adscriptum denunciavimus sanctorum catalogo confessorum, statuentes, ut in anniversario ejus annuatim festum solemniter celebretur.

Igitur, ut tantæ gratiæ gratos, sicut convenit, vos reddatis, universitatem vestram monemus et hortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus ejusdem sancti festum, et memoriam veneratione debita recolentes ipsius apud Deum virtutum suffragia, pro vobis, et aliis Christi fidelibus fiducialiter imploretis. Nos enim de gratia divina, et prædicti sancti meritis confidentes, omnibus ad ecclesiam Eboracensem in festo ejus devote convenientibus, quadraginta dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Laterani, XV kalendas aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

CXX

Ad decanum et capitulum ecclesiæ beatæ Mariæ Tornacensis.

22 martii 1226.

[Miræus, Opera dipl., IV, 24.]

Licentiam confirmat a Stephano quondam episcopo Tornacensi datam, ut fructus cujusdam præbendæ in communes ejusdem ecclesiæ expensas convertere possint.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis decano et capitulo ecclesiæ beatæ Mariæ Tornacensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effec-

tum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, institutionem, quam super fructibus præbendæ, quæ fuit olim Yvonis de Vinea concanonici vestri, cujus etiam donatio ad vos nullo medio pertinebat, de voluntate et consilio bonæ memoriæ Stephani episcopi vestri, in ecclesia vestra fecistis; videlicet ut fructus illi ad agenda communia negotia perpetuo debeant applicari, sicut ipsa institutio rationabiliter facta, et hactenus observata, et in authentico exinde confecto plenius continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XI kal. aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

CXXI

Ad abbates S. Pauli Præmonstratensis ordinis, S. Vitonis et S. Agerici Virdunenses.

23 martii 1226.

[Fonds Moreau, Mss. latins, t. CXXXVII, Bibl. Nation.]

Eis mandat ut de redditibus, quibusdam canonicis ecclesiæ Virdunensis assignandis, statuant.

Honorius, etc., dilectis filiis Sancti Pauli Præmonstratensis ordinis, Sancti Vitonis et Sancti Agerici abbatibus Virdunensibus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Significantibus dilectis filiis capitulo Virdunensi, nos noveritis accepisse quod bonæ memoriæ L. Virdunensis episcopus, necessitatem ecclesiæ Virdunensis attendens, et cupiens in eadem ecclesia cultum ampliari divinum, cum eidem canonici redditus habentes nimis tenues in ipsa minus studiosi servirent, proventus thesaurariæ vacantis, quæ tunc erat in ecclesia memorata, cujus donatio pertinebat ad illum, de ipsorum assensu, eorumdem refectorii usibus, deputavit, in eos qui proventus eosdem in usus convertere alios temere attentarent excommunicationis sententiam proferendo; cujus statutum a bonæ memoriæ Lucio III papa prædecessore nostro postmodum extitit confirmatum. Cum autem ex hoc rarus vel nullus fructus hactenus provenerit ecclesiæ supradictæ, pro eo videlicet quod proventus ipsi per multos non canonicos brevi tempore inutiliter consumuntur, quibus consumptis, multi ex canonicis residentiam ibidem facere, et horis interesse canonicis parum curant, propter quod debito servitio defraudatur ecclesia memorata, nobis humiliter supplicarunt, ut super his utilitati ejusdem ecclesiæ misericorditer providentes, eis concedere dignaremur, ut proventus ipsos possent in quotidianas distributiones convertere, quos illi dumtaxat perciperent qui matutinis et horis canonicis interessent. Nos igitur de discretione vestra plenam fiduciam obtinentes, dictum negotium vobis duximus committendum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandantes quatenus ad ecclesiam memoratam personaliter accedentes, et habentes præ oculis solum Deum, statuatis super his, inquisita super præmissis diligentius veritate, quod ad honorem Dei, utilitatem ecclesiæ, et cultum ampliandum divinum, videritis pertinere, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani, X kalendas aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

CXXII

Ad abbatissam et conventum Novi Monasterii.

26 martii 1226.

[Mittelrheinisches Ub., III, 228, n. 282.]

Ecclesias Sancti Aniani et Novi Monasterii eis confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus abbatissæ et conventui Novi Monasterii, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur, etc. Specialiter autem S. Aniani et Novi Monasterii ecclesias, vobis a bonæ memoriæ C. Metensi episcopo de capituli sui assensu pia liberalitate collatas, sicut eas juste, canonice et pacifice possidetis et in confectis super hoc ipsius episcopi litteris dicitur contineri, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti

patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, etc. Datum Laterani, VII kal. aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

CXXIII

Ad abbatem et conventum monasterii S. Blasii de Nigra Sylva.

27 martii 1226.

[Wirtembergisches Ub., III, 192, n. 710.]

Compositionem inter abbatem conventumque monasterii S. Blasii de Nigra Sylva et Henricum plebanum de Nalling super decimis mediante Diethelmo Constantiensi episcopo factam confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... abbati et conventui monasterii S. Blasii de Nigra Sylva, salutem, etc.

Ea quæ judicio vel concordia terminantur, Apostolico convenit præsidio communiri, ne in iteratæ relabantur scrupulum quæstionis. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus inclinati, compositionem, quæ inter vos et dilectum filium Henricum plebanum de Nalling super decimis, mediante bonæ memoriæ Diethelmo Constantiensi episcopo, loci diœcesano, amicabiliter intervenit, sicut sine pravitate provide facta est, et ab utraque parte sponte recepta, et hactenus pacifice observata, necnon in litteris ejusdem episcopi confectis exinde dicitur plenius contineri, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, VI kal. aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

CXXIV

Ad præpositum et conventum monasterii Reichersperg, ordinis S. Augustini.

2 aprilis 1226.

[Monum. Boica, IV, 431.]

Eos tuendos suscipit, specialiter autem advocatiam ecclesiæ eorum et libertates ac immunitates ab Eberhardo, Salzburgensi archiepiscopo, eis concessas confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito et conventui monasterii in Reichesperg, ordinis Sancti Augustini, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras, et locum in quo estis divino obsequio mancipati, cum omnibus, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis præstante Domino poterit adipisci, sub beati Petri et nostram protectionem suscipimus. Specialiter autem advocatiam ecclesiæ vestræ, necnon libertates et immunitates a venerabili fratre nostro Eberhardo, Salzburgensi archiepiscopo, capituli sui accedente consensu, vobis et eidem ecclesiæ vestræ concessas, sicut eas juste, canonice ac pacifice possidetis, et in litteris archiepiscopi et capituli præmissorum exinde confectis dicitur plenius contineri, vobis et per vos eidem ecclesiæ vestræ auctoritate Apostolica confirmamus. Nulli ergo, etc. Datum Laterani, III non. aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

CXXV

Ad abbatem et conventum monasterii S. Petri Gandensis.

5 aprilis 1226.

[Lockeren, Chart. et Docum. de l'abbaye de St.-Pierre, 234, n. 487.]

Eis concedit ut ecclesias de Ysendika et de Gandavo, quum vacaverint, in ejusdem cœnobii utilitatem convertere possint.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii S. Petri Gandensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Utilitati monasterii vestri, quod gravi premitur, ut asseritis, onere debitorum, paterna volentes sollicitudine providere, vestris inclinati precibus, præsentium vobis auctoritate concedimus, quatenus de Ysendika et de Gandavo ecclesias, quas dicitis ad vestram donationem de jure spectare, nec conventuales existere, liceat vobis cum evaserint in ejusdem monasterii utilitatem convertere, ac eas libere retinere, assignata

vicariis de ipsarum proventibus congrua portione. Nolumus tamen quod per hoc juri alicujus præjudicium generetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, nonas aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

CXXVI

Ad episcopum, præpositum et R. canonicum Faventinum.

9 aprilis 1226.

[Mittarelli, Annal. Camaldul., IV, app. 446.]

Eis mandat ut sententiam excommunicationis, quam contra consules et commune castri de Vergareto non monitos vel citatos promulgaverant, infra octo dies relaxent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... episcopo et dilectis filiis... præposito... et R. canonico Faventinis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Consules et commune castri de Vergareto nobis conquerendo monstrarunt, quod cum... archipresbyter plebis de Balneo, Bobiensis diœcesis, ad vos contra abbatem... de Vergareto, et... de Trapola, ac... de Fajola priores, et quosdam alios Bobiensis diœcesis super jure patronatus plebis ejusdem decimis et rebus aliis litteras Apostolicas impetrasset, vos per occasionem illius clausulæ quidam alii in eos non monitos vel citatos, nec se contumaciter adversantes sine causa rationabili contra generalis statuta Concilii excommunuationis sententiam promulgastis; idcirco discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, infra octo dies post susceptionem præsentium sententiam ipsam sine difficultate qualibet relaxetis... ipsam juxta priorum litterarum continentiam ratione prævia processuri; alioquin venerabili fratri nostro... episcopo et dilectis filiis... abbati Sancti Mercurialis et... archidiacono Forolivensi nostris damus litteris in mandatis, ut ipsi exinde recepta sufficienter ab eis super his, pro quibus excommunicati habentur, juxta formam Ecclesiæ cautione sententiam relaxent eamdem, et injuncto eis, quod de jure fuerit injungendnm, in causa eadem juxta litterarum earumdem tenorem... ratione procedant, et faciant, quod decreverint, auctoritate nostra firmiter observari. Quod... his exsequendis... interesse, tu frater episcope cum eorum altero eam nihilominus exsequaris. Datum Laterani, V idus aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

CXXVII

Ad abbatem et conventum S. Augustini Cantuariæ, ordinis Sancti Benedicti.

9 aprilis 1226.

[Dugdale, Monast. Anglic., I, 131, n. 10.]

Indulget ut liceat eis in propriis parochiis capellas construere ac in eis habere proprios capellanos.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Sancti Augustini Cantuariæ, ordinis Sancti Benedicti, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ut gratia Sedis Apostolicæ, cui nullo medio monasterium vestrum subest, erga vos appareat fructuosa supplicationibus vestris favorabiliter annuentes, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut liceat vobis in parochiis propriis capellas construere, ac in eis habere proprios capellanos sine juris præjudicio alieni. Nulli ergo homini liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, V idus aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

CXXVIII

Ad conventum S. Michaelis Virdunensis.

14 aprilis 1226.

[Regest., lib. X, epist. 267. Mss. La Porte du Theil.]

Statuta quædam, ab ipsorum abbate super infirmos provide facta, auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis conventui Sancti Michaelis Virdunensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur, etc., *usque* effectum.

Ex vestra sane insinuatione didicimus, quod cum non consueverit in vestro monasterio minutis et infirmis, nisi tanquam sanis monachis ministrari, dilectus filius... abbas vester, vobis petentibus et consentientibus, infirmaria constituta ibidem deputavit ei quosdam redditus minutis, et infirmis per manus infirmarii ministrandos. Nos autem vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, quod super hoc ab eodem abbate pie, provide ac canonice factum est sicut in ipsius litteris dicitur contineri, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hanc paginam nostræ confirmationis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XVIII kalendas maii, anno decimo.

CXXIX

Ad episcopum Lingonensem.

17 aprilis 1226.

[Regest., lib. X, epist. 345. Mss. La Porte du Theil.]

Ut L. de Monte Barlo, qui eum acolitatus ordinem in puerilibus annis suscepisset, uxorem postea duxerat, ad ferendam coronam et tonsuram a rectore ipsius ecclesiæ cogi non sinat.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Lingonensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Veniens ad nos L. de Monte Barlo nobis exposuit, quod licet ipse quondam in annis constitutus puerilibus acolitatus ordinem suscepisset, tandem malens nubere quam aduri, matrimonium cum quadam muliere contraxit, ex qua filios, et filias procreavit. Verum O. presbyter, rector ecclesiæ de Monte Barlo, cujus idem L. parochianus existit ea occasione, quod minores ordines in minori suscepit ætate ad deferendum coronam, et tonsuram compellit eumdem, quas in patria sua non deferunt in talibus ordinibus constituti. Cum ex hoc inter ipsum, et... uxorem suam possit scandalum generari, et virum oporteat quo modo conjugi ejus placeat cogitare, ac necesse sit ipsum sæcularibus negotiis immisceri, unde tonsura, vel corona ipsius se sæcularibus implicans redundare profecto in ministerii nostri vituperium videretur, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eum super hoc molestari ab eodem presbytero non permittas. Datum Laterani, XV kal. maii, anno decimo.

CXXX

Ad Henricum, Anglorum regem.

27 aprilis 1226.

[Bouquet, Recueil des Histor., XIX, p. 772. Regest., lib. IX, ep. 5.]

Suscepta contra Raimundnm Tolosanum et Albigenses hæreticos a rege Ludovico expeditione, Henricum Angliæ regem deterret Honorius ab inita cum eodem Raimundo societate ac fœdere.

Honorius episcopus..., carissimo in Christo filio illustri regi Angliæ, salutem, etc.

Cum sit semper consultius ante tempus occurrere, quam remedium post causam quærere vulneratam, si nobis hoc in tuo facto diligentius attendentibus, efficacius intendissent nuncii tui, et nostris acquievissent consiliis super treugarum fœdere ineundo a te his temporibus cum rege Francorum et olim cum claræ memoriæ patre suo, in difficultatem quæ tibi nunc imminet minime devenisses. Denique diu exspectantes exspectavimus, legatis et nunciis ad eliminandam hæresim de terra Albigensium destinatis, ut nobilis vir R. (1) filius quondam comitis Tolosani, si vir erat, sicut promittebat, catholicus, terram prædictam, quæ spinas et tribulos tamquam reproba germinabat, mundaret ab hæretica pravitate, cum non solum vicinas partes infecerit, verum etiam iniquitatis suæ virus effuderit ad remotas : sed in aliquo non profecimus, licet non parvo tempore fuerit laboratum. Quare, cum statutum fuerit in generali Concilio ut, si dominus temporalis, requisitus et monitus ab Ecclesia, terram suam ab hæresi purgare neglexerit, per metropolitanum et comprovinciales episcopos excommunicationis vinculo innodetur, et si satisfacere contempserit infra annum, ex tunc per summum Pontificem ejus vassalli a fidelitate absolvantur ipsius, et terra exponatur catholicis occupanda, qui eam, exterminatis hæreticis, absque ulla contradictione possideant, et in fidei puritate conservent, nos coacti ex juris necessitate fuimus ut, Babylone quam curavimus non curata, denuo propter hoc assumpto labore, dilectum filium nostrum

(1) Raimundus VII.

R. (1) Sancti Angeli diaconum card. de nostro latere mitteremus, cum ad Romanam Ecclesiam pertineat hoc negotium, pro eo quod magistra est ipsa fidei, cujus excidium, tamquam omni rerum dispendio gravius et periculosius, non est aliquatenus sustinendum. Unde factum est, quod idem rex (2), zelo, sidut credimus, devotionis accensus, cum omnibus fere prælatis et baronibus regni sui, signum crucis assumpsit ad hæreticos de illis partibus profligandos (3). Quia vero utilitati tuæ libenter prospicimus et tuis cupimus dispendiis obviare, serenitatem tuam monemus sollicite ac hortamur attente, quatenus, nostro acquiescens consilio, et fiducialiter credens nobis, qui te inter alios principes abundantiori affectione diligimus, nullo modo assistas R. (4) prædicto, quia, cum ille cum fautoribus suis excommunicatus existat, præter id quod poneres in puritate fidei tuæ maculam, excommunicationis sententia contingeret te involvi (5). Per te ipsum etiam supersedeas litteris Apostolicis super facto baronum obtentis, quod ad fidelitatem tuam redeant, ut tenentur; nec per te vel fratrem tuum aut alios guerram moveas dicto regi, quamdiu institerit negotio fidei et servitio Jesu Christi, ne, te (quod absit!) impediente negotium hujusmodi, rex ipse cum prælatis et baronibus Franciæ secum accinctis ad hæreticorum exterminium ad aliud se convertat; et nos, dum super hoc excusari non posses, et notam exinde indevotionis incurreres, paternum tibi favorem, qui alias devotioni tuæ tempore opportuno non deerit, impendere nequeamus.

Cæterum nos, qui non solum parati sumus tuam conservare justitiam, sed gratiam tibi, quantum cum Deo possumus, exhibere, sic duximus providendum ut, quicquid contingat de hæreticis et terra ipsorum fieri, salvum sit jus tuum et aliorum catholicorum, secundum statuta Concilii supradicti. Datum Laterani, V kalendas maii, anno pontificatus nostri decimo.

(1) Romanum. (2) Ludovicus.

(3) Tertia die post Conversionem S. Pauli (28 januarii) Ludovicus rex Franciæ et legatus generale Concilium Parisiis celebravit, inquit Turonensis chronographus, tomo nostro XVIII, page 311. Deinde subjicitur : « Rex habito diligenti consilio, sequenti feria sexta, cum omnibus fere episcopis et baronibus regni sui signo crucis Dominicæ insignitur, etc. (Bouquet.)

(4) Raimundo.

(5) Haud multo post, Henricus, minime deterritus Honorii litteris, mense augusto, societatem et fœdus contraxit cum Raymundo Tolosano, caute tamen neque palam, prout legimus apud Th. Rymer, t. I, part. I, p. 96, in hunc modum :

« Rex consanguineo suo R., duci Narbonensi, comiti Tolosæ et marchioni Provinciæ, salutem et sinceræ dilectionis plenitudinem. In quantum pro vobis laboraverint nuncii nostri in curia Romana, per nuncios vestros qui interfuerint, et in quantum etiam nuncii nostri ultimo missi ad legatum Franciæ pro commoditate vestra laboraverint, per nuncios vestros ibidem præsentes satis poterit vobis esse manifestum. Cum autem satis vobis constet et constare debeat qua diligentia et quibus viribus Francigenæ præsumpserint antecessores nostros et vestros infestare et deprimere, immo et nos et vosmetipsos, istud semper ante oculos reducentes, vobis præcaveatis ne unquam vos contingat eorum circumveniri deceptionibus et astutiis, ne ad nos et vos separandos, quos fortissimo dilectionis vinculo convinctos tenere debet debitum sanguinis, unquam prævaleant fraudulenter.

« Hoc autem ut confirmet et corroboret nexus fortior, mandavimus dilectis et fidelibus nostris Ricardo comiti Pictaviæ fratri nostro, Willelmo comiti Sarum, et Philippo de Albiniaco, ut hi simul, vel dictus Philippus de Albiniaco, si reliquos duos spatiosa loci disjunctio vel periculum impedierit, ad vos accedentes, una cum præsentibus nunciis, dilectis et fidelibus nostris, Alexandra de Bassingburn et magistro Willelmo de Tornour, scriptum confœderationis et obligationis nostræ, quod penes se pridem habuerunt, vobis non differant liberare, recipientes a vobis simile scriptum obligationis. Quæ autem duo scripta in loco religiosorum tuto et securo, quasi sub communi custodiat nostra et vestra reponantur opportuno, si placet, tempore exponenda et mutuo reddenda; quoniam, si hoc tempore, ut credimus, publicarentur, posset vobis inde forsan dispendium, nullo nobis emergente commodo, suboriri. Vel si ad hoc aspiraveritis quod scriptum nostrum statim vobis tradatur, satisfiat voluntati vestræ et remaneat nobis scriptum vestrum, et nostrum vobis remaneat per manus prædictorum fidelium nostrorum.

« Consulimus quidem bona fide dilectioni vestræ quod tota affectione totisque viribus ad obtinendam ecclesiasticæ pacis gratiam efficacissime laboretis, et nos per Dei gratiam, in quantum poterimus, in vestrum assurgemus et auxilium et honorem. Quod autem solemniores ad vos nuncios ad hæc complenda non misimus ad præsens, soli viarum periculo decernatis imputandum. Teste meipso, apud Westmonasterium, 14 die augusti. »

De negotio eodem et in eumdem fere modum scriptum est Ricardo comiti Pictaviæ, Angliæ regis fratri, et aliis ibidem ut supra. (Bouquet.)

CXXXI

Ad abbatem et priorem S. Juliani et subdecanum S. Martini Turonensis.

2 maii 1226.

[Regest., lib. X, ep. 261. Mss. La Porte du Theil.]

Dat eis provinciam archiepiscopum Turonensem episcopumque Cenomanensem ad se coram Apostolica Sede, infra duorum terminum annorum sistendum cogendi, nisi causa, quæ inter ipsos vertebatur, accommodata fuisset.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati, et... priori S. Juliani et... subdecano Sancti Martini Turonensis, salutem, etc.

Venerabiles fratres nostri... archiepiscopus Turonensis et... Cenomanensis episcopus suis nobis litteris intimarunt, quod cum pro causa, quæ vertitur inter eos, essent in festo Nativitatis Dominicæ ad nostram præsentiam evocati, hujusmodi terminus de utriusque consensu fuit usque ad duos annos sub spe pacis, et concordiæ prorogatus, si tamen id esset de nostro beneplacito voluntatis, supplicantes, ut ratam habere prorogationem hujusmodi dignaremur. Nos igitur ratam habentes prorogationem eamdem, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, nisi concordia intervenerit infra terminum prænotatum, auctoritate nostra injungatis eisdem, ut tunc per se, vel per procuratores idoneos compareant coram nobis cum probationibus, et rationibus aliis ad ipsam spectantibus quæstionem justam, auctore Deo, sententiam recepturi. Quod si non omnes.... Datum Laterani, VI kalendas maii, anno decimo.

CXXXII

Ad magistrum et fratres militiæ Templi.

4 maii 1226.

[Fejer, Cod. diplom. Hung., III, II, 29.]

Donationes ab Andrea rege Hungariæ fratribus militiæ Templi factas recenset et confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et fratribus militiæ Templi in regno Hungariæ constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota, quæ a religionis tramite non discordant, affectu prosequente complere. Eapropter, dilecti filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, terras et alia dona vobis a carissimo in Christo filio nostro Andrea, illustri rege Hungariæ, pia liberalitate collata, prout in ipsius litteris plenius continetur, sicut ea omnia juste ac pacifice obtinuistis, vobis et per vos domui militiæ Templi auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem rei evidentiam, tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum præsentibus duximus inserendum, qui talis est :

In nomine S. Trinitatis, et individuæ Unitatis. Henricus, Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæque rex, in perpetuum.

Inter varia sollicitudinis humanæ exercitia, ea nobis prævalere, et ad salutem animarum proficere speramus, quum viscera pietatis et misericordiæ Christianæ religioni clementer aperientes, et religiosas personas, et ecclesias Dei in suo jure conservantes, ad ampliandam fidem Catholicam, opem et operam nostræ majestatis et industriæ in bonorum suorum protectione, ac defensione ferventer impendimus. Attendentes igitur religiosam devotionem et assiduos labores, militiæ Templi Hierosolymitani, quos incessanter perferunt contra inimicos crucis Christi, et eos in corde nostro laudabiliter commendantes, dignum duximus et idoneum, petitionibus ipsorum facilem præbere assensum, ut eos in bono devotionis suæ proposito, gratia et virtute regalis excellentiæ, specialiter fovemus, et sic felicia facta servamus, et statuta confirmando illibata custodimus. Quapropter cognoscat tam præsens universitas nostra, quam futura, quod nos pro remedio animæ nostræ et successorum nostrorum ad preces magistri Cone, ac fratris Franconis, et aliorum fratrum sacræ militiæ Templi, in Hungaria, omnes possessiones et omnia bona mobilia et immobilia Templi Hierosolymitani, quæ in universo regno nostro juste in præsentiarum possident, et in posterum, præstante Domino, juste poterunt adipisci, una cum personis et subditis eorum, in regno nostro habitantibus, et legationem, atque negotia Templi prædicti exercentibus, in protectionem regiæ defensionis nostræ suscipimus, ut sub tuitione majestatis nostræ gaudeant, ut prosperentur, ut nec datam,

vel collectam, aut exactionem aliquam, sive aliquid homini cuipiam publicæ functionis solvere debeant, aut supra cogantur, eis indulgemus. Concedimus etiam prædicto sacro templo libertatem aquarum, herbarum, et siccorum lignorum, plateatica etiam omnibus domus militiæ Templi, et hominibus earum, præcipientes, ut nemo aliquid ab ipsis fratribus et domibus sacræ militiæ Templi Salomonis et hominibus earum pro herbagio vel aquatico, seu lignis siccis, aut pro plateatico, vel aliqua consuetudine terræ, vel maris, aliquid aliquatenus exigere præsumat, et nullus eos, vel domos prædicti Templi de tenimentis et possessionibus earum, sine judicio, vel justitia dissasire præsumat, nec eos, vel domos eorum de aliquibus rebus, vel possessionibus, quas tenent et possident in toto regno nostro, et homines eorum, et res, et tenimenta eorum. injustis vexationibus fatiget, nec aliquod gravamen eis inferat, nec inferre permittat. Si quis autem huic mandato nostro temerarius obviator existerit, nostræ celsitudinis indignationem incurrat, et pœnam regni consuetam persolvat. Ut igitur hæc donatio inconcussæ firmitatis robur obtineat, scripto commendari, et imaginis nostræ sigillo fecimus insigniri. Datum per manus magistri Catapani, Agriensis episcopi, aulæ regiæ cancellarii, anno Incarnationis Dominicæ MCXCVIII. Venerabili Job Strigoniensi archiepiscopo existente, Saul Colocensi archiepiscopo, Ugrino Gewriensi episcopo, Adriano Ultrasylvano episcopo; Mohc Palatino comite, et eodem Baacsiensi, Petro Curiali comite, et eodem de Zannuk; Micha comite de Bichor; Dionysio comite de Wywar; Joanne comite de Posou; Tiburcio comite de Alba.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, IV non. maii, pontificatus nostri anno decimo.

CXXXIII

Ad magistrum et fratres militiæ Templi de Hungaria.

4 maii 1226.

[Fejer, Cod. dipl. Hung., III, II, 84.]

Donationem ab Andrea, rege Hungariæ, fratribus militiæ Templi factam recenset ac confirmat.

Honorius, etc., magistro et fratribus militiæ Templi de Hungaria.

Justis petentium, etc., *usque* assensu. Libertates et immunitates vobis a claræ memoriæ Henrico rege Hungariæ, pia liberalitate concessas, prout in ejus privilegio continetur, sicut eas juste, et pacifice obtinetis, vobis, et per vos domui militiæ Templi auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem rei evidentiam, tenorem privilegii ejusdem de verbo ad verbum præsentibus duximus inserendum, qui talis est:

In nomine Sanctæ Trinitatis, et individuæ Unitatis, Andreas, Dei gratia, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodemerique rex in perpetuum. Non modicas expensas, quas dilectus et fidelis per Hungariam et Sclavoniam domus militiæ Templi magister, ob honorem regni, securitatem tam eundo ultra mare, quam redeundo per Græciam de bonis domus fecit, considerantes, per cujus consilium, et auxilium post Deum, sicut credimus, ad propria remeavimus; labores quoque continuos, quos nobiscum et propter nos, serenissimamque conjugem nostram Y. reginam sustinuit, præ oculis regiæ majestatis habentes, et insuper ad petitionem ipsius reginæ, nec non pro salute tam corporum, quam animarum nostrarum, terram quamdam in Croatia, terræ castri de Stey (al Sten) et terræ Modruz, et de Bozanc contiguam, Suzke (al Guskie) nomine, cum omnibus pertinentiis suis integraliter, et absque ulla diminutione, in recompensationem expensarum, et laborum, quos dictus magister frater Pontius de Suce, propter nos et dominam reginam, sicut prædiximus, sustinuit, sacræ militiæ Templi ita libere, sicut cæteras eleemosynas, quas in regno nostro possident obstante nullo privilegio, super prædicta terra prius vel posterius forsitan impetrato,

jure perpetuo contulimus possidendam; videlicet, quod nullus banus, nullus comes, nullus bajulus, sive quilibet alius, super populum, in prædicta terra commorantem, absque licentia et voluntate fratrum Templi præsumat descendere, vel ipsum super exactione alicujus collectæ casu quolibet molestare; et in possessionem terræ præfatæ fratres domus Templi per Yobagionem nostrum, Duodomerium comitem, fecimus introduci, cujus terræ prima meta incipit..... Ut autem hæc a nobis Deo et sacræ domui Templi facta donatio nullis unquam valeat temporibus retractari, præsentem paginam aurei sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum per manus Ugrini, aulæ regiæ cancellarii, et Colocensis archielecti, anno Dominicæ Incarnationis MCCXIX. Venerabili Joanne Strigoniensi archiepiscopo existente; Willelmo Utrasylvano, Desiderio Cenadiensi, Roberto Wesprimiensi, Thoma Agriensi, Bartholomæo Quinqueecclesiensi, Stephano Zagrabiensi, Cosma Gewriensi, episcopis ecclesias Dei feliciter gubernantibus; Nicolao Palatino et Supruniensi comite, Neuka woiwoda existentibus; Mica Bithoriensi, Demetrio Ferrei castri, Smaragdo Posoniensi, Batiz Musiniensi, comitibus comitatus tenentibus, regni nostri anno sexto decimo.

Nulli ergo, etc., *usque* confirmationis nostræ, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, IV nonas maii, anno decimo.

CXXXIV

Ad decanum et capitulum S. Victoris Maguntinensis.

7 maii 1226.

[Baur, Hessische Urkunden., II, 67, n. 59.]

Eos cum omnibus bonis protegendos suscipit, specialiter autem libertates et immunitates, a Willegiso archiepiscopo Maguntino donatas, confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis decano et capitulo S. Victoris Maguntinensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum, in quo divino vacatis obsequio, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem libertates et immunitates, terras et possessiones, quas bonæ memoriæ Willegisus, archiepiscopus Maguntinus, et successores ipsius, capituli sui accedente consensu, ecclesiæ vestræ donarunt, ac alia bona vestra, sicut ea omnia juste, canonice ac pacifice possidet, vobis et per vos eidem ecclesiæ auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Datum Laterani, nonas maii, pontificatus nostri anno decimo.

CXXXV

Ad archiepiscopum Cassellensem, Limiricensem et Clonensem episcopos.

9 maii 1226.

[Theiner, Mon. Hibernorum, 25, n. 62.]

Eis mandat, ut in prædictum Robertum Travers in Laoniensi ecclesia intrusum procedant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus..... archiepiscopo Cassellensi, et... Limiricensi et... Clonensi episcopis, salutem, etc.

Ex parte dilectorum filiorum Laonensis capituli nostris fuit auribus intimatum, quod, bonæ memoriæ David archidiacono Laoniensi electo ab eis in episcopum canonice ac concorditer, dum ipsorum ecclesia tunc pastore vacaret, Robertus Travers presbyter, qui perversus ex suis actibus prædicatur, non vocatus a Domino tanquam Aaron, sed sibi honorem assumens, ipsis reclamantibus et invitis, se in eamdem ecclesiam pro pastore ipsius per laicalem impressionem procuravit intrudi, et demum in pontificem consecrari. Quare decreto electionis ipsius archidiaconi, quod erat singulorum de capitulo suscriptionibus roboratum, nobis exhibito, venerabili fratri nostro... Tuamensi archiepiscopo et collegis suis per litteras nostras injunximus, ut, si hoc ita esse constaret, amoto a Laoniensi ecclesia Roberto prædicto, electionem examinarent eamdem, et si eam reperirent celebratam canonice et de persona idonea, confirmarent, consecratores ejusdem presbyteri suspensos ad Romanam Ecclesiam transmittendo; qui mandatum

nostrum fideliter exsequentes, cognita super hoc diligentius veritate, dicta electione per sententiam confirmata, eumdem presbyterum ab eadem ecclesia removerunt; sed memorato Roberto se ad nos appellasse mendaciter asserente, ac dilecto filio fratri I. capellano et pœnitentiario nostro, tunc Apostolicæ Sedis legato, a nobis causa commissa, idem habito prudentum virorum consilio, rite pronuntiatum fuisse a dictis judicibus judicavit, et perpetuo silentio imposito sacerdoti, alterum consecrari fecit in episcopum ad ecclesiam memoratam. Cumque jam dictus sacerdos, ut quocumque modo effectum posset impedire justitiæ, ad venerabilem fratrem nostrum... Bathoniensem episcopum et collegas suos quasdam a nobis litteras obtinuerit, et postea reliquus ad nostram præsentiam accessisset, nos, revocatis prædictis litteris, peremptorie citavimus dictum Robertum nostro se conspectui personaliter præsentandum, certis super hoc executoribus deputatis, qui, exigente ipsius contumacia, ludibrio habentis, ut dicitur, citationem hujusmodi, et Apostolicæ Sedis auctoritate et nostra, in ipsum excommunicationis sententiam protulerunt. Quod ipse pertinaciter sustinens, nec in termino sibi præfixo, nec post illum, licet per annum et amplius exspectatus a nobis, per se vel per aliquem nobis se præsentare curavit, reliquo apud Sedem Apostolicam dum ibi non sine incommoditate multiplici expectaret, carnis debitum infra prædictum terminum exsolvente. Nos autem providentes eumdem presbyterum propter dilapidationis vitium, de quo non mediocriter est notatus, amovendum, pendente negotio, ab administratione Laoniensis ecclesiæ, cui tanquam intrusus incubare proponitur, et in usus illicitos consumere bona ejus, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eum ab administratione ipsius ecclesiæ amoventes, interim fideli personæ, potenti ac idoneæ administrationem hujusmodi committatis. Deinde ipso ad vestram præsentiam convocato, si comparuerit, audiatis negotium, et si commode fieri poterit, appellatione postposita, fine canonico terminetis, facientes, etc., processuri nihilominus contra eumdem presbyterum, quantum de jure poteritis, si se contumaciter absentarit; et si comparuerit, dummodo posse per vos terminari negotium nimis difficile videatur, remissuri ad nos illud sufficienter instructum, præfigendo partibus terminum competentem, quo sacerdos ipse per se, ac capitulum per procuratorem idoneum compareant coram nobis justam, dante Domino, sententiam recepturæ. Quod si contingat per vos terminari negotium, et contra sacerdotem, ut creditur, sententiam promulgari, capitulo ejusdem ecclesiæ detis auctoritate nostra licentiam eligendi. Ad hæc volumus et mandamus, ut ea, quæ de bonis Laonensis ecclesiæ inveneritis a præfato Roberto alienata in ejusdem ecclesiæ præjudicium, vel distracta, ad jus et proprietatem ipsius legitime revocetis, dilecto filio I. abbati monasterii Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli de Forgio, qui pro facto ejusdem ecclesiæ ad Sedem Apostolicam personaliter laboravit, in justis et moderatis expensis de bonis ipsius ecclesiæ satisfieri nihilominus facientes, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescendo, nullis litteris obstantibus, etc., si quæ apparuerint a sæpedicto Roberto a Sede Apostolica impetratæ. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, VII idus maii, pontificatus nostri anno decimo.

CXXXVI

Ad Henricum regem Angliæ.

7 maii 1226.

[Theiner, Mon. Hibernorum, 25, n. 61.]

Regi Angliæ, ut archiepiscopo Cassellensi et Limiricensi et Clonensi episcopis in negotio intrusi Laoniensis assistat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio... regi Angliæ illustri, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quia judicium tenetur diligere honor regis, decet magnitudinem tuam fovere justitiam, ut in judicium convertatur. Cum igitur sub certa forma scribamus venerabilibus fratribus nostris... archiepiscopo Cassellensi et... Limiricensi et... Clonensi episcopis super eo, quod Robertus Travers intrusus dicitur in Laoniensi ecclesia, et ei per violentiam incubare: Serenitatem regiam rogamus et hortamur attente, quatenus pro nostra reverentia, necnon et amore justitiæ per te ac fideles tuos judi-

cibus prædictis assistas, in eo maxime, quod per ipsos mandamus eumdem propter dilapidationis vitium, pendente negotio, ab administratione Laoniensis ecclesiæ removeri, et interim administrationem hujusmodi alii idoneæ personæ committi. Sic autem super hoc et aliis potenter assistas tam memoratis judicibus, quam in prosecutione juris sui capitulo ejusdem ecclesiæ [quæ] commissa fuerit a judicibus supradictis, quod conatus illius, quantumcumque violentus existat, effectum non habeat, sed justitiæ potius, quam idem hactenus impediendo delusit, cedere videatur. Datum Laterani, nonis maii, pontificatus nostri anno decimo.

CXXXVII

Ad monasterium ecclesiæ S. Mariæ Syloensis.

9 maii 1226.

[Hugo, Annal. Præmonst., II, prob. 504.]

Syloensis ecclesiæ personæ et bona sub protectione Apostolica suscipiuntur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati ecclesiæ Sanctæ Mariæ Syloensis, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuam rei memoriam.

Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et monasterium Sanctæ Mariæ Syloensis, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, in primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus, qui secundum Deum et beati Augustini regulam, atque institutionem Præmonstratensium fratrum in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis, Poczuze, Kivow, Mechuticze, Liwovici, Wrzesnib, Otradowici, Petrowici, Rogetici, Lipnicze, Gurice, Kranialin, Pachiow, Pohorze, Hilowici, Miletici, Smilovici, Vitici, Lubici, Lhota, Drscowici, Postei, Comorovici, Pognanow, Bistrum, Parlow, Krasanow, Ruchow, Krasanowen, Czlaum, et Branissow, villas cum sylvis usque ad terminos Moraviæ, Bozthehow, Brinchend, Klow, Dudin, Bukowii, Slanani, Welchow, Mozteb, Preische cum capella, Womisla, Sedlicze, Zahorze, Smrdov, Cletecen, Simenici, Weastowichenik, Wlezono, Wici, Heralice, Zedelie, Brundekowici, Wezely, Selentz, Terkonici. In Olsan curiam cum vinea Zwiechowici, Zedelce antiquum, Zwadnovicii, Petrin cum vinea, Pozek cum sylvis usque ad flumen de Otvirna cum pratis, vineis, nemoribus, usuagiis et pascuis, in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis.

Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e sæculo fugientes ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nullus fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem, fas sit sine abbatis sui licentia nisi arctioris religionis obtentu, de eodem loco discedere; discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare.

Chrisma vero, oleum sacrum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diœcesano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit, et communionem sacrosantæ Romanæ Sedis habuerit, et ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Alioquin liceat vobis

quemcumque malueritis catholicum adire antistitem, gratiam et communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate, vobis, quod postulatur, impendat. Prohibemus insuper ut infra fines parochiæ vestræ nullus sine assensu diœcesani episcopi et vestro, capellam seu oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hæc novas et indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, archidiaconis seu decanis, aliisque omnibus ecclesiasticis sæcularibusve personis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas præterea et possessiones ad jus ecclesiarum vestrarum spectantes quæ a laicis detinentur, redimendi et legitime liberandi de manibus eorum, et ad ecclesias ad quas pertinent revocandi, libera sit vobis de nostra auctoritate facultas. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Deum et beati Augustini regulam providerit eligendum.

Paci quoque et tranquillitati vestræ, paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates et immunitates a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus ordini vestro concessas, necnon libertates et exemptiones sæcularium exactionum a regibus et principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia; si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate; reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei ac Domini Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud Deum districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Honorius, catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Guala, Sancti Martini presb. card. tit. Equitii.

Ego Thomas, Sanctæ Sabinæ presb. card.

Ego Hugo, Ostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Pelagius, Albanus episcopus.

Ego Nicolaus, Tusculanus episcopus.

Ego Oliverius, Sabinensis episcopus.

Ego Octavianus, SS. Sergii et Bacchi diac. card.

Ego Gregorius de Grecent, S. Theodori diac. card.

Ego Raynerus, Sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis.

Datum Laterani, per manum magistri Guidonis, domini papæ notarii, VII idus maii, indict. XIV, Incarnationis Dominicæ anno MCCXXVI, pontificatus sanctissimi domini Honorii papæ III anno decimo.

CXXXVIII

Ad episcopum Lemovicensem, abbatem Dolensem, Bituricensis diœcesis, et decanum Burdegalensem.

11 maii 1226.

[Regest., lib. X, epist. 263. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut, revocatis omnibus, quæ in negotio reformationis monasterii S. Martialis Lemovicensis acta jam fuerant, ad dicti monasterii reformationem de novo procedant.

Honorius, etc., venerabili fratri... epis-

copo Lemovicensi et dilectis filiis... abbati... Dolensi Bituricensis diœcesis et... decano Burdegalensi, salutem, etc.

Intellectis olim per litteras tuas, frater episcope, quibusdam circa statum monasterii Sancti Martialis Lemovicensis tibi, et... priori Sancti Ursini Bituricensis correctionis, et reformationis officium in eodem monasterio tam in capite quam in membris duximus committendum, volentibus autem te, frater episcope, ac dicto priore ad inquisitionem procedere, abbas ad Sedem Apostolicam appellavit, cujus appellatione contempta non solum ad excommunicationis sententiam, verum etiam in inquisitionis negotio usque ad publicationem testium, et etiam suspensionem administrationis abbatis, sicut dicitur, est processum. Constitutis autem in nostra præsentia Helia Laurerii clerico pro parte ipsius abbatis, et magistro P. de monte Valerii canonico Sancti Juniani Lemovicensis diœcesis pro quampluribus monachis monasterii supradicti, tam pro processu, quam contra processum multa fuere proposita coram nobis. Nolentes igitur propter quædam judiciorum solemnia, et dispendiosos causarum circuitus reformationem monasterii retardari, utendum duximus providentia potius quam rigore, ac sententias a te, frater episcope, cum memorato priore adversus abbatem, et fautores ipsius, et ab abbate contra prædictos monachos promulgatas relaxavimus ad cautelam per Apostolica scripta mandantes, quatenus ad dictum monasterium personaliter accedentes, his quæ postquam tu, frater episcope, ac collega tuus nostris uti litteris incœpistis, hinc inde a quocumque mutata noscantur, in statum pristinum revocatis, et inquisitione pendente in suo statu manentibus, super illis, quæ in prioribus litteris continentur, processu, per eas tam super publicatione testium, quam aliis, habito non obstante, nec etiam exceptionibus, et causis suspicionum contra te, frater episcope, in alio processu propositis ex adverso tam in capite quam in membris inquiratis de novo per testes receptos, et alios cum a processu habito sit omnino recessum, plenarie veritatem, salvis exceptionibus in personas et dicta, quicquid inveneritis nobis fideliter rescripturi. Pendente vero negotio, monachi obedientiam et reverentiam præfato abbati exhibeant juxta regularia instituta. Licet autem nobis non constet fore abbatem ab administrationis officio suspendendum, sic tamen volumus per vos interim provideri, ut sæpedictum monasterium dilapidationis dispendium non incurrat, contradictores et rebelles, censura ecclesiastica, sublato appellationis obstaculo, compescendo. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc. Datum Laterani, V idus maii, anno decimo.

CXXXIX

Ad episcopum Albigensem.

13 maii 1226.

[Regest., lib. X, epist. 265. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut sententiam excommunicationis ab episcopo Caturcensi in consules et cives quosdam Caturcenses latam, irritantes et relaxantes, causam quæ inter dictos episcopum et consules vertebatur, de novo audiant, et si partes non consenserint, ad Sedem Apostolicam sufficienter instructam remittent.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Albigensi et dilectis filiis... de Bella Pertica et... de Garda Dei abbatibus, Tolosanæ et Caturcensis diœcesis, salutem, etc.

Ex parte consulum, et civium Caturcensium fuit propositum coram nobis, quod cum venerabilis frater noster... Caturcensis episcopus de quibusdam suis concivibus apud quos falsam monetam invenerant, noluisset eis, humiliter requisitus juxta ejusdem civitatis consuetudinem super his justitiam exhibere, et eorum consuetudines approbatas, et libertates antiquas infringens alias, damna eis gravia, et injurias irrogarit, ipsi sentientes in his indebite se gravari, nostram audientiam appellarunt, appellationi suæ Dominica primo præterita, qua cantatur *Lætare Jerusalem* terminum præfigentes. Sed dictus episcopus, eorum appellatione contempta, in consules ipsos, et consiliarios eorumdem non semel, sed pluries sic ut dicitur, excommunicationis sententiam promulgavit, quam (1) licet tam a venerabili fratre nostro... Bituricensi archiepiscopo quam a dilecto filio nostro R., Sancti Angeli diacono cardinale, Apostolicæ Sedis legato, de appellatione et termino supradictis mentione non habita, obtinuissent in forma communi, scilicet sicut juste lata fuerat ob-

(1) *Id est* appellationem.

servari. Nihilominus tamen super observatione ipsius, a nobis litteras infra terminum præfatæ appellationi præfixum eorum nuntios jam in itinere constitutos ad Sedem Apostolicam veniendi, malitiose præveniens dicitur impetrasse, quamquam eos in curia regis Franciæ post appellationem eamdem, expensis et laboribus super hujusmodi nimium fatigasset. Unde cum ipsis ad prædictæ appellationis terminum per procuratores idoneos comparentibus coram nobis, dictus episcopus nec per se comparuerit, nec per idoneum responsalem, sed quemdam nuntium non nisi ad impetrandum, et contradicendum mandatum habentem, ad curiam duxerit destinandum, qui ad majorem vexationem eorum, plures excommunicationes, licet earum aliquam non probarit, opposuit contra eos, nobis humiliter supplicarunt, ut super his paterna eis dignaremur providentia subvenire. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si vobis constiterit de præmissis, non obstantibus litteris super hoc infra prædictæ appellationis terminum veritate tacita impetratis, dictam excommunicationis sententiam post appellationem ad nos legitime interpositam nullam esse penitus nuntiantes, audiatis hinc inde proposita, et si de partium voluntate processerit, causam fine debito terminetis, facientes, etc. Alioquin eam sufficienter instructam ad nostram præsentiam remittatis, præfigentes partibus terminum competentem, quo nostro se conspectui repræsentent, justam, dante Domino, sententiam recepturæ. Si vero excommunicationum prædictarum sententias, vel ipsarum rationabiles vobis esse constiterit, faciatis eas usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Testes autem, etc., nullis litteris veritati, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, III idus maii, anno decimo.

CXL

Ad magistrum et fratres Hospitalis pauperum S. Joannis de Atrebato.

14 maii 1226.

[Fonds Moreau, Mss. latins, t. CXXXVII, p. 84, Bibl. Nationale.]

Inhibet ne quis ab eis decimas exigere vel extorquere præsumat.

Honorius, etc., dilectis filiis... magistro et fratribus Hospitalis pauperum Sancti Johannis de Atrebato, salutem et Apostolicam benedictionem.

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis, et honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et Hospitale in quo divino vacatis obsequio, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum, præstante Domino, justis modis poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem de Stapham, de Nocile, de Kersonetes, de Licgnecost, de Remi, de Duri, de Strepignies, de Uri, de Haucort et de Saudemont decimas, nec non terras, possessiones, redditus et alia bona vestra, sicut ea omnia juste, canonice ac pacifice possidetis, vobis et per vos hospitali vestro auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus, auctoritate præsentium inhibentes [ne quis] decimas exigere vel extorquere præsumat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis, confirmationis et inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, II idus maii, pontificatus nostri anno decimo.

CXLI

Ad archiepiscopum Dublinensem.

14 maii 1226.

[Theiner, Mon. Hibern., p. 26.]

Archiepiscopo Dublinensi, ut Angliæ regi contra ejus castrorum detentores præsto sit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... archiepiscopo Dublinensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum castra quædam Hiberniæ ad demanium... illustris regis Angliæ, ut dicitur, pertinentia contra voluntatem detineantur ejusdem, sicut ex parte sua fuit propositum coram nobis, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsorum castrorum illicitos detentores, ut ea ipsi regi vel ejus nuntiis sine difficultate resi-

gnent, moneas efficaciter et inducas, eos ad id, si monitis acquiescere non curaverint, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cognita veritate, compellens. Datum Laterani, II idus maii, pontificatus nostri anno decimo.

CXLII

Ad decanum, archidiaconum et officialem Turonenses.

14 maii 1226.

[Regest. lib. X, epist. 267. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut statutum, quo nullus in ecclesia Cenomanensi canonicus fructus suæ præbendæ per anno quo residentiam octo mensium non fecisset, percipere poterat inviolabiliter faciant observari.

Honorius, etc., dilectis filiis... decano... archidiacono, et... officiali Turonensibus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii... cantor, et... magister scolarum, et quidam alii canonici Cenomanenses sua nobis petitione monstrarunt, quod cum ab olim statutum sit in Cenomanensi ecclesia, et roboratum etiam juramento, ac a Sede Apostolica confirmatum, ut nullus canonicus ipsius ecclesiæ fructus præbendæ suæ percipiat eo anno quo residentiam octo mensium non fecerit in eadem... decano, et quibusdam aliis canonicis ejusdem ecclesiæ hujusmodi statutum infringere attentantibus... cantor et alii supradicti attendentes quod ex hoc perjurii reatum incurrere videbantur, et quod in ipsius ecclesiæ præjudicium redundabat, ne statutum ipsum infringerent, nostram audientiam appellarunt. Quocirca mandamus quatenus statutum ipsum, sicut provide factum est, et Apostolicæ Sedis munimine roboratum, auctoritate nostra faciatis inviolabiliter observari. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, II idus maii, anno decimo.

CXLIII

Ad Henricum regem Angliæ.

15 maii 1226.

[Rymer, Fœdera, I, I, 100.]

Bulla de non proferendo sententiam interdicti aut excommunicationis in personam regis aut Richardi fratris sui.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Henrico, illustri regi Angliæ, salutem et Apostolicam benedictionem.

Volentes, in quibus secundum Deum possumus, tuæ sublimitati deferre, mandavimus dilecto filio nostro Romano, Sancti Angeli diacono cardinali, Apostolicæ Sedis legato, ut, contra tuam, vel nobilis viri Ricardi comitis Pictaviæ, fratris tui, personam, ad denunciationem, seu prolationem generalis aut specialis sententiæ excommunicationis, per se, vel per alium non procedat, nisi super hoc mandatum a nobis reciperet speciale. Tu ergo provideas ne a te, vel ab ipso fratre tuo aliquid attentaretur, propter quod nos oportet super hoc speciale mandatum eidem dirigere cardinali. Datum Laterani, idibus maii, pontificatus nostri anno decimo.

CXLIV

Ad Romanum, Sancti Angeli cardinalem, A. S. legatum.

15 maii 1226.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 773.]

Prohibet Honorius quin rex Angliæ et frater ejus interdicti et excommunicationis censuris subjiciantur absque speciali mandato.

Honorius episcopus..... dilecto et fideli Romano, Sancti Angeli diacono cardinali, A. S. legato, salutem, etc.

Dicretioni tuæ auctoritate præsentium mandamus, quatenus contra carissimi in Christo filii nostri illustris regis Angliæ, vel nobilis viri Ricardi comitis Pictaviæ fratris ejus, personam, ad denunciationem vel prolationem generalis vel specialis sententiæ excommunicationis, vel per te, vel per alium, non procedas, nisi super hoc mandatum nostrum susceperis speciale. Datum Laterani, idibus maii, anno pontificatus nostri decimo.

CXLV

Ad archiepiscopum Narbonensem.

19 maii 1226.

[Regest., lib. X, epist. 382. Mss. La Porte du Theil.]

Decimas ipsius ecclesiæ auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius, etc., venerabili fratri... archie-

piscopo Narbonensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium, etc., *usque* inclinati, decimas quas bonæ memoriæ A., Narbonensis archiepiscopus, prædecessor tuus, interveniente auctoritate legatorum Apostolicæ Sedis in Narbonensi diœcesi, Narbonensis ecclesiæ acquisivit tibi, ac per te successoribus tuis, sicut eas juste, canonice obtines et quiete, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ confirmationis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XIV kalendas junii, anno decimo.

CXLVI

Ad Romanum, Sancti Angeli cardinalem, A. S. legatum.

19 maii 1226.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 774. Regest., lib. X, epist. 275.]

Quam de veteri primatiæ jure Bituricensi ecclesiæ asserto jurgii causam sæpius agitaverat Burdegalensis archiepiscopus, quamquo novissime Romano, Apostolicæ Sedis legato, quantocius fine terminandam commiserat Honorius, eamdem nunc nova disceptatione tractandam idem Pontifex decernit.

Honorius episcopus..., dilecto filio R. Sancti Angeli diacono cardinali, A. S. legato, salutem, etc.

Licet a cognitione causæ quæ inter venerabiles fratres nostros Bituricensem [Giraldum de Gros] et Burdegalense [Guillelmum Amanevi] archiepiscopos super turbatione possessionis primatiæ, ac quibusdam aliis vertitur, a nobis tibi commissa, quæ, quamvis a longis retro temporibus tractari cœperit (1), nondum tamen potuit usque ad litis contestationem perduci, ne occasione hujusmodi tepere circa prosecutionem principalis negotii cogereris, eximere te vellemus; quia tamen partes in hoc ad ultimum convenerunt, ut eas ad te remittere deberemus, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, securitate regnum intrandi et in eo licite commorandi præfato Burdegalensi archiepiscopo a carissimo in Christo filio nostro L. rege Francorum illustri primitus procurata, et sibi etiam per ejusdem regis litteras demandata, partibus ad locum ad quem cum suis accedere secure valeant, convocatis, eas ad litem dumtaxat in tua præsentia sine moræ dispendio legitime contestandam, sublato appellationis obstaculo, qua convenit districtione compellas; nihilominus injungens eisdem ut conveniant in aliquo qui de mandato tuo, auctoritate nostra, testes quos partes duxerint producendos recipiat et examinet diligenter, ac depositiones eorum in scriptis redactas sub suis sigillis ad Apostolicæ Sedis remittat examen. Testes, etc. Datum Laterani, XIV kalendas junii, anno pontificatus nostri decimo.

CXLVII

Ad patriarcham Gradensem et capitulum Castellanum.

20 maii 1226.

[Ughelli, Ital. sacra, V, 1208.]

Mandat ut vocati ad exequias accedant ad monasterium S. Georgii et aliis accedere permittant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri patriarchæ Gradensi, et dilectis filiis capitulo Castellano, salutem et Apostolicam benedictionem.

Debetis loca religiosa diligere, et ea maxime, quæ ad Romanam Ecclesiam noscuntur specialiter pertinere. Conquerentibus sane dilectis filiis abbate, et conventu monasterii S. Georgii majoris de Venetiis, nobis innotuit, quod cum vos usque ad tempus, quo declaratum fuit prædictum monasterium Ecclesiæ Romanæ immediate fore subjectum, consueveritis ad illud accedere, ad exsequias morientium invitati postmodum quasi ex declaratione hujusmodi rancorem conceperitis erga eos, videlicet præfatum monasterium deterioris conditionis esse debeat, pro eo, quod est Sedis Apostolicæ speciale, neque vos illuc pro exsequiis defunctorum acceditis, nec ire alios sustinetis contra consuetudinem antiquam, et observatam hactenus, pro vestro arbitrio veniendo in non modicam injuriam, et grave dispendium monasterii memorati. Cum autem nostra intersit ipsius

(1) Et quidem eodem de negotio actum fuit alias in epistolis libri VIII, col. 477-478, et novissimo libri IX, col. 796.

monasterii dispendiis, et injuriis obviare, universitatem vestram monemus per Apostolica scripta mandantes, quatenus juxta eamdem consuetudinem, et vos accedatis invitati propter hoc ad monasterium supradictum, et alios illuc libere accedere permittatis; non videamini revocasse ad animum, quod in monasterio jus fuit matris nostræ Romanæ Ecclesiæ declaratum, et dicti abbas et conventus non cogantur super hoc iterare querelam. Alioquin cum id non possitis præsumere sine nostra, et Apostolicæ Sedis offensa, præsumptuosis conatibus obviare recurabimus, ne effectum habeant in ejusdem monasterii præjudicium et gravamen. Datum Laterani, XIII kalendas junii, pontificatus nostri anno decimo.

CXLVIII

Ad Ludovicum, Francorum regem.

21 maii 1226.

[Bouquet, Rec. des Histor., XIX, 774. Regest., lib. X, epist. 337.]

Cum rex Ludovicus, vigente dissidio cum Henrico Anglorum rege, Burdegalensem archiepiscogum a terrarum suarum ingressu prohibuisset, Honorius apud Ludovicum patrocinio archiepiscopum tuetur, favens Angliæ regi.

Honorius episcopus....., carissimo in Christo filio regi Franciæ illustri, salutem, etc.

Novit ille qui renum et cordium est scrutator, quod, quotiens ea nobis de tuis actibus referuntur quæ famam serenitatis tuæ denigrant apud homines et conscientiam maculant apud Deum, tanto fortius contristamur, quanto magnificentiam tuam sincerioris caritatis brachiis amplexamur. Cum igitur temporibus inclytæ recordationis progenitorum tuorum in regno Franciæ observatum quasi pro lege fuerit ab antiquo, quod, licet inter ipsos ex parte una, et reges ac principes convicinos ex altera, dissensionibus atque guerris, instigante humani generis inimico, subortis, sese graviter ad invicem infestarent, prælatis tamen et clericis terrarum ipsorum liberum esset ad regum illud a Domino benedictum accedere et in eo licite commorari; tu, sicut nuper a venerabili fratre nostro Burdegalensi archiepiscopo accepimus intimante, nescimus quorum seductus consiliis, occasione discordiæ quæ inter te ex parte una, et carissimum in Christo filium nostrum H. (1) illustrem regem Angliæ et R. (2) fratrem suum ex altera, peccatis exigentibus, est suborta, eidem ne terram tuam intraret, per tuas litteras mandavisti pro tuæ arbitrio voluntatis.

Præterea quidam balivi tui quasdam possessiones et redditus ejusdem archiepiscopi, non sine conniventia tua sicut dicitur, contra justitiam occuparunt. Adjecit insuper quod quidam homines nobilis viri senescalli Pictaviensis quosdam servientes ipsius in ejus præsentia graviter vulnerarunt, alias iidem et quidam alii balivi tui super castris, terris, possessionibus et rebus aliis ad ipsum et ecclesiam Burdegalensem spectantibus, eum indebite molestando (3).

Hinc est quod excellentiam regiam rogamus, monemus attentius et hortamur, qua-

(1) Henricum. (2) Richardum.

(3) Quantum Francorum armis obfuisset Guillelmus Amanevi, Burdegalensis archiepiscopus, quo tempore rex Ludovicus Pictaviensem provinciam suum in dominium restituere constituerat, quantamque domino suo Anglorum regi fidem et obsequia præstitisset, intelligimus ex litteris ab eodem ad Angliæ regem datis, apud Th. Rymer, t. I, pag. 278:

« Illustrissimo et serenissimo viro Henrico, Dei gratia, regi Angliæ, etc., Willelmus, eadem gratia Burdegalansis archiepiscopus, salutem et de hostibus desideratam victoriam posse cum gloria obtinere. Majestati vestræ per litteras nostras significasse meminimus, quod, cum olim nobilis vir Joannes de Beumont pro rege Francorum contra terram vestram cum maxima multitudine militum advenisset, nobis ex parte regis Franciæ idem Joannes maximam obtulit pecuniæ quantitatem, eamdem personaliter deferendo. Promisit etiam nobis Joannes prædictus quod, si partem regis Franciæ sustinere vellemus pariter et fovere, nobis assignaret et conferret redditus competentes nobis et successoribus nostris in perpetuum possidendos; parentes nostros et homines mihi gratiosos sublimaret; et si forte aliquid de redditibus nostris vel aliquid alicubi amitteremus, omnia deperdita nobis rex Franciæ resarciret; et super hoc suas patentes litteras nobis daret, et benefaceret nos securos. Nos vero pro vobis et fratre vestro omnia respuimus, et nihil recipere voluimus nullo modo.

« Die vero sequenti, nobis quasdam litteras Francigenæ detulerunt, in quibus (sicut vobis meminimus nos scripsisse) rex Franciæ nobis districtius prohibebat ne terram suam aliquatenus intraremus, et ne in terra sua nos auderet aliquis receptare. Et cum ipse sibi jam fere totam nostram provinciam subjugasset, multa incommoda passi sumus, et adhuc etiam sustinemus, quia castra, civitates, villas quas Francigenæ detinent subjugatas, intrare ullatenus non audemus; redditus etiam nostros apud Rupellam detinent superatos, quos nobis nunquam restituere voluerunt,

tenus archiepiscopum memoratum, quem nos et fratres nostri, suis meritis exigentibus, sincera diligimus in Domino caritate, tanquam maximum Ecclesiæ Dei membrum, ob reverentiam beati Petri et nostram, jam dictis litteris penitus revocatis, benigne recipiens et honeste pertractans, litteras de intrando libere terram tuam et in ea licite commorando concedas eidem; possessiones insuper et redditus cum fructibus inde perceptis ei restitui memoratos, et de illatis injuriis sibi satisfieri faciens competenter, permittas ipsum reddituum et aliorum præmissorum pacifica possessione gaudere, dictos balivos tuos et alios ab ipsius super præmissis molestatione indebita compescendo. Datum Laterani, XI kalend. junii, anno pontificatus nostri decimo.

CXLIX

Ad magistrum et fratres Hospitalis S. Spiritus de Urbe.

21 maii 1226.

[Regest., lib. X, ep. 306. Mss. La Porte du Theil.]

Quod regimen Hospitalis Sancti Spiritus Viennensis et servitium capellæ Sancti Antonii ejusdem loci, spectant ad eos et de eorum manibus debent recipere rectorem.

Honorius, etc., dilectis filiis... magistro et fratribus Hospitalis Sancti Spiritus de Urbe, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium, etc., *usque* complere. Insinuantibus sane nobis accepimus, quod inter alia, quæ circa regimen, et gubernationem Hospitalis Sancti Spiritus de Vienna et servitium capellæ Sancti Antonii loci ejusdem, ad vestrum Hospitale spectantium, de venerabilis fratris nostri...Tusculani episcopi, et dilecti filii nostri S. Sancti Adriani diaconi cardinalis consilio sunt statuta, ordinatum extitit, quod Hospitale prædictum, et capella eadem recipiat rectorem a vobis, qui ordinabit cum fratrum loci ejusdem consilio camerarium, cum quo negotio hospitalis ipsius fideliter, et utiliter procurabit super arduis, de proborum virorum consilio processurus, cujus alienationes, si quas fecerit revocabitis, et suos excessus alios corrigetis, super quibus si negligentes fueritis ad Sedem Apostolicam recurretur. Nos ergo vestris justis precibus inclinati, quod super his provide, ac canonice factum est, et in eodem statuto plenius continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ confirmationis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XII kal. junii, anno decimo.

CL

Ad episcopum Lemovicensem.

21 maii 1226.

[Regest., lib. X, ep. 293. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem magistrum Gaufridum clericum ipsiusque apud Sedem Apostolicam procuratorem præbendali beneficio providendi.

Honorius, etc., venerabili fratri... Lemovicensi episcopo, salutem et Apostolicam benedictionem.

Præsentata nobis ex parte tua petitio continebat, quod licet magister Gaufridus clericus, et procurator tuus apud Sedem Apostolicam, et alibi tibi diutius servierit fideliter, et devote, nondum tamen præbendale beneficium aliquod cum ad te alicujus ecclesiæ suæ diœcesis collatio non pertineat, præbendarum potuit obtinere. Quare nobis humiliter supplicabas, ut eidem in aliqua ecclesiarum tuæ diœcesis in præbendali provideri beneficio faceremus. Nos igitur tuæ fraternitatis precibus, quantum cum Deo et honestate possumus, condes-

super multis aliis existentes nobis injuriosi graviter et molesti.

« Cumque propter hæc Romanam curiam adiremus, a Francigenis in Alvernia ad captionem fugati sumus vel ad mortem; et, sicut per clericos vestros qui præsentes erant in Romana curia potuistis plenius edoceri, multum laboravimus pro vestris et fratris vestri negotiis promovendis præter expensas quas fere ultra quingentas marcas fecimus in curia supradicta, in eundo etiam et redeundo. Et cum de eadem ecclesia rediremus, cum nobis in pluribus locis insidias Francigenæ præparassent, cum quodam solo clerico fere per totum iter usque ad terram vestram venimus, et, quasi simplex clericus incedens, nostram post nos manticam ferebamus; litteras etiam de securitate, propter causam quæ est inter nos et Bituricensem archiepiscopum, non nisi per duos menses, scilicet usque ad octavas Nativitatis Domini proximo præteritas, rex Franciæ sublatus de vitæ medio, voluit nobis dare. Inter cætera quidem incommoda et injurias quas pro vobis et fratre vestro multipliciter sustinemus, etc..... »

cendere cupientes, tibi de cujus discretione gerimus fiduciam pleniorem, vices nostras super hoc duximus committendas, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandantes, quatenus memorato magistro in aliqua ecclesiarum in qua melius expedire videris provideas præmissarum, in beneficio præbendali ipsum ab ipsius capitulo recipi faciens in canonicum, et in fratrem. Contradictores, etc. Datum Laterani, XII kal. junii, anno decimo.

CLI

Ad abbates S. Antonini Appamarum, Lesatensem et Assiliensem, Tolosanæ diœcesis.

23 maii 1226.

[Regest., lib. X, epist. 268. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut processum ab episcopo Bigorritano super inquisitione monasterii Condumensis examinent, et si dictus processus canonicus non visus fuerit, causam ad abbatem Exiensem remittant; si vero canonicus fuerit, illum faciant inviolabiliter observari.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... Sancti Antonini Appamamum... Lesatensi, et... Assiliensi abbatibus, Tolosanæ diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex insinuatione conventus monasterii Condumensis nobis innotuit, quod cum olim super inquisitione facienda in ipso monasterio tam in capite quam in membris, quædam Apostolicæ litteræ ad venerabilem fratrem nostrum... Auxitanum archiepiscopum, tunc Bigorritanum episcopum, emanassent, et aliæ postmodum a nobis processerint, sicut dicitur, litteræ continentes, quod si per inquisitionem ipsam abbatem contingeret amoveri, de ipsius consilio provideretur monasterio de abbate, recusato tandem eo, ut suspecto, propter quod haberi non potuit in inquisitione processus, idem episcopus generaliter in omnes malitiose impedientes inquisitionis processum, excommunicationis sententiam promulgavit. Demum arbitris ad cognoscendum de causa suspicionis electis, quia unus arbitrorum de medio est sublatus, propter quod non potuit in inquisitione procedi, remansit negotium in suspenso. Interim vero bonæ memoriæ A., Condomensis abbas, ad Apostolicam Sedem veniens, ad abbatem Exiensem et collegas ipsius nostras obtinuit litteras continentes, ut episcopo et abbati eidem injungerent, quod concordarent in arbitros, qui cognoscerent de causis suspicionis objectis prædicto episcopo insuper injungendo, ut nisi pronuntiaretur esse suspectus, in negotio procederet juxta traditam sibi formam, et si, infra terminum sibi ab eisdem judicibus præfigendum, nollet in arbitros concordare, aut suspectus forsitan inveniretur ab eis, iidem judices, secundum jam dictam formam, in negotio procederent memorato. Cum autem interim mortuus fuerit dictus abbas, et ipsi processerint ad electionem alterius, cum in tali casu non fuerit illius consilium requirendum, episcopus ipse, prohibito sub excommunicationis interminatione, ne ad electionem sine consilio procederetur ipsius, dum vellet contra conventum ad inquisitionem procedere, licet ut suspectus fuerit recusatus, et sibi significatum fuisset de prædictis litteris, per quas alias committebatur negotium, eos, assignato sibi termino nimis brevi, sub pœna excommunicationis citavit ad locum, ad quem securum non habebant accessum, nolens eis tutum alium assignare; propter quod ex parte conventus ad nostram fuit audientiam appellatum. Ille vero cum jam esset in archiepiscopum postulatus, et administraret negotia ecclesiæ Auxitanæ post hujusmodi appellationem in Auxitana diœcesi nuntiavit eos, tanquam si contra inhibitionem suam ad electionem temere processissent, et contumaces fuerint, ac malitiose impedierint inquisitionis processum, triplicem expressam superius excommunicationis sententiam incurrisse, cum tamen in facto electionis contra formam Apostolici mandati non venerint; per quod si per inquisitionem removeretur abbas procedere ad electionem de consilio episcopi tenebantur, et inquisitionis processum malitiose non impedierint, nec unquam extiterint contumaces, propter quod ex parte conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut denuntiari mandaremus eos tali sententia non teneri. Ideoque mandamus, quatenus si vobis constiterit de præmissis, nuntiantes nullum ipsius episcopi esse processum ad abbatem Exiensem et collegas suos negotium remittatis. Alioquin processum eumdem, sicut est legitimus, faciatis usque ad satisfactionem condignam,

appellatione postposita, inviolabiliter observari, nullis litteris veritati, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, X kalend. junii, anno decimo.

CLII

Ad abbatem de Begham.

15 maii 1226.

[Rymer, Fœdera, I, I, 101.]

Indulget ne per commissiones Sedis Apostolicæ, quas de cætero ad ipsum impetrari contigerit, procedere teneatur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio abbati de Begham, salutem et Apostolicam benedictionem.

A nobis humiliter postulasti ut, cum non habeas juris peritiam et per judiciorum strepitum contingat sanctæ in te contemplationis otium impediri, eximere te a commissionum nostrarum sollicitudine dignaremur. Nos ergo tuis supplicationibus annuentes, devotioni tuæ auctoritate præsentium indulgemus, ne per commissiones nostras, quas de cætero ad te impetrari contigerit, procedere tenearis, si de indulgentia hujusmodi non fecerint mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, III kalendas junii, pontificatus nostri anno decimo.

CLIII

Ad monasterium in Wulzburg.

Mense maii 1226.

[Falckenstein, Urk., 47, n. 30.]

Illud monasterium sub sua protectione suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii in Wulzburg, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Quapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus inclinati, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum, præstante Domino, justis modis poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem possessiones et alia bona monasterii vestri, similiter et jura, libertates et immunitates vobis et monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani..... maii, pontificatus nostri anno decimo.

CLIV

Ad Suessionensem episcopum et Petrum de Collemedio, etc.

25 maii 1226.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, p. 775.]

Catalaunensi episcopo vita functo, cui causa de matrimonio Guillelmi de Damnipetra cum Flandrensi comitissa commissa fuerat, alios judices Honorius delegat.

Honorius episcopus..., venerabili fratri Suessionensi episcopo (1), et dilectis filiis magistro P. de Collemedio, capellano nostro Parisius commoranti, et N. Lingonensi archidiacono, salutem, etc.

Cum causam matrimonii quod inter nobilem virum Willelmum de Dampetra et nobilem M. (2) sororem comitissæ Flandrensis dicebatur minus legitime fore contractum, bonæ memoriæ Catalaunensi episcopo (3), et vobis, filii, capellano et archidiacono, sub certa forma duxerimus committendam; quia, sicut dicitur, dictus episcopus viam est universæ carnis ingressus, causa ipsa dubium non potuit habere processum (4). Ne igitur hujusmodi causa remaneat diutius in suspenso, te, frater episcope, loco ejus duximus subrogandum:

(1) Jacobo. (2) Margaretam.
(3) Guillelmo.

(4) Legendæ ea de re litteræ supra, lib. VIII, epist. 87, ad an. 1223, col. 480.

discretioni vestræ per Apostolica scripta mandantes, quatenus in eadem causa, juxta priorum litterarum continentiam, ratione prævia procedatis. Quod si non omnes his exsequendis, etc. Datum Laterani, VIII kal. junii, anno pontificatus nostri decimo.

CLV

Ad episcopum et magistrum scholarum Cenomanensis diœcesis, et archipresbyterum Sagonensem.

2 junii 1226.

[Regest., lib. X, epist. 292. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut canonicos illos ecclesiæ Sanctæ Mariæ Blesensis, qui propter participationem sceleris adversus Hervæum ipsius ecclesiæ quondam abbatem perpetrato, in carcerem detrudendi erant, ab isto monasterio longe transferri faciant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri.. episcopo, et dilectis filiis... magistro scholarum Cenomanensi, et..., archipresbytero Sagonensi, Cenomamensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilectus filius... abbas ecclesiæ Sanctæ Mariæ Blesensis sua nobis petitione monstravit, quod cum per venerabilem fratrem nostrum... episcopum Carnotensem, et ejus collegas inquisitionem fieri mandaverimus super eo quod canonici ejusdem ecclesiæ bonæ memoriæ Hervæum ejusdem loci abbatem occidi procurarunt, diabolo instigante, ipsi veritate comperta quosdam illorum a suis ordinibus degradandos quosdam retrudendos in carcerem, et quosdam transferendos ad arctioris religionis monasteria decreverunt. Unde idem abbas nobis humiliter supplicavit ut cum non sit tutum eos, qui sunt in carcerem retrudendi, poni juxta monasterium suum, eo quod illud per propinquorum suorum potentiam gravius perturbarent super hoc providere salubriter dignaremur, nihilominus providendo, ut idem monasterium citius exoneretur ab illis qui sunt ad alia monasteria transferendi, et ut malitia propinquorum ipsorum, qui graviter comminantur monasterio antedicto ab ejusdem molestia compescatur. Quocirca mandamus, quatenus eos qui sunt in carcerem retrudendi longe ab ipso monasterio carcerantes, et transferendo ad alia monasteria collocantes in locis, in quibus videritis expedire, ipsorum locorum prælatos ad recipiendum eosdem, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, si necesse fuerit, compellendo, dictorum canonicorum propinquos, et complices eorumdem ab infestatione ipsius monasterii, monitione præmissa, per censuram eamdem, sublato appellationis obstaculo, compellatis, invocato, si opus fuerit, ad eorum malitiam coercendam auxilio brachii sæcularis. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, IV nonas junii, anno decimo.

CLVI

Ad Fridericum, Romanorum imperatorem.

(Absque signo chronologico.)

[Raynald, Annal. eccles. ad ann. 1227, § 3.]

De ipso vehementer conqueritur, quod Ecclesiam Romanam diffamare nitatur, cujus beneficia erga ipsum enumerat, cæteraque exprobrat, monens ne illum prospera seducant et a debita devotione removeant.

« Friderico Romanorum imperatori semper augusto et regi Siciliæ.

« Miranda tuis sensibus nostra venit epistola, ut scripsisti, sed mirabilior tua nostris. Sane si nostræ paginæ verba justo librasses examine, si litteram ad rivalem sensum, postposito conjuge, non traxisses interpretis non suspecti judicio, invenisses in illis, unde spirituali patri tenereris et matri. Tuæ quidem tenor epistolæ continebat, quod præter omnium opinionem, et consilia principum, ut tuis verbis utamur, te invenimus ad beneplacita nostra paratum, ita ut nullus prædecessorum tuorum ullis retro temporibus recolatur adeo Ecclesiæ fuisse devotus. Sed de principibus non aliter ex his verbis informabimus animum, quam probabilis credulitas habeat facti experimento probata, de quibus Apostolicæ Sedis constantia recte opinionis judicium sinistræ suggestionis instantia non mutabit, cum facta præferenda sint dictis, et certa præjudicent positivis. Ecce de archivio Ecclesiæ monimenta publica prodeunt, quæ sigillorum pæne omnium principum munita signaculis opinionem repudiant, quam forte videris ingerere contra illos, eo quod verisimilitudo non recipit tantos et tales viros

excellentiæ tuæ dedisse consilium contrarium scripto tuo, et ipsorum signato sigillis. De prædecessoribus autem tuis, si aliquid certius major dedisset expressio, metiremur in illis, quid in te sperare possemus, quoniam, si ad proximos sanguinis scribentis referatur intêntio, modicum devotionis sufficiet, ut eos comparatione præcedas : si tamen comparatio gradum inveniat, ubi vix pervenit positivus. Quod si ad illos prædecessores intellectum patiaris extendi, qui fide præclari, caritate ferventes, devotione sinceri, sibi et subditis proficientes, verbo pariter et exemplo Ecclesiam multis libertatum privilegiis munierunt, multarumque largitionum liberalitate ditarunt, illis si placet in his se magnificentia tua non præferat, sed consideret potius, si affluentia talium illorum metas attingas. Discutiat, quæsumus, viri prudentis ingenium, si merito titulum tibi multæ devotionis assumis, dum beneficia matris Ecclesiæ revocare conaris in dubium, tanquam si unius possint inficiatione celari, quæ multorum notio publicat, et singularis assertio reddat ambigua, quæ universalis notitia manifestat. Porro illa ingratitudinis species, qua beneficia percepta negantur, aliquid turbationis consuevit afferre ; sed illa majoris doloris habet aculeos, qua in bono malum præsumitur, et odium in dilectione notatur.

« Circa tutelam quoque tui, a claræ memoriæ imperatrice Constantia regina Siciliæ, Apostolicæ Sedi relictam, a beneficiorum gratia excipis, si tutelæ sit debito satisfactum, eo quod fas inducebat ut fieret, et nefas si deficeret notaretur. Verum cum nullus necessitatis articulus tunc urgeret Ecclesiam, ut in te, qui eras omni suffragio destitutus, onus non leve susciperet tutelæ, susceptio, quæ a gratia sumpsit exordium, habere te debuit te prosecutionis debito non ingratum, saltem ut tutrici notam, non solum suspectæ, sed etiam fraudulentæ administrationis non nitereris impingere, dicens quod Ecclesia nomine defensorum hostes immiserat Apuliæ. Habebat præterea diffamationis adjectio, quod quem tutrix Ecclesia debuit promovere, dejecit, erigens in paterna sede hominem alienum, qui non contentus imperio ad regnum nihilominus aspiravit. Et quidem non id hactenus habuit tua confessio, non id usque nunc continebat tuarum series litterarum quibus post Deum totum adscribebas matris Ecclesiæ studio, totum attribuebas ejusdem nutricis laboribus quicquid eras, et etiam quod vivebas.

Unde igitur istis tam contraria, tam novella processit opinio? Unde præsumptio tam adversa, tam repentina prorupit? Si enim frequens missio litterarum comitem conscientiam mittentis habebat, cum nulla subsecuta sit causa novæ scientiæ, neque scientia novæ causæ, cur calumniose impingitur, quod evidentia facti repudiat? Cur sub quodam involucro duplicitatis infertur, quod veritatis simplicitas non admittit? Quod si scripta præmissa destituta erant credulitate scribentis, tua circumspectio colligat, quæ de istis illatio subsequatur.

Suntne ista subsidia, quæ promittebas Ecclesiæ, si necessitas immineret? Est hic retributionis affectus, quem offerebas, si gravamen occurreret? Non id mater exspectavit a filio, non id nutrix sperare debuit a pupillo. Ha! Deus, quæ in tali filio aliis spei reliquiæ relinquuntur, si mater tam diligens desperare cogatur? Ha! Deus, quæ de tali pupillo fragmenta favoris cæteri colligent, si nutrix tam utilis jaculis detractionis impetitur? Ha! Deus, quot et quantos labores amisit Ecclesia, si palmes, quem multo sudore plantavit, et coluit, in amaritudinem vitis convertitur alienæ, cum sit minoris dispendii nullos fructus producere quam nocivos. Oh! quam uberes lacrymas, quam amaras felicis recordationis prædecessor noster Innocentius pro te fudit! Oh! quanta sollicitudine laboravit, ut te a nocentium eriperet manibus, insidiantium laqueis liberaret, et quasi de mortis faucibus extorqueret! Ecce quid retributionis eidem imperialis liberalitas afferat; ecce quid regalis magnificentiæ recompenset, dum pupilli vitæ insidiator occultus dicitur, et bonorum tacitus spoliator. Recogita, recogita, fili carissime, ac infra claustra pectoris frequenti meditatione revolve, quam parvum, quamque depressum te ille summus Pontifex post obitum matris accepit, et quam grandem, quamque promotum in sua morte reliquit.

« Porro, ut credimus, tenellæ infantiæ nondum finem attigeras, cum impius Mercualdus tui nominis detractor, perfidus, avidusque tuorum invasor regni Siciliæ metas aggressus, ultraque manus invasionis

extendens, montem Casinum obsedit, et insultibus multis impetiit, exercens sui robur exercitus ad speratum exterminium captionis. Sed in hoc Ecclesiæ sollicitudo non defuit, quæ per duos cardinales cum multis militibus, et expensis non modicis, efficacem manum auxilii porrexit obsessis, vires invasoris debilitans, et conatus obsidentis elidens. Cumque obsidionis exitus exultantis non responderet affectui, et prorogata spe defensionis ad alios resistendi animum resumerent convicini, se iniquus ille in Siciliam transtulit, ut ibi, si de persona regis desiderii sui finem attingeret, ad regni fastigium sine difficultatis obstaculo perveniret. Sed nec ibi protectionis solitæ dexteram subtraxit Ecclesia, mittens illuc bonæ memoriæ C., tituli S. Laurentii presbyterum cardinalem, nobili viro comite Jacobo consobrino prædicti prædecessoris nostri multis associato militibus, in tui subsidium nihilominus destinato. Alius etiam cardinalis tibi postmodum extitit deputatus, qui tuis utilitatibus non remissus, ibi diem clausit extremum, consequenter alio substituto, ut sollicitudinis debitæ plenitudo circa tuæ personæ custodiam non deesset.

« Interea Diopuldi malitia, longe lateque diffusa, sic se per partes Apuliæ ac Terræ Laboris extenderat, tantumque receperat incrementi, quod obtenta de P. quondam comite Celan victoria, pro majori fere parte homines regionis suo applicabat arbitrio, suoque dominio addicebat, in aliquos sicut poterant resistentes, eo crudelius debacchando, quo minus de paucorum et humilium timebat repagulo, qui de multorum et sublimium viribus triumpharat. Cumque in partibus illis non haberet Ecclesia quem erigeret contra illum, multosque sumptus amiserit in hominibus regionis, quæ pro te jam fecit expensas multorum millium unciarum, recepto ad opus tui a G. comite quondam Bremensi fidelitatis publice juramento, ipsum misit in regnum, ut per eum elati confringeret cornua inimici. Numquid hoc fuit commissum perdere puerum? Numquid hoc fuit creditum spoliare pupillum? De throno Dei sententia prodeat, et virtus Altissimi rectum judicium operetur, si adversus Ecclesiam tuam excellentiam decuit talia credere, si debuit ex his concepta credulitas in partum prodire hujusmodi, ut verbis et scriptis exposita in publico compararet. Sed forsan hoc divina providentia voluit, ut habeatur in posterum cautela securior ex proviso.

« Circa hominem siquidem alienum, quem in sede patris tui, si tamen patris sedes dici debeat, quæ non successionis, sed electionis jure defertur, erectum fuisse prædixeras, tua prudenter adversus Ecclesiam substitisset invectio, eo quod veritas negata de publicis minus relinquit fidei de occultis. Nullum enim angulum latet imperii, quod imperatore Henrico defuncto, quidam olim Philippo quondam duci Sueviæ, ac Othoni postmodum imperatori, divisis voluntatibus adhæserunt. Et licet idem Philippus nomen tuum primo prætenderit, ad se postea convertit negotium, sic illum succedentibus prosperis suis utilitatibus applicans, quod jam de jure dubitabat imperii, sed spem ad occupationem regni Siciliæ prorogabat L.... quondam Wormaciensem episcopum ad hoc mittens. In his etiam tuo subsidio Apostolicæ Sedis providentia non defecit, sic illi per memoratum C... cardinalem et nonnullos vassallos Ecclesiæ resistens in Marchia, quod conatus contrivit adversos, et interdictus est hostibus etiam ad primos regni fines accessus. Philippo tandem sublato de medio, Othoni, quem omnium principum roborata consensibus præsentabat electio, nec expedivit, nec licuit diadema imperii denegari, qui proculdubio, ut scripsisti, subito factus ingratus, tergum, non faciem vertit Ecclesiæ, immemor receptorum. Sed quamvis eam multis provocarit offensis, dissimulabat illas utcunque misericordis Ecclesiæ patientia consueta. Sed postquam ad tuam prorupit injuriam, in te quasi in pupilla oculi tactum contrarium ferre non potuit, multas vias excogitans, quibus pleniori remedio suo posset subvenire minori. O quam proximus eras periculis! O quam paratus ad casum! Quapropter invocavit Ecclesia illius auxilium qui superbis resistit et dat humilibus gratiam; qui imperat mari et ventis, et cessat tempestas; qui deponit potentes de sede, ac ponit humiles in sublimi. Invocavit etiam principum corda fidelium, pusillos et magnos sollicitans, ut ei ad tui relevationem collapsi manum porrigerent adjutricem. Obstitit tandem divina potentia ingrati conatibus, faciens in te cum Ecclesia signum in bonum, ut elato cadente tu surgeres, et

potente debilitato tu posses. Arguit enim illum sua malitia, suaque aversio increpavit, quoniam justo Dei judicio propria perdidit, qui avare cupiverat aliena : et tu, cui regni tui vix extrema remanserant, illius omnino imperium obtineres. Hæc utique salutis remedia cum auxilio principum, divinæ providentiæ virtute præambula tibi providit mater Ecclesia, talia beneficio puero contulit et adulto. Quid ultra tibi facere potuit, et non fecit, de contingentibus nil omittens, et ea etiam ad quæ non tenebatur adjiciens? Miramur autem, quod in his tuos labores commemoras, dicens te dubii casus facta secutum, qui vocatus ad certa, laborantibus aliis, in labores alterius introisti, metens quæ non seminasti, et colligens proculdubio quæ non sparsisti.

« Denique defuncti fatigata persona nostram tua non præterivit invectio, minus diligenter considerans, quod nos, qui prædecessori prædicto, quod ad utilitates tuas affectione plenaria succedentes, ad tui consummationem honoris patenter astitimus et potenter, nostro in multis detraximus, ut tuo adjiceremus honori, facti quodammodo famæ nostræ prodigi, tuæ parci. Sed pro istis, et aliis hac nobis retributione respondes, quia dicis jus regibus Siciliæ in electionibus prælatorum, sicut asseris, debitum ex antiquo, nostris Constitutionibus minorari. Verum si scripta tua, et genitricis tuæ manu sollicitudinis revolvisses, si sanctorum etiam patrum Constitutiones adverteres, non culpares Ecclesiam circa defensionem ecclesiasticæ libertatis, cum non debeat de prosecutione mordere justitiæ, qui contendere nititur de abusu. Asseris insuper nos, præter formam communiter requisitam, te inconsulto, quibusdam Ecclesiis regni vacantibus præfecisse personas. Sed quæ sit illa forma nescimus, quæ pro certo nimis esset informis, per quam Apostolicæ Sedis judicium ex tuæ voluntatis arbitrio dependeret. Non tamen intendimus promovere suspectos, dummodo non ultra notam suspicionis extendas, quam rationis tramites patiantur ».

Et infra, ubi abjecit ab ipso Tarentinum archiepiscopum, Catanensem et Cephalud. episcopos improbe pœnis variis affectos, addit :

« Quia vero Dei causæ deesse non possumus, nec debemus, super omnibus istis et aliis contingentibus ecclesiasticam libertatem sic, divina suffulti potentia, debitum nostri prosequemur officii, quod Deo pro posse satisfacientes et homini, in hoc geremus utiliter negotium nostræ salutis et tuæ, cum deferre homini contra Deum, præsertim in talibus, sit nocere, ac parcere, sit sævire; manus enim mulierum misericordium filios decoxerunt, sed habeat vera dilectio plagas suas, quæ dulciores fiunt, cum amarius inferuntur.

« Adjecisti præterea, quod post reditum tuum in regnum Siciliæ, redintegratis viribus tuis pro temporum varietate dispersis, exclusis rebellibus, Ecclesia contra matris officium suspectos filii receptavit. Et quidem de virium redintegratione gaudemus : et utinam redintegrantis affectio sic debitis fuisset contenta limitibus, quod a justitia recuperationis in suis, in alienis ad usurpationis injuriam non transisset, quia præter id quod in die novissimo districti Judicis ultione reddetur, consummari felicibus substantia non consuevit, eventibus, augmentis non aggregata legitimis, quinimo grandis acervus inficitur partis adjectione corruptæ. Super exclusis responso supersedere possemus, nisi alicujus judicio crederetur retardatum silentium repetitam justificare querelam. Sed ut videmus, quod hactenus respondentis dissimulatio distulit, nunc extorquet instantia conquerentis. A memoria quoque tua excidisse non credimus, quod comiti Thomasio, Raynaldo de Aversa, et fautoribus eorumdem, antequam castra, quæ viribus obtinere nequiveras, resignarent, inter alia, quæ publica et authentica sunt conventione notata, venit expressius personarum securitas in promissum; et ut id robur firmitatis haberet, nos et universos fratres nostros rogasti per nuntios, et litteras speciales, in testimonium reservatas, ut Romana Ecclesia supersecure ac confidenter reciperet, quod inviolabiliter promissa prædictis attenderes, et plenarie conservares : sed utrum verbis facta responderint, fidesque promissis plusquam deceat Sedis Apostolicæ, ac excellentiæ imperialis honorem; afflictionibus publicis, et pœnis manifestis exponunt nonnulli de fautoribus comitis memorati, quorum multos post speratam de securitate fiduciam dedisti exilio, et quosdam ignominiosa morte damnasti; proinde possumus non immerito

formidare, ne nostra patientia, in prædictis veræ patientiæ nomen amiserit, et effectum. Quare non credas id oblivioni esse relictum, licet sit hactenus dissimulatione suspensum ; sed quod in similibus inferiores pro te promittere debeant, de speculo poterunt eminenti recipere speculum et exemplar. In quo quantum auctoritati Sedis Apostolicæ sit detractum, quæ ipsos ad precum tuarum instantiam sub sua securitate recepit, satis intelligunt qui rem sciunt.

« De comite vero Matthæo, quem apud te in subtractione suorum Terræ Sanctæ servitium, crucis et Crucifixi reverentia non defendit, comiteque Rogerio quondam capto, ut nosti, et postmodum liberato, ut scimus, necnon et quibusdam aliis, qui ad urbem, et loca confinia a persequentis facie confugerunt, conquiescat de cætero conquæstio principis excellentis, ne siccam stipulam persequi, et contra folium, quod a vento rapitur, suam monstrare potentiam videatur. Hæc quippe a Julii Cæsaris gestis non elicis, qui Domitium pœnæ avidum, et veniæ contemptorem vitæ servavit invitum, et Metellum se gladiis offerentem ira tanti principis reputavit indignum. Certe in Israelitico populo civitates erant refugii, et urbem ad refugium Christianus populus non habebit? David recursus erat oppressis, et summus Pontifex David magni vicarius avertet faciem ab afflictis? et utique non, cum nulla molestia tibi per illos inferatur, et tuis nisi velis id duntaxat ferre moleste quod vivunt.

« Ad hæc de viro egregio socero tuo, si ad nostram pervenisset notitiam, quod de iis, quæ tibi facere debuit, omisisset, nostra eum non præteriret monitio, quem tibi desideramus acceptum, et te illi potissime gratiosum. In quo movet multorum corda miratio, quod cum consueverint alii crescere ex affinitate majorum, iste non sine multorum scandalo, non sine Terræ Sanctæ dispendio, non sine tui nominis læsione decrevisse videtur ».

Indignum in Joannem facinus (1) his verbis Friderico exprobrare pergit Honorius :

« Et quidem his similia magnificorum principum gesta non continent, sublimium mores ignorant, liberalium largitas non acceptat. Non sic illius Terræ procuratur utilitas, non sic ad ejus subsidium bellatores strenui advocantur. Super quo tibi onera gravia, et importabilia nos asseris alligare, quæ digito nostro movere nolimus ; non attendens quod jam pluribus annis elapsis ultro te istis oneribus subjecisti, spontaneus in Theutonia signum crucis assumens ; non attendens, quod Crucifixi gerendo negotium, onus non leve tulit Ecclesia in ecclesiasticorum decimatione proventuum ; non attendens quod per fratres nostros et alios prædicatores multi potentes et nobiles, magni et parvi se crucis obsequio devoverunt.

« Pro mercatoribus autem Romanis excellentiæ tuæ frequenter scripsisse meminimus, sicut dicis : sed cum per hoc jus suum non assequantur, ut asserunt, non debet illis in sua justitia ecclesiastica censura deesse. De vassallis quoque patrimonii, de quibus prout placuit rescripsisti, quod juris imperialis excellentiæ competat tuorum, et prædecessoris tui privilegiorum inspectio protestatur. Quod si præter debitum a nobis in illis aliud pro Terræ Sanctæ subsidio petiisses, sicut decuerat, formata petitio ad exauditionis gratiam introisset. Provideas tamen, ut advocatiæ vocabulum, frequenter tuis litteris repetitum, tua, si placet, non protrahat interpretatio in abusum, quoniam cum advocatus Ecclesiæ idem intelligi debeat quod defensor, si defensoris omittis effectum, nomen improprie retines advocati. Quod satis in Arcuata et castris aliis quorumdam nostrorum fidelium ostendisse videris, quæ detines contra justitiam occupata, post illatam violentiam, post commodum possessionis adeptum, factus de petitore possessor, offers conquerentibus te jus in tua curia redditurum. Super quod si qua

(1) De hoc facinore sic loquitur Raynaldus, Annal. ecclesiastici, ad ann. 1226, p. 512, § 11 : « Discordiæ inter Johannem regem Hierosolymitanum ac Fredericum exortæ meminit Richardus (Richard. de S. Germ. in *Chr. Jord.*, Mss. bibl. Vatic.), cujus causam Jordanus indicat his verbis : « Desponsata puella, Isabella scilicet, im« perator patrem requisivit, ut regna et regalia « jura resignet ; stupefactus ille obedit ; » nec miram, ut qui a genero eam injuriam non exspectarat, ac reliqua vita dotali uxoris regno potiturum sperabat, nec fugæ locus erat, ut ex angustiis, in quas se conjecerat, explicaret : aiunt vero nonnulli vitæ discrimen una cum Gualterio nepote ex altero Gualterio et Tancredi filia prognato adisse, cum Fridericus conflatam in se ab iis conjurationis suspicatus esset; addit Jordanus Joannem regno Hierosolymitano exutum in Gallias se contulisse ».

nova jura sint condita, in publicum prodeant, cum id non patiantur antiqua.

« Quia vero non est abbreviata manus Domini, ut non possit sublimitatem incurvare hominum, et altitudinem humiliare virorum, nunc cum felicium tuis votis successuum splendor illuxerit, in sereno humilitatem non deseras, quam in nubilo prætendebas. Speramus itaque quod viri tam discreti memoriam, nunquam sic ad examinationem deducet oblivio, ut omnino in vitium ingratitudinis incidat, quod reprehendit in æmulo, et culpam, quam damnat in hoste, committat. Non ergo seducant te prospera, quem instruxisse debuerunt adversa, quum fuerit Pharaonis pincerna notatus, eo quod succedentibus prosperis sui est oblitus interpretis; et lex nobilitatis id habeat, ut nobilium mentes excelsa non elevent, et infima non demittant. Quapropter, fili carissime, probatis Apostolicæ Sedis affectibus, nullius suggestio te subducat, quæ nisi obstaculum nimiæ indevotionis impediat, a te dexteram beneficiorum non subtrahet, et dulcedinis ubera non abscondet, cum non sit verisimile, quod animi ferventis affectum ab illo de facili velit avertere, quem multo labore fovit impuberem, multaque sollicitudine promovit adultum. Datum Laterani.

CLVII

Ad abbatem et conventum S. Genovefæ Parisiensis.

4 junii 1226.

[Regest., lib. X, epist. 291. Mss. La Porte du Theil.]

Renunciationem ab hominibus de Roonio quæstioni super manu mortua factam, auctoritate Apostolica confirmat.

Justis petentium, etc., *usque* complere. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod cum homines de Roonio, Parisiensis diœcesis, quæstionem super manu mortua inter vos, et eosdem longe retro temporibus agitatam ac claræ memoriæ Ludovici, et Philippi, filii ejus, regum Franciæ, diffinitione sopitam temere suscitassent, tandem ad animum redeuntes renuntiaverunt omnino hujusmodi quæstioni, et litteris impetratis a Sede Apostolica super illa, vel etiam de cætero impetrandis, sicut per authentica scripta super hoc facta plenius dicitur apparere. Nos igitur vestris precibus inclinati, renunciationem ipsam, sicut provide facta est, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus, districtius inhibentes, ne ipsi homines vos aut ecclesiam vestram contra renunciationem eamdem præsumant de cætero molestare. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ confirmationis et inhibitionis, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, II nonas junii, anno decimo.

CLVIII

Ad Sigfridum archiepiscopum Maguntinum.

4 junii 1226.

[Wurdtwein, Nova subsidia, IV, 133.]

Ei mandat ut in ecclesiarum prælatos, canonicos, etc., diœcesis Warmaciensis sententiam excommunicationis usque ad satisfactionem condignam faciat inviolabiliter observari.

Honorius, etc., venerabili fratri... archiepiscopo Maguntino, salutem, etc.

Ex parte tua fuit coram nobis expositum, quod tu, sicut a nobis in mandatis acceperas, ad Warmaciensem accedens ecclesiam ecclesiarum prælatos, canonicos et alios clericos civitatis et diœcesis Warmaciensis nec non cives, vassallos et Judæos etiam monueris diligenter, ut usque ad festum Resurrectionis Dominicæ proxime præteritum in mille sexcentis et viginti marcis colligendis a te computatis, in ipsis quadragintis et triginta marcis jam collectis, eidem ecclesiæ subvenirent pro solutione debitorum, quibus est plurimum aggravata, ipsi, hoc facere contemnentes, in vocem appellationis frustatorie proruperunt, quam tu reputans frivolam et inanem in eos excommunicationis sententiam promulgasti. Sed prædicti prælati et clerici sententiam ipsam pertinaciter contemnentes, excommunicati excommunicatis præsumant divina officia celebrare, in animarum suarum periculum et scandalum plurimorum. Ne igitur illi de sua valeant contumacia gloriari, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus dictam excommunicationis sententiam, sicut rationabiliter est prolata, facias ad satisfactionem condignam, auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, inviolabiliter observari, et si forte

aliqui noluerint satisfacere, ipsis juxta formam Ecclesiæ beneficium absolutionis impendas; et cum clericis, qui taliter celebrarunt, ad mandatum tuum humiliter redeuntibus, tibi liceat misericorditer dispensare; illos autem, qui perdurarunt contumaces, canonica disciplina castiges. Datum Laterani, II nonas junii, pontificatus nostri anno decimo.

CLIX

Ad majoris ecclesiæ et... S. Mariæ ad Gradus præpositos et decanum S. Mariæ ad Gradus Coloniensis.

5 junii 1226.

[Wurdtwein, Nova subsidia, IV, 135.]

Quod indultum episcopo Herbipolensi ex causis concessum, ne personaliter ad concilium accedat, ecclesiæ Maguntinæ non cedat in præjudicium.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis majoris ecclesiæ et... S. Mariæ ad Gradus præpositis et... decano S. Mariæ ad Gradus Coloniensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Significante olim nobis venerabili fratre nostro... Herbipolensi episcopo, quod cum quidam viri sanguinei regionis illius cum eorum complicibus bonæ memoriæ C. antecessorem et consanguineum ejus impie occidissent, ipsius cum tota posteritate, prout exigebat immanitas excessus juste puniti, nec tamen compuncti, sed ad effundendum sanguinem innocentem rabidiores effecti, successorem occisi prædicti episcopi patruum occidere attentarunt, propter quod coactus fuit Herpibolensem relinquere civitatem et illorum bonis ad alios devolutis ipsi cum eorum filiis, complicibus et amicis in vindictam rerum amissarum ipsius episcopi, qui prædictorum episcoporum est consanguineus et eis in onere ac honore successit, sanguinem sitiebant; quare non erat sibi securum accedere ad civitatem vel diœcesim Maguntinam, cum dicti malefactores essent de diœcesi et familia venerabilis fratris nostri... archiepiscopi Maguntini; nos nolentes tantum virum exponi gladiis impiorum, eidem indulsimus, ut vocatus a prædicto archiepiscopo, metropolitano suo, ad concilium vel ad alia venire personaliter non cogatur, sed teneatur se per solemnes et idoneos nuntios præsentare, præsertim cum hoc idem prædecessori suo fuisset a Sede Apostolica, ut proponebat, indultum. Verum idem archiepiscopus et capitulum Maguntini querelas ad nos litteras destinarunt, quod dictus episcopus occasionibus non veris, sed frivolis mendicatis, se subtrahere nititur ab obedientia ecclesiæ Maguntinensis; asserit enim, excusans se, quod nullum ipsius episcopi sanguinem sitientem, vel rerum vel conscium necis prædecessoris illius tenuerit, vel teneat in domo; adjecit etiam, quod idem episcopus Maguntinus Warmaciam, Franckevore et et alia vicina loca, quæ sibi dicit esse suspecta, sæpe adiit sine metu, habens unum de ipius episcopi occisoribus Theodoricum de Mogo, scilicet specialem secretarium et amicum. Quare idem archiepiscopus nobis humiliter supplicavit, ut, licet duobus prædecessoribus ipsius episcopi hoc fuerit ex causa forsan indultum, ne tamen continuatio ad consequentiam pertrahatur, indulgentiam quam se prædictus episcopus per falsas adinventiones a nobis extorsit provide revocantes, non pateremur Maguntinam eccclesiam mutilari. Ne igitur alteri gratiam in alterius injuriam facere videamur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus inquirentes super his diligentius veritatem, si cognoveritis, quod dictus episcopus secure valeat ad ecclesiam Maguntinam accedere, prædictam indulgentiam, sublato appellationis obstaculo, revocetis: alioquin eum uti sua indulgentia permittatis, ita tamen, quod ad suos non transeat successores. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, cessante appellatione, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exsequendis interesse potueritis, duo vel alter vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, nonis junii, pontificatus nostri anno decimo.

CLX

Ad Fridericum, Romanorum imperatorem.

9 junii 1226.

[Meklenb. Urkend., I, 319, n. 326.]

Eum rogat et hortatur ut comitem, de Zwerin compellat ut Waldemaro regi Daciæ restituat obsides et pecuniam, quam ab ipso pro libertate receperit nec eum super solutione residui molestet.

Honorius, etc.

Tria sunt, quæ debeant circumspectionem inducere ad favorem carissimo in Christo filio nostro illustri regi Daciæ impendendum sub duro casu, in quem per Henrici comitis Zwerin, vassalli sui, perfidiam noscitur incidisse. Primum est, quod ipse rex tibi ad exhortationem Apostolicæ Sedis astitit, sicut nosti, tempore opportuno et studiose ad tuum honorem et exaltationem intendit. Secundum est, quod inter te ac ipsum regem amicabilis confœderationis vinculum intercessit, sicut in tuis patentibus litteris, aurea bulla munitis, perspeximus contineri. Tertium est, quod et si generaliter lex naturæ deposcat, ut homo subveniat homini, quodam tamen speciali debito tenetur miles militi ferre auxilium et rex regi, ut, quæ ipsum reddit aliis honorabilem, ipse quoque honoret in regibus regiam majestatem. Cum ergo præfatus comes a dicto rege, dum captum teneret eumdem, extorserit juramentum de dandis sibi filiis suis subsidibus, et de solvenda sibi quadam pecuniæ quantitate, serenitatem tuam attente rogandam duximus et hortandam, quatenus prudenter attendens malitiam, quam dictus comes in ipsum regem exercuit, esse non solum ratione facti, sed etiam ratione exempli gravem et omnimodis detestandam, ac per hoc nec decere, nec expedire, ut apud te favorem inveniat dictus comes, qui vassallos contra dominos et privatos contra reges exemplo suæ perversitatis armavit eumdem, ut ipsi regi restituat obsides et pecuniam, quam jam ab ipso recepit, nec eum super solutione residui molestare præsumat, tradita tibi cœlitus potestate compellas, contempta parte ipsius pecuniæ, quam debes recipere, sicut fertur, cum divinæ largitatis benignitas sic tibi aperuerit manus suas teque tanta divitiarum aliorumque bonorum affluentia circumdederit, ut non oporteat, quod pro modica pecunia, quam in comparatione honoris tui ac famæ debes quasi sterquilinium reputare, maculam in gloria tua ponas. Sic ergo monitiones nostras exaudias in hac parte, quod alii te docente cognoscant, quantum deferendum sit regiæ dignitati, et tam illicita præda erepta per te de faucibus comitis sæpedicti, attentare similia pertimescant, et ipse rex hoc beneficio provocatus tibi perpetuæ devotionis vinculo astringatur, nosque imperialis celsitudinis providentiam merito debeamus in Domino commendare, sciens, quod, nisi nostris honestis precibus et exhortationibus acquieveris in hac parte, nos deesse non poterimus dicto regi tam apertam injuriam patienti, non absque magno dispendio subsidii Terræ Sanctæ, ad quod magnifice impendendum ante captionem suam solemnis promissionis vinculo se astrinxit, nec absque Apostolicæ Sedis injuria et contemptu, cui regnum ejus dignoscitur censuale. Datum Laterani, V idus junii, anno pontificatus nostri decimo.

CLXI

Ad Henricum, comitem Zwerinensem.

9 junii 1226.

[Meklenburg. Urkundenb., I, 318, n. 325.]

De eodem argumento.

Honorius, etc., comiti Zwerinensi, etc.

Olim credidimus, quod grandem et gravem maculam, quam in tua fama improvide posuisti, carissimum in Christo filium nostrum illustrem regem Daciæ, dominum tuum, rupto fidelitatis fœdere, captivando, excitatus increpationibus Apostolicis recognosceres, et, ipsum regem juxta exhortationes nostras libere dimittendo, eamdem maculam per citæ satisfactionis remedium aboleres. Tu vero, cura famæ tuæ posthabita et inculcatione precum ac præceptorum nostrorum penitus obaudita, ab ipso rege extorsisti per violentiam juramentum, quod filios suos obsides tibi daret et quamdam tibi solveret pecuniæ quantitatem, ipsum in his et aliis intolerabiliter aggravando, in grave præjudicium subsidii Terræ Sanctæ, ad quod magnifice impendendum ante captionem suam solemnis promissionis vinculo

se astrinxit, necnon in gravem Apostolicæ Sedis injuriam et contemptum, cui regnum esse dignoscitur ad specialis ditionis indicium censuale, et quam eidem regi astringit ejus devotio specialis. Quoniam igitur tantum subsidii Terræ Sanctæ dispendium tantumque nostrum et Ecclesiæ Romanæ contemptum sub dissimulatione transire nec volumus, nec debemus, nobilitatem tuam monemus, rogamus et sub obtestatione divini judicii obsecramus, per Apostolica tibi scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus obsides et pecuniam quam a rege recepisti prædicto, ei sine difficultate restituas, etc. Datum Laterani, IV idus junii, pontificatus nostri anno decimo.

CLXII

Ad capitulum Roskildensem.

11 junii 1226.

[Suhm, Hist. af Danemark, IX, 766.]

Ei indulget ut ad recipiendum in ecclesiæ Roskildensis canonicos personas defectum natalium patientes nemo eos cogere possit.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducamus effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, auctoritate nostra præsentium indulgemus, ut ad recipiendum in ecclesiæ vestræ canonicos personas, defectum natalium patientes, nemo cogere vos possit invitos, absque speciali Apostolicæ Sedis mandato, faciente de hac nostra indulgentia mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat, etc. Datum Laterani, III idus junii, anno decimo.

CLXIII

Ad archiepiscopum Spalatensem et suffraganeos ejus.

11 junii 1226.

[Fejer, Cod. dipl. Hung., III, II, 84.]

Piratis Almisianis ab Andrea rege Hungariæ pulsis, ad pœnitentiam facti reversis, spem veniæ ac sedium recuperandarum facit.

Honorius, etc., archiepiscopo Spalatensi et suffraganeis ejus, etc.

Fraternitatis vestræ litteras nobis per L. latorem præsentium præsentatas, solita benignitate recepimus, et earum tenorem pleno collegarum intellectu, gratum et acceptum gerentes, quod juxta debitum pastoralis officii prudenter interdicitis ad convertendos ad pœnitentiam peccatores. Super eo autem, quod, sicut vestræ litteræ continent, Cacecli, Almisiani piratæ, ad vestræ prædicationis instantiam se promiserunt piraticam tyrannidem de cætero omissuros, dummodo Ecclesiæ Romanæ gratiam valeant rehabere, ac per eamdem possint sedes patrimoniorum suorum a rege recipere, quibus ab eo se asserunt spoliatos, vobis ad præsens, fratribus nostris propter intemperiem aeris absentibus, nequimus plenarie respondere; ut autem interim illi gratiæ se coaptent, fraternitatem vestram monemus attente, per Apostolica scripta vobis mandantes, quatenus moneatis prudenter eosdem et efficaciter inducatis, ut cessantes a malo, benefacere incipiant, et persistant : quia cum mater Ecclesia nunquam ad se redeuntibus claudat gremium pietatis, si vere pœnituerint, ab ea facile poterunt veniam impetrare. Cum autem dicti fratres ad nos fuerint, Domino dante, reversi, nos super hoc fiducialiter requiratis, quia secundum eorum consilium libenter conversis ad pœnitentiam veniam impendemus. Datum Laterani, III idus junii, anno decimo.

CLXIV

Ad episcopum Cenomanensem.

17 junii 1226.

[Regest., lib. X, epist. 313. Mss. La Porte du Theil.]

Constitutionem ad monasterium Sublacense de esu carnium datam explicat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... episcopo Cenomanensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

De monachis illis, qui verba quædam constitutionis illius, videlicet cum ad monasterium Sublacense super esu carnium per extortæ interpretationis injuriam suis affectibus applicare nituntur, fraternitati tuæ breviter respondemus, quod gratis errant, gratoque sibi blandiuntur errore, dum in talibus appetitus licentiam ultra conantur extendere, quam regularis observantiæ providentia patiatur. Datum Laterani, XV kalendas julii, anno decimo.

CLXV

Ad abbatem et priorem monasterii Sancti Remigii Remensis.

18 junii 1226.

[Varin, Archives de la ville de Reims, I, II, 538.]

Indulget eis ne per commissiones Sedis Apostolicæ quas de cætero ad eos impetrari contigerit, procedere teneantur, nisi fecerint de indulgentia hujusmodi mentionem.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et priori monasterii Sancti Remigii Remensis, etc.

A nobis humiliter postulastis, ut cum non habeatis jurisperitiam, et propter judiciorum strepitum contingat sanctæ contemplationis in vobis otium impediri, eximere vos a commissionum nostrarum sollicitudine dignaremur. Nos ergo vestris supplicationibus annuentes, devotioni vestræ auctoritate præsentium indulgemus, ne per commissiones nostras, quas de cætero ad vos impetrari contigerit, procedere teneamini, nisi fecerint de indulgentia hujusmodi mentionem. Nulli ergo, etc. Datum Laterani, XIII kalendas julii, pontificatus nostri anno decimo.

CLXVI

Ad abbatem et conventum de Passelet, Cluniacensis ordinis.

19 junii 1226.

[Regist. monast. de Passelet, 415.]

Eis concedit ut redditus quosdam monasterio ad sustentationem fratrum et hospitum deputatos, quos quibusdam familiaribus suis, quoad viverent, concesserant, ad usus hujusmodi revocari possint.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui de Passelet, Cluniacensis ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem.

A nobis humiliter postulastis, ut cum nemo sentire debeat suæ liberalitatis incommodum, ne sit munificentia captiosa, de nostra possitis licentia redditus quosdam monasterio vestro ad sustentationem fratrum et hospitum deputatos, quos quibusdam familiaribus vestris, quoad viverent, liberaliter concessistis, ad usus hujusmodi revocare. Nos autem vestris supplicationibus inclinati, devotioni vestræ præsentium auctoritate concedimus, ut, eisdem familiaribus decedentibus, id efficere valeatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XIII kalendas junii, pontificatus nostri anno decimo.

CLXVII

Ad decanum et canonicos Westarienses.

19 junii 1226.

[Gudenus, Cod. dipl. anecdot., V, 4.]

Eis parochialem ecclesiam Westariensem confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... decano et canonicis Westariensibus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, parochialem ecclesiam Westariensem, ad vos et vestram ecclesiam pertinentem, sicut eam juste, canonice ac pacifice possidetis, et in litteris venerabilis fratris nostri... Treverensis archiepiscopi dicitur plenius contineri, vobis, et per vos eidem ecclesiæ vestræ, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti privilegio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, XIII kalendas julii, pontificatus nostri anno decimo.

CLXVIII

Ad G. archidiaconum, magistrum R. subthesaurarium Tullensem, et canonicum de Vico Metensem.

21 junii 1226.

[Regest., lib. X, epist. 348. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut B., clerico pauperi, præbendam in ecclesia Metensi juxta mandati Apostolici de hoc jam dati tenorem faciant assignari.

Honorius, etc., dilectis filiis G. archidiacono et magistro R. subthesaurario Tullensi, et J., canonico de Vico, Metensis diœcesis, salutem, etc.

Dilectus filius B., pauper clericus, proposuit coram nobis, quod cum olim dedissemus Metensi capitulo per nostras litteras in mandatis, ut eidem, qui dicebatur in eorum ecclesia servivisse ab adolescentia sua fideliter et devote, in præbendali vel alio competenti ecclesiastico beneficio providerent, idem clericus ad suasionem quorumdam de ipso capitulo, qui proni ad exsequendum mandatum Apostolicum videbantur, se voluntati ac dispositioni ejusdem capituli super hujusmodi provisione commisit. Collatis vero aliis quibusdam præbendis, quæ interim in ipsa ecclesia vacaverunt, demum ad quamdam præbendam tunc vacantem ibidem a majori et saniori parte capituli electus fuit in canonicum et in fratrem, quibusdam de ipso capitulo et numero, et merito paucioribus, magistrum R. scolasticum, et camerarium Virdunensem et Treverensem canonicum nominantibus ad eamdem; prædicto ergo scolastico impediente ne præbendam ipsam pacifice possidet, vobis de procuratorum utriusque partis assensu dedimus in mandatis ut eumdem R. super hoc ab indebita ejus molestatione desistere, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, mediante justitia, cogeretis. Vobis autem eumdem R. juxta mandatum Apostolicum commonentibus, ut præbendam ipsam pacifice demitteret pauperi memorato, dictus R., pendente hujusmodi negotio, coram vobis electus est primicerius, et major archidiaconus ecclesiæ Virdunensis, qui licet primiceriatum, archiaconatum, scolasticam et camerariam in ipsa Virdunensi ecclesia, et in Treverensi præbendam obtinere noscatur, adhuc tamen ipsum super jam dicta præbenda inquietare non cessat. Quare nobis humiliter supplicavit, ut cum contra hominem tam potentem ulterius litigare non possit, diutius fatigatus laboribus et expensis tam paupertati ejus, quam utilitati Metensis ecclesiæ contra unius (*sic*) officio per inquietationem hujusmodi defraudatur, paterna dignaremur sollicitudine providere. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si præmissis veritas suffragatur, dicto pauperi præbendam assignetis eamdem, dummodo ei aliquid rationabile non obsistat, et faciatis ipsum ejus pacifica possessione gaudere, contradictione dicti primicerii non obstante, cum indignum sit, ut personæ pluribus redditibus abundantes pauperes clericos super minoribus beneficiis inquietent. Testes autem, etc. Datum Laterani, XII kalendas junii, anno decimo.

CLXIX

Ad Isonem episcopum, et abbatem de Lima.

26 junii 1226.

[Meklemburg. Urkund., I, 320.]

Ut moneant Henricum, comitem de Zwerin, ut vassallis Waldemari, regis Daniæ, remittat juramenta.

... Ideoque mandamus, quatenus dictum comitem, ut præfatis dicti regis vassallis remittat hujusmodi juramenta, moneatis prudenter et efficaciter inducatis, ipsum ad id, si monitis acquiescere non curaverit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Laterani, VI kal. julii, anno decimo.

CLXX

Ad Waldemarum regem Daniæ.

26 junii 1226.

[Meklenburg. Urkund., I, 321, n. 329.]

Eum absolvit juramento, quod ab eo Henricus, comes de Zwerin extorserat.

Petitio tua nobis exhibita continebat, quod, cum Henricus comes de Zwerin, vassallus tuus, te cepisset et teneret carceri mancipatum, a te juramentum extorsit, quod ei solveres quamdam non modicam pecuniæ quantitatem ac interim filios tuos obsides ei dares. Quare nobis humiliter

supplicasti, ut, cum adimpletio promissionis, qua diu ante captionem tuam te solemniter obligaras ad subsidium Terræ Sanctæ magnifice impendendum, per hoc impediatur omnino et dictæ pecuniæ quantitas tuas facultates excedat, ac per hoc compelli non debeas ad solutionem ejusdem, cum nemo ad impossibile sit cogendus, idemque juramentum a te fuerit per metum et vim manifestam extortum, ac per hoc ad observationem non tenearis ejusdem, cum ea, quæ vis metusve causa fiunt, non debeant esse rata, dictusque comes te capiendo vinculum fidelitatis abruperit, propter quod fidem servare non teneris eidem, cum fidem non servanti fides non debeat observari, te a prædicto juramento ad cautelam absolvere dignaremur. Nos igitur propter præassignatas causas et quia prophetica voce monemur dissolvere colligationes impietatis et fasciculos deprimentes ac dimittere eos, qui confracti sunt, liberos et onus omne disrumpere, te a juramento absolvimus sic extorto et omni eo, quod ex ipso noscitur esse secutum, cum juramentum iniquitatis vinculum esse non debeat, sed justitiæ firmamentum. In hujus autem absolutionis testimonium præsentes litteras tuæ devotioni duximus concedendas. Datum Laterani, VI kal. julii.....

CLXXI

Ad de Bel ac de Wertes abbates, et archidiaconum de Sancto Andrea, Wesprimiensis diœcesis.

4 julii 1226.

[Fejer, Cod. diplom. Hungariæ, III, II, 85.]

Executionem sententiæ contra episcopum et capitulum Zagrabiense, in causa decimarum, pro abbate montis Pannoniæ, novis delegatis committit.

Honorius, etc., de Bel..., de Wertes abbatibus, et archidiacono Sancto Andrea, Wesprimiensis diœcesis, etc.

Petentibus dudum dilectis filiis... abbate et conventu monasterii Sancti Martini de Pannonia quæstiones, quas super ecclesiis, decimis, et rebus aliis in Simigiensi comitatu contra venerabilem fratrem nostrum... episcopum et capitulum Zagrabiense habebant, super quibus tempore generalis Concilii lis fuerat contestata, ad examen Apostolicam revocari; cum super hoc proponerent, a longo tempore inutiliter laboratum; nos volentes partibus in laboribus parcere, ac expensis, venerabili fratri nostro Vaciensi episcopo, et collegis suis scripsimus, ut, si ad mandatum eorum judices, quibus quæstiones hujusmodi prius commissæ fuerant, usque ad certum terminum finaliter non procederent juxta formas sibi traditas in eisdem; ipsi sub certa forma, quam eis dedimus, in negotiis procedentes, ad nos easdem sufficienter instructas remittere procurarent. Prioribus igitur judicibus non procedentibus, infra terminum a posterioribus assignatum, iidem posteriores exigente alterius partis contumacia, cum lis, sicut prædictum est, contestata fuisset, ad receptionem testium monasterii procedentes, causam ad Sedem Apostolicam remisere præfixo justo, quod eis mandavimus, certo termino partibus, quo per se vel procuratores idoneos cum omnibus instrumentis et rationibus suis in nostra præsentia comparerent. Dato itaque super hoc a nobis venerabili fratre nostro... Albanensi episcopo auditore, ac coram eo procuratore comparente monasterii, pars adversa non venit, nec procuratorem pro se idoneum destinavit, post terminum diutius exspectata; ob cujus defectum non potuit negotium terminari, licet dictus procurator diceret causam suam per testes, et privilegia et alia munimenta, quæ produxit in medium, sufficienter instructam, et peteret ad calculum sententiæ definitivæ procedi, vel saltem partem suam in corporalem possessionem rerum petitarum induci, et inductam in ipsa defendi; tandem petente procuratore prædicto partem alteram propter defectum ipsius in expensis a monasterio factis condemnari, quas dictus procurator centum octoginta marcas argenti et amplius æstimabat; dictus episcopus taxatione præmissa et juramento super hoc ab eodem procuratore recepto, in sexaginta marcis argenti expensarum nomine condemnavit. Quocirca mandamus, quatenus ad solutionem expensarum hujusmodi, sexaginta marcarum videlicet, dictos episcopum, et capitulum auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, compellatis; citantes postmodum partes ad nostram præsentiam, et proximum venturum festum Nativitatis Dominicæ terminum eis per-

emptorium præfigentes, quo per se, vel procuratores idoneos cum omnibus munimentis et rationibus suis compareant coram nobis, justam, auctore Deo, sententiam recepturæ. Quod si non omnes his exsequendis interesse poteritis, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, IV nonas julii, anno decimo.

CLXXII

Ad abbatem Sancti Audoeni, decanum et magistrum Rodulphum, archidiaconum Rothomagensem.

9 julii 1226.

[Regest., lib. X, epist. 324. Mss. La Porte du Theil.]

Dat eis provinciam audiendi de novo causam, quæ inter episcopum Sagiensem ab una, et H., priorem Sagiensem, ab altera parte, vertebatur, et quod canonicum visum fuerit pronuntiandi.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... abbati Sancti Audoeni... decano et magistro Rodulfo, archidiacono Rothomagensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Constitutis apud Sedem Apostolicam dilectis filiis H., qui pro Sagiensi priore se gerit, et... procuratori venerabilis fratris nostri... episcopi Sagiensis dilectum filium magistrum Rolandum, subdiaconum et capellanum nostrum, concessimus auditorem, coram quo idem H. proposuit conquerendo, quod cum olim contra ipsum episcopum super quibusdam articulis ad venerabilem fratrem nostrum... Constantiensem episcopum, suosque collegas de assensu procuratoris ejusdem episcopi Sagiensis quasdam a nobis litteras impetrasset, idem Sagiensis eum nec convictum, nec confessum, et alias juris ordine non servato, prioratu ecclesiæ Sagiensis, quem canonice fuerat assecutus, et diu quiete possederat contra justitiam spoliavit, propter quod idem ad nos appellans ad decanum Cenomanensem et conjudices suos super hoc de ipsius episcopi Sagiensis procuratoris assensu, Apostolicas litteras impetravit, qui, licet, cognitis causæ meritis, dictum episcopum Sagiensem ad integram restitutionem prioratus cum omnibus fructibus, et ad interesse et damna quæ incurrerat occasione amotionis ipsius sententialiter, mediante justitia, condemnassent, in contradictores, et rebelles excommunicationis sententiam proferendo.

Dictus tamen episcopus Sagiensis eorum sententia parere contemnens, et, armata manu quosdam sibi ab ipsis judicibus executores deputatos expellens, ad... episcopum Lexoviensem, et collegam suum quasdam contra ipsum sub certa forma, licet per veri suppressionem et falsi suggestionem, litteras impetravit, coram quibus licet fuisset aliquandiu a partibus litigatum ad ultimum tamen idem H. consilio dicti Lexoviensis episcopi, et aliorum amicorum ipsius episcopi Sagiensis inductus, et credens quod propter hoc, sicut ei dabatur, intelligi deberet sibi suus restitui prioratus, se præstito juramento, non tamen adhibita solemnitate Evangeliorum, sed sic Deus ipsum adjuvaret, submisit arbitrio dicti episcopi Sagiensis tamquam æquo arbitrio boni viri, qui cum deberet bonum et æquum arbitrium promulgare, ac ipsum restituere ad prioratum suum, sicut fuerat indicatum, et sicut priusquam suo arbitrio submitteret publice dicebatur, ipsum de facto, cum de jure non posset, prioratu et voce capituli sui privans sibi ecclesiæ ac civitatis Sagiensis interdixit ingressum.

Quod iniquum arbitrium, cum idem episcopus humiliter requisitus noluisset aliquatenus revocare, sed fuisset ei alias graviter comminatus, idem ad Sedem Apostolicam appellavit. Unde petebat ut tam iniquo arbitrio penitus revocato, vel irrito nuntiato sententiam dicti decani Cenomanensis, et conjudicum suorum faceremus firmiter observari, et amoto de prioratu suo quolibet detentore, faceremus eam effectui mancipari, condemnantes sibi dictum episcopum ad resarciendum sibi expensas et damna, quæ incurrerat hac de causa, quæ omnia mille libras proveniensium æstimabat. Ad quod fuit ex adverso responsum, quod cum idem episcopus Sagiensis dictum H. non spoliasset, sed propter manifestam inobedientiam, et gravamen, et enormem diffamationem criminum, quæ ad ipsum tanquam ad suum episcopum, et abbatem, et correctorem totius cleri Sagiensis datum a nobis pervenerant de eodem amovisset ab officio prioratus, non tam juris angustias quam regulares observantias in hac parte secutus, idem H. ad appellationis diffugium se convertens, et asserens se contra justitiam spo-

liatum, ad... decanum Cenomanensem ejusque collegas nostras litteras impetravit, qui cum contra dictum episcopum iniquam diffinitivam sententiam promulgassent, idem episcopus fretus appellatione, quam procurator ejus propter hoc ad Apostolicam Sedem emiserat, ad dictum... Lexoviensem episcopum ejusque collegam tam super appellatione a dicta sententia facta, quam super aliis quibusdam articulis litteras nostras sub certa forma obtinuit destinari, qui cum in eodem negotio aliquandiu processissent, dictus H. eorum sententiam non expectans, posuit in manu ipsius Sagiensis episcopi causam suam, et de stando mandato ejus extenta manu dextera ad altare dicendo, si Deus me adjuvet, et hæc sancta, corporale præstitit juramentum, qui cum consideratis negotii circumstantiis super prioratu ecclesiæ Sagiensis silentium imposuisset eidem, et ob certas causas, quarum quasdam tunc expressit, tam civitatis, quam ecclesiæ Sagiensis ad tempus interdixit ingressum, et Ecclesia Sanctæ Margaritæ Carrog. sibi de assensu Willelmi prioris, et fratrum ecclesiæ Sagiensis liberaliter assignata, promisisset, quod melius ei faceret, si videret meliorationem ipsius; idem H. sigillo proprio quo usus fuerat tanquam prior in Sagiensi capitulo resignato confracto, factum hujusmodi acceptavit, recipiendo ecclesiam Sanctæ Margaritæ prædictam, ac alias parendo hujusmodi mandato episcopi Sagiensis, qui nequaquam tunc ipsum privavit prioratu jam dicto, cum jamdiu ante esset amotus ab illo, quem cum alius per electionem solemnem creatus prior eo tempore possideret, et adhuc possidere noscatur restituere dicto H. non poterat, nec etiam tenebatur, præsertim cum aliæ causæ subessent propter quas id fieri non debebat. Quare dicebat prædictam sententiam non servandam, nec mandatum hujusmodi revocandum, nec ad expensas, vel damna deberi sibi dictum episcopum condemnari; quinimo humiliter supplicabat, ut mandatum hujusmodi confirmari, ac dictum H. qui temere veniebat contra præstitum juramentum puniri de perjurio faceremus. Alioquin allegabat ad dictum Lexoviensem episcopum, et ejus collegam esse negotium remittendum.

His igitur per dilectum filium Octavianum subdiaconum, et capellanum nostrum, quem ad audiendam causam hujusmodi præfato magistro Rolando ob certam causam duximus subrogandum in nostra et fratrum nostrorum præsentia recitatis, quia pars episcopi de resignatione sigilli seu acceptatione, quas dicebat ab altera parte factas non poterat facere plenam fidem, id se offerens in partibus illis plenius probaturum, discretioni vestræ de ipsius H. et alterius partis procuratoris assensu, per Apostolica scripta mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, recipiatis super his probationes legitimas dicti episcopi Sagiensis, et appellatione remota, quod canonicum fuerit statuatis, facientes quod decrevimus per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere. Quamdiu autem causa duraverit coram vobis, faciatis dicto H. in necessariis de bonis Sagiensis ecclesiæ provideri. Quod si non omnes, etc., non obstante quod tibi, abbas, dicimur indulsisse, ne causis cognoscendis interesse compellaris invitus. Datum Laterani, XII idus julii, anno decimo.

CLXXIII

Ad archiepiscopos, episcopos, abbates et alios prælatos, etc., per regnum Thessalonicæ ac per Achaiam constitutos.

10 julii 1226.

[Ughelli, Italia sacra, II, 304.]

Eis mandat ut Nicolaum, Reginum episcopum, quem ad partes ipsorum communi utilitate Terræ Sanctæ, officio legationis ei commisso, Sedes Apostolica transmittat, honorifice recipiantac ejusdem mandatis obediant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, et aliis ecclesiarum prælatis, et clericis universis per regnum Thessalonicæ, ac per Achaiam constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum venerabilis frater noster Nicolaus, Reginus episcopus, vir generis, et morum nobilitate conspicuus, quem ad partes vestras pro communi utilitate Terræ Sanctæ, sicut res tunc postulare maxime videbatur,

officio legationis sibi commisso transmisimus, adhuc ibi de speciali mandato nostro, quem sic expedire credimus, moram trahat, universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus eumdem sicut Apostolicæ Sedis legatum recipientes, honorifice, ac honeste tractantes, salubribus monitis, ac mandatis ejusdem intendatis, et obediatis humiliter, ac devote; alioquin sententiam, quam rationabiliter tulerit in rebelles, præcipiemus usque ad satisfactionem condignam firmiter observari. Datum Laterani, VI idus junii, pontificatus nostri anno decimo.

CLXXIV

Ad archiepiscopum Cantuariensem.

11 julii 1226.

[Regest., lib. X, epist. 327. Mss. La Porte du Theil.]

Hortatur ut Fulchesium de Breante apud regem Angliæ tueantur ac defendant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... archiepiscopo Cantuariensi, S. R. E. cardinali, et nobilibus viris R. Cestriæ, U. de Pembroc marescalco regis Angliæ, W. Warenniæ, G. Gloverinæ, W. de Mantenitt Excessiæ, et W. Albermaliæ comitibus, H. de Burgo, aliisque carissimi in Christo filii nostri illustris regis Anglorum consiliariis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Recolentes fida, utiliaque servitia, quæ dilectus filius nobilis vir Fulchesius de Breante claræ memoriæ Johanni regi Anglorum, ac eo defuncto carissimo in Christo filio nostro Henrico, illustri regi Anglorum, nato ejus, tempore summæ necessitatis impendit, ac per hoc eum Apostolicæ Sedis gratia prosequentes, ad ipsum regem pro eo non solum litteras nostras, sed etiam unum de familiaribus nostris, suis meritis exigentibus, [qui] nobis est inter caros specialiter carus, videlicet dilectum filium magistrum Octavianum subdiaconum et capellanum nostrum, curavimus destinare, ut ipsius regis gratiæ, quam nobili subtraxisse dicebatur eidem, reconciliaremus hominem tam probatum, tamque prudentem, et fidum in quasi suprema necessitate repertum. Sed ipse rex non advertens, quod in hoc non magis utilitatem dicti nobilis quam suam propriam quærebamus, nec attendens quantum sibi sit acquiescendum nostris consiliis, et mandatis, quia ob hoc principaliter diligimus nobilem memoratum, quod ipsi regi, et patri ejus fidus in summo periculo noscitur extitisse, præfatum capellanum ad nos vacuum pro sua voluntate remisit, his quæ pro reconciliatione dicti nobilis sibi specialiter pro utilitate sua litteris et ipsis, [quæ] viva voce præfati capellani mandavimus, penitus obauditis. Quod quantum indigne feramus sibi monstraremus expresse, nisi propter alia quæ sibi ac regno ejus imminere videntur, ei ad præsens necessaria providentia parceremus, et speraremus, quod saniori utens consilio nostris in hoc beneplacitis debeat acquiescere, ac restituendo sibi ipsi dictum nobilem, quo improvide se privavit, factam nobis in repulsione precum nostrarum injuriam abolere. Licet igitur idem rex nimis assueverit preces nostras repellere, et eis aures quasi præteritorum immemor, et futurarum improvidus, obviare, nos tamen sperantes, quod sicut in ætate proficit, ita debeat in nostra, et Apostolicæ Sedis devotione proficere, ac fidei puræ constantiam, quam erga ipsum et patrem ejus aliis aliud facientibus idem nobilis inconcusse servavit in memoriam revocaret, ipsum adhuc affectuose rogandum duximus, et monendum expresse sibi per Apostolica scripta mandantes, ut prudenter attendens, quod post divinum, et Apostolicæ Sedis auxilium potest adscribere specialiter fidei et constantiæ nobilis supradicti, quod ad alienos non est ejus versa hæreditas, et ad extraneos domus sua, et offensæ, si quam forte postmodum improvide sibi fecit in tantorum meritorum memoriam obliviscens, ei pro suæ fidei merito, et precum nostrarum instantia gratiam suam reddat, et cum ea terram et omnia bona sua, quod non minus ipsi regi, quam dicto nobili credimus expedire, cum fervor fidei, quam idem nobilis, ut sæpe diximus, erga ipsum regem, et patrem ejus opportuno tempore habuisse dignoscitur, etiam in affectu tot injuriis atque damnis perseverare immobilis dignoscatur.

Unde decet, et expedit, ut ipse rex taliter acquiescat nostris salubribus consiliis, et mandatis, quod non videatur ex hoc suum contra nos animum obfirmasse, ac per hoc nos quoque contra eum nostrum obfirmare merito debeamus. Sciturus quod nisi nobis

acquieverit in hac parte, nos non tantummodo Apostolicum favorem sibi subtrahere, quod solum sibi esset præsertim hoc tempore gravis pœna, verum etiam contra ipsum procedere compellemur, cum idem nobilis inter cætera etiam bono matrimonii defraudetur, quod primo ab ipso Deo in paradiso extitit institutum, et magnum, teste Apostolo, continet sacramentum. Unde etsi dicto regi hactenus forte plus quam oportuerit deferentes, dissimulaverimus illud per apertam injuriam impediri, attamen dissimulare de cætero non valemus.

Unde venerabilibus fratribus nostris... Conventrensi.... Londoniensi et.... Saresberiensi episcopis nostris dedimus litteris in mandatis, ut hæc omnia in ipsius regis auribus diligentissime replicantes, ipsum ad restituendum sæpedicto nobili juxta preces et mandatum nostrum gratiam suam, et omnia bona ejus, moneant diligenter et efficaciter vice nostra. Uxorem vero ejus cum dotalitio suo et omnibus pertinentibus ad eamdem, ipsi nobili restitui faciant sine mora. Contradictores quoslibet ac rebelles, persona regia dumtaxat excepta, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, sicut justum fuerit, compescendo, ac rescribendo nobis fideliter, quod dictus rex ipsis responderit, atque fecerit super restitutione nobilis sæpedicti, quatenus si adhuc precibus nostris justis, ac sibi ipsi utilibus, quod non credimus, obturaverit aures suas, etiam in hoc faciamus quod ratio suadebit, cum eidem nobili, quem sicut alios crucesignatos Apostolica Sedes in sua protectione, ac defensione suscepit, nec debeamus deesse in justitia, nec velimus. Ideoque discretionem vestram attente sollicitandam duximus et hortandam, per Apostolica vobis scripta firmiter injungendo mandamus, quatenus provideatis, omni occasione ac excusatione cessantibus, quod ea, quæ super hoc scribimus ipsi regi celeriter effectui mancipentur, mandatum nostrum taliter impleturi, quod in vos si fieri non contingat, culpam et pœnam refundere non cogamur, cum luce clarius constet, quod rex ipse vestris consiliis regitur, suaque facta omnia juxta vestri dispositionem arbitrii moderatur. Datum Laterani, V idus julii, anno decimo.

In eumdem modum scriptum est... Conventrensi... Londoniensi, et... Saresberiensi episcopis *usque* velimus. Ideoque fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus hæc omnia in ipsius regis auribus diligentissime replicantes, ipsum ad restituendum, etc., *ut supra usque* vice nostra, quod idem fecerit nobis fideliter rescripturi. Uxorem vero ejus, etc., *usque* compescendo. Sic vero sollicite nostrum curetis adimplere mandatum, quod sollicitudo, et diligentia vestra merito debeat commendari. Quod si non omnes, etc. Datum *ut supra*.

In eumdem fere modum scriptum est... illustri regi Angliæ, verbis competenter mutatis.

CLXXV

Ad Ricardum, Pictaviæ comitem, Angliæ regis fratrem.

17 julii 1226.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, p. 774. Regest., lib. X, ep. 315.]

Honorius certiorem facit Richardum, fratrem regis Angliæ, se amborum utilitati, cum res postulabit, provisurum.

Honorius episcopus... dilecto filio nobili viro Ricardo comiti Pictaviæ, salutem, etc.

Satagentes jura carissimi in Christo filii nostri Henrici, illustris regis Angliæ, germani tui, et tua illibata servare, jam pluries scripsimus super hæc dilecto filio nostro R. (1) Sancti Angeli diacono cardinali, A. S. legato, sicut vidimus expedire. Unde ad præsens expedire non vidimus alias super hoc litteras destinare. Cum autem res postulare videbitur, in his et in aliis sollicite faciemus quæ ad utilitatem et honorem ipsius regis et tuum viderimus pertinere. Datum Laterani, XV kalendas julii, anno pontificatus nostri decimo.

(1) Romano.

CLXXVI

Ad abbatem S. Pontiani, S. Michaelis et S. Reparatæ priores Lucanos.

20 julii 1226.

[Mittarelli, Annal. Camaldul., IV, app. 443.]

Eis causam abbatis conventusque S. Petri de Pozenlis contra commune de Vivinaria, super divisione cujusdam nemoris vertentem, dijudicandam committit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis..... abbati Sancti Pontiani, Sancti Michaelis, et Sanctæ Reparatæ prioribus Lucanis, salutem, etc.

Querelam dilectorum filiorum..... abbatis et conventus Sancti Petri de Pozenlis recepimus continentem, quod commune de Vivinaria, P... B... E... et quidam alii Lucanæ diœcesis super divisione cujusdam nemoris, hominibus, redditibus, et rebus aliis injuriantur eisdem. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis, audiatis causam, et appellatione remota fine debito terminetis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari, proviso tamen, ne in commune prædictum interdicti vel excommunicationis sententias proferatis, nisi super hoc a nobis mandatum receperitis speciale. Testes autem, etc. Datum Laterani, XIII kalendas augusti, pontificatus nostri anno decimo.

CLXXVII

Ad Fredericum, Romanorum imperatorem.

21 julii 1226.

[Theiner, Cod. dominii temporalis, I, 81, 135.]

Ne a gentibus suis securitatem viarum publicarum in dominio Romanæ Ecclesiæ violari sinat.

Honorius episcopus, etc., carissimo in Christo filio Frederico, illustri imperatori semper augusto et regi Siciliæ, salutem, etc.

Cum omnibus injuriam patientibus paterno compatiamur affectu, et gravamina singulorum, prout ad nostrum spectat officium, sollicite prosequamur, molestias et jacturas, quæ viatoribus et præsertim venientibus ad Sedem Apostolicam et redeuntibus inferuntur, tanto accuratius prosequi nos oportet, et stratas publicas debita securitate tueri, quanto id ad majorem utilitatem totius populi Christiani dignoscitur redundare, ac a prædecessoribus nostris factum est hactenus et a nobis sollicite procuratum, qui ter in anno, videlicet in die Cœnæ Dominicæ, festo Ascensionis, consecratione basilicæ beati Petri, solemniter præsente toto populo, qui de diversis mundi partibus tunc concurrit, omnes violatores stratarum cum suis complicibus excommunicationis vinculo innodemus. Sane filius Belial, Tancredus de Campilio, hoc sicut convenit non attendens, nuper militum Bertholdi multitudine sociatus, multos tam nostræ familiæ, quam alios venientes et redeuntes ab Apostolica Sede cepit, quos per devia ducens et Campilium ire compellens, gravibus affectos injuriis ad Bertholdum media nocte transmisit, qui præsumptione damnabili omnes ipsorum litteras impetratas a nobis inspici faciens, ex eis per officiales suos, non sine gravi Sedis Apostolicæ contemptu, fieri fecit coram cunctis astantibus audientiam generalem: quod vix est qui ambigat sine tua connivenlia fieri potuisse, maxime cum Bertholdus, qui hoc ausu nefario attentare præsumpserit, sit tuus nuncius specialis, et coram astantibus proposuisse dicatur, prædictum Tancredum habere a te contra certas personas violandi stratam licentiam specialem. In quo quantum imperiali celsitudini derogetur, cum inquietos corripere, non fovere, ac maleficos et oppressores innocentium persequi tenearis, nec tu ignoras, nec nos atrox injuria in hoc Ecclesiæ irrogata patitur ignorare. Cum igitur nihil sit, quo magis tangatur status Ecclesiæ, quam si viatoribus et peregrinis securitas auferatur, et litterarum ipsius violari auctoritas attentetur, serenitatem tuam rogandam duximus et monendam, quatenus tam enormem excessum celeri emendatione corrigere studeas, ut peregrinis petendi orationum suffragia, et oppressis postulandi justitiam alicujus ausu temerario facultas debita non negetur: alioquin, cum hæc incorrecta relinquere non possimus, cogitabimus, qualiter sit ad correctionem tantorum excessuum procedendum. Datum Laterani, XII kal. augusti, anno decimo.

LIBER UNDECIMUS

I

Ad Nicolaum archidiaconum Ihatlandensem.

3 novemb. 1226.

[Lange, Diplomat. Norwegic., I, 1, 8.]

Ei mandat ut vicesimam ecclesiasticorum proventuum per Petri archiepiscopi ejusque suffraganeorum diœceses Terræ Sanctæ subsidio deputatam et Skuloni, duci Norwegiæ, aspiranti ad hoc subsidium concessam colligat, eique assignet.

Honorius episcopus, etc., Nicolao, archidiacono Ihatlandensi, etc.

Cum dilectus filius nobilis vir Skulo, dux Norwegiæ, divinitus inspiratus ardenter aspirans ad subsidium Terræ Sanctæ, ad id magnifice se accingat, daturus omnibus qui secum transfretare voluerint navigium sine naulo, sicut tam ipse quam venerabiles fratres nostri Petrus, Nidrosiensis archiepiscopus, et... ejus suffraganei suis nobis litteris intimarunt, nos congruo volentes cum auxilio in tam pio proposito adjuvare, vicesimam ecclesiasticorum proventuum per prædictorum archiepiscopi et suffraganeorum diœceses, Terræ Sanctæ subsidio secundum statuta generalis Concilii deputatam, eidem duci duximus concedendam. Quocirca mandamus, quatenus vicesimam ipsam colligens diligenter, prædicto nobili fideliter assignes eamdem. Contradictores, etc. Datum Laterani, III nonas novembris, anno undecimo.

II

Ad Thorerum archiepiscopum Nidrosiensem.

4 novemb. 1226.

[Lange, Diplomat. Norwegic., I, 1, 8.]

Ei mandat ut eos, qui voluerint crucem assumere ad Terræ Sanctæ subsidium cum Skuloni, duci Norwegiæ, juxta formam Ecclesiæ absolvat.

Honorius, etc., Nidrosiensi archiepiscopo, etc.

Cum sicut ex litteris tuis et utique acceptamus, dilectus filius nobilis vir Skulo, dux Norvegiæ, crucesignatus ad Terræ Sanctæ subsidium cum numerosa crucesignatorum multitudine magnifice se accingat, offerens omnibus secum transfretare volentibus gratis navigium sine naulo, ut tuæ prædicationis tuba excitatus populus christianus ad dictæ Terræ subsidium fortius animetur, fraternitatem tuam monemus attente, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus in provincia tua evangelizes et evangelizari facias solemniter verbum crucis, commonefaciendo universós et singulos ut in hoc necessitatis articulo succurrant Christo modis omnibus, quibus possunt, ita quod tam tibi quam eis meritum incomparabile compares, et nos sollicitudinem tuam debeamus dignis in Domino laudibus commendare. Ad hæc si qui crucesignati, vel qui crucem assumere voluerint, pro violenta manuum injectione sint vinculo excommunicationis adstricti, absolvendi eos juxta formam Ecclesiæ tibi concedimus facultatem, nisi forte adeo sit eorum gravis et enormis excessus, quod merito non sint ad Sedem Apostolicam remittendi. Datum Laterani, II nonas novembris, anno undecimo.

III

Ad magistrum Willelmum de Moreto, canonicum Carnotensem.

5 novemb. 1226.

[Regest., lib. XI, ep. 369. Mss. La Porte du Theil.]

Cum se obligasset pro G. Jordani de Carnoto, et iste termino statuto creditum non solvisset, Pontifex illum a noxa quam incurrisse timebat absolvit, dummodo creditoribus satisfaciat.

Honorius, etc., dilecto filio magistro Willelmo de Moreto, canonico Carnotensi, salutem, etc.

Cum olim tu cum quibusdam aliis pro G. Jordani de Carnoto clerico te quibusdam

creditoribus Bononiensibus fidejussorie ac principaliter obligaris, eodem G. in anima sua jurante se pecuniam ipsam statutis terminis soluturum, quia pecunia ipsa eisdem terminis non extitit persoluta, tu exinde noxam, vel notam perjurii te metuens incurrisse, nobis humiliter supplicasti, ut super hoc conscientiæ, et famæ tuæ salubriter consulere dignaremur. Volentes igitur tibi taliter providere, quod illorum justitiam non lædamus, tibi hujusmodi noxam remittimus et notam misericorditer abolemus, dummodo creditoribus ipsis satisfacias, ut teneris. Datum Laterani, nonis novembris, anno undecimo.

IV

Ad præpositum et conventum Raceburgenses.

6 novemb. 1226.

[Wirtemburg. Urkund., I, 324, n. 333.]

Eos cum omnibus bonis sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito et conventui Raceburgensibus, salutem, etc.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit et, ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem, terras, possessiones et alia bona vestra, sicut ea omnia juste, canonice ac pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis et protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, VIII idus novembris, pontificatus nostri anno undecimo.

V

Ad universos crucesignatos Lubicenses.

13 novemb. 1226.

[Meklenburgisches Urkund., IV, 198, n. 2662.]

Eorum familias et bona sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis crucesignatis Lubicensibus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et, ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Cum igitur zelo fidei ac devotionis accensi, signo vivificæ crucis assumpto, proposueritis in Terræ Sanctæ subsidium proficisci, nos, vestris precibus inclinati, personas, familias et omnia bona vestra, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus; statuentes, ut, postquam in proximo generali passagio iter arripueritis transmarinum, donec de vestro reditu vel obitu certissime cognoscatur, sub defensione Apostolicæ Sedis ea omnia integra maneant et quieta. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, XVI kalendas decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

VI

Ad Zurinensem et Racheburgensem episcopos.

13 novemb. 1226.

[Meklenburgisches Urkund., IV, 198, n. 2661.]

Eis mandat ne permittant ut universi crucesignati Lubicenses, qui proposuerunt in Terræ Sanctæ subsidium proficisci, contra protectionis Sedis Apostolicæ tenorem ab aliquibus molestentur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus [Brunwardo] Zurinensi et [Henrico] Racheburgensi episcopis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum dilectos filios crucesignatos universos Lubicenses, qui, zelo fidei ac devotionis accensi, signo vivificæ crucis assumpto, proposuerunt in Terræ Sanctæ subsidium proficisci, cum familiis et omnibus bonis suis, quæ in præsentiarum rationabiliter possident, sub beati Petri suscipimus protectione ac nostra, statuentes, ut, postquam in proximo generali passagio iter arripuerint transmarinum, ea omnia sub defensione Apostolicæ Sedis integra maneant et quieta, donec de ipsorum reditu vel obitu certissime cognoscatur : fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsos contra protectionis et constitutionis nostræ tenorem non permittatis ab aliquibus molestari, molestatores indebitos per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Quod si non omnes his exsequendis interesse potueritis, alter vestrum ea nihilominus exsequatur. Datum Laterani, idibus novembris, pontificatus nostri anno undecimo.

VII

Ad scabinos et populum universum Coloniensem.

14 novemb. 1226.

[Ennen, Quellen zur Geschichte, II, 108, n. 99.]

Eis libertates, immunitates consuetudinesque ab imperatoribus et principibus civitati eorum concessas, confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis scabinis et universo populo Coloniensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Pronæ devotionis promptus affectus, quam erga Romanam Ecclesiam laudabiliter geritis, non indigne meretur, ut vos speciali gratia Sedis Apostolicæ prosequentes vestris, quantum cum Deo possumus, precibus annuamus. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris supplicationibus grato concurrentes assensu, libertates et immunitates antiquas et rationabiles consuetudines ab imperatoribus, principibus vel aliis legitime vobis et civitati vestræ concessas, et hactenus observatas, ratas habemus, et eas auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, XVIII kal. decembris, pontificatus nostri anno decimo.

VIII

Ad monasterium Beatæ Mariæ Sanctorumque Martyrum Canuti et Albani.

14 novemb. 1226.

[Thorkelin, Dipl. Arna Magnæanum, I, 101.]

Illud monasterium protegendum suscipit, omnesque ejus possessiones ac bona, quorum plura nominatim recenset, confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori monasterii Beatæ Mariæ Sanctorumque Martyrum Canuti et Albani, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium Beatæ Mariæ, Sanctorumque Martyrum Canuti et Albani, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione [suscipimus], et præsentis scripti privilegio communimus, in primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : Locum ipsum, in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis in Feonia, in Lolandia, in Herre, in Halse, in Jutia et in Siland; possessiones et terras et alias possessiones cum pratis, vineis, terris, nemo-

ribus, usuagiis et pascuis, in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis, et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis.

Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus ac sumptibus colitis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e sæculo fugientes ad conversionem recipere, ac eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem fas sit sine prioris sui licentia de eodem loco nisi arctioris legionis (1) obtentu discedere. Discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decere decernimus ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepelire deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas præterea et possessiones ad jus ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ a laicis detinentur, redimendi et legitime liberandi de manibus eorum et ad ecclesias, ad quas pertinent, revocandi, libera sit vobis de nostra auctoritate facultas. Obeunte vero demum ejusdem loci priore vel piorum (2) quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars majoris et sanioris consilii secundum Deum et beati Benedicti regulam providerint eligendum. Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sanctissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiat, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniat. Amen.

Datum Laterani per manum magistri Sinibaldi auditoris contradictarum litterarum domini papæ, XVIII kalendas decembris, indictione I (?), Incarnationis Dominicæ anno MCCXXVI, pontificatus vero domini Honorii papæ III anno undecimo.

(1) Religionis.

(2) Priorum.

IX

Ad Robertum archiepiscopum Strigoniensem.

17 novemb. 1226.

[Fejer, Cod. dipl. Hung., III, II, 98.]

Inopiæ capituli Cenadiensis e capellis diœcesanis per archiepiscopum Strigoniensem succurri jubet.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Strigoniensi, etc.

Venerabilis frater noster... episcopus, et dilecti filii capitulum Cenadiensis ecclesiæ, suis nobis litteris intimarunt, ipsius capituli redditus esse propter guerras, et multiplicem malitiam temporis adeo imminutos, ut nonnulli canonici ejusdem ecclesiæ præbendas suas dimiserint, eo quod ex iis non poterant sustentari. Quare idem episcopus et capitulum nobis humiliter supplicarunt, ut cum crescente inopia decrescat in eadem ecclesia numerus servitorum, ita, quod eadem jam cœpit consuetis obsequiis defraudari, super hoc paterna providere sollicitudine dignaremur, concedendo, ut ipsorum canonicorum præbendæ de redditibus

capellarum Cenadiensis diœcesis augmententur, donec statu ipsorum reformato, status quoque ipsius ecclesiæ reformetur. Gerentes igitur de tuæ caritatis sinceritate fiduciam specialem, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus personaliter ad ecclesiam Cenadiensem accedas, et habito diligenti tractatu cum episcopo et capitulo supradictis, super hoc provideas, prout pensatis omnibus circumstantiis videris providendum. Datum XV kal. decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

X

Ad communitatem civitatis Rigensis.

19 novemb. 1226.

[Turgenevius, Monim. Russiæ, I, 18.]

Compositionem super jurisdictionibus et libertatibus civitatis præfatæ confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, communitati civitatis Rigensis, etc.

Ea quæ judicio, vel concordia... Eapropter, petitionibus vestris grato ac benigno concurrentes assensu, compositionem, quæ inter vos ex una parte, et venerabilem fratrem nostrum episcopum Livoniensem... præpositum Rigensem, et fratres militiæ Christi, Livoniensis diœcesis, ex parte altera, super jurisdictionibus, et libertatibus civitatis vestræ, mediante venerabili fratre nostro G. Mutinensi episcopo, Apostolicæ Sedis legato, amicabiliter intervenit, prout in ipsius litteris plenius continetur, sicut sine pravitate provide facta est, et ab utraque parte sponte recepta, et hactenus pacifice observata, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem rei evidentiam, tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum præsentibus duximus inserendum, qui talis est :

Coram nobis W., divina miseratione Mutinensi episcopo, Apostolicæ Sedis legato, inter venerabilem fratrem Alb. Livoniensem episcopum, et dilectos filios Jo., Rigiensem præpositum, et Walch., magistrum militiæ Christi in Livonia ex una parte, et Albertum syndicum civitatis Rigensis, nomine ipsius civitatis, ex altera, super jurisdictione ipsius civitatis, et super moneta, et super quibusdam aliis capitulis, quod hujusmodi vertebatur. Dicebat namque syndicus prænominatus civibus licere judicem civitatis constituere, eo quod haberent jus Gothorum sibi ab episcopo a constitutione civitatis concessum, super quibus interrogatus jam dictus dominus episcopus, pro se, præposito et magistro præsentibus ibidem, et consentientibus respondit, quod a constitutione civitatis concessit civibus in genere jus Gothorum, et specialiter libertatem a duello, theloneo, candente ferro, et naufragio. Dubitabatur autem inter eos quid esset jus Gothorum, de quibus omnibus de consensu nostro eis placuit transigere in hunc modum, videlicet, quod cives possint sibi libere judicem eligere civitatis, et electum debeant episcopo præsentare, et episcopus ipsum investiet. Ille vero judex de omni causa temporali cognoscat; homines autem, qui sunt de jurisdictione episcopi, vel aliorum, qui ab episcopo feudum tenent, ut magister, præpositus et alii, non teneantur sub prædicto judice respondere; nisi de contractibus, et delictis in civitate, vel infra marchiam civitatis commissis, vel contractis. Si autem episcopus, præpositus, magister et abbas de Dunemont habuerint domos, aut agros infra marchiam civitatis, et in his contractum fuerit aliquid, vel commissum sub eo, cujus fuerit domus, vel ager, debeat terminari. Et si quis civis jurisdictione episcopi, præpositi, vel magistri possessiones habuerit, vel ibi contraxerit, seu delectum commiserit, teneatur sub eo, cujus fuerit jurisdictio, respondere; clerici vero, vel alii viri religiosi, ut magister et fratres ejus, vel Hospitalarii, ut Sancti Spiritus et Sancti Lazari, de nulla causa teneantur sub prædicto civitatis judice respondere. Monetam autem in civitate fieri cujuscumque formæ, sit in potestate domini episcopi, dum tamen ejusdem bonitatis sit, et ponderis, cujus est moneta Gothorum, seu Gutlandiæ. Cives vero liberi sint in prædictis quatuor capitulis, scilicet a ferro, theloneo, naufragio, et duello. Omnibus autem volentibus intrare civitatem ad habitandum, liceat cives fieri prædictæ civitatis. Si quid etiam potuerunt probare infra triennium esse de jure Theutonicorum commorantium in Gutlandia, eodem gaudeant et Rigenses, excepto eo quod, si Theutonici Gutlandia instituerent aliquatenus sacerdotem, Rigenses tamen nunquam possint constituere sacerdotem. Actum in Riga, anno Domini

MCCXXV, mense decembris, XIII indictione, præsentibus domino Lamberto episcopo Semigalliæ, domino Guido episcopo Renelensi, magistro Lamberto Constendalensi canonico, comite Borgardo, Bernardo cive Rigensi, Ludolfo de Hanovere, Lubicensi canonico, mercatoribus, et etiam peregrinis.

Nulli ergo, etc., confirmationis, etc. Si quis, etc. Datum Laterani, XIII kalendas decembris, anno undecimo.

XI

Ad abbatem et conventum monasterii de Olyva in Pruscia, ordinis Cisterciensis, Wladislaviensis diœcesis.

22 novemb. 1226.

[Hasselbach, Cod. dipl. Pomeraniæ, I, 373, n. 158.]

Eis indulget ne legati Sedis Apostolicæ sine speciali mandato in eos excommunicationis vel suspensionis sententias promulgent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii de Olyva in Pruscia, Cisterciensis ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum ordinis vestri generosa plantatio multæ religionis et honestatis flores et fructus protulerit, effuso longe lateque laudabilis conversationis odore, Apostolicæ Sedis auctoritas considerans, per Marthæ sollicitudinem providendum esse Mariæ quieti, ut et orantis Mariæ suffragiis satagentis Marthæ sollicitudo ministerii juvaretur, ne alicujus temeritatis incursus sanctæ conversationis otium perturbaret, ordinem ipsum et privilegiis, et nonnullis indulgentiis specialis gratia prærogativa munivit. Nos autem, qui salutifera commoda vestra benigno favore prosequimur, tranquillitati vestræ libenter, prout possumus, providemus, auctoritate præsentium inhibentes, ne legati Sedis Apostolicæ sine speciali mandato nostro in vos excommunicationis vel suspensionis, et in monasterium vestrum, interdicti sententias contra ea, quæ vobis sunt ab Apostolica Sede concessa, promulgent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, X kalendas decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

XII

Ad Fredericum, Romanorum imperatorem.

22 novemb. 1226.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 777. Regest., lib. X, epist. 385.]

Cum petierit imperator restitui sibi quasdam civitates et castra in partibus Provinciæ occasione belli adversus Albigenses occupata, rogat eum Honorius ut dilationem sustineat, donec sit exploratum quæ loca ad Imperium revera pertineant.

Honorius episcopus... carissimo in Christo filio F., illustri Romanorum imperatori semper augusto, et regi Siciliæ, salutem et Apostolicam benedictionem.

Tuæ sublimitatis sollicitudo non improbe postulavit, ut civitates, castra et alia loca ad imperium pertinentia in partibus Provinciæ et regni Arelatensis, et nominatim ea quæ quondam Raimundus, comes Tolosanus, ab Imperio tibi..., sive ad dilecti filii nostri R[omani], S. Angeli diaconi cardinalis, A. S. legati, sive ad cujuscumque alterius manus, occasione exercitus facti ob exstirpandam de partibus illis pravitatem hæreticam, devenerint seu adhuc forte devenient, restitui faceremus. Noverit itaque tua serenitas, nos qui tua et Imperii jura minui nolumus, sed augeri, viva voce dixisse cardinali prædicto, dum esset in nostra præsentia constitutus, ac postmodum eidem litteris Apostolicis mandavisse, quod volebamus terram illam sic hæretica pravitate purgari, ut jura Imperii servarentur illæsa.

Licet igitur tua petitio a nostro proposito non discordet, restitutionem tamen hujusmodi providimus differendam, donec quæ terræ ad Imperium in partibus illis pertineant, ac totius negotii circumstantiæ nobis per relationem ipsius legati plenius innotescant. Ipsi autem cardinali ad præsens per scripta nostra mandavimus, ut terras ad ipsum Imperium pertinentes in sua et ecclesiæ potestate retineat, faciendo eas per episcopos et alios ecclesiarum prælatos cum diligentia custodiri, qui terras easdem, salvo jure tuo, custodiant tua in ipsis et

Imperii fidelitate servata; ut, cum ex insinuatione legati jamdicti nobis de prædictis constiterit jura tua (1), nunciis vel ordinatis tuis sine periculo pacis et fidei restitui faciamus. Imperialis igitur circumspectio dilationem hujusmodi sustineat patienter necessariam negotio pacis et fidei, quæ, cum in partibus illis nunc quasi de novo plantetur, eradicari posset levis turbationis impulsu : quod ne accidat, tua debet optare devotio, et nostræ sollicitudinis instantia præcavere. Legato quoque et hominibus... super eo quod quædam castra fidelium Imperii detinere dicuntur, et infestare illos ac ipsorum homines in Imperii præjudicium receptare, direximus scripta nostra sicut vidimus expedire, et vel scribendo iterum, vel etiam proprium nuncium illuc propter hoc, si necesse fuerit, destinando, providere curabimus, quod fideles tui justam de illis causam non habeant conquerendi. Datum Laterani, X kal. decembris, anno undecimo.

XIII

Ad Romanum, Sancti Angeli diaconum cardinalem, A. S. legatum.

22 novemb. 1226.

[Regest., lib. XI, epist. 376. Mss. La Porte du Theil.]

Frederici imperatoris petita illi significat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio R., Sancti Angeli diacono cardinali, Apostolicæ Sedis legato, salutem et Apostolicam benedictionem.

Carissimus in Christo filius noster F., illustris Romanorum imperator, semper augustus et rex Siciliæ postulavit instanter, ut civitates, castra, et alia loca ad Imperium pertinentia in partibus Provinciæ ac regni Arelatensis, et nominatim ea, quæ quondam Raimundus comes Tolosanus tenuit ab Imperio sibi sive ad tuas, sive ad cujuscumque alterius manus occasione exercitus facti ad extirpandam de partibus illis pravitatem hæreticam devenerunt, seu adhuc forte devenient, restitui faceremus. Sane a memoria tua excidisse non credimus nos tibi litteris Apostolicis pluries mandavisse quod volebamus terram illam sic hæretica pravitate purgari, ut jura Imperii servarentur illæsa. Licet igitur ipsius imperatoris petitio a nostro proposito non discordet, nec Imperii jura velimus minui, sed augeri, restitutionem tamen hujusmodi providimus differendam, donec quæ terræ ad Imperium in partibus illis pertineant, ac totius negotii circumstantiæ nobis per relationem tuam plenius innotescant. Volumus autem, et circumspectioni tuæ præsentium auctoritate mandamus, quatenus terras ad ipsum Imperium pertinentes, in tua, et Ecclesiæ potestate retineas, faciendo eas per episcopos, et alios ecclesiarum prælatos cum diligentia custodiri, qui terras easdem, salvo jure ipsius imperatoris, et Imperii custodiant ejusdem in ipsis, et Imperii fidelitate servata, ut cum ex insinuatione tua nobis de præmissis constiterit sine periculo pacis, et fidei jura imperatoris præfati nuntiis, vel ordinatis suis restitui faciamus. Datum Laterani, X kalendas decembris, anno undecimo.

XIV

Ad N. subdiaconum et capellanum suum, rectorem Massæ, A. S. legatum.

22 novemb. 1226.

[Theiner, Cod. dipl. dominii temp., I, 82, 136.]

Ne a populo Massæ castra, quæ ad fideles Imperii pertinent, eripi et infestari permittat.

Honorius episcopus, etc., dilectis filiis N. subdiacono et capellano nostro, rectori Massæ, Apostolicæ Sedis legato, et universo populo Massæ, salutem, etc.

Carissimus in Christo filius noster F., illustris Romanorum imperator, semper augustus et rex Siciliæ, nobis insinuare curarat, quod vos quædam castra fidelium Imperii detinere præsumitis, et ipsos guerrarum insultibus infestantes eorum homines in ipsius Imperii præjudicium receptatis. Ideo discretioni vestræ firmiter præcipiendo mandamus, quatenus, si quæ castra vel terras fidelium Imperii detinetis, ea sine qualibet difficultate ac dilatione reddatis, et super aliis ab eorum infestatione ac injuria quiescatis omnino, præceptum nostrum taliter impleturi, quod ad ipsum imperatorem seu ad nos super his querimoniam non recurrat. Datum Laterani, X kalend. decembris, anno undecimo.

(1) Complementum huic orationi deficit, quale *esse rata*.

XV

Ad priorem et fratres Eremi de Brictinis.

26 novemb. 1226.

[Empoli, Bull. ord. Eremitarum, 122.]

Ecclesia S. Blasii de Brictinis assumpta est sub protectione S. Petri, et ab omnibus molestiis, et gravaminibus bona fratrum liberantur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori, et fratribus ecclesiæ Eremi de Brictinis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras, et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum honestis modis (dante Domino) poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus; specialiter autem ecclesiam S. Blasii de Brictinis cum pertinentiis suis, possessiones, et alia bona vestra, sicut ea omnia juste, ac pacifice possidetis, vobis et per vos eidem ecclesiæ vestræ auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis et protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, VI kalendas decembris, anno undecimo.

XVI

Ad magistrum et fratres militiæ Christi in Livonia.

27 novemb. 1226.

[Turgenevius, Monim. Russiæ, I, 19.]

Ut recipere possint peregrinos, qui in Livonia pro fidei propagatione remanere voluerint.

Honorius, etc., magistro et fratribus militiæ Christi in Livonia, etc.

Vestra Deo, et hominibus grata religio nos inducit ut, in quibus secundum Deum et justitiam possumus, vestris benigne precibus annuamus. Hinc est quod vobis auctoritate præsentium indulgemus ut, si qui peregrinorum in Livoniam venientium pro fide catholica defendenda in illis partibus, aut dilatanda, vobiscum pro castrorum vestrorum custodia, seu pro aliis servitiis vestris sponte remanere voluerint, liceat vobis eos quandiu de ipsorum voluntate fuerit, libere retinere. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis, etc. Si quis, etc. Datum Laterani, V kalendas decembris, anno undecimo.

XVII

Ad cives Lubicenses.

28 novemb. 1226.

[Meklenb. Urkund., I, 325, n. 334.]

Eis mandat ut crucesignatos, quos ad portum Lubicensem venire contigerit, sive in Terræ Sanctæ subsidium, sive contra paganos Livoniæ ac Prussiæ profecturos, habeant propensius commendatos, et personas atque res ipsorum conservare studeant illæsas.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis civibus Lubicensibus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Etsi omnes crucesignati generaliter sub Apostolicæ Sedis protectione consistant, specialiter tamen crucesignatos, quos ad portum Lubicensem undecumque venire contigerit, sive in Terræ Sanctæ subsidium, sive contra paganos Livoniæ ac Prussiæ profecturos, sub nostra et Apostolicæ Sedis protectione recepimus cum omnibus bonis suis et specialiter, quæ ad portum ipsum deferent vel deducent. Ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta firmiter injungendo mandamus, quatenus eos divino et nostro intuitu habentes propensius commendatos, personas et res ipsorum conservare studeatis illæsas, non offendentes eos in personis aut rebus, nec offendi in terra vel districtu vestro ab aliis permittentes, nec impedientes aut impediri sinentes, quominus per portum ipsum secure transeant cum omnibus bonis suis, quin immo pro reverentia Jesu Christi, cujus se obsequio manciparunt, eam humilitatem exhibeatis eisdem, quod æternæ mercedis, quam pro hujusmodi labore promereri desiderant, merito esse participes debeatis,

scientes, nos venerabilibus fratribus nostris..... Zuerinensi..... Racheburgensi et.... Lubicensi episcopis per nostras litteras mandavisse, ut, si qui eosdem crucesignatos contra protectionis et mandati nostri tenorem temere molestare præsumpserint, ipsi eos a præsumptione hujusmodi, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cognita veritate compescant. Datum Laterani, IV kalendas decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

XVIII

Ad abbatem monasterii Sanctæ Mariæ Lucionensis, Pictavensis diœcesis.

1 decemb. 1226.

[Regest., lib. XI, ep. 396. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem monachos quosdam monasterii sui, qui in excommunicationem diversis de causis incurrerant, absolvendi.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio...... abbati monasterii Sanctæ Mariæ Lucionensis, Pictavensis diœcesis, salutem, etc.

Ex tua, fili abbas, insinuatione didicimus, quod nonnulli monasterii tui monachi pro violenta manuum injectione in se ipsos, et clericos sæculares in canonem inciderunt sententiæ promulgatæ, quidam vero in eodem monasterio simoniacum habuerunt ingressum, alii etiam pro denegata tibi, fili abbas, obedientia debita, quidam autem pro detentione proprii excommunicationis sententiam incurrerunt, quorum quidam absolutionis beneficio non obtento, præsumpserunt divina officia celebrare, quidam vero ad sacros ordines sunt promoti. De ipsorum itaque salute sollicitus postulasti, ut cum eos venire ad Sedem Apostolicam oporteret, et verendum asseras ne ad nostram veniendo præsentiam vagarentur et salutis cujus causa venirent incurrerent detrimentum, providere super hoc misericorditer dignaremur. Nos autem plenam de vobis fiduciam obtinentes, considerantes quoque, quod religionis favore multa in regularibus, quæ non pateremur in aliis sustinemus, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus hujusmodi manuum injectoribus, nisi eorum difficilis fuerit et enormis excessus, propter quem merito ad Sedem Apostolicam sint mittendi, ac aliis si se correxerunt juxta formam Ecclesiæ absolutis, et injuncto eis quod de jure fuerit injungendum, observata quoque circa simoniacos constitutione Concilii generalis, faciatis auctoritate nostra cum prædictis, qui taliter celebrarunt, et sacros ordines susceperunt, prout animarum suarum saluti videritis expedire. Datum Laterani, kalendis decembris, anno undecimo.

XIX

Ad abbatem et conventum monasterii Zvildensis.

4 decemb. 1226.

[Wirtembergisches Urk., III, 207, n. 722.]

Eis jus patronatus ecclesiæ S. Mariæ Cladrubrudensis [Kladrau], possessiones et bona confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... abbati et conventui monasterii Zvildensis [Zwiefalten], salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, jus patronatus ecclesiæ Sanctæ Mariæ Cladrubrudensis, possessiones et alia bona vestra, necnon libertates et immunitates, ac rationabiles vestri monasterii consuetudines et hactenus observatas, sicut ea juste, canonice ac pacifice obtinetis, vobis et per vos ipsi monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, II nonas decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

XX

Ad abbatem et priorem monasterii Ursicampi, Cisterciensis ordinis.

4 decemb. 1226.

[Peigné Delacourt, Cart. d'Ourscamp, 301, n. 480.]

Quod non tenentur cognoscere de causis nec esse judices in posterum auctoritate Apostolica.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et priori monasterii Ursicampi, Cisterciensis ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum propter rerum dispendia et labores quos, sicut asseritis, pro causis, quæ vobis a Sede Apostolica delegantur, oportet vos multotiens subire, ut quies monastici ordinis perturbetur, et grave commisso vobis monasterio immineat detrimentum, nos, vestris supplicationibus inclinati, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut de causis aliquibus auctoritate Apostolica in posterum cognoscere compellamini, nisi forsan obtentæ ad vos litteræ de hac indulgentia expressam fecerint mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, II nonas decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

XXI

Ad thesaurarium, cantorem et officialem Nivernenses.

8 decemb. 1226.

[Regest., lib. XI, epist. 404. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut nisi canonicum obstaculum revera obsit, Poncardum clericum, in canonicum et fratrem, juxta mandati Apostolici de hoc jam dati, a priore et capitulo Vastignensi, Bituricensis diœcesis, recipi faciant.

Honorius, etc., dilectis filiis... thesaurario... cantori, et... officiali Nivernensi, salutem, etc.

Dilectus filius Poncardus clericus proposuit coram nobis, quod cum... priore, et capitulo Vastignensi, Bituricensis diœcesis, mandatum et præceptum Apostolicum, quæ pro recipiendo eo in canonicum ecclesiæ suæ receperant, nequaquam adimplere curantibus, vos tandem executores concessissemus eidem, dicti prior et capitulum, negotio diu variarum exceptionum objectione protracto, demum objecerunt eidem, quod tempore quo nostras ad vos litteras impetraverat excommunicationis vinculo tenebatur pro injectione manuum violenta. Cumque post plures terminos sibi ad probandam excommunicationem hujusmodi assignatos, id probare nullatenus potuissent, ut diutius protraherent ipsum negotium, et eumdem clericum expensis, ac laboribus fatigarent, ad probandam excommunicationem prædictam terminum a vobis sex mensium impetrarunt, sed nec sic excommunicationem potuerunt hujusmodi comprobare. Se igitur ad alias versutias convertentes dixerunt, quod recipere non tenebantur eumdem, cum jam duos ad mandatum Apostolicum recepissent, de quorum receptione in litteris nostris mentio non fiebat, vosque exceptionem hujusmodi per interlocutoriam sententiam approbastis, non attendentes, quod nec in primis nec in secundis, nec in tertiis litteris super hoc ab ipso clerico impetratis, continebatur illa clausula, videlicet, si eorum ecclesia per nos non erat de alterius provisione gravata, ex quo poteratis advertere, quod in hoc feceramus ei gratiam specialem, cum in hujusmodi litteris generaliter consueverimus apponere clausulam prænotatam; et si eam aliquando de speciali gratia taceamus, sicut in litteris fecimus concessis clerico supradicto, eo quod eadem ecclesia de bonis progenitorum ejus asseritur esse ditata, et quod diu in ipsa dicebatur ecclesia deservisse, quod etiam per alterius partis confessionem in judicio factam vobis dicitur constitisse. Licet igitur idem clericus propter hoc a vobis duxerit appellandum, hos tamen credentes vos, quod fecistis bona fide fecisse, negotium ipsum ad vos duximus remittendum. Ideoque discretioni vestræ mandamus, quatenus nisi prædicti prior, et capitulum infra quindecim dies post primæ citationis edictum probaverint dictum clericum fuisse vinculo excommunicationis adstrictum, quando nostras ad vos litteras impetravit, vos quod de duobus clericis in ecclesia ipsa receptis opponitur et confirmatione statuti de certo canonicorum numero, quam a vobis impetrasse dicuntur, postquam pro dicto

clerico præceptum receperunt Apostolicum non obstante, ipsum in eadem ecclesia, juxta primi mandati nostri tenorem recipi, et fraterna faciatis caritate tractari. Contradictores, etc. Decernentes irritum et inane, si quid post appellationem ad nos a dicto clerico interpositam de præbenda ipsa ab eisdem priore, et capitulo, vel a decano Vastignensi et ejus collegis occasione litterarum, quas ad eos iidem prior et capitulum super expensis super hoc factis a dilecto filio nostro R., Sancti Angeli diacono cardinali, Apostolicæ Sedis legato, impetrasse dicuntur contra eumdem clericum inveneritis temere attentatum. Nullis litteris, etc. Datum Laterani, VI idus decembris, anno undecimo.

XXII

Ad fratres militiæ Christi in Livonia.

10 decemb. 1226.

[Mitth. a. d. Gesch. Liv-Est-u-Kurlands, VIII, 126.]

Sententiam, quam tulerat Wilhelmus episcopus Mutinensis inter magistrum eorum et Albertum episcopum Rigensem de jurisdictione utriusque, confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et fratribus militiæ Christi in Livonia, salutem, etc.

Ea quæ judicio vel concordia terminantur, firma debent et illibata consistere et, ne in recidivæ contentionis scrupulum relabantur, Apostolico convenit præsidio communiri. Eapropter, dilecti filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, diffinitivam sententiam, quam pro vobis venerabilis frater noster W., Mutinensis episcopus, Apostolicæ Sedis legatus, contra venerabilem fratrem nostrum Rigensem episcopum super eo, quod in vobis jurisdictionem se proponebat habere, auctoritate legationis suæ, cognitis causæ meritis, promulgavit, sicut est justa nec legitima provocatione suspensa, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem rei evidentiam, tenorem ipsius sententiæ de verbo ad verbum præsentibus duximus inserendum. Qui talis est :

« Coram nobis Vilhelmo, divina miseratione Mutinensi episcopo, Apostolicæ Sedis legato, ex tenore quarumdam litterarum, in quibus continebatur de donatione tertiæ partis Lyonæ et Lettiæ, quam venerabilis frater noster Albertus, Livoniensis episcopus, fecerat magistro militiæ Christi et fratribus suis, super jurisdictione ipsius tertiæ partis, inter prædictum episcopum et magistrum dictæ militiæ dubitatio vertebatur. Præfatus episcopus super his interrogatus respondit, dicens : quod si de persona magistri querimonia fieret, ipse deberet sub episcopo respondere, et clerici magistri, cujuscumque religionis sint, in spiritualibus debent sub ipso episcopo respondere. Fratres autem respondere debent tantummodo sub magistro. Homines etiam, habitantes in tertia parte magistri, sub ipso magistro debent solummodo respondere, ita quod a diffinitiva sententia, si voluerint, possint ad eumdem episcopum appellare. Omnes autem spirituales causæ debent per ipsum episcopum diffiniri. Super quibus interrogatus, magister respondebat, in omnibus ita esse. Visis igitur et auditis litteris, confessionibus et allegationibus utriusque partis, habito etiam sapientium consilio, judicamus et pronunciamus ut supra, videlicet quod magister respondeat sub episcopo. Clerici magistri in spiritualibus tantummodo respondeant sub episcopo, et omnes causas spirituales idem episcopus audiat. Fratres autem, et omnes habitantes in parte magistri, sub magistro solummodo respondeant, salvo eo, quod possunt, ut superius dictum est, a diffinitiva sententia, si voluerint, ad episcopum appellare. Et hæc omnia Apostolica auctoritate, qua fungimur, præcipimus inviolabiliter observari. Lata est sententia in Riga in ecclesia Sancti Jacobi, anno Domini MCCXXV, mense augusti, XIII indictione. Præsentibus, etc. »

Nulli ergo, etc. Datum Laterani, IV idus decembris, anno undecimo.

XXIII

Ad episcopum Rigensem.

10 decemb. 1226.

[Strehlke, Tab. ord. Theutonici, 230, n. 240.]

Rigensi episcopo permittit, quod sententias, a Semigallensi episcopo in magistrum et fratres militiæ Christi latas, requisitus relaxet.

Honorius, etc., episcopo Rigensi, etc.

Magister et fratres militiæ Christi in Li-

vonia nobis humiliter supplicarunt, ut, cum possessiones habeant in Semigallia et contingat interdum, quod in quæstionibus emergentibus in eos, seu in eorum aliquos, a venerabili fratre nostro episcopo Semigalliæ excommunicationis sententia proferatur, et propter locorum distantiam eis difficile sit Apostolicam Sedem adire, quotiens id contingit, super hæc eis paterna providere sollicitudine dignaremur. Volentes igitur eosdem magistrum et fratres sub religionis obtentu in hoc et in aliis, quantum secundum Deum possumus, exaudire, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus requisitus ab eis excommunicationis seu interdicti sententias, quas in eos vel eorum loca prædictum episcopum contigerit promulgare, relaxes juxta formam Ecclesiæ consuetam, nisi idem episcopus a te commonitus eos relaxare curaverit infra terminum, quem ei tua providentia duxerit præfigendum, auditurus postmodum, si quid remanserit quæstionis, et fine debito decisurus. Si autem te causa prædicandi ad loca remotiora ire contigerit, alicui viro prudenti committas interim vices tuas. Datum Laterani, IV idus decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

XXIV

Ad magistrum et fratres militiæ Christi.

10 decemb. 1225.

[Mitth. a. d. Geschiv. Liv. Ehst. u. Kurlands, VIII, 131, n. 6.]

Compositionem inter magistrum fratresque militiæ Christi in Livonia ex parte una et Hermannum episcopum Lealensem ex altera super quibusdam terris confirmat.

Honorius, etc., magistro et fratribus militiæ Christi, etc.

Ea quæ judicio vel concordia statuuntur, firma debent et illibata consistere et, ne in recidivæ contentionis scrupulum relabantur, Apostolico convenit præsidio communiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, compositionem, quæ inter vos ex parte una et venerabilem fratrem nostrum... Lealensem episcopum ex altera, super quibusdam terris, mediantibus venerabili fratre nostro Rigensi episcopo et ejus collegis, amicabiliter intervenit, prout in litteris inde confectis plenius continetur, sicut rite sine pravitate facta est, provide et ab utraque sponte recepta, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem rei evidentiam, tenorem litterarum ipsarum duximus de verbo ad verbum præsentibus inserendum:

«In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Hermannus, Dei gratia Lealensis episcopus, omnibus hoc scriptum legentibus, salutem in eo, qui est salus omnium.

« Notum esse volumus tam futuris, quam præsentibus, quod de consilio venerabilis fratris nostri Alberti, Rigensis episcopi, et ecclesiæ suæ, peregrinorum quoque ac civium Rigensium, cum fratribus militiæ Christi, juxta quod in authentico ipsorum continetur, talem fecimus compositionem, ut videlicet a nobis et a nostris successoribus ipsi teneant mediam circiter regionem episcopatus nostri, jurisdictione civili perpetuo possidendam, cum ecclesiis, decimis et omni emolumento temporali, terram videlicet Sackelæ, Normigundæ, Mockæ, cum suis attinentiis, et dimidiam partem terræ Vaigelæ, salvo in omnibus nobis jure spirituali. In illisque terris per ecclesias suas personas idoneas instituent et eas instituendas nobis præsentabunt. Pro his autem terris nullum nobis temporale servitium aliud exhibebunt, nisi quod pro episcopatu nostro incursus hostium jugiter decertabunt, et in spiritualibus nobis obedient, et, cum ratione officii episcopalis ecclesias eorum visitabimus, expensas nobis necessarias ministrabunt. Fluvium autem Emajoga liberum relinquimus, vel gurgustium regis dimidium eis dimittemus. Ne quis autem eis super hac nostra concessione malitiosum afferat impedimentum, sub anathematis interminatione prohibemus, et ut factum nostrum robur perpetuum obtineat, hanc certam inde conscribi et sigillo nostro et domini Rigensis episcopi et ecclesiæ suæ muniri fecimus. Hujus actionis testes sunt: Dominus Albertus, Rigensis episcopus, Joannes præpositus S. Mariæ in Riga et ejus conventus, Albero prior in Dunemunde cum fratribus suis, Rotmarus germanus noster, Thomas plebanus in Luneburg, vassalli ecclesiæ Rigensis : comes Burchardus de Aldenburg, Daniel de Lineward, Conradus de Ikescola, Johannes de Dolen, pere-

grini: Fretheheimus de Poch, Theodoricus de Escerde, Lutbertus de Northorpe, advocatus peregrinorum, Helmodus de Luneburg, Heinricus de Lit, Joannes de Bekeshovede, Engelbertus de Tisenhusen, Jacobus de Urbe, cives Rigenses : Luderus advocatus, Bernardus de Deventer, Albertus Utnorthing et alii quamplures.

« Datum in Riga, anno Domini MCCXXIV, decimo kalendas augusti. »

Nulli ergo, etc. Datum Laterani, III idus decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

XXV

Ad communem civitatis Rigensis.

11 decemb. 1226.

[Bunge, Livland. Ub., I, III, n. 93.]

Ei ordinationem Willhelmi Mutinensis episcopi confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis, communi civitatis Rigensis, salutem, etc.

Ea quæ judicio vel concordia terminantur firma debent et illibata persistere, et ne in recidivæ contentionis scrupulum relabantur, convenit Apostolico præsidio communiri. Significastis siquidem nobis, quod, cum inter vos ex parte una et venerabilem fratrem nostrum episcopum, præpositum et magistrum militiæ Christi Rigensis ex altera, super terminis marchiæ civitatis vestræ coram venerabili fratre nostro Mutinensi episcopo, Apostolicæ Sedis legato, quæstio verteretur, vos et pars altera ipsius legati vos arbitrio commisistis, promittentes ad invicem, quod, quicquid super hoc ordinaretur ab ipso, ratum hinc inde perpetuo haberetur, prout litteræ vestræ et partis alterius sigillis munitæ testantur. Prædictus vero legatus rerum, locorum et personarum qualitatibus circumspectis et deliberatione diligenti præhabita, ordinavit, ut marchia civitatis Rigensis citra Dunam incipiat a Rumula in angulo lapideæ ripæ fluminis, ubi ripa incipit altius conscendere relicto superius prato; et de illo angulo procedatur contra stagnum Rodenpois recta linea usque ad pontem rivuli, qui Pictorga vulgariter nuncupatur; de ponte vero recta procedatur linea usque prope caput stagni ad locum, ubi dicitur Lingua, cui adjacet stagnum ab una parte, ac ab altera, quæ dicitur Kiliguis, et sic stagnum usque ad Dunemundensem terminum descendendo; inter prædictos autem fines comprehendantur prata facta vel facienda, quæ sunt inter pontem de Rodenpois et illos duos montes prope pontem, qui se mutuo respiciunt contra stagnum; quorum ulterior Naba vocatur propter rivulum Naba, qui ei noscitur adjacere, citerior vero vocatur Mons Aquilæ, pro eo quod ibi nidificare aquila consuevit. Gurgustium autem fratrum militiæ, quod est ibi, eisdem fratribus perpetuo conservetur. Ipsi vero dimittant ab una parte spatium competens propter naves, nec faciant capturam in ascensu piscium, sed tantummodo in descensu. Ultra Dunam vero a prædicto loco Rumulæ procedatur usque ad aquam, quæ dicitur Meisse, recta linea, unde ad aquam citius pervenitur, et deinde ad locum, ubi flumen Semigallorum jungitur ad Babat, et sic per medium fluminis usque ad Dunemundensium fratrum terminos procedatur. Ad hæc memoratus legatus illud de prædicta marchia, quod est inter Babat et flumen Semigallorum, et omnia gramina riparum ejusdem fluminis, quæ a venerabili fratre nostro episcopo Semigalliæ redemistis, nec non omnia gramina, quæ sunt vel possint esse in stagno Rodenpois in citeriori ripa ejus, usque ad rivulum Pictorga, et omnia gramina culta et inculta, vallis ipsius rivuli ad communes usus tantum civium, peregrinorum et mercatorum, et non episcopi, præpositi vel magistri specialiter reservavit, adjiciens, ut piscatio Rodenpois communis sit omnibus, gurgustio fratrum salvo. Tota vero alia marchia omnibus tam clericis, quam laicis in piscationibus, pascuis, lignis cædendis, argilla fodienda, lateribus et calce coquendis, fornace propter hæc habenda, et ea, quæ sunt tectis necessaria, ita tamen, quod post hæc loca hujusmodi remaneant in communi; nec non in graminibus colligendis ad herbam, et in fodiendis alveariis apum de lignis, quæ sunt in myricis, et ad omnem utilitatem aliam sit communis. Idem quoque legatus ea, quæ sunt culta in ipsa marchia sive in agris, sive in pratis seu in arboribus, nec non molendina cum rivulis, ex quibus molunt, et vetera gurgustia omnibus tam clericis, quam laicis Dunemundensibus fratribus, sicut possident, integra conservans et libera, statuit, ut nova gurgustia aut molendina

interdictos terminos sine communi consensu non fiant. Si qui vero sunt Selones, vel alii intra marchiam censum magistro reddentes ad communem utilitatem respondeant civitati, insula, quæ Osmesara dicitur, ecclesiæ Sanctæ Mariæ integre reservata. Si autem infra dictam marchiam alicui dubitatio fuerit, utrum sit locus ille cultus vel incultus, et ubi sunt arbores, utrum sint agri vel sylvæ incultæ, ac de gurgustiis, utrum sint nova vel vetera, hoc totum trium juratorum civium arbitrio terminetur, qui eligantur a prædictis episcopo, præposito et magistro. Adjecit etiam legatus prædictus, ut singulis vestris concivibus de inculta marchia liceat colere quantum volunt, ita quod octo annis integre ac libere percipiant inde fructus, et postmodum ad communem usum redeant, si possunt esse bona pascua sive prata. Quod si esse nequiverint, sed agri potius, reddant censum exinde civitati. Si vero dubitetur, utrum pascua esse possint, vel si plures forsan contenderent, in eodem colere loco volentes, prædictorum trium civium arbitrio terminetur. De supra dicta vero marchia integer mansus hospitali Sancti Spiritus, et ponterio de Rodenpois dimidius eorumdem trium civium arbitrio assignentur, qui si fuerint in præmissis quandoque discordes, duorum arbitrium observetur. Cum autem concives vestri ob prædictas causas laboraverint, ab his, quorum interfuerit, expensas recipiant moderatas. Quod enim de fornace ad opus laterum est prædictum, si de loco fuerit contentio inter plures, vel quod non videatur forsitan opportunus, sæpe dictorum trium civium sententia decidatur, prout præmissa omnia in litteris supradicti legati exinde confectis perspeximus plenius contineri.

Vestris itaque supplicationibus inclinati, quod per eumdem legatum super his rite ac provide actum est, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc. Datum Laterani, III idus decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

XXVI

Ad episcopum Cenomanensem.

15 decemb. 1226.

[Regest., lib. XI, epist. 410. Mss. La Porte du Theil.]

Abbatis et conventus Sanctæ Mariæ Blesensis tutelam ei commendat.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Cenomanensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex parte dilectorum filiorum... abbatis, et conventus ecclesiæ beatæ Mariæ Blesensis nostris est auribus intimatum, quod cum olim quidam ejusdem ecclesiæ canonici, instigante humani generis inimico, bonæ memoriæ... abbatem ejusdem loci nequiter interfici procurassent, tu ac venerabilis fratres nostri... Carnotensis et... Aurelianensis episcopi de mandato Sedis Apostolicæ super hujusmodi perpetrata nequitia veritate diligentius inquisita, et plenius intellecta, quosdam ex ipsis a suis ordinibus degradatos, aliis per sæcularem judicem interemptis, ab ipso monasterio perpetuo amovistis. Quare iidem abbas, et conventus a nobis humiliter postulabant, ut cum malefactorum ipsorum consanguinei et amici, et quamplures alii occasione hujusmodi adeo contra ipsos et eorum ecclesiam inflammati nequitiæ spiritu sint commoti, quod ipsis interemptionem personarum, et destructionem bonorum suorum publice comminentur, providere sibi, et eorum ecclesiæ super his misericorditer dignaremur. Cum igitur ex injuncto nobis Apostolatus officio teneamur ecclesias, et personas ecclesiasticas, ac bona earum, quantum cum Deo et honestate possumus, a pravorum incursibus defensare, fraternitatem tuam monendam duximus attentius, et hortandam per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus abbatem, et conventum præfatos, ac ecclesiam eorumdem habens ob reverentiam beati Petri et nostram propensius commendatos, ipsos, et bona eorum, donec ecclesia memorata sit in melius reformata, auctoritate nostra manuteneas, et defendas, non permittens eos a quoquam indebite molestari, molestatores eorum indebitos per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescendo. Datum Laterani, XIV kalendas januarii, anno undecimo.

XXVII

Ad abbatem et conventum beatæ Mariæ Blesensis, ordinis Sancti Augustini.

15 decemb. 1226.

[Gallia Christiana, VIII, instr. 429.]

Eis mandat, ne quem canonicorum illorum, qui propter mortem H. monasterii præfati quondam abbatis per Carnotensem, Cenomanensem et Aurelianensem episcopos ab ipsa ecclesia amoti sint, in eamdem de cætero admittere præsumant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui ecclesiæ beatæ Mariæ Blesensis, ordinis Sancti Augustini, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum ex injuncto nobis apostolatus officio teneamur a Dei Ecclesia, prout nobis datum fuerit, omnia scandala removere, ne contagione unius ovis morbidæ grex Dominicus contaminari valeat, sollicite præcavere debemus; hinc est quod ecclesiæ vestræ quieti, quantum cum Deo et honestate possumus, providere volentes, ne aliquis canonicorum illorum, qui pro morte bonæ memoriæ H., prædecessoris tui, fili abbas, per venerabiles fratres nostros Carnotensem, Cenomanensem et Aurelianensem episcopos, auctoritate Apostolica ab ipsa ecclesia deliberatione provida sunt amoti, in eamdem ulterius admittatis, auctoritate præsentium districtius inhibemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, XVIII kalendas januarii, pontificatus nostri anno undecimo.

XXVIII

Ad Johannem, archiepiscopum Bisuntinensem.

18 decemb. 1226.

[Gallia christiana, XV, inst. 66.]

Jubet ut congrua stipendia rectoribus vicariarum ecclesiarum assignentur.

Honorius, etc., venerabili fratri Bisuntinensi archiepiscopo, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex tua insinuatione didicimus, quod, cum in tua diœcesi sexaginta ecclesiæ parochiales et amplius habeantur, quia quidam clerici et laici decimas et alios proventus percipiunt earumdem, nulli clerici volunt in eis vicariam vel curam suscipere animarum, cum ibi non habeant unde valeant sustentari. Quare humiliter supplicasti, ut, cum eædem ecclesiæ propter servitorum defectum suo fraudentur obsequio, et earum parochiani grave patiantur dispendium in divinis, providere super hoc, præsertim cum exinde animarum pericula proveniant, dignaremur. Nos ergo providere volentes prædictis ecclesiis, et animarum periculis obviare, tibi, de cujus prudentia et discretione confidimus, præsentium auctoritate concedimus, ut, nisi prædicti clerici et laici sollicite a te moniti congruam assignaverint ad opus clericorum deservientium in eisdem ecclesiis de ipsorum proventibus portionem, tu super hoc auctoritate nostra valeas providere, contradictores, etc., etc. Datum Laterani, XV kalendas januarii, anno undecimo.

XXIX

Ad abbatem S. Genovefæ, archidiaconum Parisiensem, et Mathæum Johannis Elperini, Belvacensem canonicum.

18 decemb. 1226.

[Regest., lib. XI, epist. 413. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut, omni cessante obstaculo, Valerianum clericum judicis Morici, civis Romani, fratrem, in canonicum et fratrem a decano et capitulo Trecensi recipi faciant.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati Sanctæ Genovefæ... archidiacono Parisiensi et Mathæo Johannis Elperini, Belvacensi canonico, Parisius commoranti, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilectus filius Valerianus clericus, frater judicis Morici, civis Romani, sua nobis insinuatione monstravit quod cum venerabili fratri nostro... Trecensi episcopo super provisione sua sub certa forma preces direxerimus, et mandatum, et ipse postmodum ad præsentiam nostram veniens, expositis nobis quibusdam ecclesiæ suæ oneribus, se ab executione mandati hujusmodi excusaret, excogitata demum fuit alia providendi clerico ipsi forma, quæ in præfati episcopi litteris super hoc concessis eidem expressius

continetur, cujus provisionem, sicut est in eisdem expressa litteris, confirmavimus memorato episcopo, ne ipsi clerico tenerentur ad provisionem aliam indulgere. Cumque post hæc... decano, et capitulo Trecensi dederimus in præceptis, ut non obstante Apostolica indulgentia, quam Trecensis ecclesia de non providendo aliis dicitur obtinere, et quam volumus eis alias esse salvam, ipsum in canonicum et in fratrem reciperent, nuntio suo ejus nomine stallum in choro, et locum in capitulo assignando, vobis super hoc executoribus sibi datis, quia prædicti decanus, et capitulum in vestra præsentia exceperunt, quod cum in Trecensi ecclesia certus sit canonicorum numerus juramento firmatus, de quo non faciebant obtentæ ad vos litteræ mentionem, compelli ad ipsius receptionem clerici per easdem litteras non debebant, vos propter exceptionem hujusmodi procedere hactenus distulistis. Quare idem clericus humiliter supplicavit, ut submovere impedimentum hujusmodi dignaremur. Quocirca mandamus quatenus, non obstante dicto numero, juramento firmato, eosdem decanum, et capitulum juxta directi vobis super hoc mandati tenorem ad receptionem ejusdem clerici compellatis. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, XV kalendas januarii, anno undecimo.

XXX

Ad de Fontibus et de Rievallis abbates, Cisterciensis ordinis, Eboracensis diœcesis.

22 decemb. 1226.

[Walbran, Memorials of Fountains, 175.]

Eis mandat ut, cum secundum eorum inquisitionem nonnulla monasteria monialium Eboracensi archiepiscopo diœcesana lege subjecta exiles habeant possessiones et redditus, super hoc habito archiepiscopi memorati consilio, quod regulare honestum et salubre fuerit, statuant.

Honorius, etc... de Fontibus, et... de Rievallis abbatibus, Cisterciensis ordinis, Eboracensis diœcesis, etc.

Exponente nobis olim venerabili fratre nostro... Eboracensi archiepiscopo, quod nonnulla monasteria monialium, diœcesana sibi lege subjecta, usque adeo exiles possessiones et proventus habebant, quod moniales degentes ibidem non poterant exinde sustentari, et quia id aliter non poterat corrigi, nisi duo aut plura, juxta quod eorum qualitas exigeret, unirentur, nos ad instantiam ejusdem episcopi, a nobis super hoc provideri petentis, vobis dedimus in mandatis ut inquisita de locorum et personarum circumstantiis ac rebus aliis, quæ inquirenda existerent veritate, nos certos per vestras litteras redderitis. Vos vero, sicut ex litteris vestris accepimus, ac his sollicite inquirentes quædam invenistis ex dictis monasteriis regulari ordini satis congrua, et sufficentia competenti personarum numero, quarum multitudine sunt gravata, quædam autem onerata debitis et personis, possessiones usque adeo exiles habent et redditus, quod vix modica parte anni sustentationi sufficiunt ibidem degentium personarum. Alia vero tam ex situ loci, quam aliis omnino sunt incommoda ordini regulari, et eorum status exigit ut aliis monasteriis cum eis aliter provideri non valeat conjungantur. Petente igitur dicto archiepiscopo, ut providere super his eisdem monasteriis dignaremur, nos, de circumspectionis vestræ prudentia fiduciam plenam gerentes, per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus, solum Deum habendo præ oculis, super hoc habito archiepiscopi memorati consilio, quod regulare honestum et salubre fuerit, appellatione postposita, dummodo non oriatur in grave scandalum, statuatis. Datum Laterani, XI kalendas januarii, anno undecimo.

XXXI

Ad episcopum Nivernensem.

23 decemb. 1226.

[Regest., lib. XI, epist. 434. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem, ut, non obstante juramento ab ipso de non alienandis ecclesiæ Nivernensis feodis præstito, Petro de Barris Nivernense monasterium ordinis Cisterciensis fundare volenti, licentiam dare possit.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Nivernensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Per tuas nobis litteras intimasti, quod cum nobilis vir Petrus de Barris, Nivernensis diœcesis, in quadam possessione feudi sui, quod tenet a te, pro quo etiam tibi fecit homagium, et fidelitatis præstitit

juramentum monasterium, Cisterciensis ordinis, fundare desideret, ac dotare, tibi instanter ac humiliter supplicavit, ut ei super hoc tuum impertireris assensum, cum paratus sit sufficientes redditus conventui quadraginta monachorum in possessionibus, et aliis proventibus assignare. Tu vero, licet tam pio et favorabili desiderio libenter annueres, memor tamen proprii juramenti quod nobis de possessionibus, et feudis non alienandis Nivernensis ecclesiæ præstitisti, dubitasti, et merito, licentiam sibi concedere postulatam sine nostra licentia speciali. Verum cum plantare novam religionem, et fovere plantatam modis omnibus debeamus, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, non obstante hujusmodi juramento, prædicto nobili postulatam licentiam largiaris sine juris præjudicio alieni. Datum Laterani, X kal. januarii, anno undecimo.

XXXII

Ad episcopos Astensem et Albensem.

[Absque nota chronologica.]

[Moriondus, Mon. Aquensia, II, 422.]

Ut possint commutare pœnitentiam injunctam Willelmo, marchioni de Ceva, in annuum redditum viginti modiorum frumenti domui Casotulis assignandum.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus Astensi et Albensi episcopis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii nobiles viri Willelmus, et Manuel, et alii filii claræ memoriæ Willelmi marchionis de Ceva suis nobis litteris intimarunt, quod cum bonæ memoriæ Innocentius papa, prædecessor noster, bonæ memoriæ prædecessori episcopo Astensi per suas litteras mandavisset, ut confessione dicti marchionis diligenter audita, ei pœnitentiam injungeret salutarem, dictus episcopus eidem injunxerit, ut hospitale construeret cum capella, ubi unus sacerdos et duodecim pauperes possint omni tempore sustentari : quod, cum idem marchio facere incœpisset, morte præventus, opus non perfecit incœptum. Cum autem præfati nobiles, qui patris terram inter se ad invicem diviserunt, de opere hujusmodi consummando concordare non possent, demum saluti animæ dicti marchionis, et suarum consulere satagentes, deliberaverunt annum redditum viginti modiorum frumenti domui de Casolutis, Cisterciensis ordinis, quæ in loco arido sita hujusmodi eleemosyna indiget, in recompensationem supradicti operis assignare supplicantes, ut acceptare hujusmodi recompensationem dignaremur. Visis igitur litteris, quas vos ipsi cum nonnullis aliis nobis super hujusmodi negotio direxistis, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad locum personaliter accedatis, in quo ipsi nobiles volunt hujusmodi redditum assignare domui supradictæ, et si videritis, quod domus eadem ex ipso loco possit prædictam quantitatem frumenti percipere annuatim, et ipsi nobiles præfatum redditum ibidem voluerint eidem domui assignare, vos, postquam ipsi domui eumdem redditum assignaverint, et eidem de illo sibi perpetuis temporibus pacifice dimittendo sufficienter curaverint, per publica instrumenta, et alias idoneas cautiones, ipsos a construendi hospitale prædictum onere absolvatis, et injungatis sæpedictæ domus conventui, ut pro salute ipsius marchionis, et prædictorum filiorum ejus, insistant devotis precibus apud Deum.

XXXIII

Ad episcopum Florentinum.

23 decemb. 1226.

[Ughelli, Italia sacra, I, 249.]

Ei mandat ut injungat potestati, consiliariis et populo Florentinæ civitatis ut in kalendis februarii proximis, quas eis terminum peremptorium assignat, per procuratores idoneos, Romæ compareant propter invasionem episcopii Ildeprandini, episcopi Fesulani.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri nostro episcopo Florentino, etc.

Grave valde gerimus et indignum, quod cives Florentini venerabilem fratrem nostrum episcopum Fesulanum in episcopalis dignitatis injuriam, et Apostolicæ Sedis contemptum exulare compellunt, bonis episcopii sui et ecclesiarum ejusdem, reverentia divina, et nostra postposita, occupatis. Et quidem si amor, quem ad civitatem Florentinam habemus, motum nostri animi non cohiberet, jam fecissemus eos pœna docente, cognoscere, quantum doleamus de gravaminibus et injuriis ab eisdem ipsi epi-

scopo irrogatis. Sed nec tu in iis excusare negligentiam tuam potes, qui cives ipsos, tum pro salute animarum suarum, quarum tibi est sollicitudo commissa, tum pro compassione ipsius episcopi deberes ab injuriis hujusmodi refrenasse. Licet igitur causa hujusmodi venerabili nostro episcopo Faventino, et collegis ejus jamdudum fuerit ab Apostolica Sede commissa, quia tamen propter civium ipsorum diffugia, nondum est processus habitus in eadem, ipsam ad examen nostrum duximus revocandam; ideoque mandamus tibi, quatenus potestati, consiliariis, et populo ejusdem civitatis injungas, ut in kalendis februarii proximis, quas eis terminum peremptorium assignamus, per procuratores idoneos, et sufficientes compareant coram nobis, eidem episcopo super invasione, destructione, ac detentione bonorum episcopii sui, et ecclesiarum ejus exhibituri, quod ordo poposcerit rationis, aut composituri, si fieri poterit cum eodem, denunciando eisdem, quod nisi sufficienter ad defendendum, et ac componendum transmiserint ad terminum supradictum, nos nihilominus in negotio ipso, quantum suadebit ratio, procedemus. Quid autem super hoc feceris, nobis per litteras tuas cures fideliter intimare. Datum Laterani, X kalend. januarii, anno undecimo.

XXXIV

Ad archiepiscopum Bisuntinum.

23 decemb. 1226.

[Notices et extraits, XXI, II, 172.]

Significat se eum ad Constantinopolitanam ecclesiam providisse transferendum.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Bisuntino, salutem...

Cum nuper nobili ecclesia Constantinopolitana pastore vacante, capitulum et alii, ad quos electio pertinet, in substitutione patriarchæ futuri concordare nequivissent, aliis postulantibus venerabilem fratrem nostrum episcopum Belvacensem, aliis appellantibus contra eos, tandem utriusque partis procuratoribus in nostra præsentia constitutis, et nolentibus, vel non valentibus in unam consentire personam, postulationem non duximus admittendam. Sed nos sollicite cogitantes, qualiter tam celebri, tam insigni [ecclesiæ]... possemus de persona idonea providere, demum, post tractatus multiplices, deliberato fratrum nostrorum consilio, te ad Constantinopolitanam ecclesiam de Bisuntina providimus transferendum, non tam personæ in Ecclesia, quam Ecclesiæ in persona utiliter nos consulere arbitrantes; certa spe fiduciaque concepta, ut qui, non tam probabilibus argumentis quam experimentis infallibilibus approbatus, te dignum tantæ dignitatis apice reddidisti, ex tali translatione magnifice honoratus prædictam ecclesiam indulgentiæ tuæ studio magnifices et honores. Cum igitur urgens necessitas et evidens utilitas Constantinopolitanæ, imo universalis Ecclesiæ, nos hujusmodi tibi honoris onus imponere, ac te subire, suadeant, fraternitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, per Apostolica tibi scripta præcipiendo mandantes, et in remissionem peccaminum injungentes, quatenus prudenter attendens, quod si, secundum Apostolum, Christus pro omnibus mortuus est, superest ut qui vivunt jam non sibi vivant, sed eo qui pro nobis est mortuus et surrexit, et memor quia in magnis sunt exercendi magnanimes, ab ecclesia Bisuntina, cui allegatus es, de nostræ potestatis plenitudine absolutus, ad Sedem Apostolicam venias, ad Constantinopolitanam ecclesiam accessurus, et tuum jactans in Domino cogitatum, qui, confidentes in se nunquam confundi permittens, aspera eis convertit in plana, nullo te patiaris difficultatis obice retardari, quasi migraturus de requie ad laborem, ne, quod absit, vocationi divinæ resistere propriamque quietem utilitati publicæ præponere videaris, securus quod de Apostolicæ Sedis gratia et favore, quæ in omni opportunitate tibi adesse disponit, te in omnibus omnimodis adjutura (1). Dilectos autem filios magistros Petrum et Ivonem et Joannem, canonicos Constantinopolitanos, quos propter hoc specialiter ad præsentiam tuam mittimus, sinceritati tuæ propensius commendantes. Datum Laterani, X kal. januarii, anno undecimo.

(1) Ce membre de phrase parait corrompu. Il faut sans doute retrancher « quod » après « securus ». [Notices et extraits.]

XXXV

Ad rectores societatis Lombardiæ, Marchiæ ac Romaniolæ.

5 januarii 1227.

[Huillard-Bréholles, Hist. diplom., II, 703.]

Eis mittit compromissi formam, quod ipsi et Romanorum imperator in providentia sua et fratrum suorum posuerunt.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, rectoribus societatis Lombardiæ, Marchiæ ac Romaniolæ, etc.

Ejus locum, licet immeriti, obtinentes in terris, qui pax nostra fecit utraque unum, duos parietes venientes e diverso conjungens in seipso lapide angulari, nascentibus debemus obviare discordiis, et intendere sollicite ac diligenter ad ea, quæ sunt concordiæ, unitatis et pacis. Cum ergo nuper inter carissimum in Christo filium nostrum Fridericum Romanorum imperatorem, semper augustum et regem Siciliæ, atque vos discordia orta esset; nos attendentes, quod res, nisi obsisteretur principiis, videbatur altius progressura, et præter difficultates alias allatura impedimentum negotio Terræ Sanctæ, pro quo est tanto tempore laboratum, dignum duximus interponere partes nostras, et igne hujusmodi, antequam vires assumpsisset, extincto, gravibus obviare periculis, quæ quidem ex hoc, nisi tempestive occurreretur, poterant evenire. Ipso igitur imperatore ac vobis totum ipsum negotium in nostra, et fratrum nostrorum providentia et dispositione, libere ac absolute ponentibus, idque declarantibus per litteras, et publica instrumenta, nec nón per solemnes procuratores et nuntios, propter hoc ab utraque parte ad nostram præsentiam destinatos, cum inter cætera fuisset ex parte ipsius imperatoris propositum, quod impediente societate vestra, nequiverat juxta propositum suum procedere contra pravitatem hæreticam, quæ partes illas dicitur graviter infecisse, ac relevare libertatem ecclesiasticam, quæ ibidem multipliciter asserebatur oppressa, nec procurare subsidium Terræ Sanctæ, propter quod specialiter ad partes ipsas duxerat accedendum, quodque captivi sibi contra jus et honorem imperii fuerant denegati.

Nos his et aliis quæ fuerunt hinc inde proposita, plenius intellectis, de providentia sic duximus statuendum, ut videlicet ipse imperator pro reverentia Jesu Christi, et negotio Terræ Sanctæ suo, et filii sui, ac imperii nomine iis, qui sunt de societate jamdicta, universaliter singulis et singulariter universis remittat omnem rancorem, malevolentiam, injurias et offensas; omnia quoque banna, constitutiones, sententias et ordinamenta, quæ fecit, vel imposuit per se, vel per alium, aliusve pro eo societati vel alicui de societate prædicta, civitatibus, locis et personis de ipsa societate, et quæcumque ex eis, vel ob ea secuta sunt, penitus revocet et specialiter constitutionem factam de studio, et studentibus Bononiæ, universos et singulos, qui occasione alicujus prædictorum læsi videntur, restituens in integrum in omnibus, et per omnia suo statui atque famæ, remittendo infamiam omnem, et pœnam, quæ secutæ sunt ex aliqua prædictorum, ita quod ea quæ medio tempore per eos acta sunt, non obstantibus supradictis, robur obtineant, quod alias debuerant obtinere. Ad hæc civitates, loca et personas de ipsa societate recipiat in suæ gratiæ plenitudinem et eis faciat firmam pacem, specialiter marchioni Montisferrati, Mediolano, Placentiæ, Vercellis, Bononiæ, Faventiæ, Alexandriæ, Taurino, Laudæ, Bergamo, Brixiæ, Mantuæ, Veronæ, Paduæ, Vicentiæ, Tervisio, Cremæ, Ferrariæ et comitibus de Blandrato, aliisque locis, et personis quibuslibet societatis ejusdem. Faciat etiam restitui captivos, qui sunt capti occasione hujus discordiæ, cum bonis eorum, ac alia, quæ occasione ipsius discordiæ capta sunt vel detenta. Insuper quoque faciat fieri patentes litteras ex parte filii sui, quod pacem et concordiam istam ratam habebit et firmam, et remittet illis de societate omnem rancorem, malevolentiam, injurias et offensas.

Hi vero qui sunt de societate jamdicta, ad honorem Dei omnipotentis, et Ecclesiæ sanctæ suæ ac ipsius imperatoris, dent eidem imperatori pro sudsidio Terræ Sanctæ in expensis ejusdem societatis per biennium milites quadringentos, a civitatibus, locis et personis imperiali excellentiæ adhærentibus, tam ecclesiasticis quam mundanis, faciant pacem et inviolabiliter servent, remittentes eis omnem rancorem, malevolentiam, injurias et offensas, ac revocent omnia banna, constitutiones, sententias et ordina-

menta, quæ fecerunt vel imposuerunt civitatibus, locis et personis imperiali celsitudini adhærentibus, et quæcumque ex eis secuta sunt vel ob ea. Captivos, qui occasione hujus discordiæ capti sunt cum bonis eorum, et alia quæ occasione ipsius discordiæ capta sunt vel detenta, restituant, ita quod adhærentes ipsi imperatori similiter eis faciant, et observent. Alii autem captivi secundum jus imperii restituantur, cum ipse imperator legatum suum in Lombardiam pro pace reformanda inter discordes duxerit destinandum. Constitutiones vero, leges et statuta, ab Ecclesia Romana et Romanis imperatoribus, et specialiter ab ipso imperatore contra hæreticos, receptatores, defensores, credentes et fautores eorum hactenus promulgata, vel in posterum promulganda recipiant, et observent inviolabiliter et efficaciter exsequantur; constitutionibus municipalibus editis contra tales nihilominus in suis locis firmiter observandis. Potestates autem, consules et rectores civitatum, aliorumque locorum, quocumque nomine censeantur, jurent quod illas fideliter observabunt, idque suos jurare faciant successores, ponentes eas in statutis civitatum, aliorumque locorum, illas inde nequaquam in posterum deleturi. Statuta omnia communia et particularia facta contra ecclesias et ecclesiasticam libertatem penitus revocent, de suis constitutionibus deleant, et ea, vel eis similia de cætero non resumant. Lateranensis quoque statuta Concilii, et constitutiones a nobis, et leges ab ipso imperatore super his editas observent, et jurent in posterum observare, suosque jurare faciant successores. Porro prædictos quadringentos milites in eundo, morando, redeundo sub nostra et speciali Sedis Apostolicæ protectione suscipimus cum omnibus bonis suis. Iidemque teneantur ire in ipsius imperatoris passagio, quod ab eo statutum est, et a Romana Ecclesia approbatum. Ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus supradicta omnia pro parte vestra inconcussa servetis, ac super hoc nobis et imperatori juxta tenorem, quem vobis transmittimus, vestras patentes litteras usque ad proximam Dominicam instantis Quadragesimæ transmittatis, per manum publicam scriptas et vestri ac præfati marchionis, et quarumlibet civitatum de ipsa societate sigillorum appensione munitas. Datum Laterani, nonas januarii, pontificatus nostri anno undecimo.

XXXVI

Ad abbatem et conventum Sanctæ Mariæ Montis Mirteti.

5 januarii 1227.

[Spicilegium Liberianum, 717, n. 6.]

Confirmat pactum quo illi Hugolino, Ostiensi et Velletrensi episcopo, et clericis Nymphæ quasdam possessiones contulerant, de quibus in futurum perciperent decimas.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Sanctæ Mariæ Montis Mirteti, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ex insinuatione quidem vestra nobis innotuit, quod cum venerabilis frater noster Hugolinus, Ostiensis et Velletrensis episcopus, et clerici Nymphæ instanter decimas a vobis exigerent de possessionibus acquisitis post Concilium generale, quarum sibi deberi decimas asserebant, vos eis quasdam possessiones contulistis et assignastis, de quibus in futurum perciperent decimas supra dictas, quod ipsi acceptaverunt gratanter, subtractas præteriti temporis decimas vobis liberaliter remittentes. Nos igitur quod super hoc pie ac provide factum est ratum habentes, id auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, VI idus januarii, pontificatus nostri anno undecimo.

XXXVII

Ad abbatem et conventum Sanctæ Crucis, Pataviensis diœcesis.

9 januarii 1227.

[Weis, Urk. des Cisterc., I, 65.]

Eis jus patronatus ecclesiæ de Sulz inferiori a Leopoldo, duce Austriæ, monasterio eorum collatum Apostolica auctoritate confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Sanctæ Crucis Pataviensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, jus patronatus ecclesiæ de Sulz inferiori a dilecto filio viro L., duce Austriæ, de consensu diœcesani loci et sui capituli monasterio vestro pia liberalitate collatum, sicut illud juste, canonice ac pacifice obtinetis, et in ipsius diœcesani litteris dicitur contineri, vobis et per vos ipsi monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, V idus januarii, pontificatus nostri anno undecimo.

XXXVIII

Ad præpositum majoris ecclesiæ et decanos ejusdem ecclesiæ et S. Stephani Maguntinos.

11 januarii 1227.

[Huillard-Bréholles, Hist. diplom., II, 903.]

Eis mandat se providisse Engelberto, Osemburgensi electo.

Honorius, etc., dilectis filiis... præposito majoris ecclesiæ et..... ejusdem ecclesiæ et... Sancti Stephani decanis Maguntinis, salutem, etc.

Quia indignum erat ut dilectus filius C. Osemburgensis electus ecclesiastica provisione careret, qui ab administratione fuerat ecclesiæ Osemburgensis amotus, et aliqua ad sustentationem suam beneficia non habebat, cum diu in multa humilitate apud Sedem Apostolicam nostram implorando gratiam exspectarit, nos, de fratrum nostrorum consilio, duximus providendum, ut per quosdam ecclesiarum prælatos ac successores eorum necnon capitula provideatur eidem, nostris sibi dantes litteris in mandatis, ut venerabiles fratres nostri, Osemburgensis episcopus in centum marcis puri argenti, Trajectensis in viginti quinque, Monasteriensis vero in viginti, et Herveldensis, Werdensis et Corbeiensis abbates in triginta, ita quod quilibet eorum in decem, provideant annuatim, medietate in festo Sanctæ Walburgis, reliqua vero in festo Sancti Martini, annis singulis ab eis ac eorum successoribus ei vel procuratori ejus quoad vixerit exhibenda, juxta nostrarum continentiam litterarum; capitula vero majoris et Sancti Joannis Osemburgensis, Monasteriensis et Werdensis ecclesiarum, cum recipiunt in canonicum et in fratrem, assignent sibi præbendas, si vacant ad præsens, vel quum primum in ecclesiis vacaverint eisdem, et annuatim donec vacaverint de communi et sive præsens sive absens fuerit, quantum residens de præbenda sua perceperit, provisuri et exhibituri terminis supradictis. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus præfatos episcopos et abbates ac successores eorum, necnon capitula supradicta ad hæc, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, compellatis; constitutione de duabus diætis in generali Concilio edita non obstante. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, III idus januarii, pontificatus nostri anno undecimo.

XXXIX

Ad Ugrinum archiepiscopum et capitulum Colocenses.

11 januarii 1227.

[Fejer, Cod. diplom. Hung., III, II. 100.]

Ecclesiam Colocensem in dominio castri de Posega confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... archiepiscopo, et dilectis filiis capitulo Colocensi, salutem, etc.

Quanto propensius ecclesiarum desideramus augmentum, et hæreticorum exterminium studiosius procuramus, tanto ea, quæ nostro convenientia desiderio rite fiunt, libentius acceptantes, his robur perpetuæ firmitatis adjicimus, maxime requisiti. Eapropter, vestris supplicationibus grato concurrentes assensu, castrum de Posega cum pertinentiis suis, quod tu, frater archiepiscope, ad opus ecclesiæ Colocensis, specialiter pro hæreticis de finibus illis penitus profligandis, carissimis in Christo filiis, rege Hungariæ, et B. ejus primogenito consentientibus, sicut apparet ex litteris eorumdem, pro certa summa pecuniæ, dato etiam prædio de Erdesumulua, quod ad te jure spectabat hæreditario, comparasti; sicut illud juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos ecclesiæ Colocensi auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, III idus januarii, pontificatus nostri anno undecimo.

XL

Ad archiepiscopos et episcopos, comites et barones per Hungariam constitutos.

11 januarii 1227.

[Theiner, Mon. Hibernorum, I, 71, n. 147.]

Regi, prælatis, comitibus et baronibus Hungariæ, ut una cum imperatore Romanorum ad Terram Sanctam liberandam transfretent.

Honorius episcopus, etc., venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis nobilibus viris comitibus et baronibus per Hungariam constitutis, salutem, etc.

Pridem vobis significasse recolimus, quod carissimo in Christo filio nostro F. illustri Romanorum imperatore semper augusto et rege Siciliæ, se, sicut nobis per suas litteras et nuntios intimaverat, magnifice præparante ad Terram, in qua Deus noster et Dominus Jesus Christus generis humani salutem misericorditer operari dignatus est, de infidelium manibus liberandam, nos dilectum filium magistrum domus Sanctæ Mariæ Theutonicorum pro ipsius Terræ procurando succursu, ad partes Theutoniæ festinantem duxeramus aliquanto tempore retinendum, eo quod ejus industria tum pro aliis magnis arduisque negotiis, tum specialiter ad sedandam quamdam discordiam inter ipsum imperatorem et Lombardos exortam, nobis erat plurimum opportuna. Cum igitur super ipsa discordia per studium nostrum, actore pacis Deo cooperante, salubriter sit provisum, et ipse imperator ad transfretandum illuc in instanti augusto magnifice, prout imperialem decet excellentiam, se accingat, multitudinem navium et alia, quæ tanto negotio congruunt, studiosissime præparando, sicut eo nobis per solemnes nuntios et litteras intimante lætantes audivimus, et ipsa rei evidentia, prout ab his qui viderunt, asseritur, clarius manifestat; sperantes itaque, quod Deus exsurgens judicare disposuit causam suam, et Jerusalem sicut diebus pristinis instaurare, universitatem vestram rogamus, monemus et obsecramus in Domino Jesu Christo, ac per Apostolica vobis scripta mandamus, et in remissionem injungimus peccatorum, quatenus zelo fidei ac devotionis accensi pro Jesu Christi Redemptoris nostri amore pariter et timore, necnon pro honore imperialis celsitudinis et imperii, ita vos ad ipsius Terræ Sanctæ subsidium præparetis, quod illi, qui jam crucis susceperunt signaculum, et alii, quibus id divina gratia inspirabit, in instanti augusto, quo generale passagium est indictum, una cum ipso imperatore, Deo duce, valeant transfretare ad laudem, honorem et gloriam nominis christiani et suarum remedium animarum. Dictum autem magistrum, qui huic negotio totaliter se impendit, et tandem ad vos propter hoc, omissis aliis negotiis et impedimentis exsuperatis, accedit, universitati vestræ studiosissime commendamus, cujus prudentiam et circa ipsum negotium Terræ Sanctæ vobis exponere seu commendare superfluum reputavimus, cum laudabilia facta ejus ipsum abunde notificent et commendent. Datum Laterani, III idus januarii, anno undecimo.

In eumdem modum A. illustri regi Hungariæ *usque* instaurare; te qui ab olim suscepto crucis signaculo illi militare novisti, qui pro te in crucis patibulo militavit, rogamus, monemus et hortamur attente, ac per aspersionem sanguinis Jesu Christi nihilominus exhortantes, quatenus taliter præparare te studeas, quod in instanti au-

gusto, quo generale passagium est indictum, valeas, Deo duce, feliciter transfretare, recepturus ex hoc gratiam in præsenti et gloriam in futuro. Dictum autem magistrum, etc., *usque* in finem, verbis competenter mutatis.

In eumdem modum lantgravio Thuringiæ.

XLI

Ad archiepiscopum Colocensem.

11 januarii 1227.

[Theiner, Mon. Hung., I, 70, n. 146.]

Archiepiscopo Colocensi, ut verbum crucis in provincia sua prædicare faciat ac crucesignatos mense augusto transfretandos foveat.

Honorius episcopus, etc., venerabili fratri... archiepiscopo Colocensi, salutem, etc.

Benedictus Deus, qui ex his, quæ mala videntur, frequenter bona dignatur elicere, et quæ timentur cedere ad dispendium, ad compendium revocare. Cum igitur super discordia, quæ inter carissimum filium nostrum F. Romanorum imperatorem illustrem semper augustum et regem Siciliæ, et Lombardos exorta fuerat, per studium nostrum, actore pacis Deo cooperante, salubriter sit provisum, et idem imperator ad transfretandum in instanti augusto magnifice, prout imperialem decet excellentiam, se accingat, multitudinem navium et alia, quæ tanto negotio congruunt, studiosissime præparando, sicut eo nobis per solemnes nuntios et litteras intimante lætantes audivimus, et ipsa rei evidentia, prout ab his qui viderunt, asseritur, clarius manifestat. Sperantes, quod Deus exsurgens judicare disposuit causam suam, et Jerusalem sicut diebus pristinis instaurare, mandatum, quod de prædicanda cruce dudum a Sede Apostolica accepisti, duximus innovandum, fraternitatem tuam sollicitantes et hortantes attente, ac per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus injunctæ tibi prædicationis officium exerceas studiose, magnos et parvos secundum datam tibi a Deo prudentiam sedulis exhortationibus inducendo, ut in instanti augusto, quo generale passagium est indictum, impendant suum dictæ Terræ Sanctæ subsidium modis omnibus, quibus possunt. Crucesignatos autem, ut occasione cessante in ipso passagio transeant, efficaciter moneas, et si necesse fuerit per censuram ecclesiasticam, nisi quos evidens necessitas excusaverit, sublato appellationis impedimento, compellas. Datum Laterani, III idus januarii, anno undecimo.

In eumdem modum archiepiscopo Strigoniensi, episcopo Geuriensi et episcopo Hildesemensi, etc., etc.

XLII

Ad episcopum Wintonensem.

13 januarii 1227.

[Wilkins, Concil., I, 559.]

Idem argumentum quod superioris epistolæ.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Wintonensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Benedictus Deus, *ut in littera præcedenti usque* in finem.

Datum Laterani, idus januarii, pontificatus nostri anno undecimo.

XLIII

Ad archiepiscopum Bremensem et abbatem Stadensem.

13 januarii 1227.

[Huillard-Bréholles, Hist. dipl., II, 707.]

Eis notificat se Fridericum Romanorum imperatorem et regem Siciliæ et ejus filii personam cum imperio, regno, juribus et honoribus suis sub beati Petri protectionem suscipere.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Bremensi et dilecto filio abbati Stadensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sincera devotio quam carissimus in Christo filius noster Fridericus, illustris Romanorum imperator, semper augustus et rex Siciliæ, ad Deum et Ecclesiam habere dignoscitur, nos inducit, ut ad ejus tranquillitatem et pacem diligenti studio et studiosa diligentia intendamus. Cum igitur idem zelo fidei ac devotionis accensus ad liberationem terræ in qua Rex regum et Dominus dominantium Jesus Christus generis humani salutem dignatus est misericorditer operari, potenter, sicut imperialem decet magnificentiam, se accingat, nos ut tam pium et salubre propositum melius valeat adimplere, suam et filii sui personas cum im-

perio, regno, juribus et honoribus suis sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, districtius inhibentes ne quis interim ea invadere, minuere vel modo quolibet perturbare præsumat, sed usque ad reditum ejus sub speciali Apostolicæ Sedis et archiepiscoporum et episcoporum defensione libera et quieta consistant. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, si qui contra prohibitionem nostram ausu temerario venientes, ipsius imperatoris honores et jura, quæ infra fines tuæ metropolis, frater archiepiscope, obtinet, invadere vel minuere seu quomodolibet præsumpserit indebite perturbare, hujusmodi præsumptores, undecumque fuerint, ut a sua præsumptione desistant et de præsumptis debitam satisfactionem impendant, monitione præmissa, per excommunicationem in personas et interdictum in eorum terras, appellatione remota, cogatis, quotiens fueritis requisiti. Quod si non ambo his exsequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, idibus januarii, pontificatus nostri anno undecimo.

XLIV

Ad Johannem natum Margaritæ, quondam Constantinopolitanæ imperatricis.

15 januarii 1227.

[Fejer, Cod. diplom., III, II, 101.]

Eum ad expeditionem contra Paterenos, sub comminatione excommunicationis, compellit.

Honorius, etc., dilecto filio nobili viro Johanni, nato nobilis mulieris Margaritæ, quondam imperatricis Constantinopolitanæ, salutem, etc.

Significavit nobis venerabilis frater noster, archiepiscopus Colocensis, quod tu CC marcis receptis ab eo, crucis te signaculo insignisti contra hæreticos de Bosnia pugnaturus. Sed nequaquam attendens, quod fallit, — qui Deum credit, — qui secundum Apostolum minime irridetur, sed derisores ipse deridet, contra dictos hæreticos hactenus non curasti procedere, ab eodem archiepiscopo pluries requisitus; qui, si propter hoc nihil recepisses, deberes nihilominus ex animo persequi perfidos, ut fidei tuæ probatio clarius eluceret. Quia vero displicet Deo promissio infidelis, nec præsumitur fidem hominibus servaturus, qui verax ipsi non potest existere veritati; nobilitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, per Apostolica scripta mandantes, quatenus promissionem tuam fideliter prosequens, contra memoratos hæreticos una cum prædicto archiepiscopo procedas viriliter et potenter; acturus ita ex animo causam Christi, quod gratiam in præsenti, et in futuro gloriam merearis. Alioquin ne tibi contra salutem tuam noxie deferamus, dilectis filiis præposito et magistro Ypolito canonico Albensibus, Vesprimiensis diœcesis, nostris damus litteris in mandatis, ut te ad complendum promissum, quod sine gravi peccato non servare non potes, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cognita veritate compellant. Datum Laterani, XVIII kalendas februarii, pontificatus nostri anno undecimo.

XLV

Ad Theutonicos cives de Visbu.

17 januarii 1227.

[Turgenevius, Mon. Russiæ, I, 20, n. 20.]

In Sedis Apostolicæ tutelam recipiuntur, eo quod neophytos Estoniæ defendunt.

Honorius episcopus, servus servorum Dei... Theutonicis civibus de Visbu inhabitatoribus Golandiæ, etc.

Etsi cunctos Christi fideles Apostolica Sedes tanquam pia mater gerat in visceribus caritatis, eos tamen, quos in fide stabiles, et in opere conspicit efficaces, speciali dilectionis affectu complectens, tanto ipsorum votis favet favorabilius, quanto iidem ejus gratiam quasi propriis meritis sibi videntur justius vendicare. Cum igitur, sicut accepimus, zelo fidei Christianæ succensi noviter conversos ad fidem in partibus Livoniæ, et Estoniæ a persecutoribus sollicite defendatis, tam paganis, quam Rutenis viriliter obsistendo, nos, vestris supplicationibus annuentes, vos, civitatem, et portum vestrum sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus, expressius inhibentes ne quis, pro eo quod ad Osilianorum, et aliarum gentium conversionem intenditis, vobis molestiam inferat, vel gravamen. Nulli ergo, etc., nostræ protectionis, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XVI kalendas februarii, anno undecimo.

XLVI

Ad episcopum Esculanum.

17 januarii 1227.

[Theiner, Cod. dipl. dominii temp., I, 82, n. 137.]

Episcopo Esculano, ne extraneum ad potestariam vel rectoriam civitatis eligi permittat, ac Bertholdum potestatem Esculanum eam ob causam destituat.

Honorius episcopus, etc., venerabili fratri episcopo Esculano, salutem, etc.

Jamdudum Ecclesia Romana provide statuit et præcepit inviolabiliter observari, ut nullus omnino extraneus absque Apostolicæ Sedis speciali licentia reciperetur in aliqua civitate seu loco ecclesiæ ad potestariam, sive aliam rectoriam, quocumque nomine censeretur, eo quod nonnunquam extiterint officium potestatis adepti minus recte sententiis de fide, vel alias Ecclesiæ devoti, eos, quibus præerant, multipliciter depravantes, ipsos ab Ecclesiæ devotione avertere satagebant, et sic filii nonnunquam degenerantes improvide in privignos piæ matris dulcedinem amaricare damnabiliter nitebantur. Verum cum dilecti filii populus Esculanus, prædicto statuto contempto, nobilem virum Bertholdum in potestatem assumere attentarent, nos indigne ferentes ita contemptibiliter Ecclesiæ temerari statutum, in eumdem nobilem, electores, officiales, consiliarios ejus, et quosdam alios cives Esculanos propriis nominibus designatos excommunicationis sententiam fecimus promulgari, et demum promulgavimus per nos ipsos. At ipse nobilis ad Sedem Apostolicam nuper veniens absolutionis beneficium flagitavit, paratus super hoc nostris obedire mandatis : unde cum mater Ecclesia redeuntibus ad se claudere non debeat viscera pietatis, nos, recepto ab eo corporaliter juramento, quod mandatis nostris præcise pareret, et facientes juxta formam Ecclesiæ beneficium absolutionis impendi, eidem injunximus, ut potestariam civitatis Esculanæ omnino dimittens, salarium, quod vel idem vel alius nomine suo recepit ex ipsa, restituat personæ vel loco, cui duximus providendum, et quod de cætero nullam in terra Ecclesiæ potestariam vel rectoriam recipiat sine licentia Sedis Apostolicæ speciali. Sententias quoque ab eisdem nobili, vicario, officialibus et consiliariis ejus prolatas penitus irritantes, quæcumque in eadem civitate statuisse noscuntur, decrevimus nullius esse momenti, tanquam ab eis, qui nullam supra his potestatem habuere, præsumpta. Ideoque fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus præmissa solemniter publices et facias ab omnibus firmiter observari. Datum Laterani, XVI kalendas februarii, pontificatus nostri anno undecimo.

XLVII

Ad universos reges Russiæ.

17 januarii 1227.

[Turgenevius, Russiæ Monimenta, I, 20, n. 21.]

Eis paratis ad abjurandum errores, de legato Apostolico mittendo, et de pace cum Christianis Livoniæ et Estoniæ servanda scribitur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, universis regibus Russiæ, salutem et omnis gratiæ fructum.

Gaudemus in Domino, quod sicut audivimus, nuntii vestri ad venerabilem fratrem nostrum, Mutinensem episcopum, Apostolicæ Sedis legatum, a latere nostro, transmissi, eum humiliter rogaverunt, ut partes vestras personaliter visitaret, quia cupientes sana doctrina salubriter instrui, parati estis omnes errores penitus abnegare, quos propter defectum prædicatorum, sicut dicitur, incurristis, et pro quibus iratus contra vos Dominus, permisit vos hactenus multipliciter tribulari, tribulandos acrius, nisi de invio erroris ad viam properaveritis veritatis, cum quanto diutius duraveritis in errore, tanto timere possitis angustias duriores, quia etsi non irascatur per singulos dies Dominus, in eos tamen qui converti contemnunt, suæ tandem vibrat gladium ultionis. Per vos itaque certificare volentes, an velitis habere ab Ecclesia Romana legatum, ut ejus salutaribus monitis informati, catholicæ fidei, sine qua nemo salvatur, amplectamini veritatem, universitatem vestram rogamus, monemus, et hortamur attente, quatenus super hoc voluntatem vestram nobis per litteras, et fideles nuntios intimetis. Interim autem pacem cum Christianis de Livonia, et Estonia firmam habentes, non impediatis profectum fidei Christianæ, ne divinam et Apostolicæ Sedis

incurratis offensam, quæ facile de vobis potest, quando vult, sumere ultionem, sed potius, Domino largiente, per veram obedientiam et gratæ devotionis obsequia utriusque mereamini gratiam et favorem. Datum Laterani, XVI kal. februarii, anno undecimo.

XLVIII

Ad potestatem et populum Urbevetanos.

18 januarii 1227.

[Theiner, Cod. dipl. dom. temp., I, 82, n. 138.]

Urbevetanis aliisque fidelibus in patrimonio B. Petri per Tusciam constitutis, ut Joanni regi Hierosolymitano rectori Tusciæ obediant.

Honorius episcopus, etc., dilectis filiis potestati et populo Urbevetanis, salutem, etc.

Volentes carissimi in Christo filii nostri Joannis Hierosolymitani regis illustris honorare personam, et similiter vobis et aliis fidelibus nostris in patrimonio Ecclesiæ per Tusciam constitutis per honorem ipsi regi exhibitum providere, magnam partem ejusdem patrimonii, sicut nostræ litteræ generales vos plenius edocebunt, ejus curæ ac regimini, quamdiu Ecclesiæ Romanæ placuerit, duximus committendam. Quia ergo specialem de vobis fiduciam obtinemus, speciales super hoc vobis litteras destinavimus, universitatem vestram monentes et hortantes attente, ac per Apostolica vobis scripta firmiter præcipiendo mandantes, quod secundum vestræ potentiæ magnitudinem ipsi regi magnifice obsequi studeatis, ut vestro fultus obsequio possit juxta intentionem nostram sedare discordias, reformare pacem, custodire stratas, et alia, quæ ad honorem Apostolicæ Sedis, et tranquillitatem et statum terræ sibi commissæ pertinent, efficaciter exercere, nosque quem honorem dicto regi exhibitum exhiberi reputabimus nobis ipsis, devotionem vestram et fidem commendare merito debeamus. Datum Laterani, V kal. februarii, pontificatus nostri anno undecimo.

In eumdem modum scriptum est potestatibus et populis Vetrallensibus, Tudertinis, Balneoregensibus, Tuscanensibus, Aureliensibus, Cornetanis, Viterbiensibus, Ortanensibus, Nepesinis, Sutrinis, civitatis Castellanæ et populo Perusino.

XLIX

Ad priorem et abbatem de Los, ordinis Cisterciensis.

18 januarii 1227.

[Miræi, Opera diplomat. et hist., II, 851.]

Pontifex tranquillitati ac quieti monachorum Laudensium, ordinis Cisterciensis, apud Insulas consulit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et priori de Los, Cisterciensis ordinis, Tornacensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum sæpe contingat propter causarum cognitiones, quæ vobis frequenter a Sede Apostolica committuntur, in vobis sanctæ contemplationis otium impediri, et monasterium vestrum non modicam inde læsionem incurrat, nos vestris inclinati precibus et quieti vestræ providere misericorditer, et indemnitati ejusdem monasterii super hoc præcavere volentes, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ne de causis aliquibus auctoritate Apostolica in posterum cognoscere inviti, nisi obtinendæ ad vos litteræ plenam de hac indulgentia fecerint mentionem, salvis tamen commissionibus ad vos hactenus impetratis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, XV kal. februarii, pontificatus nostri anno undecimo.

L

Ad episcopum Metensem.

18 januarii 1226.

[Regest., lib. XI, epist. 486. Mss. La Porte du Theil.]

Præcipit ei ut pecuniam quam a Juvenali, filio quondam Mandicti nobilis civis Romani mutuaverat, solvat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... episcopo Metensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilectus filius Juvenalis, filius quondam Mandicti, nobilis civis Romani, in nostra proposuit præsentia constitutus, quod cum ipse quamdam tibi mutuaverit pecuniæ

quantitatem, certis sibi loco et termino persolvendam, sicut in litteris confectis exinde dicitur contineri, tu, licet solutionis terminus sit elapsus, de pecunia ipsa sibi satisfacere non curasti, propter quod damna gravia et expensas se queritur incurrisse. Quia vero prædicto nobili nequimus, nec volumus, suo jure deesse, qui sumus omnibus in justitia debitores, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ei de prædicta pecunia sine difficultate qualibet satisfacias, ut teneris. Alioquin usque ad festum Pentecostes primo venturum per idoneum responsalem nostro te conspectui repræsentes facturus eidem justitiæ complementum, sciens nos dilectis filiis... decano et... archidiacono Catalaunensi dedisse nostris litteris in mandatis, ut te ad alterum prædictorum, si necesse fuerit, auctoritate nostra compellant. Datum Laterani, XV kalendas februarii, anno undecimo.

Scriptum est illis.

LI

Ad episcopum, decanum et cantorem Zamorenses.

18 januarii 1226.

[Raynald, Annal. ad ann. 1227, § 10.]

Eis scribit de excessibus regis Lusitaniæ, qui ecclesiæ Portugalensis jura invadebat, recenset alia ejusdem regis graviora facinora, quibus ecclesiasticam libertatem labefactabat, eisque mandat, ut regem censuris, si emendare commissa detractavit, devinciant.

« Carissimus in Christo filius noster illustris rex Portugaliæ scire debet, quod quanto Rex regum, et Dominus dominantium Deus majora sibi contulisse dignoscitur, tanto majorem ab eo devotionem exposcit, et tanto contra eum, quando ipsum offendit, amplius indignatur. Hoc autem dignum et justum esse rex ipse fatebitur, si æqua lance librare voluerit veritatem, et in semetipsum curaverit reflectere oculos suæ mentis. Si enim ab aliquo per ipsum amplis honoribus sublimato se contemni, atque offendi conspiceret, non indignaretur eo vehementius contra eum, quo ei ampliora beneficia contulisset ? O quanta contra eum indignatione fervesceret ! O quomodo totus esset in imagine pœnæ, quam anxie, quam ardenter de vindicanda ea injuria cogitaret ? Quare ergo non veretur illum offendere Dominum, a quo sublimatus est regia dignitate, a quo habet non solum omnia bona sua, sed etiam semetipsum ? Quare non metuit illius contra se provocare potentiam, qui habet in suis manibus, non solum regnum, sed etiam statum suum, qui potest et animam suam, et corpus mittere in gehennam ? Profecto si eum digne metueret, non offenderet ecclesias et ecclesiasticos viros, sed ejus intuitu ab eorum offensa semetipsum et suos cautius cohiberet. »

Et infra :

« Ad hæc cum disponendi de rebus ecclesiasticis laicis nulla sit attributa potestas, ipse de ecclesiis ad dispositionem ipsius episcopi pertinentibus pro sua voluntate disponit; et cum prædecessorum suorum temporibus archipresbyteri ad vacantes ecclesias accedere consueverint, et facto inventario, illas, donec de rectoribus esset provisum, eisdem viris ecclesiasticis commendare, rex ipse id fieri non permitit; sed statim illis vacantibus, irrequisito ipso episcopo ejusque vicariis, per nuntios suos res occupat earumdem, et eas facit per laicos custodiri, et jus patronatus in aliquibus earum sibi contra justitiam vindicare contendens, ad eas, cum vacant, personas inutiles, interdum extraneas et ignotas, interdum de sua familia ipsi episc. repræsentat, quæ nec volunt in eisdem residentiam facere, nec ad presbyteratus curant ordinem promoveri, etc. »

Recenset alia graviora regis facinora, quibus ecclesiasticam libertatem labefactabat atque episcopo partes demandat, ut regem censuris, si emendare commissa detrectarit, devinciat.

« Datum Laterani, XV kal. febr., anno undecimo. »

LII

Ad episcopum Tullensem.

25 januarii 1227.

[Regest., lib. XI, epist. 559. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem specialem sacerdotes et clericos, qui patribus suis in beneficiis successerant, amovendi.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Tullensi, salutem, etc.

Ex tua insinuatione didicimus, quod non-

nulli presbyteri et clerici tuæ diœcesis in ecclesiis, et aliis ecclesiasticis beneficiis immediate patribus successerunt contra canonicas sanctiones, et plures alii sacerdotes et clerici ejusdem diœcesis, tua inhibitione contempta, publice tenent in propriis domibus concubinas. Unde nobis humiliter supplicasti, ut licet procedere contra prædictos ex officio tuo possis, quia tamen plus timeri solet, quod specialiter indulgetur, quam quod edicto concluditur generali, favorem tibi contra eos dignaremur Apostolicum impertiri. Nos ergo tuis precibus inclinati, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut memoratis presbyteris, et clericis a beneficiis, in quibus patribus immediate successerunt amotis, et concubinarios, appellatione remota, libere valeas officii tui debitum exercere, contradictores, etc. Datum Laterani, XV kalendas martii, anno undecimo.

LIII

Ad scholasticum S. Pauli Treverensis, et Hugonem Burgiensem, et magistrum Goyn, canonicum Remensem.

26 januarii 1227.

[Regest., lib XI, epist. 510. Mss. La Porte du Theil.]

Causam de præpositura ecclesiæ Sanctæ Mariæ Virdunensis ipsis committit.

Honorius, etc., dilectis filiis... scholastico S. Pauli Treverensis, et Hugoni Burgiensi et magistro G. Goyn canonico Remensi, salutem, etc.

Ex parte dilecti filii G. de Tirangulo electi in præpositum et capituli Sanctæ Mariæ Magdalenæ Virdunensis fuit propositum coram nobis, quod venerabilis frater noster archiepiscopus Treverensis asserens nos sibi litteris Apostolicis mandavisse, ut de aliquo personatu vacante in sua provincia R., Virdunensi canonico, provideret, injunxisse dicitur T., canonico Virdunensi, ut si qua dignitas tunc vacabat in diœcesi Virdunensi, vel vacaret in posterum, electores ipsius ab eligendi suspenderet potestate, donec super provisione præfati R. mandatum esset Apostolicum assecutus. Idem vero T. ad ecclesiam Sanctæ Mariæ Magdalenæ Virdunensis accessit, et finibus mandati præteritis, decanum et capitulum suspendit ab electione præpositura ipsius ecclesiæ illo tempore non vacantis. Dicti autem decanus et capitulum, pro eo quod, sicut dictum est, mandati fines excesserat, nec revocare voluit sententiam suspensionis sic inordinatæ prolatam, nostram audientiam appellarunt. Postmodum vero præpositura supradicta vacante, præfati decanus et capitulum attendentes suspensionem hujusmodi esse omnino invalidam, utpote excedente fines mandati, de beneficio non vacante præsumptam, ac de appellationis suæ juribus confidentes, eumdem Guillelmum in ipsius ecclesiæ præpositum elegegerunt. Cæterum præfatus archiepiscopus post appellationem ad nos ab ipso capitulo interpositam mandavit dictum R. in ipsius præpositura possessionem induci, in contradictores quoslibet ac rebelles excommunicationis sententiam proferendo. Porro dictus R. ad Apostolicam Sedem accedens super hoc nostras ad te, fili scholastice, ac quosdam alios tam contra dictum capitulum, quam contra præfatos decanum G., et quosdam alios de capitulo plures dicitur litteras impetrasse de appellatione, quæ interjecta fuerat, non habita mentione. Quare humiliter petierunt tibi, et aliis inhiberi ne procederetis auctoritate hujusmodi litterarum, revocato in irritum, si a te ac illis in aliquo est processum et causam ipsam probis viris suspicione carentibus delegari mediante justitia terminanda. Nos autem utrique parti suam volentes justitiam conservare, ut judicium sine suspicione procedat, vos, filii H. et G., vice omnium aliorum judicum ex nostro subrogantes officio, tibi, fili scholastice, duximus adjungendos, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandantes, quatenus ad communem locum, et tutum personaliter, si commode fieri poterit, alioquin alter vestrum Remen. accedendo, partibus convocatis, audiatis causam, et quod canonicum fuerit, absque moræ dispendio, appellatione postposita, statuatis, facientes, etc. Datum Laterani, VII kalendas februarii, anno undecimo.

LIV

Ad abbatem monasterii Sanctæ Crucis.

26 januarii 1227.

[Weis, Urk. des Cisterc. Stifles, I, 65.]

Ei indulget, ut salvis commissionibus hactenus impetratis per litteras Sedis Apostolicæ, quas de cætero impetrari contigerit, de causis cognoscere minime teneatur invitus, nisi plenam de hac indulgentia fecerint mentionem.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio abbati monasterii de Sancta Cruce, salutem, etc.

Cum sæpe contingat propter cognitionem causarum, quæ tibi frequenter a Sede Apostolica committuntur, in te sanctæ contemplationis otium impediri, et monasterium tuum grave sustineat detrimentum, nos, quieti tuæ ac indemnitati ejusdem monasterii paterna sollicitudine providere volentes, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut, salvis commissionibus ad te hactenus impetratis, per litteras nostras, quas de cætero ad te impetrari contigerit, de causis cognoscere non tenearis invitus, nisi plenam de hac indulgentia fecerint mentionem. Nulli ergo liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare, etc. Datum Laterani, VII kal. februarii, pontificatus nostri anno undecimo.

LV

Ad Fridericum Romanorum imperatorem.

27 januarii 1227.

[Huillard-Bréholles, Hist. dipl., II, 708.]

Eum hortatur ut Johannem regem Hierosolymitanum socerum suum ex ipsa affinitate depressum, unde multi honoribus eum promovendum sperabant, in imperialis gratiæ plenitudinem reassumat, mittens ad ipsum super hoc tractando negotio abbatem Sancti Martini Viterbiensis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, Friderico, illustri Romanorum imperatori, semper augusto et regi Siciliæ, etc.

Non dubitat, sicut credimus, tua serenitas, quin te sincero diligamus affectu et quin ad incrementum tui honoris ac nominis aspiremus : unde cum ea tuæ celsitudini suademus, quæ ad honorem tuum novimus pertinere, debes suasiones nostras gratanter accipere, ac eis acquiescere reverenter. Sane carissimo in Christo filio nostro Johanne illustri rege Hierosolymitano tuæ sublimitati affinitate conjuncto, communis fuit omnium vox et opinio, quod quasi in immensum successisset eidem, et quod Deus ipsam sublimitatem ejus per affinitatem tanti principis magnifice sublimasset. Nec mirum si hoc homines crediderunt, considerantes hinc excellentiæ tuæ potentiam, cui esse facile recognoscebant non solum in sua sublimitate conservare sublimes, sed etiam humiles novis honoribus sublimare ; illinc vero strenuitatem et industriam dicti regis, non solum dignam, ut ei suum conservares honorem, sed ut illum etiam ampliares. Et ecce res videtur in contrarium versa esse, cum rex ipse inde, nisi alio modo provideris, contra spem nostram et suam, ac aliorum, graviter sit depressus, unde sperabatur magnifice sublimandus. Omnes qui hæc audiunt vehementer admirantur et dicunt : Quæ est hæc imperialis industriæ providentia, alienasse a se tantæ prudentiæ, tantæ strenuitatis, tantæ industriæ, tanti consilii virum, et tanto sibi vinculo copulatum, de quo poterat, tanquam de semetipso confidere, cujus honorem et statum deberet proprium reputare? Cui fiducialius poterit regnum Hierosolymitanum committere? Quis fidelibus ibi existentibus gratiosior? Quis terribilior infidelibus? Quis utilior toti negotio Terræ Sanctæ? Ecce si nulla sibi esset affinitate conjunctus, deberet tamen propter strenuitatem et industriam ejus, et propter eam, quam habet gratiam hominum, notitiamque locorum, sibi regnum committere supradictum. Sed etsi simplicem militem in socerum assumpsisset, deberet eum decorare regia dignitate. An pulchrius sibi est militis generum esse, quam regis? An pulchrius erit filiis, quos ex filia dicti regis suscipiet, avum militem habere quam regem? Hæc et similia parvi loquuntur et magni, admirantes super hujusmodi facto, et illud, ut loquamur verius, detestantes.

Nobis quoque ac fratribus nostris insultatur a multis, eo quod hujus affinitatis mediatores extitimus, ipsaque regis depressio nobis quodammodo imputatur. Denique per factum inter te et ipsum regem dissidium multorum devotio circa Terræ Sanctæ subsidium, ut dicitur, refrigescit, quam facies recalescere, si ad ipsum regem tuum, ut

decet, vultum et animum curaveris serenare. Desiderantes ergo hanc, quasi quamdam nebulam, a tui serenitate nominis removere, ac simul pro ipsius Terræ Sanctæ subsidio, cui tua et ejusdem regis reconciliatio est plurimum necessaria, satagentes, serenitatem tuam monemus, rogamus et obsecramus in Domino Jesu Christo, postulantes pro munere speciali, quatenus tecum ipse recogitans, quam absurdum sit, tantum et talem virum occasione affinitatis tuæ magnificentiæ deprimi, cum solam familiaritatem tuæ sublimitatis adeptos, per eam deceat exaltari, ac sæpedictæ Terræ Sanctæ utilitatem attendens, dictum regem in imperialis gratiæ plenitudinem reassumas, eumque tibi sic efficaciter reconcilies, quod tui serenitatem animi erga eum, ipsa exhitione operis manifestes; cum si diligenter attendas illud, quo tibi junctus est, vinculum, facile possis advertere neminem esse, persona filii tui dumtaxat excepta, qui te sincerius ipso rege diligere debeat, vel de quo tua sublimitas fiduciam possit gerere certiorem. Ut autem intelligas plenius, quam intime reconciliationem hujusmodi affectemus, ecce propter hoc specialius mittimus ad te dilectum filium abbatem Sancti Martini Viterbiensis, Cisterciensis ordinis, latorem præsentium, virum utique prudentem, religiosum et fidum, serenitatem tuam deposcentes attente, quatenus ipsum, immo verius nos in ipso, cures in iis, quæ ad hoc negotium pertinent, et audire clementer, et efficaciter exaudire. Datum Laterani, VI kalendas februarii, pontificatus nostri anno undecimo.

LVI

Ad omnes populos per patrimonium Ecclesiæ Romanæ constitutos.

27 januarii 1227.

[Raynald, Annal. ad ann. 1227, § 5.]

Eos custodiæ Johannis Hierosolymitani regis committit, eosque monet et hortatur ut dictum regem hilariter recipiant eique tanquam vicario et procuratori Apostolico humiliter intendant.

« Carissimi in Christo filii nostri Joannis Hierosolymitani regis illustris strenuitatem, industriamque pensantes, simulque firmam spem, fiduciamque tenentes, quod per ejusdem regis prudentiam, inter vos poterunt sedari discordiæ, custodiri stratæ, servari justitia, et alia, quæ ad vestram utilitatem et tranquillitatem pertinent utiliter provideri; totum patrimonium, quod habet Romana Ecclesia a Radicofano usque Romam, excepta marchia Anconitana, ducatu Spoleti, Reate, ac Sabinia, curæ, regimini, et custodiæ ipsius regis duximus committendum, tenendum, custodiendum, et servandum, quamdiu de nostra, et Ecclesiæ Romanæ fuerit voluntate, nominatim Radicofanum, Precenam, Aquapendentem, Montemflasconem, Martam, Valentan. Insulam, Martan. cum aliis locis, quæ ab olim consueverunt jurisdictioni castellani Montisflasconis subesse; Verall. Petronian. salvis proventibus dilecto filio nostro R. Sanctæ Mariæ in Cosmedin diacono cardinali concessis, Orde, Montaltum Centumcellas, Cornetum, Perusium, Urbemvet., Tudertum, Balneoregium, Viterbium, Narniam, Sanctum Geminum, Struncon salvis proventibus dilecto filio nobili viro Petro Capucio consanguineo et ostiario nostro concessis : Tuscan., Ortam, Ameliam, Nepe, civitatem Castellanam, Gallesium, salvis proventibus concessis dilecto filio nostro Ægidio, SS. Cosmæ et Damiani diacono cardinali, Stutrium, et alia, quæ ipsa Ecclesia Romana habet, vel tenet infra terminos prænotatos, cum pertinentiis suis, et juribus universis. Ideoque universitatem vestram monemus et exhortamur attentius, ac per Apostolica vobis scripta sub obtentu gratiæ nostræ, et debito fidelitatis, quo nobis tenemini, firmiter præcipiendo mandamus, quatenus ipsum regem recipientes hilariter, et dignam ei honorificentiam exhibentes, eidem tanquam vicario et procuratori nostro, et Ecclesiæ Romanæ humiliter et efficaciter intendentes, sibi de juribus curiæ quamdiu Ecclesiæ Romanæ placuerit, quod hujusmodi curam gerat, integre respondendo, etc.

Datum Laterani, VI kalendas februarii, anno undecimo.

LVII

Ad consules et populum Tiburtinos.

28 januarii 1227.

[Spicilegium Liberianum, 718, n. 7.]

Eis mandat ut ab infestatione Sublacensis monasterii penitus desistant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei,

dilectis filiis consulibus, et populo Tiburtino, salutem, etc.

Experimento in vobis didicimus, quod facilitas veniæ, incentivum tribuit delinquendi, cum impunitas excessuum, quos olim pluries contra Sublacense monasterium commisistis, vos magis reddiderit insolentes et ad ipsius gravamen monasterii proniores. Nuper autem cum idem monasterium recuperaverit, pro gratia Dei, arcem Sancti Stephani, quæ spectat ad ipsum, et vos contra ipsum tentaretis insurgere, Apostolicæ Sedi, ad quam specialiter pertinet, nullatenus deferendo, nos per litteras, et dilectum filium Hugonem, subdiaconum et capellanum nostrum, vobis mandavimus, ut ab ejusdem monasterii gravamine cessaretis; et licet idem capellanus in consules et alios majores vestrum excommunicationis, et in cæteros interdicti sententias, si contra præsumerent, protulisset, vos tamen easdem contemnentes sententias, et nostra mansuetudine abutentes, aggravare manus vestras durius contra ipsum monasterium adjecistis, aliorum ad hoc auxilium, quasi conjuraveritis in ejus exterminium, invocantes. Cum autem nec debeamus nec velimus talia, in destructionem monasterii et nostram et Apostolicæ Sedis injuriam, sustinere, universitati vestræ sub omni, qua possumus, districtione mandamus, quatenus ab ipsius infestatione penitus desistatis, alioquin et prædictas sententias faciemus inconcusse servari, et alias in vos aggravabimus taliter manus nostras, quod pœna vos instruet quam graviter deliqueritis, nos et Romanam Ecclesiam, in facto ejusdem monasterii, tam graviter offendendo. Datum Laterani, kalendas februarii, pontificatus nostris anno undecimo.

LVIII

Ad Fridericum Romanorum imperatorem.

(Januarii exeunte).

[Huillard Bréholles, Hist. dipl., II, 710.]

Eum rogat ut mittat frumentum ad Urbem tempore famis, exemplumque memorat paparum Alexandri et Lucii, qui in simili casu ad reges Siciliæ habuerant recursum et benignum responsum acceperant.

Honorius, etc.

Cœlestis altitudo consilii alta et ineffabili pietate universa disponens rerum vicissitudines non sine dispositione certæ rationis alternat, nunc egentes faciens abundare, nunc abundantes egere, ut humana conditio per alternationem hujusmodi sæculi sui status instabilitatem agnoscat, et alter alteri compatienti subveniens impleat legem Christi, quia jubemur proximos nostros diligere et alter alterius onera supportare. Ecce quia famem vocasse videtur Dominus super Urbem et in ea frumentum panis graviter decrevisse, nonnulli tamen ipsius Urbis, quos abundare nulli dubium est, malitiose suam abundantiam occultantes, nequaquam illud maledictum advertunt : « Maledictus homo qui frumentum abscondit in populo : » non curantes illam benedictionem accipere de qua continue subinfertur : « Benedictio autem super caput vendentium » ; nec denique attendentes quod necessitas hujusmodi abundanti tribuit magnam misericordiam diminuendi peccata et divinam gratiam ulterius promerendi. Urgente igitur necessariorum inopia, confluunt ad nos populi multitudo, quos sine lacrymis audire non possumus, alimenta deposcens, et nec aliter quam si lapides convertere possimus in panem, aut in farinam terræ pulverem commutare. In hujusmodi ergo necessitatis articulo ad te, fili, duximus fiducialiter recurrendum, recognoscens quod felicis recordationis Alexander et Lucius, Romani pontifices, prædecessores nostri, ad reges Siciliæ prædecessores tuos in casu simili habuere recursum, et eos liberales, prout regalem magnificentiam decuit, invenerunt. Quod de tua liberalitate non indigne præsumitur, cum non minorem habeamus ad te caritatis affectum quam ad ipsos habuerunt pontifices antedicti, nec minorem, quam fuerit eorumdem regum ad illos, tuam ad nos benivolentiam æstimemus. Imperialem itaque liberalitatem omni, qua possumus, affectione deposcimus, quatenus prudenter attendens gratiam promerendi divinam, populumque Romanum ad dilectionem potius gratiam sibi desuper tibi datam hilariter amplectendo verbo Joseph, qui pari necessitate patrem pavit et fratrem, ipsi populo, qui tanquam ad patrem exuriens ad nos clamat, debeas largitatis tuæ dexteram aperire, ut hujusmodi articuli angustias per auxilium tuum evadere valeamus, et generatio hæc opera tua laudet et hanc

tuæ memoriam largitatis; preces nostras ita hilariter et efficaciter auditurus, quod ab omnium largitore bonorum tuam agnoscere abundantiam comproberis, ne frustra videaris præceptum Dominicum habuisse. Nam si, dum videres nos hanc necessitatem habere, nobis contra spem nostram tua viscera clauseris pietatis, quod absit, videaris nobis auferre de tua serenitate fiduciam, si passi fuerimus in tam favorabili causa de pia petitione repulsam.

LIX

Ad archiepiscopum Lundensem.

4 februarii 1227.

[Liljegren, Swenskt diplom., I, 248, n. 242.]

Ei mandat, ut tam clericis quam laicis qui ad nefarios coitus prolabuntur, pœnitentiam salutarem injungat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... archiepiscopo Lundensi, salutem, etc.

Petitio tua nobis continebat, ut cum nonnulli subditi tui tam clerici, quam laici frequenter ad nefarios coitus prolabantur, non solum personis sibi consanguinitate conjunctis, verum etiam brutis animalibus se nefarie commiscendo, ac illud nec nominandum committendo peccatum, propter quod Dominus Sodomam, et Gomorram eversione damnavit, et quidam eorum propter viarum longitudinem et pericula, quidam ob verecundiam mori potius eligant in peccatis hujusmodi, quam propter hoc nostro se conspectui præsentare, super hoc providere misericorditer dignaremur. Cum igitur major sit pietas divina, quam humana impietas, potiusque sperandum sit de Dei mansuetudine, quam de cujusquam peccati magnitudine desperandum, fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus, quatenus peccatores hujusmodi arguens, obsecrans, increpans in omni patientia, et doctrina, injungas eis pœnitentiam salutarem, eo adhibito moderamine, quod nec facilitas nimia peccandi audaciam tribuat, nec immoderata severitas desperationem inducat. Datum Laterani, II nonas februarii, pontificatus nostri anno undecimo.

LX

Ad archiepiscopum Lundensem.

4 februarii 1227.

[Liljegren, Svenskt dipl., I, 249, n. 243.]

Ei concedit licentiam dispensandi cum eis, qui sacros ordines excommunicati susceperunt et divina officia celebrarunt, ita tamen, quod ad casus futuros eamdem licentiam non extendat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... archiepiscopo Lundensi, salutem, etc.

De subditorum tuorum salute sollicite supplicasti, ut cum nonnulli eorum sacros ordines excommunicati susceperint et divina officia celebrarint, dispensandi cum eis, cum propter viarum discrimina venire ad Apostolicam Sedem sine nimia difficultate non possint, licentiam tibi concedere dignaremur. Volentes igitur et eorum providere saluti, et ipsos ad devotionem tuam per hujusmodi beneficii gratiam provocare, auctoritate tibi præsentium concedimus licentiam postulatam, ita tamen, quod ad casus futuros eamdem licentiam non extendas. Datum Laterani, II nonas februarii, pontificatus nostri anno undecimo.

LXI

Ad abbatem et conventum monasterii S. Benedicti Floriacensis.

7 februarii 1227.

[Regest., lib. XI, epist. 526. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget eis ne quis, contra privilegia ipsis concessa in ipsorum homines, sententias interdicti ferre præsumat.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati, et conventui monasterii Sancti Benedicti Floriacensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Debitum pastoralis officii tunc decenter exsequimur quum evellenda evellimus, et dirigimus indirecta. Oblata nobis ex parte vestra petitio continebat, quod episcopus, Aurelianensis diœcesis, in qua monasterium vestrum consistit, super causis quas contra vos interdum se habere proponunt eorum sisti judicio auctoritate propria vos compellunt, sicque contingit sæpius, quod dum sic se constituunt judices, et actores, quia non vultis coram ipsis taliter litigare in ter-

ram vestram, et homines in vestrum præjudicium excommunicationis, et interdicti ferunt sententias, ut sic saltem indirecte censuram ecclesiasticam in vos ipsos exerceant, quam directe nequeunt, eo quod monasterium vestrum exemptionis gaudere dicitur privilegio, exercere. Nos igitur et eorum hujusmodi obviare malitiis, et ejusdem monasterii, quod ad Sedem Apostolicam immediate dicitur pertinere, indemnitatibus in posterum præcavere volentes, auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne quis contra indulta vobis a Sede Apostolica privilegia de cætero propter hoc tales [sententias] in terram vestram, seu [homines], sine mandato Sedis Apostolicæ speciali [ferre præsumat]. Nulli ergo, etc., nostræ inhibitionis, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, VII idus februarii, anno undecimo.

LXII

Ad A. præpositum Orodiensem.

12 februarii 1227.

[Fejer, Cod. dipl. Hung., II, 102.]

Concordiam inter præpositum Orodiensem, et Johannem Capucium a se denominatum, confectam, roborat.

Honorius, etc., A. præposito Orodiensi, etc.

Cum nuper ad Sedem Apostolicam accessisses, orta inter te ac dilectum filium Johannem Capucium subdiaconum et capellanum nostrum, super præpositura Orodiensis ecclesiæ quæstione, dilectum filium nostrum P(etrum), S. Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, partibus dedimus auditorem, coram quo super præpositura præfata, fuisset aliquandiu disceptatum; tandem inter vos, cardinali mediante præfato, amicabilis compositio intercessit, quam, ut Apostolico dignaremur munimine roborare, a nobis humiliter postulastis. Nos igitur tuis devotis precibus inclinati, in compositionem jamdictam, sicut sine pravitate facta est, et ab utraque parte recepta, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, II idus februarii, anno undecimo.

LXIII

Ad episcopum Morinensem.

15 februarii 1227.

[Regest., lib. XI, epist. 562. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem clericos quosdam diœcesis suæ qui in excommunicationem variis de causis incurrerant absolvendi.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Morinensi, salutem, etc.

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod nonnulli tibi subditi sæculares, et regulares clerici tuæ diœcesis pro violenta manuum injectione in personas religiosas, et clericos sæculares in canonem inciderunt sententiæ promulgatæ, ac alias pro incendiis, et rapinis ipso facto excommunicationis sententiam incurrerunt. Quidam quoque prædictorum regularium simoniace in suis ecclesiis sunt recepti, quidam vero celebraverunt excommunicati divina, reliqui autem, absolutionis beneficio non obtento, ex simplicitate ac ignorantia sacros susceperunt ordines, et ministrarunt etiam in eisdem. Unde nobis humiliter supplicasti, ut cum metuas ad nostram præsentiam mittere regulares, ne vagarentur veniendo, et salutis, cujus causa venirent, incurrerent detrimentum, et prædicti sæculares debilitate, et paupertate gravati ad nos venire non possint, provideri super hoc ipsorum saluti misericorditer dignaremur. Quia vero de tuæ fraternitatis prudentia plenam fiduciam obtinemus, per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus hac vice excommunicatis eisdem, nisi pro difficili, et enormi excessu ad Sedem Apostolicam sint mittendi, juxta formam Ecclesiæ beneficium absolutionis impendas, et facto de simoniacis, quod in generali constitutione Concilii continetur, super aliis facias cum prædictis, quod animarum suarum saluti videris expedire. Datum Laterani, XV kalendas martii, anno undecimo.

LXIV

Ad Fridericum, Romanorum imperatorem.

21 februarii 1227.

[Huillard-Bréholles, Hist. dipl., II, 714.]

Eum hortatur ad relaxandum bannum imperiale, cui civitas Massiliæ subjecta fuit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei,

carissimo in Christo filio F., illustri Romanorum imperatori, semper augusto et regi Siciliæ, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilectus filius noster R(omanus), S. Angeli diaconus cardinalis, Apostolicæ Sedis legatus, et venerabilis frater noster episcopus ac cives Massiliæ, suis nos litteris supplicarunt, ut cum iidem cives, data sufficienti cautione, promiserint dicti cardinalis et episcopi obedire mandatis, supra damnis et injuriis irrogatis ipsi episcopo et ejus ecclesiis ab eisdem, excommunicationis vinculo, quo propter hæc tenebantur, sint juxta formam Ecclesiæ absoluti, ad relaxandum imperiale bannum, cui eorum civitas occasione hujusmodi est subjecta, ad gratiam serenitatis tuæ restituendam eisdem, ac dimittendum Petrum de Sancto Jacobo et Guillelmum Vivaldum concives eorum, crucesignatos, quos ob eamdem causam cepisti et detines adhuc captos, te Apostolicis precibus inducere dignaremur. Ideoque serenitatem tuam rogandam duximus et hortandam, quatenus bannum relaxes precum nostrarum interventu prædictum, et imperialem gratiam eis reddas, ac dictos Petrum et Guillelmum restituas libertati, preces nostras taliter auditurus, quod eas sibi sentiant profuisse. Datum Laterani, IX kalendas martii, pontificatus nostri anno undecimo.

LXV

Ad monasterium Ursicampi.

23 februarii 1227.

[Peigné-Delacourt, Cart. d'Ourscamp, 301.]

Ne a grangiis vel cellariis ejus procurationes exigantur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii Ursicampi, Cisterciensis ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Monasterii Ursicampi profectibus providere misericorditer et indemnitati præcavere in posterum cupientes, districtius auctoritate præsentium inhibemus, ne quis cellariis seu grangiis vestris indebitum procurationis de novo imponere, aut ab eis indebitas procurationes exigere, vel extorquere præsumat. Nulli ergo, etc. Datum Laterani, VII kalendas martii, pontificatus nostri anno undecimo.

LXVI

Ad archiepiscopum Maguntinum.

24 februarii 1227.

[Wurdtwein, Nova subsidia, IV, 143.]

Ei facultatem quibusdam absolutionis beneficium impendendi concedit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... archiepiscopo Maguntino, salutem, etc.

Super his, quæ ad salutem pertinent animarum, tibi libenter annuimus et favorem Apostolicum, quantum cum Deo possumus, impartimur. Tuis itaque supplicationibus inclinati, illis, qui de tua diœcesi pro violenta manuum injectione in clericos vel alios religiosos, nec non pro incendio, excommunicationis sententiam incurrerant, absolutionis beneficium, si humiliter postulaverint, juxta formam Ecclesiæ impendendi, dummodo injuriam vel damna passis congrue satisfaciant, injuncta eis propter hoc pœnitentia competenti, auctoritate tibi præsentium concedimus facultatem, nisi forte illorum adeo fuerit gravis et enormis excessus, quod merito sint ad Sedem Apostolicam destinandi. Datum Laterani, VI kal. martii, pontificatus nostri anno undecimo.

LXVII

Ad universos Christi fideles per Maguntinam provinciam constitutos.

25 februarii 1227.

[Wurdtwein, Nova subsidia, IV, 140.]

Eos monet et hortatur, ut de bonis suis ad reparationem ecclesiæ in Northusen, quæ minatur præ nimia vetustate ruinam, pietatis subsidia conferant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis Christi fidelibus per Maguntinam provinciam constitutis, salutem, etc.

Quoniam, ut ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit, sive malum, oportet nos diem mansionis extremæ misericordiæ operibus prævenire, ac æternitatis intuitu seminare in terris, quod, reddente Domino, cum multiplicato fructu colligere debeamus in cœlis, firmam spem fiduciamque tenentes, quoniam qui parce

seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam æternam; hinc est, quod cum dilecti filii præpositus et capitulum Northusenses intendant reparationi ecclesiæ suæ, quæ tantum minatur præ nimia vetustate ruinam, quod iidem in choro et presbyter in altari dubitent celebrare divina, nec ad hoc ipsius ecclesiæ sufficiant facultates, universitatem vestram monemus et hortamur in Domino, atque in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatenus de bonis vobis a Deo collatis grata eis ad hoc pietatis subsidia conferatis, ut per subventionem vestram opus hujusmodi valeat consummari et vos per hæc et alia bona, quæ, Domino inspirante, feceritis, ad æterna possitis felicitatis gaudia pervenire. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus eidem operi manus auxilii porrigentibus, viginti dies de injuncta sibi pœnitentia relaxamus, præsentibus post triennium minime valituris. Datum Laterani, V kalend. martii, pontificatus nostri anno undecimo.

LXVIII

Ad potestatem et populum Camerinenses.

26 februarii 1227.

[Theiner, Cod. dipl. dom. temp., I, 83, 139.]

Ne Hugolinum Perusinum virum seditiosum in civem vel potestatem recipiant.

Honorius episcopus, etc., dilectis filiis potestati et populo Camerinensibus, salutem, etc.

Intelleximus, quod ille famosus, immo insanus seditionarius Hugolinus Hugolini, non valens ulterius in civitate Perusina seditiones solitas machinari, ad civitatem vestram se transtulit, ut ibi se in civem recipi faciens variis vos discindat dissidiis, et alios adversus alios scandalizet, sicut in aliis civitatibus se fecisse damnabiliter gloriatur. Ut igitur vos reddant aliena pericula cautos, cum vobis jam illius versutiæ sint notissimæ, universitatem vestram monemus attente, per Apostolica vobis scripta sub pœna mille librarum firmiter præcipiendo mandantes, quod dictum Hugolinum excommunicatum a nobis a civitate vestra ejicientes, omnino ipsum in civem vel potestatem nullatenus admittatis, nec alias ab eo patiamini vos seduci; sed cum a dilecto filio nostro J(oanne), tituli Sanctæ Praxedis presbytero cardinali, rectore ducatus Spoleti, vel ejus nuncio requisiti fueritis, eum hostiliter impugnantes vivam guerram faciatis eidem : alioquin pœnam sive spiritualem sive temporalem, quam propter hoc idem cardinalis vobis inflexerit, ratam haberi volumus et firmiter observari. Datum Laterani, IV kal. martii, pontificatus nostri anno undecimo.

In eumdem modum eodemque die Fulginatibus scriptum est.

LXIX

Ad potestatem et commune Ariminenses.

27 februarii 1227.

[Theiner, Cod. diplom. dom. temp., I, 83, n. 140.]

Ut Inghiramo de Macerata ipsorum quondam rectori justitiam faciant, legesque Romanorum imperatoris contra hæreticos statuto eorum civitatis inserant.

Honorius episcopus, etc., dilectis filiis potestati et communi Ariminensibus, salutem, etc.

Gravem dilecti filii I. de Macerata civis Mutinensis recepimus quæstionem, quod Ariminus de Bonfiletto et Bucca de Ferro, ac quidam alii cives Ariminenses eidem tum vestræ civitatis regimen obtinenti ponentes insidias, et ut ipsum occiderent, insultum in eum temere facientes, graves eidem injurias intulerunt, pro eo quod quasdam eorum filias, sorores et consanguineas hæreticas manifestas juxta debitum sui officii ceperat, et imperatori tradiderat comburendas, ac imperialem legem nuper contra hæreticos editam volebat in statuto ejusdem ponere civitatis. Nolentes igitur aliquatenus ejusdem I. dissimulare injuriam, quam passus est pro zelo fidei orthodoxæ, universitatem vestram monendam duximus et hortandam, per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quod cum a culpa nequaquam videamini fuisse immunes, eo quod potuistis et noluistis hujusmodi prohibere injuriam, per quod videmini præsumptores prædictos in suæ præsumptionis malitia confovisse, eidem I. ita satisfaciatis, et faciatis satisfieri a

præsumptoribus antedictis, quod et ipse merito a sua querela desistat, et alii attentare similia reformident : alioquin damus venerabili fratri nostro... episcopo, et dilectis filiis præposito et Primicerio Aretinis nostris litteris in mandatis, ut tam vos, quam præsumptores jamdictos ad condignam satisfactionem impendendam eidem, et ad resarciendas expensas, quas hac de causa subiit, per censuras ecclesiasticas, appellatione remota, compellant. Datum Laterani, III kal. martii, pontificatus nostri anno undecimo.

LXX

Ad episcopum, Bernardum subdiaconum nostrum, et Signedulfum, canonicos Reatinos.

1 martii 1227.

[Ughelli, Ital. sacra, I, 1016.]

Ut capitulum Narniense nullum in canonicum et in fratrem recipere possint, donec ad numerum sexdenarium deveniant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, episcopo, Bernardo subdiacono nostro, et Signedulfo, canonicis Reatinis, etc.

Dilecti filii, capitulum Narniense, sua nobis petitione monstrarunt, quod cum ipsi olim, pensatis ecclesiæ suæ facultatibus, de venerabilis fratris nostri episcopi Narniensis assensu, sexdenarium canonicorum numerum in ecclesia ipsa taxarint, statuentes, ut nullus recipiatur ibidem, donec deveniant ad numerum prætaxatum, nunc ex tunc etiam nisi fuerint in sacris ordinibus constituti, nosque statutum hujus per eos juramento firmatum auctoritate Apostolica duximus confirmandum, F. clericus ad eos primo monitorias, ac postmodum præceptorias super receptione sua in eadem Ecclesia nostras litteras impetravit, quarum auctoritate ipsos multipliciter inquietat. Quare nobis humiliter supplicarunt, ut cum nondum ad prætaxatum numerum sint redacti, et jam quinque ad mandatum nostrum devote receperint, ac præfatus clericus nondum ad sacros ordines sit promotus, ipsos ab ejus impetitione absolvere misericorditer dignaremur. Nolentes igitur devotis graves existere, quibus potius exhibere convenit nos benignos, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, prædictum capitulum donec ad prætaxatum numerum veniant, ab impetitione dicti clerici absolvatis. Quod si non omnes, tu, frater episcope, etc. Datum Laterani kalendas martii, anno undecimo.

LXXI

Ad priorem, cantorem et succentorem S. Radegundis Pictavensis.

2 martii 1227.

[Regest., lib. XI, epist. 560. Mss. La Porte du Theil.]

Facit eis potestatem, episcopum Aquensem ad se apud Sedem Apostolicam sistendum cogendi, ut causæ, quæ inter ipsum et P. de Orran canonicum Aquensem vertebatur, finis imponatur.

Honorius, etc., dilectis filiis priori, cantori, et succentori Sanctæ Radegundis Pictavensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilectus filius magister P. de Orran, canonicus Aquensis, in nostra proposuit præsentia constitutus, quod causam, quæ inter eum et venerabilem fratrem nostrum Aquensem episcopum super electione ipsius et rebus aliis vertitur, decano Xanctonensi et collegis suis dudum duximus committendam, qui eam juxta recepti formam mandati nobis remiserunt sufficienter instructam, præfigentes partibus certum terminum, quo nostro se conspectui præsentarent, sententiam recepturæ. Verum licet idem magister ad eumdem terminum venerit, et ultra terminum non sine magnis expensis apud Sedem Apostolicam expectavit, præfatus tamen episcopus nec venit, nec aliquem pro se procuratorem direxit, comparente pro eo in præsentia nostra quodam, qui requisitus a nobis ad impetrandum et contradicendum dumtaxat, vel ad impediendum, verius se ab ipso proposuit habere mandatum, super quo juramento præstito fidem fecit; sicque nullum causa prædicta potuit habere processum, propter quod non de jure, sed de gratia speciali citandum adhuc providimus episcopum memoratum. Nuper autem præfatus magister cum multa precum instantia, sicut multotiens fecerat, humiliter postulavit, ut cum tanto tempore inutiliter expectaverit, non obstantibus aliquibus litteris a nobis obtentis, peremptorie citaremus eumdem episcopum nostro se conspectui personaliter præsentandum, eum

de impedimento luminis quo dicitur laborare, melius si præsens fuerit valeat fieri nobis fides, et quia idem canonicus causam ipsam se asserit in expensis propriis prosecutum, ne ipsis deficientibus eam deserere compellatur, donec ipsa suum sortiatur effectum de bonis episcopi, qui contumax est reputandus ex eo quod sicut talem misit nuntium, ita procuratorem idoneum potuit destinare, in expensis sibi petiit provideri. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus episcopum ipsum ad nostram citetis præsentiam, terminum sibi peremptorium, videlicet ad primo venturum festum Omnium Sanctorum in quo personaliter coram nobis compareat assignantes, et de expensis legitimis, et moderatis, quas fecit, ipse canonicus a termino per decanum Xanctonensem, et ipsius collegas partibus assignato, quo se nostro conspectui præsentarent, eidem canonico de bonis dicti episcopi, prout justum fuerit, satisfieri facientes. Contradictores, etc., non obstantibus litteris aliis a Sede Apostolica præter utriusque partis assensu obtentis. Quicquid vero super hoc duxeritis faciendum, nobis fideliter rescribatis. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc. Datum Laterani, sexto nonas martii, anno undecimo.

LXXII

Ad Christianum, decanum Maguntinum.

2 martii 1227.

[Wardtwein, Nova subsidia, IV, 144.]

Ei concedit ut præposituram S. Victoris et de Undenheim et de Genseim ecclesias una cum decanatu possit retinere.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio C. decano Maguntino, salutem, etc.

Qui bene meritos cupimus invenire, tanto libentius honoramus inventos, quanto ad studium honestatis desiderabilius allicimus universos, cum etsi virtus nullis comitata bonis exterius ex se sit principaliter appetenda, sicut tamen dignis retributionibus honorata, desiderabilior redditur, ita minus fieret appetibilis, si, quod absit, speratis præmiis fraudaretur. Cum igitur venerabilis frater C(onradus), Portuensis episcopus, tunc Apostolicæ Sedis legatus, honestate morum, litterarum scientia, nobilitate generis et cæteris tuæ probitatis meritis rite pensatis tibi concesserit, ut præposituram S. Victoris, de Undenheim et de Genseim ecclesias una cum decanatu valeas retinere, supplicans nobis instanter, ut hoc idem tibi ex dispensationis nostræ gratia largiremur. Nos ejus precibus inclinati et probitati tuæ favorem debitum impendentes, tecum ut prædictas dignitates et ecclesias retinere valeas, auctoritate Apostolica dispensamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, VI nonas martii, pontificatus nostri anno undecimo.

LXXIII

Ad Johannem abbatem S. Bertini, ejusque fratres.

5 martii 1226.

[Fonds Moreau, Mss. latins, t. CXXXVIII, Biblioth. nation.]

Confirmat libertates, bona, possessiones, privilegia, jura, immunitates, præsertim decimas et ecclesias monasterii Sancti Bertini.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Johanni abbati Sancti Bertini, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus 'clementer annuimus, et monasterium Sancti Bertini in villa Sancti Audomari, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, in primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumqua bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Do-

mino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam de Beswarestum cum possessionibus, decimis, redditibus et omnibus pertinentiis suis, et pratum, quod Ham dicitur, possessiones, redditus et omnia alia quæ a Balduino domino de Comines et Balduino de Materna in villa de Beswarestum asseritis vos emisse, ecclesiam de Melcheri cum possessionibus, decimis, redditibus et aliis pertinentiis suis; terragium et libertatem ipsius cum redditu, qui dicitur donum terrarum, possessiones, et alia omnia quæ a Balduino de Aria, domino de Helchies et Balduino Rufo in territorio de Helchies proponitis vos emisse, ex dono ejusdem Balduini de Aria ; mansuram unam juxta grangiam vestram, quam habetis in eodem loco, ex dono Luffridi Cambier et M... uxoris ejus ; mansuram unam, domum et terras in territorio memorato, ecclesiam de Eschieres cum possessionibus, decimis, redditibus et aliis pertinentiis suis; medietatem terragii cum libertate sua ; terram et alia omnia quæ a Balduino de Briart emistis in territorio de Eschieres ; decimas, possessiones, terragium, proventus et alia omnia quæ habetis in villis de Rosberga et de Forniaco et pertinentiis earumdem; decimas, possessiones, terragium, redditus, et quidquid habetis ex dono Roberti de Alneto militis, Hugonis et Manasses filiorum ejus in villa de Felchinel; terras, proventus et quidquid emistis a Johanne Vavassore, in villa de Cuhem ; ecclesiam de Brocsela cum possessionibus, decimis, redditibus et aliis pertinentiis suis, et annuum redditum frumenti; possessiones et alia omnia quæ a Giliberto de Haveskerka milite, Balduino et Giliberto filiis ejus in territorio de Brocsela dicitis vos emisse; de Felarse, de Calais, de Greveninges et de Broburg ecclesias, cum capellis, et institutione presbyterorum in ipsis possessionibus, decimis, redditibus et omnibus aliis pertinentiis earumdem; jus patronatus quod habetis in capella Leprosorum de Greveninges ; ecclesiam de Cocka cum possessionibus, decimis, redditibus et omnibus aliis pertinentiis suis et triginta mensuras terræ, quas a Roberto Akort in territorio de Cocka asseritis vos emisse; mansuras, et domos, et terras, quas habetis ex dono Gualteri et Rosæ uxoris ejus in Cocka et Teruanna; ecclesiam de Poperingehem cum possessionibus, decimis, redditibus et omnibus aliis pertinentiis suis, et in eodem loco terras, redditus et alia omnia quæ emistis a Nicolao, filio Conon, et hæredibus quondam Lammetask clerici et aliis hominibus dicti loci ; ecclesiam Longanessa cum possessionibus, decimis, redditibus et omnibus aliis pertinentiis suis; redditus, procurationes et alia quæ Robertus de Alneto miles habebat in curte vestra de Longanessa et pia vobis liberalitate remisit; terras quoque, quas ab Ægidio præcone de Longanessa et Willelmo ejus filio, Lammino de Longanessa, Hugone Cogher et cognatis ipsius, Lamnino de Bodinghem, Lamelino de Magno Vico et Boidino, quas emistis in villis de Longanessa, Fadingelsam et Wisseka; ecclesiam de Hanta cum possessionibus, decimis, redditibus et omnibus aliis pertinentiis suis; annuum redditum quinque hordeariorum et trium præbendariorum avenæ; Mansuram quæ fuit Michaelis Broe juxta molendina vestra de Hanta, redditus, possessiones, libertatem cujusdam viæ et mansuræ, et alia omnia quæ emistis ab Hugone dicto Cane in villa de Hanta; Ecclesiam de Wesernes cum possessionibus, decimis, redditibus ac alia omnia quæ a Gissardo, Salomone et Johanne filio ejus et hæredibus Simonis Meri, Johanne Fignel, et Eustachie fratre ejus, Johanne clerico, Simone, ac Petro filiis Willelmi molendinari, Adela relicta Simonis Coci et filiis ejus ; Molendina etiam de Guntardiges quæ a Petro Monnord, Nicolao et Johanne filiis ejus, Arnaldo et filiis ejus, Willelmo Calcio et ejus uxore ac consanguineis eorumdem et partem cujusdam molendini quam a Gisone Pontini in villa et territorio de Wiserna proponitis vos emisse, annuum redditum duodecim hordeariorum avenæ, quatuor raseriarum frumenti et viginti solidorum usualis monetæ, quas a Johanne dicto Sano in villis de Suerdis et de Hanlines emistis; annuum redditum quinque raseriarum frumenti quæ a Petro de Creki et ejus uxore in Jarvingehem cum quatuor mensuris prati, quas ab Hugone Ledeghe et hæredibus ejus in Oudenfort dicitis vos emisse; terras, redditus et alia

omnia, quæ Manasses dictus Ursus in eadem villa de Oudenfort pia vobis liberalitate donavit; terras, prata et alia omnia, quæ tam ex dono quam ex venditione Philippi de Malkerberg et Simonis, fratris ejus, juxta curtem vestram de Oudenfort habetis ex dono senioris Arnoldi comitis Gisnensis; libertatem pedagii et transversi per totum comitatum Gisnensem; amicabilem compositionem initam inter vos ex una parte, et Robertum de Cuhem et hæredes suos ex altera, et hactenus pacifice observatam super terris, terragio, redditibus et aliis omnibus quæ habetis in villa de Cuhem.

In diœcesi Noviomensi, ecclesiam et villam de Calmont, cum possessionibus, decimis, redditibus, nemoribus, pratis, pascuis et aliis omnibus pertinentiis earumdem; terras, prata, vineas, proventus et alia omnia quæ ab Eustatio quondam majore loci ejusdem, Eligio Fabro et aliis hominibus dictæ villæ cum majoria ejusdem villæ et omnibus pertinentiis suis, quam a Radulpho majore ipsius villæ, et annuum redditum viginti quatuor sertanorum bladi quem a Maria de Salens in eadem villa et ejus territorio proponitis vos emisse.

In diœcesi Atrebatensi, ecclesiam de Ballini cum possessionibus, decimis, redditibus et omnibus aliis pertinentiis suis; redditus, possessiones et omnia alia quæ a Lectardo de Anekin milite in villa de Ballin asseritis vos emisse. In Tornacensi diœcesi, ecclesiam de Ruslede, cum possessionibus, decimis, redditibus, et omnibus aliis pertinentiis suis; possessiones, redditus et alia omnia, quæ habetis in villa de Ruslede, ecclesiam de Condekerka cum capella et hospitali Sanctæ Catharinæ de Knaka, cum possessionibus, decimis, redditibus, et omnibus aliis pertinentiis eorumdem; curtes et cellas quas in Morinensi, Tornacensi, Noviomensi, Cantuariensi diœcesibus habetis, cum omnibus possessionibus, redditibus, libertatibus, et aliis omnibus pertinentiis eorumdem; ecclesiam et villam de Arkes cum decimis, possessionibus, redditibus, pratis, pascuis, molendinis, libertatibus, immunitatibus et omnibus aliis pertinentiis suis; ecclesiam et villam de Herbela cum decimis, possessionibus, redditibus, terragio, libertatibus, immunitatibus et omnibus aliis pertinentiis suis; Sanctæ Margaritæ et Sancti Martini, juxta monasterium vestrum in Sancto Audomaro, ecclesias cum decimis, possessionibus, redditibus et omnibus aliis pertinentiis earumdem; ecclesiam de Roclara cum decimis, terris, redditibus et omnibus aliis pertinentiis suis; ecclesiam de Wertkerka cum decimis, terris, redditibus et omnibus aliis pertinentiis suis; de Etholinghem et de Lieswerghe ecclesias cum decimis, possessionibus, redditibus et omnibus aliis pertinentiis earumdem, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis et pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis.

Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos, vel laicos liberos et absolutos e sæculo fugientes ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem fas sit sine abbatis sui licentia, nisi arctioris religionis obtentu, de eodem loco discedere; discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere; quod si quis retinere forte præsumpserit, licitum sit vobis in ipsos monachos vel conversos regularem sententiam promulgare, illud districtius inhibentes, ne terras, seu quodlibet beneficium ecclesiæ vestræ collatum, liceat alicui personaliter dari, sive alio modo alienari absque consensu totius capituli vel majoris aut sanioris partis ipsius. Si quæ vero donationes vel alienationes, aliter quam dictum est, factæ fuerint, eas irritas esse censemus.

Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi a diœcesano episcopo vobis volumus exhiberi. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotione et extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint nisi forte excommunicati, vel interdicti fuerint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Deum et beati Benedicti regulam providerint eligendum. Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausu-

ras locorum seu grangiarum vestrarum, nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates et immunitates a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus monasterio vestro concessas, necnon et libertates et exemptiones sæcularium exactionum a regibus et principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia, ac etiam super prædictis decimis moderatione Concilii generalis.

Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eodem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Honorius, catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Guala, Sancti Martini presbyter cardinalis tituli Equitii.

Ego Stephanus, basilicæ duodecim Apostolorum presbyter cardinalis.

Ego Thomas, tituli Sanctæ Sabinæ presbyter cardinalis.

Ego Hugo, Hostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Conradus, Portuensis et Sanctæ Rufinæ episcopus.

Ego Guido, Prænestinensis episcopus.

Ego Octavianus, Sanctorum Sergii et Bachi diaconus cardinalis.

Ego Rainerius, Sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis.

Ego Stephanus, Sancti Adriani diaconus cardinalis.

Datum Laterani, per manum domini papæ, III nonas martii, indictione XV, Incarnationis Domini anno MCCXXVII, pontificatus vero domini Honorii papæ III anno undecimo.

LXXIV

Ad Nicosiensem archiepiscopum.

5 martii 1227.

[Mas Latrie, Hist. de Chypre, II, 48.]

Nicosiensi archiepiscopo, ut se subducat a prosecutione negotii circa filiam reginæ Cypri et ejus maritum de consanguinitate suspectos; idemque negotium patriarchæ Hierosolymitano committit.

Laterani, III nonas martii, anno undecimo.

LXXV

Ad patriarcham Hierosolymitanum et episcopum Acconensem.

5 martii 1227.

[Mas Latrie, Hist. de Chypre, II, 48.]

Patriarchæ Hierosolymitano et episcopo Acconensi committit negotium filiæ reginæ Cypri et filii comitis Tripolitani de consanguinitate inter eos.

Laterani, III nonas martii, anno undecimo.

LXXVI

Ad Fridericum Romanorum imperatorem et regem Siciliæ.

[Sartius, de archig. professo. I, II, 74.]

Ejus locum licet immeriti obtinentes in terris, quæ pax nostra fecit utraque unum, duos parietes venientes e diverso conjungens in se ipso lapide augulari, nascentibus debemus obviare discordiis, et intendere sollicite, ac diligenter ad ea, quæ sunt concordiæ unitatis, et pacis. Cum ergo nuper inter te, ac societatem Lombardiæ, Romaniolæ, atque Marchiæ discordia ejus orta esset, nos attendentes, quod res, nisi obsisteretur principiis, asserebat impedimentum negotio Terræ Sanctæ, pro quo est tanto tempore laboratum, dignum duximus interponere partes nostras. Te igitur, et prædictis totum ipsum negotium in nostra, et fratrum nostrorum providentia, et dispositione libere, ac absolute ponentibus, idque declarantibus per litteras, et publica instrumenta, nec non per solemnes procuratores, et nuntios,

propter hoc ab utraque parte ad nostram præsentiam destinatos, cum inter cætera fuisset ex parte sua propositum, quod, impediente societate prædicta, nequiveras juxta propositum tuum procedere contra pravitatem hæreticam, quæ partes illas dicitur graviter infecisse, ac relevare libertatem ecclesiasticam, quæ ibidem multipliciter asserebatur oppressa, nec procurare subsidium Terræ Sanctæ, propter quod specialiter ad partes ipsas duxeras accedendum, quodque captivi tibi contra jus, et honorem imperii fuerant denegati : Nos iis, et aliis, quæ fuerunt hinc inde proposita, plenius intellectis, de providentia sic duximus statuendum, ut tu, videlicet pro reverentia Crucifixi, et negotio Terræ Sanctæ, tuo et filii tui, et imperii nomine iis, qui sunt de societate jam dicta universaliter singulis, et singulariter universis remittas omnem rancorem, malevolentiam, injurias, et offensas, omnia quodque banna, constitutiones, sententias, et ordinamenta, quæ fecisti, vel imposuisti per te, vel per alium, aliusve pro te societati, vel alicui de societate prædicta, civitatibus, locis, et personis de ipsa societate, et quæcumque ex eis, vel ob ea secuta sunt penitus revoces, et specialiter constitutionem factam de studio, et studentibus Bononiæ, universos et singulos, qui occasione alicujus prædictorum læsi vide rentur, restituens in integrum in omnibus, et per omnia suo statui, atque famæ, remittendo infamiam omnem, et pœnam, quæ sæcuta sunt ex aliquo prædictorum, ita quod ea quæ medio tempore per eos acta sunt, non obstantibus supradictis, robur obtineant, quod alias debuerant obtinere ad hæc civitates, loca, et personas de ipsa societate recipias in tuæ gratiæ plenitudinem, et eis facias firmam pacem specialiter Marchionis Montisferrati, Mediolano, Placentiæ, Vercellis, Bononiæ, Faventiæ, Alexandriæ, Taurino, Laudi, Bergamo, Brixiæ, Mantuæ, Veronæ, Paduæ, Vicentiæ, et Tervisio, Cremæ, Ferrariæ, et comitibus de Blandrato, aliisque locis, et personis quibuslibet societatis ejusdem, facias etiam restitui captivos, qui sunt capti occasione hujus discordiæ cum bonis eorum, ac alia, quæ occasione ipsius discordiæ capta sunt vel detenta. Insuper quoque facias fieri patentes litteras ex parte filii tui, qui pacem et concordiam istam ratam habebit, et firmam, et remittet illis de societate omnem rancorem, malevolentiam, injurias, et offensas. Hi vero qui sunt de societate jam dicta ad honorem Dei Omnipotentis, et Ecclesiæ Sanctæ suæ, ac tui dent tibi, pro subsidio Terræ Sanctæ in expensis ejusdem societatis per biennium milites quadragintos, ac civitatibus, locis, et personis tuæ imperiali excellentiæ adhærentibus tam ecclesiasticis, quam mundanis faciant pacem, et inviolabiliter servent, remittentes eis omnem rancorem, malevolentiam, injurias, et offensas, ac revocent omnia banna, constitutiones, sententias, et ordinamenta, quæ fecerunt, vel imposuerunt civitatibus, locis, et personis imperiali tuæ celsitudini adhærentibus, et quæcumque ex eis secuta sunt, vel ob ea. Captivos, qui occasione hujus discordiæ capti sunt cum bonis eorum, et alia quæ occasione ipsius discordiæ capta sunt, vel detenta restituant, ita quod adhærentes tibi similiter eis faciant, et observent. Alii autem captivi secundum jus imperii restituantur, cum tu legatum tuum in Lombardiam pro pace reformanda inter discordes duxeris destinandum. Constitutiones vero, leges, et statuta ab ecclesia Romana, et Romanis imperatoribus, et specialiter a te contra hæreticos, receptatores, defensores, credentes, et fautores eorum hactenus promulgata, vel imposterum promulganda recipiant, et observent inviolabiliter, et efficaciter exsequantur, constitutionibus, municipalibus editis contra tales, nihilominus in suis locis firmiter observandis. Potestates autem, Consules, et rectores civitatum, aliorumque locorum, quocumque nomine censeantur, jurent, quod illa fideliter observabunt, idque suos jurare faciant successores, ponentes eas in statutis civitatum, aliorumque locorum, illa inde nequaquam imposterum deleturi. Statuta omnia communia, et particularia facta contra ecclesias et ecclesiasticam libertatem penitus revocent de suis constitutionibus, deleant, et ea vel eis similia de cœtero non resumant. Lateranensis quoque statuta Concilii, et constitutiones a nobis, et leges a te super iis editas observent, et jurent imposterum observare, suosque jurare faciant successores. Porro prædictos quadragintos milites in eundo, morando, redeundo sub nostra, et speciali Apostolicæ Sedis protectione suscipimus cum omnibus bonis suis, iidemque teneantur ire in tui passagio, quod a te statutum est, et a Romana ecclesia approbatum. Tu ergo, fili carissime, supradicta omnia pro parte tua serves sicut imperialem decet constantiam inconcussa, ac super hoc nobis juxta tenorem, quem tibi transmittimus, tuas patentes cures usque ad proximam Dominicam instantis Qua-

dragesimæ transmittere litteras tuæ majestatis typario insignitas.

Datum Laterani nonis januarii, pontificatus nostri anno undecimo.

LXXVII

Sanctissimo in Christo Patri, et Domino Reverendo Honorio, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo et universali Pontifici Rectores societatis Lombardiæ, Marchiæ, et Romaniolæ totaque ipsa societas fratrum pedum osculum cum debito famulatu.

[Mss. La Porte du Theil, Biblioth. nat., t. 1184, p. 71.]

Quod constitutiones pacis acceptarunt, et sigillis appositione munierunt Gregorius, etc.

Inter cætera quæ mansuetudinis vestræ sapientia statuit, et ordinavit, sicut vestræ nobis litteræ declararunt hæc de fratrum vestrorum providentia piissime decrevistis, ut nos ad honorem Dei omnipotentis, et Ecclesiæ Sanctæ suæ, ac vestrum, demus majestatis imperatoriæ pro subsidio Terræ Sanctæ in expensis nostris per biennium milites quadragintos, ac civitatibus, locis, et personis, celsitudini imperiali adhærentibus, faciamus pacem, firmiterque servemus, remittentes eis omnem rancorem, malevolentiam, injurias, et offensas, omniaque banna, constitutiones, sententias, et ordinamenta, quæ fecimus, vel imposuimus civitatibus, locis, et personis celsitudini imperiali adhærentibus, et quæcumque ex eis, vel ob ea secuta sunt penitus revocemus, ac restituamus captivos, qui occasione hujus discordiæ capti sunt cum bonis eorum et alia, quæ occasione hujus discordiæ capta sunt vel detenta; ita quod adhærentes imperiali sublimitati similiter nobis faciant, et observent. Alii autem captivi secundum vis restituantur imperii; cum majestas imperialis legatum suum in Lombardiam pro pace reformanda inter discordes duxerit destinandum. Constitutiones vero, leges, et statuta ab Ecclesia Romana et Romanis, imperatoribus, ac specialiter a clementia Domini Frederici Romanorum imperatoris semper augusti, et regis Siciliæ contra hæreticos, receptatores, defensores credentes, et fautores eorum hactenus promulgata, vel imposterum promulganda, recipiamus et observemus inviolabiliter, et efficaciter exsequamur constitutionibus municipalibus editis contra tales, nihilominus in suis locis firmiter observandis. Civitatum autem, aliorumque locorum potestates, consules, et rectores, quocumque nomine censeantur jurent quod illa fideliter observabunt. Idemque suos jurare faciat, successores, ponentes ea in statutis civitatum aliorumque locorum ea inde nequaquam vel imposterum deleturi. Statuta omnia communia et particularia facta contra ecclesias, et ecclesiasticorum libertatem penitus revocent, de suis constitutionibus deleant, et ea, vel eis similia de cœtero non resumant. Ad hæc statuta Lateranensis concilii, et constitutiones a vobis, et domino imperatore super iis editas observent, et jurent imposterum observare; suosque jurare faciant successores. Supradicti vero quadraginti milites teneantur ire in passagio domini imperatoris, quod ab ipso imperatore statutum est, et a Romana ecclesia approbatum. Nos igitur omnia, quæ super his a vestra sanctitate, et vestris fratribus ordinata sunt, et statuta, volentes inconcussa servare, promittimus nos ea omnia, sicut superius plenius sunt expressa humiliter et fideliter completuras. Ad plenam autem certitudinem præsentes litteras juxta vestrum beneplacitum, et mandatum per manum publicam scribi fecimus, et sigillorum nostrorum appensione muniri. Acta sunt hæc anno a nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo vigesimo septimo, indictione decima quinta die lunæ mense exeunte Martio in civitate Brixia, in quadam Caminata Domini episcopi Brixien... Præsentibus domino agone de Turbiado archidiacono, domino Lanfranco archipresbytero majore canonicæ Brixiæ. Magistro Alberto de Bornado canonico Brixien. Fratre Jacobo. Fratre Rogerio de ordine Fratrum prædicatorum. Guidone notario de Folliano et Girardo Spalla notario de Placentia, et aliis multis testibus rogatis. Ego Johannes Sanaler Sacri Palatii notarius his interfui, et rogatus hic perpetravi, et cripsi.

LXXVIII

Ad Remensem, Parisiensem, aliosque canonic. collegos.

[Mss. La Porte du Theil, Biblioth. nat., t. 1184, p. 53.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Remen., et aliis capitulis salutem et apostolicam benedictionem.

Præsentatæ paginæ Senonen., et Parisien capitulorum tenor exhibitus amarissimæ mhirræ fasciculum nobis de novo in cruce carnis et patibulo spiritus immolatis exhibuit, qui ita

paginam cordis nostri inauditæ turbationis calamo, et novæ amaritudinis attramento conscripsit, quod scripturam nec lugubris mentis gemitus, nec lacrymarum fluvius oblitterare valeat, quam nostro animo, quasi ungue adamantino novo cudendi genere stilus exarati doloris impressit. Quomodo lugens valeat consolare merentem, dolensve delinire dolores, cum contraria suis curentur oppositis, non est facile reperire. Nemo quærat ab amaricato quod sapiat, ab exasperato quod mulceat, quia exterminantur in verbis mella dulcedinis, ubi totum pectus occupat vis doloris. Principium principis inclyti quondam Regis Ludovici claræ memoriæ negotium pacis et fidei fideliter promoventis ecclesiæ matri suæ attulit risum, et gaudium, sed æmulæ mortis fato miserando subtractus risum in luctum convenit, gaudium in lamentum, totumque negotium, quod felicibus Deo auctore promovebatur auspiciis mortis suæ gladio graviter vulneravit, sed successione prolis obducta vulneris cicatrice quasi reviguit, et spem futuri fructus præteritis laboribus, penitus non ademit. Verum quod dolentes referimus verendum est ne novum infortunium negotio pacis, et fidei sic infortunate succedat, ut scintillam spei, quæ in clerici devotione remanserat flatus exortæ malignitatis extinguat. Sed absit quod hoc negotium unius culpa perimat, pro quo tot martyrum sanguis, sub altare Dei voce indefessa clamat, præsertim cum potius ecclesiastica libertate tuenda, quam pro negotii subventione vitanda duxeritis appellandum. Regnoscimus siquidem, et fatemur, quod ecclesia Gallicana post Apostolicam sedem quoddam totius Christianitatis est speculum, et immotum fidei firmamentum, utpoteque in fervore fidei Christianæ, ac devotione Apostolicæ Sedis non sequitur alias, sed, ut cum earum pace dixerimus, antecedit, cujus devotionem verbis extollere superfluum reputamus, cum sit claris operibus manifesta. Intellectis igitur gravaminibus vobis a dilecto filio nostro R. Sancti Angeli diaconi cardinalis Apostolicæ Sedis legato per ordinationem quamdam Senonis editam irrogatis, tacti dolore cordis intrinsecus, et gravi admiratione commoti, eumdem legatum litterarum asperitate nostrarum, ut decuit, redarguimus, et ei continuo dedimus in virtute obedientiæ firmiter in præceptis, ut ordinationem ipsam sive quocumque alio nomine factum hujusmodi censeatur, omnino revocet sine mora. Ita quod revocatio ipsa ultra tres dies post receptionem litterarum nostrarum nullatenus differatur, et expresse inhibeat ne quis contra vos, seu alias personas ecclesiasticas, sive bona ipsarum aliquam occasione prædicta præsumat violentiam exercere; ac restitui faciat universa, si qua occasione jam dicta sunt de bonis ecclesiasticis occupata. Denique volentes vobis, et aliis, quos hoc negotium tangit plenis providere venerabilibus fratribus nostris... Cenomanen... et... Aurelianen. episcopis, in dilecto filio abbati de Burgomedio Blesen. per scripta nostra mandavimus, ut si cardinalis ipse, nostrum, quod omnino non credimus, neglexerit, vel distulerit adimplere præceptum, aut forte ad præsentiam nostram regrediens terminos fuerit suæ legationis egressus, ipsi id auctoritate Apostolica exsequentes ordinationem contra vos Senonis editam, ac vobis postmodum ipsius legati litteris intimatam denuntient penitus irritam, et inanem, et expresse inhibeant, ne quis ea occasione præsumat ecclesiastica bona invadere, vel turbare quoslibet qui secus attentare præsumpserit a præsumptione hujusmodi compescentes, et compellentes nihilominus ad reddendum, si qui forte occasione jamdicta aliqua de bonis ecclesiasticis occuparunt, nec impediri permittant, quin illi voluerint libere valeant ad nostram venire præsentiam, personas, et bona eorum, ac aliorum clericorum de dictis provinciis defendentes, et conservantes illæsa, molestatores eorum efficaciter compescendo, auctoritate conservationis hujusmodi, quamdiu nobis placuerit, duratura. Firmiter denique gerimus in proposita facere omnia, quæ pro conservationis vestri honoris ac status secundum Deum et honestatem viderimus facienda.

Datæ ultimo Honorii III pontificatus anno.

FINIS TOMI QUINTI ET ULTIMI.

INDEX MATERIARUM

QUÆ IN HOC THOMO QUINTO CONTINENTUR.

HONORII III, PONTIFICIS ROMANI

EPISTOLÆ.

LIBRI DECIMI CONTINUATIO.

LIBER UNDECIMUS.

LIBER UNDECIMUS.

BIBLIOTHECA
PATRISTICA
MEDII ÆVI

ÉVÊCHÉ
DE FRÉJUS ET TOULON.

A MONSIEUR L'ABBÉ HOROY.

6 juillet 1880.

« Vous ne doutez pas de toutes les sympathies de Monseigneur pour votre « Œuvre : vos anciennes relations, qu'il n'a pas oubliées, semblaient en demander « les preuves qu'il s'est plu à vous accorder (voir en tête du premier volume de « *Honorius*). Monseigneur désire vivement et espère qu'il se trouvera, dans le « cercle de vos relations plus habituelles, des personnes dont le concours vous « permettra de ne pas laisser inachevée l'Œuvre de la nouvelle *Patrologie*.

« Agréez, etc.

« P. TERRIS, Vic. gén. »

MEDII ÆVI
BIBLIOTHECA
PATRISTICA

SEU EJUSDEM TEMPORIS

PATROLOGIA

AB ANNO MCCXVI USQUE AD CONCILII TRIDENTINI TEMPORA;

SIVE

OMNIUM DOCTORUM, JURIS CONSULTORUM, SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,
AC PRÆSERTIM SUMMORUM PONTIFICUM,
QUI AB INNOCENTIO III USQUE AD PIUM IV FLORUERUNT, OPERUM QUÆ EXSTANT, VEL EDITA
SED IN PLURIBUS LOCIS ET VOLUMINIBUS DISPERSA, VEL INEDITA,
IN QUANTUM FIERI POTUIT,

AMPLISSIMA COLLECTIO, CHRONOLOGICE RECUSA AD EXEMPLAR PATROLOGIÆ MIGNE

Et ad ejusdem *Patrologiæ* continuationem

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS ET CODICES MSS., TUM SOLERTI TUM DILIGENTI CASTIGATIONE EMENDATA;
DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS ILLUSTRATA;
INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS AUCTA; GENERALIBUS VERO INDICIBUS AMPLIFICATA,
RERUM SCILICET ET SCRIPTURÆ SACRÆ LOCORUM.

SERIES PRIMA

QUÆ COMPLECTITUR OMNES DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ
AD SÆCULUM DECIMUM TERTIUM PERTINENTES,

Recognoscente et annotante

HOROY,

SACERDOTE E BELLOVACENSI DIŒCESI ORIUNDO,
Dre Romano in sacra Theologia,
Licentiato in Jure Gallico, Dre Rom. in Jure civili, Dre in Jure ecclesiastico, Advocato Romano,
Dre tum in Philologia Græca et Latina, tum in Archæologia et Historia,
Dre Rom. in Philosophia, Scientiis Mathem. et Physicis,
Dre Scientifico in Philosophia et Litteris in Universitate Leodiensi.

BIBL. PATRISTICÆ TOMUS SEXTUS.

S. FRANCISCI ASS. TOMUS UNICUS.
S. ANTONII PADUANI TOMUS PRIMUS.

PARIS
IMPRIMERIE DE LA BIBLIOTHÈQUE ECCLÉSIASTIQUE
AVENUE D'ORLÉANS, 32

1880

SÆCULUM XIII. — ANNI 1216-1232.

S. FRANCISCI ASSISIATIS

SERAPHICI

MINORUM PATRIARCHÆ

OPERA OMNIA

JUXTA EDITIONEM R. P. DE LA HAYE, IN GALLIA MINORUM PROCURATORIS GENERALIS,

Sed in melius disposita, et a mendis quam plurimis expurgata,

CUM VITA EJUSDEM A B. BONAVENTURA CONSCRIPTA IN INTEGRUM RESTITUTA,
CUMQUE NOTIS IN IMA PAGINA REJECTIS ET A GENUINO AUCTORIS TEXTU DISSOCIATIS.

EDITIO ACCURATA ET NITIDIOR.

S. ANTONII PADUANI

EJUSDEM ORDINIS

OPERA OMNIA

JUXTA EDITIONES R. P. DE LA HAYE, R. P. AZZOGUIDII, R. P. PAGI.

JUXTA ETIAM MS. PADUANUM,
IN BIBLIOTHECA ANTONIANA ASSERVATUM, A SACERDOTE DELADREUE RECENS COLLATA..

EDITIO ACCURATA, A MENDIS EXPURGATA.

CUM INDICIBUS AMPLISSIMIS RERUM MEMORABILIUM ET SCRIPTURÆ SACRÆ LOCORUM.

S. ANTONII PADUANI OPERUM.
TOMUS PRIMUS.

PARIS

IMPRIMERIE DE LA BIBLIOTHÈQUE ECCLÉSIASTIQUE
AVENUE DORLÉANS, 32.

1880

ELENCHUS

OPERUM QUÆ IN HOC TOMO SEXTO CONTINENTUR.

SANCTUS FRANCISCUS ASSISII.

BEATUS ANTONIUS PADUANUS.

MONITUM

A R. P. JOANNE DE LA HAYE CONSCRIPTUM.

(Anno 1641.)

BENIGNO LECTORI

Promissis nequaquam starem, si sanctorum ordinis nostri seraphici monumenta luci vel emendatiora, vel auctiora non restituerem, ut tandem sanctam posteritati consignem *Bibliothecam Franciscanam*: hinc ab aliquot annis, post absolutos in *Genesim* Commentarios nostros, quatuor tomis S. Bernardini Senensis opera distincta, et correctiora, et cum plurimorum tractatuum additione, tibi obtuli munus non ingratum; nunc, perfecta in *Exodum* nostra expositione litterali et conceptuali, in medium prodeunt monumenta omnia tum nostri seraphici patriarchæ Francisci, tum ejus discipuli S. Antonii Paduani; subsecuturi brevi plures ex MSS. tractatus insignes S. doctoris et cardinalis Bonaventuræ: tandem coronidem imponent aliorum scripta beatorum.

Quem laborem impenderim in evulgando Antonio, quid de novo addiderim, quibus illustraverim, in procemio ad eumdem breviter referam, quid autem præstiterim in Opusculis D. Francisci a me de novo recusis, non est quid proferam, aliorum honori et studio detrahere nescius, sed potius consulere, posteritas enim semper grata tanto beneficio, se ea a R. admodum P. Luca Wadingo, viro eruditissimo, hujus temporis altero Baronio, ordinis nostri decore et ornamento singulari, accepisse testabitur, qui summo labore in unum collecta publici fecit juris, doctissimis illustrata commentariis. Cur ergo ea denuo typis mandaverim forte sciscitaberis, ingenue referam: nequaquam hoc onus suscepissem, nisi amicorum preces importunæ coegissent, et validissima ad id impulisset ratio, nempe *Bibliothecam* nostram *Franciscanam* fore imperfectam, ni omnium scriptorum antesignanus Franciscus in ea primum locum obtineret, eisdem caracteribus quibus alumni, exaratus, tum cum neminem putem, qui divum hunc non diligat; neminem etiam qui in suis bibliothecis, ejusdem magnitudinis ac aliorum opera, non velit legere et quasi loquentem audire. Quomodo autem hæc inventa Opuscula, cur hucusque delituerint: eorum collector et reparator in hunc modum, in *Præfatione* sua ad lectorem, satisfaciet:

Quod delituerint hucusque hæc tanti viri Opuscula, non obinde tanquam non sua, contemnenda; nisi et quæ aliorum sunt indubitata, noviter reperta, irreverenter et temere rejicienda velimus. An quia post mille centenos annos inventus ab illustri et docto viro Davide Rhoto Hiberno, in *Bibliotheca Fesulana* canonicorum regularium in Etruria, liber *De gestis Pelagii* contra adversarios gratiæ, ab eodemque extractus per illustriss. D. Petrum Lombardum archiepiscopum Armachanum, totius Hiberniæ primatem, respuendus tanquam suppositilius Augustini fœtus, qui pro legitimo seorsim multis jam prodiit in locis, et in editione Parisiensi anno 1614, cæteris ejusdem doctoris operibus insertus est, et quem ipse lib. II *De Peccat. orig.*, c. XIV, et lib. II, *Retract.*, c. XLVII, se scripsisse testatur, quem etiam Prosper et Beda in suis operibus citant, *Lovaniensesque*, t. VII,

post librum *De natura et gratia* reponendum, dummodo extaret, admonuerunt? Septimus etiam liber ejusdem *contra Julianum* noviter erutus e tenebris, ob eamdem rationem Augustini esse denegabitur? Commentaria illa in Epistolas Pauli, quæ Anselmo Cantuariensi tribuuntur (1), prodierunt in lucem ferme quadringentis quinquaginta annis ab obitu Anselmi, vel si mavis ea Hervæo adscribere, adnumera quot inter hujus ætatem et annum 1533, quo primum edita sunt, intercedunt. Vide in recentioribus editionibus operum Bernardi, quot accreverunt Epistolæ, quas ab eo conscriptas esse nullum probis viris dubium. Omnium ferme sanctorum Patrum opera posterioribus his sæculis prodiere auctiora, et quædam duplo seipsis majora. An quæ Henricus Canisius, multarum antiquitatum vindex, sanctorum veterumque virorum Vitas et scripta in sua *Antiquarum lectionum* volumina congessit, quia infirmis, post longas multorum sæculorum tenebras, oculis novam solis aciem ferre videbantur, nec vera, nec legitima, sed a tanto viro conficta dicemus? Simile demum anne feremus judicium de tot tantisque operibus, quæ successivis editionibus facta sunt juris communis : in *Bibliotheca veterum Patrum*, ut nullum genuinum adscripti auctoris esse dicatur? An tandem omnes collectiones Conciliorum factas post primam illam nostri sæculi compilationem, a Petro Crab Minorita elaboratam, quo auctiores, eo falsiores et fictiores asseverabimus? Imprudens et impudens certe sententia. Ad tam manifesta exempla nimius certe erit scrupulus de his admittendis operibus, indigna prorsus prudenti viro admiratio ad horum operum excusionem, præsertim cum Francisci spiritum verba ipsa redoleant, ipsum esse Franciscum auctorem, stylus doceat, argumenta demonstrent, et omni exceptione majores confirment testes.

Illinc tibi forsan scrupulus, quod hominem rudiorem, et totius humanæ litteraturæ ignarum putaveris. Vulgaris hic de tanto viro conceptus, quem contemptibiliter et malitiose ad Franciscanum exprobrandum Institutum (o nimiam hujus temporis licentiam!) quidam male sanæ mentis præ rostris et ex suggestis expresserunt. Vere nullus seipso demissius de eo sensit, quippe se et suos ad extremum vitæ, halitum idiotas dixit. Hoc autem ego ejus profundæ tribuerim humilitati : nam reipsa inter socios, quos secum idiotas vocavit, quidam docti erant, nec mediocriter eruditi. Vel si adhuc idiotam velis, id tibi concesserim, modo de mundana et inani scientia sit sermo. Ab hac etenim penitus alienum, eamque in suis abhoruisse, docent ejus *Collationes* XV, XVI et XVII.

Erat sapientia ejus cœlica, inquit Bernardinus Senensis (2) desursum descendens, pudica, pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis. Proinde a Salomone dicitur in persona Francisci : *Stultissimus* (3) *sum virorum, et sapientia hominum non est mecum; non didici sapientiam, et novi scientiam Sanctorum.* O bonam scientiam, qua sancti viri occulta Proverbiorum exquirunt, et in absconditis Parabolarum conversantur; et qua plenus hic Theodidactus Franciscus enodabat dubia quæstionum, et abscondita producebat in lucem (4). Nec mirum, cum per Sancti Spiritus unctionem plenariam Scripturarum doctorem apud se haberet in corde. » Porro scientiam sæculi calcavit, sed cœli sapientiam obtinuit : propterea de eo Gregorius IX (5), dixit, quod Gregorius Primus de Benedicto (6), quod multos prævenerit scienter nescius, et sapienter indoctus. Etsi idem Magnus Gregorius dicat Benedictum doctrinæ verbo non mediocriter fulsisse, quia scripsit *Monachorum Regulam* discretione præcipuam, sermone luculentam : an non doctus Franciscus, qui quatuor ex ipsa medulla Evangelii concinnavit Regulas, sub quibus adeo propagata est regularis pietas, ut sub alia nunquam? An non doctus, qui intricatiores theologiæ dubitationes expeditissime solvebat (7), et prædicabat cum tanta admiratione inter christianos et infideles, ut doctores ad eum, quasi ad oraculum ventitarent, ad percipienda difficiliora, quæ pervia et manifesta menti non erant?

Nec absque omni prorsus studio totum

(1) Vid. Possev. in Appar. verbo *Anselm. Cantuar.*
(2) Senen., tom. II, Serm. LX, art. 1, c. 2.
(3) Prov., XXX. Eccl., XXXIX.
(4) Bonav., c. II, Legen. in princ. Indidem.
(5) Greg. IX, in *Bul. canoniz.* : Mira circa nos.
(6) Greg., lib. II, *Dial.*, Præf.
(7) Jacob. Suarez, Serm. VI, Octavæ Corp. Christi ad fin.

hoc scientiæ lumen infusum : quippe, ut testatur Bonaventura, cum paucas litteras sciret, postmodum in litteris profecit in ordine, non solum orando, sed etiam legendo.

Quod legebat quandoque in sacris libris, et quod semel animo injecerat, tenaciter imprimebat memoriæ (1). Humaniores etiam litteras juvenculus studiose salutavit, earumque aliqualem comparavit notitiam, ita ut sincero et simplici potuerit exarare sermone, quæ orando et legendo percipiebat mysteria. Unde ergo tibi digna admiratio, quod Franciscus ex Scripturæ penu humilia et spiritualia conscripserit Opuscula, qui Scripturæ doctorem habebat in mente, qui orationi studium adjunxit, nec tempus omne præteribat absque lectione? Omnem removebis scrupulum, et admirari cessabis, qui Francisci spiritus non prorsus ignarus, ipsa Opuscula cum suo contuleris auctore. Plane, ut dixi, ipse quem emittunt spiritum, Franciscanus est; ipsum spirant Franciscum : et si hunc fœtum alteri adscripseris patri, adulterinus apparebit; si Francisco, vere genuinus, vere legitimus.

Novi te curiosius adhuc scire velle, unde post integra sæcula mihi hæc Opera colligendi et illustrandi irrepsit studium, quod nec Patres nostri, nec horum antesignani tam vasto temporis tractu sunt aggressi : Dicam sincere, meum hoc conamen in Francisci, si quæ est, laudem, ab aliorum vituperandi studio sumpsisse exordium. Cum enim scioli quidam, suo dumtaxat judicio cæteris sapientiores, nobis objicerent in re litteraria ignaviam et imperitiam, eamque veluti hæreditario opprobrio ab institutore acquisitam adjicerent, volui ob oculos ponere hujus sancti viri doctrinam, ex qua constet non tam nescium, quam volunt, fuisse, nec studium litterarum suis exemplo interdixisse, sed consuluisse; imo et tam clare ex Regula præscripsisse, ut asserat Bonaventura (2), ex Regula patere, quod Minoribus ex intentione B. Francisci incumbit studere ; et quod nullis aliis religiosis plus competit prædicare, ex ratione status sui, quam his qui hanc Regulam profitentur.

Firmavit autem meum propositum reverendissimus pater Benignus Genuensis, nostri sodalitii primicerius, communis nostri boni et honoris ardens zelator, imposito præcepto et commissa provincia celebriores nostri nominis viros, quorum præsentior fama quam scripta, quæ in angulis sub plateisque delitescunt, a blattis et tineis, a pulvere et temporis injuria vendicandi. Difficile licet et laboriosum hoc præceptum, mihi fateor gratum : nihil enim tam desideravi, quam ut nomina eorum, qui nos præcesserunt, et quorum labores nostros fulciunt et augent honores, sint in memoria æterna ; et quod in Ecclesiæ obsequium laborarunt, in publicam et præsentem Ecclesiæ cedat utilitatem. Facta mihi est ampla copia plura tabularia et bibliothecas in Urbe et extra Urbem visendi et evolvendi, et passim ubique occurrebant, qui amplissimæ cuivis religioni satis possent honori et ornamento.

A capite autem incipiendum duxi, et ipsum illustrandum Franciscum, a quo illustremur et nos, et a quo ad suos doctrinæ splendor descendat. Laboravi in investigando, laboravi et in illustrando quæ investigavi. Quasdam enim vel obsoletas vel barbaras voces exprimere oportuit, alias ad nostri hujus temporis fundatissimam theologiam componere, variorum insuper codicum concordare, vel ut minimum insinuare, diversas lectiones et ad Operis splendorem, Lectoris utilitatem restituere.

Nolim autem desidiæ aut incuriæ nostros quispiam incuset anteriores consodales, quod in hunc usque diem hanc neglexerint collectionem. Etenim, præterquam quod quidquid hic ego omnibus offero, in rerum nostrarum monimentis notatum invenerim, primævos illos nostros patres plus operi indulsisse responderim quam calamo, et in agendo plus operæ quam in scribendo posuisse, cum iisque sensisse, qui veram philosophiam non verba, sed res putant (3), et illum sibi statuisse ordinem docendi, ut alii verborum, illi vero rerum magistri merito dicerentur (4). Nec obinde Patris monita, salutariave hæc dogmata neglexisse dicendi, quia ad modum Pythagoræorum discipulorum memoriter tenentes præcepta Doctoris, ingenio pro libris utebantur. Ad Sa-

(1) Idem in Legen., c. 11, in princ. Indidem; c. 1, in princip.
(2) Bonav. in c. IX, Regulæ 2, in fine.

(3) Plutar., Orat. I, De virt. Alexand. post princ.
(4) Aug., l. II, de Ordine, c. 10, tom. I. Hieron. Apolog. advers. Ruffin. ant. fin., tom. II.

pientis consilium (1) ligabant ea in digitis suis, opere exsequendo, et scribebant illa in tabulis cordis sui, firmiter memoriæ commendantes. At postquam optima illa tabularia, vivique hi magistri vivis abierunt, et morum dissimilitudine studioque diverso in contraria rapti nostri consodales, varios fines, vel liberioris et amplioris litteraturæ, aut strictioris solitariorisque vitæ, sibi statuerunt, in pluresque se familias dissociarunt (2), plurimum passæ sunt dispendii (præter aliam illam jacturam D. Bonaventuræ ætate) tabulæ, monimenta, archivaque Religionis; nec tam facile erat colligere, quæ non solum per plures conventus, sed et per distinctas familias erant dispersa. Prævidi ego laborem, et horrui; sed omnium nostrorum quarumcumque Minorum Congregationum prælatorum benignitate, qui liberum ad sua præbuerunt accessum, Deo duce et adjutore tandem opus absolvi.

Hæc Wadingus cui sicut aliquid substraxisse crimen est, sic aliquid addidisse temeritas. Nullis enim jam remanet scrupulus, qua de causa ante primam editionem hæc opuscula per tot delituerint tempora, nempe post plenos quadringentos annos, quo labore in unum collecta, quodque fœtus Francisci legitimus, et quod doctrina illius cœlestis. Vale, nostri memor apud Deum.

(1) Prov. VII. Lyra ibidem.

(2) Vide Petrum Rodulphum, in *Epist. nuncupat.* ante *Libros Histor. Seraph.*

AD OPERA

SANCTI FRANCISCI ASSISIATIS

MINORUM PATRIARCHÆ

PROLEGOMENA

VITA SANCTI PATRIARCHÆ

A S. BONAVENTURA S. R. E. CARDINALI CONSCRIPTA.

PROŒMIUM

A R. P. JOANNE DE LA HAYE IN CAPITE SUÆ EDITIONIS (ANNO 1641) POSITUM,

QUOD TRIPARTITUM EST ET COMPLECTITUR :

I. ELOGIA; II. TESTIMONIA; III. JUDICIUM GRAVISSIMORUM AUCTORUM.

I

1° ELOGIA IN SANCTUM PATREM FRANCISCUM: IN PRIMIS EORUM QUI ILLIUS ORTUM, ET INSTITUTUM PRÆDIXERUNT.

Sanctum hunc Patriarcham, optimumque ejus collegam Dominicum Guzmanum, præclarissimi prædicatorum sodalitii institutorem, pluribus antequam nascerentur sæculis, prænunciavit Sybilla Erythræa, quæ floruit quinta in ordine Sybillarum, quamque sub Achaz, vel Ezechia regibus Juda, et Romulo Romæ conditore putat B. Augustinus vixisse (1), licet in fine illius capituli referat quosdam esse, qui eam sub belli Trojani tempore ferant. Prædixit hæc plura, de Christi adventu, de Ecclesiæ statu, de novissimo Judicio. Hæc ex ea referunt verba Bartholomæus Pisanus (2), Joannes Garson (3), Petrus Rodulphus (4), Henricus Sedulius (5), et alii : In ultima ætate humiliabitur Deus, et humiliabitur proles divina, jungetur humanitati divinitas, jacebit in fœno agnus et puellari officio decubabitur Deus et homo, etc.

Deinde adnectit : Erit autem bestia horribilis ab Oriente veniens, stellæ quoque duæ surgent contra ipsam, et non obtinebunt, donec veniat abominatio, et voluntas Altissimi consummetur. Ubi per bestiam horribilem Mahometem ; per duas stellas, duos hosce Patriarchas, qui, quasi stellæ in medio nebulæ, claris vitæ et doctrinæ micantes fulgoribus, orbem illustrarunt terrarum, citati intelligunt auctores quos sequitur Joann. Villanæus (6), et alii.

Prophetam etiam Zachariam de utroque sancto illa eructasse verba : *Assumpsi mihi duas virgas; unam appellavi decorem, alteram funiculum, et pavi gregem* (7), probat Antonius Florentinus (8), hanc subdens Joachimi abbatis expositionem : Virgæ duæ, sunt duo Ordines Mendicantium, virgæ rec-

(1) D. Aug., lib. XVIII, *de Dei civit.*, cap. 23.
(2) Pisan., lib. I, conf., c. 15.
(3) Garson, *in vita D. Dominici.*
(4) Rodulph., lib. I, *hist. Seraph.*.
(5) Sedulius in elogiis S. Franc.
(6) Villan., lib. V, cap. 34.
(7) Zacharias, XI, 7.
(8) Anton., 3 p. hist., tit. 23, c. 1, § 1.

tæ, sanctitate exiles, et graciles austeritate, percutientes doctrinæ auctoritate. Decor est ordo Prædicatorum per habitum decorum, quasi prælatorum designatus. Funiculus dicitur ordo Minorum, quia funiculo manifesto cinguntur. Et sequitur : *Et pavi gregem*, idest, populum Christianum, doctrina eorum.

Utriusque hujus virgæ mutuam, et amicam excellentiam largius prosequitur, Marianus Florentinus, in Prologo sui Fasciculi Chronicorum :

Præclarum est illud Joannis Apostoli de Francisco vaticinium, dum sub sexto sigillo ait, se vidisse *alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi* (1). Subjungo hujus visionis ex Bonaventura expositionem :

Apostoli et Evangelistæ Joannis vaticinatione veridica, sub similitudine Angeli ascendentis ab ortu solis signumque Dei vivi habentis, Franciscus astruitur non immerito designatus. Sub apertione namque sexti sigilli : Vidi, ait Joannes in Apocalypsi, alterum Angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum Dei vivi. Hunc Dei nuncium amabilem Christo, imitabilem nobis, et admirabilem mundo, servum Dei fuisse Franciscum, indubitabili fide colligimus, si culmen in eo eximiæ sanctitatis advertimus, qua inter homines vivens, imitator fuit puritatis angelicæ (2), qua et positus est perfectis Christi sectatoribus in exemplum, ad quod quidem fideliter sentiendum et pie non solum inducit officium, quod habuit vocandi ad fletum, et planctum, calvitium, et cingulum sacci signandique Tau super frontes virorum gementium et dolentium, signo pœnitentialis Crucis et habitus cruci conformis; verum etiam irrefragabili veritatis testificatione confirmat signaculum similitudinis Dei viventis, Christi videlicet crucifixi, quod in corpore sæpius fuit impressum, non per naturæ virtutem, vel ingenium artis, sed potius per admirandam potentiam spiritus Dei vivi.

Nihil autem mirum si seraphicus Doctor ita intelligendum esse hunc locum indubitabili fide se colligere dicat, dum ut refert Pisanus (3), id per revelationem sibi factam in Portiunculæ ædicula apud Assisium accepit, nec sibi soli, verum et aliis hoc certo revelatum esse testatus est in Comitiis generalibus Fratrum Parisiis, si Bernardino Senensi (4) credamus : Prædicans, inquit, in ipso Capitulo, cum maximo fervore asseruit se certissime scire per revelationes indubitabiles, et solemnes factas talibus personis, quæ de hoc non poterant dubitare, quod beatus Franciscus erat singulariter Angelus sexti signaculi et quod ad litteram de ipso, atque illius statu et ordine intellexit Evangelista Joannes, atque in spiritu eum vidit, quando protulit dicta verba, necnon et filiorum suorum perfecte imitantium Christum collegium, in omnibus senariis libri Apocalypsis clarius intellexit.

Similiter visionem hanc explicarunt Leo X (5), Jacobus a Voragine (6), et multi quorum alii verba et sententias referunt Sedulius citatus, et R. P. Antonius Deca, in suo de Stigmatibus libello.

Demum Joachimus Calaber, institutor et abbas Monasterii Florensis (7), multa prædixit de his duobus Patriarchis pluribus annis antequam nascerentur, ut habent Guliel. Pepin. (8) et Sedulius (9) ; unum offero ex ejusdem libro de *Concordia utriusqne testamenti* :

Erunt (inquit) duo viri ; unus hinc, alius inde, qui duo Ordines interpretantur ; unus Italus, et alter Hispanus : et post ipsos duos Ordines, veniet alter Ordo saccis vestitus, sub cujus tempore apparebit filius iniquitatis, qui dicitur Antichristus.

Et sequitur : Brevissimum est tempus ipsius, scilicet Tertii Ordinis, sicut brevissimi sunt dies Antichristi successoris sui. Ordo enim Minorum usque ad novissima tempora duraturus, per mare Aquilonare transibit, aspera pascua gustabit. Regina Austri proteget et fovebit eum in amaritudine sua. Flumen Euphratem transibit, et undam et impetum ejus sua prædicatione mitigabit, aspera reducentur in planum sermone ejus, Terra salsuginis, id est, Ægypti, ad Dominum convertetur per eum.

(1) Apoc., VII, 2.
(2) Isaiæ, XXI. Ezech., IX.
(3) Pisan. cit., conf. 31.
(4) Bern., t. II, serm. 60, edit. 1.
(5) Leo X, in Bull. unio.
(6) Jac. a Vor., ser. 2, de S. Francisc.
(7) Trith., de scriptor. Eccles.
(8) Pepin., ser. 2, de S. Fr.
(9) Sedul. lib. III, apol., c. 2.

In eadem terra secure Evangelium prædicabit; multæ gentes per ipsum Ordinem ad Dominum convertentur. Gens idololatra, cujus lingua ignorabitur, quæ de finibus terræ veniet missa a Deo, in adjutorium terræ promissionis; et ut ipsa agnoscat Deum Patrem omnipotentem, et Filium ejus unicum Dominum nostrum Jesum Christum, ad fidem catholicam convertetur; futurum est etenim ut ordo Minorum viriliter se opponat contra mortis Angelum, et contra eum prædicando. Plures, et maxima multitudo de filiis ipsius Ordinis Martyrio ad Dominum transibit, sicut dictum est per David Prophetam (1) : *Posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus cœli; carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.* Gaudebunt in canticis suis, id est, in prædicatione omnes tribus terræ, et gens immunda Mahometica, quæ remanebit, et hi qui residui erunt, ad Dominum convertentur.

Plura etiam, in commentariis ad Apocalypsim prædixit de Ordinibus Mendicantibus, quorum veritatem rei probavit eventus.

Exprimi etiam curavit opere mussivo in æde D. Marci, Venetarum præcipua, ipsos harum religionum futuros fundatores, eo habitu et vestitu quem postea assumpturi, suisque sectatoribus præscripturi erant, dum tamen adhuc nec quempiam illorum viderit, nec illi adhuc excesserint ex ephebis, vel recens fuerint nati, vel breviter nascituri : communior est opinio harum imaginum præfigurationem illorum ortum præcessisse, idque indicat auctor horum carminum, quæ ex Rodulpho transcripsi :

Atque prius fuerit quam mundo exortus in æde.
Quæ Marci titulo nulli toto orbe secunda est,
Extat apud Venetos, longis expressus ab annis.

B. Dominico subscripsisse hæc Græca verba, ἅγιος δομίνικος, ait B. Antoninus, et B. Francisco, postea a Christo recipiendas quinorum vulnerum plagas addidisse habet Pisanus citatus; apud quem plura de his vaticinationibus prolixius licebit videre. Aliquos etiam referunt Joan. Garson, et Joan. Anton. Flaminius, in vita B. Dominici.

(1) Psal. LXXVIII, 2.

2° IN SANCTUM PATREM FRANCISCUM ELOGIA EORUM QUI POST ILLIUS OBITUM SCRIPSERUNT.

S. Bernardinus Senensis, Ordinis Minorum.

1. Præcesserat ante S. Franciscum angelicus vir, gloriosus Dominicus, in angelica vita pariter et doctrina : beatus enim Franciscus est alter angelus in regula et persona, sed idem in charitate et fide, atque vita, qui propter facta angelus nuncupatur : tum propter ejus angelicam vitam ; tum quia Dei nuncius fuit ad renovandum in mundo Evangelium Christi. (*De Evangel. æterno*, serm. 60, in initio.)

2. *Idem.* Ascendit ab ortu solis : quia sui ascensus initium, et fundamentum incepit a Romana Sede, quæ inter quinque patriarchales ecclesias principalis est : Sedes et civitas veri solis, scilicet Christi, et fidei ejus, vel sic : Ab ortu solis ascendit : quoniam per divinæ sapientiæ exemplum prædicationem, et sensum, cum suo Ordine, mundum irradiavit. Sicut enim Apocalypsis sexto, obscuratio solis, divinæ sapientiæ subtractionem in mundo significat; per quam generalis ruina statuum, et personarum, et ecclesiarum, surgit : sic etiam ortus solis divinæ sapientiæ illustrationem significat, quæ in sexto Ecclesiæ statu in Mendicantibus ortum sumpsit, et crevit. Proinde Bonaventura (2) in illuminationibus suis, vocat prædictum tempus : Tempus illuminationis Scripturarum; quod hoc tempore mirabilius declaratæ sunt a doctoribus Ordinis Prædicatorum.

3. *Idem.* Nec tantum in specie Seraphica [Christus] illi apparere debuit, sed veluti cruci affixus : ut aperte innueretur, quod non cœlestis spiritus illa stigmata imprimebat, sed ille, qui pro nostra salute crucifixus est, atque ex seraphico ardore cordis ejus, Christum in crucifixi similitudinem transformabat. (*De Evang. æter.*, serm. 60, art. 1, c. 1.)

4. *Idem.* Nec recolo me legisse, nec reperisse aliquid aliud immediate fabricatum a manibus Jesu Christi, quod ab Ecclesia fuerit approbatum, nisi hos clavos, et stigmata hæc sacra. (Art. 2, c. III.)

5. *Idem.* Tanto amore, tanto fervore,

(2) Ser. 16 et 20, in Hexæ, t. I.

tantoque ardore transformatus in crucifixum Jesum, ut miraculo omnibus inaudito sæculis, benignitas Salvatoris in carne illius imprimere [voluit] similitudinem suæ sanctissimæ Passionis; constituens eum vexilliferum in nova remuneratione crucifixionis ejus. (*De Evang. ætern.*, serm. 60, initio.)

6. *Idem.* Sicut B. Franciscus fuit vexillifer Jesu Christi in Ecclesia militante (*sic*), post resurrectionem (secundum Doctores) remanentibus in corpore suo prædictis signis, vexillifer erit in Ecclesia triumphante. (Art. 2, cap. 3.)

S. Antoninus, Ordinis S. Dominici, archiepiscopus Florentinus.

7. Quia videbatur extincta memoria Passionis Christi in mentibus hominum, præ tepiditate eorum voluit Dominus excitare et incalescere hanc recordationem, per impressionem manifestam cicatricum in corpore beati Francisci. (*Hist.*, part. III, tit. 24, cap. 1, § 3. Guliel. Pepin. *Serm. de sancto Francisco.*)

8. *Idem.* Quoddam singulare concessum fuit beato Francisco, quod nulli inter natos mulierum legitur fuisse donatum; et hoc est impressio stigmatum sacrorum. Quamvis enim Paulus dicat de se ad Galatas: *Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto* (Galat., VI, 21) : tamen nullus dicit, quod habuerit corporaliter signa passionum in manibus, et pedibus, et latere : sed dicuntur stigmata passiones multæ et afflictiones. Paulo post, hæc addit : Dicitur etiam de aliquibus devotis hominibus quod senserint magnum dolorem in manibus, et pedibus, et latere, ac si habuissent ibi vulnera : sed tamen non ita impressa corporaliter, ut in B. Francisco. (*Ibid.*)

9. *Idem.* Hi utique sunt duæ olivæ, pinguedine dilectionis et devotionis : et duo candelabra (1) lucentia ante Dominum, orbem doctrina illustrantia. Hi duo Cherubim sapientia plena, obumbrantia Propitiatorum, necnon et duo Seraphim, caritate ardentia, clamantia : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth; implentia omnem terram gloria ejus, documentis et exemplis. Hi status Mendicantium, utrumque statum videntur comprehendere (2), prælatorum Ecclesiæ, episcoporum, et aliorum, quoad actum doctrinæ, et prædicationis, spectantis ad vitam activam ; et statum religiosorum, seu monachorum, deservientium contemplativæ, quoad cæremonias regulares, et officia, unde dici potest vita mixta, quam ut perfectissimam tenuit Christus. (*Ibid.*)

10. *Idem* : Primi patres et institutores status Mendicantium, fuerunt BB. Dominicus et Franciscus, contemporanei, se fratres ad hoc simul deputatos, in Ecclesia S. Petri in Urbe primo recognoscentes, et in osculo sancto mutuo amplexantes. Et Dominicus Patriarcha Prædicatorum, prior quidem tempore, quoad mundi ingressum, et ex eo egressum, ac etiam ad conversationem religionis, et actum prædicationis : nam per decem annos antequam confirmationem Ordinis procuraret, in Hispania, et Tolosana regione, jam religiosus et pauper discurrebat. Patriarcha autem Minorum Franciscus, prius confirmationem sui ordinis procuravit, non solemnem tamen, sed ut permissionem pro tunc talis status, utpote vicinior Curiæ, ab Innocentio III. Dominicus vero, ab eodem promissionem confirmationis habuit : sed exsecutionem a successore ejus Honorio, ad Curiam reversus accepit. (*Ibid.*)

Jacobus a Voragine, Ordinis S. Dominici, episcopus Januensis.

11. Christus ante primum adventum, qui erat misericordiæ, præmisit Angelum, scilicet B. Joannem Baptistam (3), ante vero secundum adventum suæ justitiæ, præmisit alterum Angelum, scilicet B. Franciscum. (*Serm. de S. Francisc.*)

12. *Idem.* Venit enim S. Franciscus portans secum tres radios, scilicet, radium doctrinarum, per quem illuminavit obscuros, radium exemplorum, per quem inflammavit tepidos et radium miraculorum, per quem convertit obstinatos. Ipse enim excussit ignorantiam in erroneis, radio doctrinarum, negligentiam in tepidis, radio exemplorum, et duritiam in obstinatis, radio miraculorum. (*Ibid.*)

13. *Idem.* Habentem signum Dei vivi. Istud signum portavit in corde, per amoris

(1) Apocal., XI.
(2) Exod., XXXVII. Isaiæ, VI.
(3) Matth., XI.

vulnerationem, in corde, per macerationem in cute, per stigmatum impressionem. (*Ibid.*)

14. *Idem.* Christus dedit B. Francisco stigmata, tanquam arma sua, vexilla sua, et testimonia sua: ipse namque erat miles Christi, signifer Christi, legatus Christi, et præco Christi. (*Ibid.*)

15. *Idem.* Quia erat præco Dei, dedit ei stigmata, tanquam signa, vel testimonia sua: ut ab omnibus præco Dei cognosceretur, et verba illius, quasi ex ore Dei reciperentur. (*Ibid.*)

Henricus de Vrimaria, Ordinis Eremitarum S. Augustini.

16. Ipse enim habuit tres radios, quibus totum mundum illuminavit: quia radio doctrinæ illuminavit obscuros; radio beatorum exemplorum excitavit tepidos; et radio miraculorum illustravit et convertit obstinatos. Et ideo de ipso verificatur quod scribitur in Ecclesiastico: Tripliciter (1) sol exurens montes, radios igneos exsufflans, et refulgens. Nam radio doctrinæ fugavit ignorantiam; radio exemplorum in tepidis fugavit negligentiam; et radio miraculorum fugavit obstinationem et duritiam. (*Serm.* 3, *de sancto Francisco.*)

17. *Idem.* Per hoc enim conformabatur Deo vivo, quod stigmata Jesu Christi, per biennium in corpore proprio portavit, quæ bene erant signum Dei vivi: quia per hæc Christus ostendit discipulis, se vere vivere post passionem suam, cum diceret: Videte (2) manus meas, et pedes meos, quia ego ipse sum, quod quidem signum Dei, in hoc evidenter apparuit, quod beatus Franciscus fuit sigillatus bulla summi Pontificis, et consignatus vexillo, et charactere summi regis, per impressionem deifici stigmatis. (*Ibid.*)

18. *Idem.* Fuit enim miles et vexillifer ipsius Christi: et ideo præcessit aciem expeditorum militum, fratrum scilicet, suam vitam et Regulam sequentium, portans vexillum summi Regis, quo potestates æreæ fugantur, et Christi milites in actibus bellicis confirmantur. (*Ibid.*)

19. Et ideo bene congruit B. Francisco, quod scribitur de Abraham; non est inventus similis illi in gloria (3): quia inter omnes Sanctos nullus invenitur, cui sit sic evidenter impressa Bulla Summi Pontificis (4), et qui in corpore suo sic ferret vexillum Summi Regis, sicut fecit beatus Franciscus. (*Ibid.*)

Pelbartus a Themesivar, Ordinis Minorum.

20. Signum magnum et singulare, omni veneratione dignum: utpote digito Dei vivi descripta imago crucifixi, non in tabulis lapideis, sed carneis, hoc est, in corpore beati Francisci. Si enim Judæi venerabantur Mosen, et tabulas in quibus digito Dei, vel ministerio Angelico descripta erant præcepta Decalogi (5): quanto magis debemus nos venerari beatum Franciscum, in cujus carne ipse Christus tam mirabiliter descripsit suorum vulnerum imaginem, ad salutarem utilitatem totius Ecclesiæ. (*Serm.* 2, *de S. Francisc.*)

Alexander papa IV.

21. Hæc igitur mira et decora novæ demonstrationis indicia, magnæ debent esse devotioni, divitiæ Christianis, inæstimabiles religionis deliciæ, in spiritualibus conviviis Ecclesiæ orthodoxæ. (In bulla de *Stigmatibus* S. Franc., cui initium: *Benigna divinæ operatio voluntatis, in firmam. trium Ordin.*, part. II.)

22. Grande ac singulare miraculum, quo beatum Franciscum, omnium Sanctorum splendor, et gloria, Dominus Jesus Christus mirabiliter decoravit. (*Ibid.*)

23. *Idem.* Extremo jam instante sæculi senectutis interitu, intendit excessus regis, militem, regiis militaribus insignitum: ut regis aciem jam labentem; jamque ab hostibus fugientem defenderet, et certamen victoriosum triumphatoris superni, verbis et actibus, hostibus aggredientibus prædicatum. (Apud S. Bernardinum a Senis, *De Evang. ætern.*, serm. 60, cap. art. 1.)

Dionysius a Rikelius, Ordinis Carthusiani.

24. Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. Hæc verba S. Paulus in propria

(1) Eccles., XXXIV.
(2) Lucæ, XXIV.
(3) Eccli., XLIV.
(4) Bulla *De stigm.* Cf. infr. Alexander IV.
(5) Exod., XXXIV. II Cor., III.

dixit persona ad litteram, quæ excellentissimo Confessori, beatissimo Patri Francisco valde sublimiter competunt : quoniam quinque vulnerum Christi impressuras, seu stigmata, quæ erant realiter vera vulnera, in suo corpore accepit ac tulit. (*Serm. de S. Francisc.*)

J. Baptista Mantuanus, Ordinis Carmelit.

25. Christi ante oculos patientis imago
Semper erat; plagas et verbera mente ferebat.
Et quas mente tulit, Deus apparere figuras,
Illius in membris voluit : nam vulnere pectus,
Vulnere signavit palmas, et vulnere plantas.
Sicut ab Assyria veniens regione futurum
Angelus admonuit Laterani in lumine templi.
(Lib. X, *Flastor. S. Francisc.*)

Robertus a Licio, Ordinis Minorum, episcopus Aquinatensis.

26. Stigmata S. Francisci fuerunt miraculosa, ratione vitæ. Non enim potuisset per naturam vivere duobus annis, plagatus in quinque locis spasmosis, ex quibus continuo fluebat sanguis cum dolore vehementissimo, non solum corporis, sed et cordis, ex memoria passionis Dominicæ. Neque usus est pro toto tempore illo, aliquo unguento vel medicina : sed tantum pannis restringebat sanguinem emanantem, quem sexta feria libere prodire sinebat. Et quod miraculum auget, erant illæ plagæ odore fragrantissimæ; ex quibus nulla unquam putredo, aut immunditia profluit. (*Serm. de Stigm. sancti Francisci*, cap. 2.)

27. *Idem.* Nam sicut de Martyribus B. Augustinus, quod resurgent cum cicatricibus, quæ ad ornatum facient et decorem corporum, non ad aliquam deformitatem : ita pie tenere possumus quod S. Franciscus cum illis signis, cum quibus ex hoc vita discessit, ad vitam immortalem resurget. (*Ibid.*)

28. *Idem.* Sancta Catharina Senensis, cum esset in civitate Pisana, et quodam mane in ecclesia S. Christinæ communicasset, ac juxta altare rapta maneret in spiritu, postquam diu stetisset, vidit Christum cruci adfixum, magno super se cum lumine descendentem, radiosque sanguineos ex suis quinque sacratissimis cicatricibus emittentem. Cumque tunc, videntibus pluribus utriusque sexus ipsam exspectantibus, virgo se erigeret, et super genua sua stans facie rutilante brachia elevasset ac manus; oraretque ne cicatrices in corpore apparerent exterius; tunc ex radiis sanguineis in solares immutatis a cicatricibus Crucifixi procedentibus, et ad manus, pedes, et cor illius pervenientibus, valde extrinsecus dolor sensibilis in dictis partibus corporibus est relictus. Ex quo cum corpus ejus diu sic staret cecidit, ac si fuisset letaliter vulneratum. Post modicum ad se reducta, tanto dolore concutiebatur, ut a cunctis putaretur in brevi moritura. Dominica vero sequente ibi communicans, a dolore extitit liberata. Ex visione prætacta, in plerisque locis nonnulli S. Catharinam suscipientem stigmata a Christo depingi fecerunt : qui si ea intentione id egerint, ut per visibilia, invisibilia cognoscantur, et per picturam illam visibilem, dolor ejus invisibilis, licet sensibilis, designetur : forte (non obstante errore inde sequente, quo credi posset stigmata eam visibilia suscepisse) tolerari possent. Sed si hæc facta sunt, ut si æquiparetur S. Francisco, cui soli usque in præsens, singulari modo stigmata divinitus sunt impressa : utique reprehensibile est. Nam ut dixi in Sermone de sacris stigmatibus B. Francisci (1), inter miracula grandia nostræ fidei, Francisci consignatio supremum obtinet gradum. Fuerunt quippe stigmata et visibiliter, et sensibiliter a Christo illi impressa : tulit illa duobus annis continuis; et in vita, et in morte, etiam a viris sanctis et gravissimis visa et tacta. Summi Pontifices, Gregorius IX, Alexander IV, Benedictus, Nicolaus, et alii illa approbantes, fatentur singulari miraculo in Francisci pedibus, manibus, et latere fuisse depicta ab eo artifice sapientissimo, qui creavit cœlum et terram. Quid vero de cætero sit facturus, cujus arcana perscrutari nequimus, ipse novit. Unum scio, et quidem absque ullo errore, quod B. Franciscus electus fuit a Domino Jesu Christo, ut in proprio corpore vexillum crucis, biennio antequam spiritum redderet Deo, deferret. Non derogent ista dignitati B. Catharinæ, nec alterius Sancti. Ego peccator, qui hunc sermonem confeci, Sanctam ipsam, devotione qua possum colo et veneror; eramque Romæ,

(1) Serm. XLIV, cap. 2.

anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, anno tertio Pii Pontificis Maximi; quando Pontifex præfatus, Spiritus Sancto volente, S. Catharinam solemni celebritate canonizavit : nulla tunc a referentibus et vitam et miracula Catharinæ, de stigmatibus facta est mentio, nulla pictura cum stigmatibus fuit delata, nulla insuper in Bulla, quam superius frequenter allegavimus, de stigmatibus mentio habita est. Ego insuper ea die canonizationis, sermonem ad populum habui post prandium, in ecclesia Minervæ ordinis Prædicatorum, inspexi, legi, et quidem sæpius, omnia quæ scripta erant de laudibus hujus Sanctæ : nihil aliud invenire potui, nisi quod superius expressum est de illo dolore, quem tulit absque signis, in suo exstatico raptu. Et si nomine stigmatum dolorem illum intelligi volumus : non tamen in illo continentur et includuntur conditiones miraculosæ stigmatum beati Francisci. Igitur, cum Deus non egeat nostro mendacio : ea proferamus de Sanctis, quæ secundum rei veritatem, non inventionem hominum, illis possunt accommodari. (*Ibid.*)

Gregorius papa IX.

29. Caput draconis ultimum
Ultorem ferens gladium
Adversus Dei populum
Excitat bellum septimum.
Contra cœlum erigitur,
Et nititur attrahere
Maximam partem syderum,
Ad damnatorum numerum.
Verum de Christi latere
Novus legatus mittitur :
In cujus sacro corpore
Vexillum crucis cernitur.
Franciscus princeps inclytus
Signum regale bajulat,
Et celebrat concilium
Per cuncta mundi climata,
Contra draconis schismata,
Acies trinas ordinat
Expeditorum militum :
Ad fugandum exercitum,
Et tres catervas dæmonum
Quas draco semper roborat.
(*Apud Bertol. Pisanum, Conform. fruct.* 2.)

Hartmannus Scheydel.

30. Noverat antiquus hostis hunc ordinem in Ecclesia Dei admodum profuturum : ideo obstitit, ut ad nihilum redigeretur. (*Sexta ætate mundi.*)

31. *Idem :* Abjectis omnibus tunicam incultam et contemptibilem fune præcinctam induens, novum mox Ordinem instituit; cum quo velut in orbe radians, Christianam religionem plurimum illuminavit. (*Sexta ætate mundi.*)

Philippus Diez, ordinis Minorum.

32. O si Deus nobis plurimos viros sanctos, spiritualisque ac cœlestis sapientiæ gnaros concederet : quantam in animabus nostris operationem facerent! Unus olim concionator universum mundum convertebat : nunc autem vix tot concionatorum proventum experimur. Seraphicus pater noster Franciscus tanta spiritus efficacia dicitur prædicasse, ut aliquando contigerit, finita concione, ad eum triginta viros habitum ejus petituros sese contulisse; quibus omnibus ipse concessit. Et in quodam Capitulo, quod in S. Maria de Portiuncula celebravit, tanto, tamque ferventi spiritu, de mundi contemptu concionatus est, ut illo sermone, innumeri ad hujus sanctæ religionis habitum suscipiendum fuerint conversi; peractaque concione, ex illis, quingentos novitios receperit. (*Conc.* 4, *de Sancto Francisco.*)

Franciscus Bencius e Societate Jesu.

33. Sanctum Patrem, spirans Christi expirantis [imago,
Tempore quam nullo deleat ulla dies.
Quas etenim fers ipse manus, fers ipse pedesque,
Has tulit ille manus, hoc tulit ille pedes.
Nec minus et teli transfixum cuspide pectus,
Quale tibi patulo pectore vulnus hiat.
Cuncta estis similes, illum qui forte verentur
Reddere, te saltem cur imitentur habent.
(Apud Tom. Bozium, lib. XV, *De signis Eccl.*, signo 90.)

Baptista Fulgosius.

34. Quam ingentem perfectæ virtutis prærogativam, atque minime dubium argumentum, Franciscus Assisio urbe natus, a Deo tulit! Nec vero id dico, quia in Sanctorum numerum relatus fuerit; id enim etiam ad alios pertinere videmus : sed quod præcipuo Dei munere dignus, et factus, et judicatus est, qui vivens in corpore suo veram certamque vulnerum pertulerit formam, unde

humani generis abstersa labe vita prodiit mortalibus, quos primi parentis error in æternum peremerat. Ita autem fuisse, præterquam quod res ipsa inspicebatur, Alexander quoque quartus, Gregorius Nonus, Nicolaus Tertius, Apostolica auctoritate testati sunt. O singulare munus, gratiaque divinitus infusa! O unica rerum excellentissimarum excellentia! Ferre Franciscum in corpore suo, ita ut inspici tangique possent signa illa, quibus pretium conferri nullum potest: in quibus juncta Divinitati humanitas, dum per ea mortem accepit, salutem vitamque terrarum orbi peperit. (Lib. VIII, *Factorum dictorumque memorabil.*, cap. x.)

Robertus Bellarminus, Societatis Jesu.

35. Hoc signum omnium maximum ac singulare, et quasi prodigiorum, sacra illa stigmata fuerunt. (*Concion. Lovanis habita Dominica Sexages.*)

Marcus Marulus Spalatensis.

36. Sed quid nunc de te, pater Francisce, dicam? Quantum tibi quoque adhuc in terra degenti tua contulit contemplatio? Vidisti fulgentem Salvatoris nostri crucem; vidisti sanctum Seraph, a quo Seraphicus dici meruisti. Inde tibi singulari quodam privilegio, Dominicæ crucifixionis cicatrices corporaliter vindicasti : ut cujus paupertatem, mansuetudinem, humilitatem fueras imitatus, ejus etiam beatissimæ passionis signa in manibus, in latere, in pedibus referres, et cum Paulo gloriari posses, dicens: *Christo confixus sum cruci. Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.* (Galat., II, 20.) *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo : ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.* (Ibid., VI, 14, 21.) O felicem servum, cui Dominus tradidit quinque talenta! Ut quibus ille perditum reparavit mundum, hic labentem repararet Ecclesiam! (Lib. II, *Dictorum factor. memorabilium*, c. 4.)

Guillielmus Pepin, Ordinis S. Dominici, theologus Parisiensis.

37. Dicitur de aliquibus devotis personis, quod senserunt interdum maximum dolorem in manibus, pedibus, et latere, tanquam ibi habuissent vulnera, et stigmata Christi : sed tamen non ita impressa corporaliter, seu visibiliter, sicut factum est in corpore beati Francisci, et hujus generis fuit B. Catharina de Senis, quæ legitur rogasse Dominum, ut non apparerent exterius stigmata. (*Serm. de sancto Francisco.*)

Sanctus Bonaventura, generalis Ordinis Minorum.

38. Hi sunt (ut ad gloriam Dei loquamur, non nostram) duo magna luminaria (1), orbem, quæ lumine cœlesti, sedentes in tenebris et umbra mortis, ubique terrarum illuminant, et ministrant. Hi sunt duæ tubæ (2) veri Mosis Christi Dei nostri, quorum ministerio multitudinem populorum jam ad suum principium convocavit. Hi sunt duo Cherubim (3); pleni scientia mutuo se respicientes, dum idem sentiunt, et alas suas extendentes ad populum, dum ipsum verbis et exemplis protegunt, et discurrunt secundum obedientiæ volatum, super omnem populum disseminare scientiam salutarem. Hi sunt ubera sponsæ (4), ex quibus parvuli in Christo lac sugunt, quo nutriantur et augmenta recipiant in salutem. Hi sunt duo filii olei splendoris (5), qui assistunt Dominatori universæ terræ; prompti ad ejus imperium, quocumque voluntas ejus eos duxerit suam legationem implere. Hi sunt duo testes Christi (6), qui saccis amicti jam prædicant, et testimonium perhibent veritati. Hi sunt duæ stellæ lucidæ, quæ secundum Sybillinum Vaticinium, habent species quatuor animalium, in diebus novissimis nomine Agni vociferantes, in directionem humilitatis, et voluntariæ paupertatis. (*Epist. ad omnes Prædicatores et Minores, apud Petrum Radulphium*, lib. II, *Hist. Seraph. relig.*)

Thomas Bozius, congregationis Oratorii presbyter.

39. Duo hi Dominicus et Franciscus, or-

(1) Genes., I.
(2) Num., X.
(3) Exod., XXV.
(4) Cant., IV.
(5) Zachar., IV.
(6) Apocal., XI.

dinum religiosorum inter suos primi auctores et institutores, merito vocari possunt duæ olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantia, de quibus in Apocalypsi; ab his vere dicta est Ecclesia Dei, domus ruinam quodammodo minans, institutis suis et cœlestis vitæ innocentia sustentari. (Lib. VII, *De signis Eccl.*, cap. 1.)

Joannes Garson, Bononiensis orator.

40. Romæ cum Dominicus noctu sanctis orationibus indulgeret, Christum intuitus est in peccatores ira commotum : quod eos de medio tollere instituisset, præter Mariam cœli reginam illi posse resistere neminem. Hoc precibus obsecrabat, ne quos suo sanguine redemerat, eos iret perditum; unum esse Dominicum, cujus virtute et sanctimonia, plerique se ab erratis revocarent. Hæc quamquam ita sint, nequaquam tamen, inquit Christus, sejungendus est Franciscus : cum omnium sit virtutum simulacrum; hic eam Provinciam minime recusabit. Jam nox in diem inclinabat, cum Dominicus, quæ conspexerat, cum animo suo considerans, ad templum iter suscipiebat, forte illi obvius fuit Franciscus; confestim illum amplexus est, et deosculatus : atque ita verba fecisse fertur : Nos Christi optimi maximi munere societatem invenimus : illud oneris pro religione Christiana suscipiamus oportet, nec ullum defugiamus laborem ut qui a Christo deficient, hos prosternamus, deleamusque. Reprimenda erit eorum qui præter rationem appetitui obtemperabunt, iniquitas atque insolentia. Accessit Franciscus Dominici sententiæ, etc. (Apud Aloysium Lipomanum, *de Vitis Sanctorum*, part. 2, *in vita S. Dominici.*)

Theodoricus ab Apoldia, Ordinis S. Dominici.

41. Beatus Dominicus socium in hac visione diligenter contemplans, ad id usque tempus ignotum sibi, postera die in Ecclesia inventum agnovit; ruensque in sancta oscula, et sinceros amplexus, ait : Tu es socius meus; tu mecum pariter curres, *Stemus simul.* (1) et nullus adversariorum vincet nos. Visionem quoque, quam jam diximus, enarravit ei, atque ab illo die fuit illis cor unum, et anima una in Domino, quod etiam a successoribus suis jusserunt perpetuo observari. (Apud Surium, t. IV, ad diem 5. Aug., lib. II, *De S. Dominico*, c. 1. S. Antonin. hist., part. III, tit. 23, c. 3. Hieron. Plat. lib. I, *De bono status relig.*, c. 34.)

Cornelius Mussus, Ordinis Minorum, episcopus Bitontinus.

42. Initio Annunciationis evangelicæ, cum Verbum Domini Judæis et Ethnicis prædicaretur, duo electi sunt apostoli, Petrus et Paulus. Cum mundus in tanta prolapsus esset vitia, et Dominus pietate motus illum voluit reformare, non elegit unum tantum, sed duos : unum Cherubicum, Dominicum, et Franciscum Seraphicum; duo corpora, sed unam animam. (Tom. II, *Conc.* in Dom. 2 post Pascha, part. I.)

M. Antonius Coccius, Sabellicus.

43. Duo Christianæ pietatis lumina terris affulsere, quibus multo maxima parte orthodoxa crevit fides. Auctores incrementi hujus Dominicus Calaguritanus Hispani generis, et Franciscus Assisias, in Umbria Italiæ regione ortus, æquales hi : uterque enim alterum vidit, et hic quidem sanctitate clarus, et ille : sed numerosa familia clarior Italus, quæ ex eo orta est. (*Ennead.* 9, lib. VI.)

Ubertinus de Casali.

44. Species quarti similis Filio Dei. Fuit quippe quartus inter principales levitas, Stephanum, Laurentium, Vincentium, B. Franciscus. Fuit etiam quartus inter Ordinum Patriarchas, videlicet Basilium, Augustinum, Benedictum. (Lib. V, *Arboris vitæ crucifixæ,* cap. 3.)

Cæsar Baronius, S. R. E. cardinalis.

45. Ita plane Deus Ecclesiam suam in deterius declinantem, ac collabentem, jam depravata morum disciplina, ad erigendam eam, in conflatorio divini spiritus Apostolicum hunc formavit hominem, qui mundi contemptum, ac paupertatem, non affectu tantum (quod ad sanctorum Patrum imita-

(1) Isaiæ, L. Act., IV.

tionem sufficere potuisset) sed effectu etiam prosecutus est. (Tom. II, ad ann. D. 1182.)

Sancta Brigitta, vidua.

46. Christus inquit; Franciscus amicus meus fuit quasi lapis ignitus, et igneus : quia habuit me in se, qui sum ignis. (*Revelat. extravag.*, cap. 90.)

Jacobus Bergomensis, Ordinis Eremitarum S. Augustini.

47. Franciscus ex Assisio ortus novum mox Ordinem instituit, et velut sol in orbe radians, Christianam religionem plurimum illuminavit. (Supplement. Chronic., l. XIII).

Franciscus Petrarcha.

48. An vero Franciscum, seu volucrum audientiam, seu Seraphicum raptæ mentis ardorem, stupendumque illud insigne sacrorum Christi stigmatum, et vulnus animi membra testantia, tantumque tam brevi de paupertatis conjugio genitæ sobolis incrementum habiturum credimus, si mansisset Assisii? Qui licet, ut aiunt, divinitate consulta, et revelatione cælitus accepta pro salute multorum, inter vitæ hominum bella, periculosas non tam sibi, quam militibus suis excubias elegisset : ipse tamen magnus amator solitudinis eremique sectator fuit. (*De vita solitaria*, lib. II, tract. 3, cap. 11.)

Ludovicus Granatensis, Ordinis S. Dominici.

49. Tantum abfuit ut a B. Francisco institutus Ordo inopia cogente defecerit, ut ob hoc ipsum supra omnes alios Ordines auctus ac dilatatus fuerit. Exiguis namque expensis monasterium humile extruitur : quo exstructo, facile monachi sine ullis redditibus, quæ sunt ad pauperem ac tenuem vitam necessaria, sibi comparant. Hinc factum est, ut unicus beatissimi Patris Francisci Ordo, plura fortasse intra se cœnobia, quam reliqui omnes omnium aliorum Ordinum, contineat. (Conc. 2, de Franc. 2.)

Raphael Volaterranus.

50. Franciscus Assisinas, tanquam novum sidus in terris apparuit, teste Bonaventura, qui ejus vitam exsequitur : Conservatoris nostri fere per omnia typum gessit. (Lib. XXI, *Anthropol.*)

Joannes Osorius, Societatis Jesu.

51. Solet pictoris ars in multis ostendi, præcipue vero in depingendo corpore nudo. Facile enim est pictori hominem vestitum depingere : at difficillime admodum nudum pingit. Tanta enim in corpore humano sunt, et adeo diversa, ut perfecte effigiari non possint, nisi a supremo artifice. Ad hunc modum, gratiæ quidem munus est, depingere in hominum animis Christum Dominum. Hinc Paulus : *Filioli quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (Galat. VI, 19) : *quia conformes nos fieri vult imagini Filii sui* (Rom. VIII, 29). Sed in quibusdam gratia divina pingit Christum indumentis ornatum ; et id facile gratia præstat, in aliis vero depingit Christum nudum, ut in Francisco ; et id quidem difficile admodum est, et nisi eximia gratia id non præstat, ut enim homo omnibus se exspoliet, maxima indiget gratia. (*Concion. de sancto Francisco.*)

Bartholomæus Pisanus, Ordinis Minorum.

52. Sanctus Franciscus paupertatem diligenter, et summo affectu quæsivit per vicos et plateas, id est, inter homines qui tunc vivebant. Et quia obliterata erat paupertatis semita et memoria, non invenit. Per nobiles quæsivit et potentes, nec invenit : quia omnes a majore usque ad minimum divitiis inhiabant et avaritiæ. Hæc siquidem paupertas, etsi primo homini inhæsit cum esset conditus, quia nudus : tamen peccando, et tunica pellicea induto, ac labori manuum tradito, ab ipso recessit. A Patribus Veteris Testamenti abiit : quia terram fluentem lac et mel in promissione acceperunt (1). Sed Domino Jesu Christo descendente de monte suæ majestatis, per carnis assumptionem, hanc secum de cœlo ad terram devexit et cum ipso nascendo, vivendo, et moriendo est commorata fideliter et indissolubiliter. Hanc commendavit suis discipulis, et grata illis fuit, et multis aliis fidelibus. B. Franciscus montem Domini ascendit, Patrem cœlestem exorando, ut

(1) Genes. III.

eam sibi in sponsam, sociam, et dominam mittere dignaretur, etc. (*Conf. fruct.*, 16.)

Joannes Trithemius, Ordinis sancti Benedicti, abbas Spanhemius.

53. Franciscus Ordinis Minorum institutor, et princeps, natione Italus, ex Assisio civitate Italiæ oriundus fuit, vir sanctissimæ conversationis, et evangelicæ paupertatis ardentissimus sectator : qui verbo et exemplo multos ab iniquitate convertit, et in viam justitiæ catholicæ direxit, tantus amator Christi extitit, ut in contemptu mundi et consolationis transitoriæ parem vix habuerit. In cujus Ordine multi jam deinceps doctissimi viri claruerunt, qui ad utilitatem fidelium, innumera pene composuerunt opuscula.

Nicolaus Odartus, J. C.

54. Quid demissi animi constans patientia possit,
Duraque paupertas, nudaque simplicitas ;
Quid mundum sprevisse ; quid et vicisse seip- [sum];
Exemplum Assisii non leve civis erit.
Vulneribus Christi qui nobilis, et grege facto
Maximus evasit, dum minor esse cupit.

(*Fastis sacris*, ad 4 octob.)

II

1° TESTIMONIA EORUM QUI D. FRANCISCUM INTER SCRIPTORES ECCLESIASTICOS CONNUMERANT.

—

Gulielmus Eysengrenius, De testibus catholicæ veritatis, ad annum 1226.

1. Sanctus Franciscus, Ordinis Minorum institutor et princeps, natione Italus, ex Assisio civitate Italiæ oriundus, vir sanctitate et eruditione illustris, morum singulari moderatione fuit, a fastu et superbia maxime alienus. Et sicuti justarum laudum præconiis minime est ad arrogantiam sublatus, ita etiam convitiis injustis haudquaquam ad indignationem commotus. Mitis atque humanus, ut non magis alius quisquam, et in colloquiis gratiosus maxime, atque item acutus invictusque fuit. Rerum æternarum desiderio, fortunas, quibus frui potuisset, reliquit, et ad infimæ plebis conditionem se abjiciens, laboribus et injuriis ibi ferendis ita se exercuit, ita et jejuniis et precibus et meditationibus animum suum in opinionem traduxit ; ut putarit, nihil tam esse secundum naturam, quam vivere frugaliter, demisse, caste, et sancte. Friderico II Imp. Cæs. Augusto, Regulam Minorum docto volumine polite scripsit. Quorum Ordinem, in quo successu temporis complures viri sancti atque doctissimi claruerunt, qui verbo et exemplo Ecclesiam magnifice illustrarunt. Honorius III Pontifex mense novembri, in vigilia S. Andreæ Apostoli, comprobavit. Moritur B. Franciscus, IV nonas octobris, anno Salvatoris Christi MCCXXVI.

Joannes Trithemius, De scriptoribus ecclesiasticis, ad annum 1220.

2. *Ut supra*, § 53. Post elogium addit : Ipse autem Franciscus scripsit brevem Regulam Minorum : Lib. I, *Regula et vita Minorum.*
Testamentum breve : Lib. I, *Dominus dedit mihi Fratri.*
Claruit sub Friderico imperatore secundo, anno Domino 1220.

Henricus Vuillot, in Athenis orthodoxorum Patrum Seraphicæ religionis, littera F.

3. Franciscus Assisias Italus, spiritualibus animæ, et quæ supra naturam sunt dotibus cumulate ornatus, a D. Bonaventura depingitur (1). Nec aliis, quæ hominem magnopere illustrant et augent, doctrina scilicet et eloquentia, caruit; quin et abunde illis ditatus videri possit. Credo, de industria a litteris se removisse, quo se totum in rerum cœlestium contemplatione abderet, ut de B. P. N. Benedicto narrat Gregorius (2). Nec abnuo liberales artes solum a limine salutasse, et delibatis Grammatices initiis, consilio studiis vale dixisse, scienter nescium, et sapienter indoctum. Inficiabitur item nemo, sanctum et amantissimum Patrem ludum litterarium fervori spiritus postposuisse; filios quoque suos omnes ad hunc potius quam ad illum cohortatum fuisse. Sunt illius verba : « Et non curent nescientes litteras, litteras discere : sed attendant quod super omnia desiderare de-

(1) In Legenda majori et minori.

(2) Greg., lib. I, Dial., c. 2.

bent (1), habere spiritum Domini, et sanctam ejus operationem; orare semper ad Deum puro corde, et habere humilitatem, patientiam in persecutione et in infirmitate, et diligere eos qui nos persequuntur, reprehendunt, et arguunt : quia dicit Dominus : *Diligite inimicos vestros, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (2). His licet bene expensis, nihilominus inter eruditos et eloquentes laudem nequaquam illi deesse, quam plurima argumento erunt.

Amorem ex similitudine gigni, familiare est philosophis. Franciscum autem, et insigni honore, amoreque non vulgari, theologos complexum fuisse, eo indicant, quæ de reverentia illis exhibenda tam scite tamque luculenter tradidit, et scripto posuit : « Et omnes, inquit, theologos (3), et qui ministrant nobis sanctissima verba divina, debemus honorare et venerari, sicut qui ministrant nobis spiritum et vitam. » Quod conjicio, et doctum fuisse, quod doctos affectim amaverit, et colendos decreverit; et doctissimis connumerandum, qui paribus cum eruditissimis consentiat studiis. An non illa verba cœlestia, et qui cœlos emensus est, Pauli (4), *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt, maxime, qui laborant in verbo;* velut metaphrasim adjecta censeas?

An non litteratorum fautorem et patronum habebimus, si ad capessendas litteras idoneis opere semper et consilio adfuisse noverimus? Collegio Bononiæ exædificato non minus sibi carum, quam orbi clarum professorem, litteris etiam illi nuncupatis, decrevit et præfecit Antonium Paduanum. Alias cum non adesset librorum copia (neque enim altissimam paupertatem professis in promptu semper sunt, quæ ad locupletem et bene instructam bibliothecam ordinandam requiruntur) nactus unicum novi Testamenti exemplar, per quaterniones sectum viritim ad lectionem partitus est, assidua illius lectitatione filios exerceri cupiens. Atque eo magis apud suos litteras vigere voluit, quod illorum omnia ad cæterorum quoque hominum salutem direxerit. Talibus enim illos adstrinxit, quæ sine litteris perfici nequeunt. Verbo ad meliorem vitæ frugem quis, nisi Scripturis et argumentis bene instructus, peccatorem adigat? Quis de rebus dubiis consultus sana feret consilia, nisi longo studiorum exercitio, et assidua lectione sapiat? Qui sine eruditione notitiam rerum gerendarum sectantur, sæpe necesse est impingant, sæpe cespitent, nonnumquam etiam labantur in præceps. Confessiones quis utiliter excipiet, nisi primum lepræ indolem, et unius ab altera discrimen litteraria palestra perceperit? Tollet e medio plurimos indoctus medicus et judex, juris præceptorum rudis quam multos evertet fortunis et existimatione, et capite? Sunt quam plurima similia, quæ Franciscanis cum aliorum ordinum Patribus voluit B. Pater esse communia, utque in eis obeundis decenter sese gererent; quia quod Apostolis Spiritus, nobis longa exercitatio confert. Simul voluit excusso torpore et otio non segniter studiis incumbere. Et probi ejusdem filii, quorum hic permulti longa serie enumerantur, paternam mentem exploratam cum haberent, ita eruditi floruerunt, ut vere dicere possimus, ab eis etiam eruditionem esse factam, majoremque in modum illustratam, ut facilior et plenior posteris traderetur.

(1) Regul. II, cap. 10.
(2) Matth., v.
(3) In Testamento.

Convincunt hæc, Dei virum impense eruditorum familiaritate delectatum, simulque eruditum fuisse. An hoc negabimus, si modo hunc cordium abdita animique sensa et cogitata clarissimo oculo penetrasse meminerimus? Ille prophetico collustratus lumine, futura prænoverat : et cum proximi ædificatio exigeret, hæc et illa evulgabat. Non potuit equidem, qui in jugi Crucis (quam Magistralem cathedram vocat Augustinus) (5) versabatur meditatione, non purissimos saluberrimæ et clarissimæ eruditionis fontes hausisse.

Testantur et eruditionem monumenta scriptorum, neque enim his orbamur.

Scripsit equidem Regulam plane evangelicam, quæ incipit : *Regula et vita.* Quæ quam evidenter quamque certo viri sapientiam demonstret, hinc colligere quivis potest, quod tot beatissimi Pontifices, Gregorius IX, Innocentius IV, Gregorius X, Clemens V, Nicolaus III, cum clarissimis doctoribus et patribus, S. Bonaventura, quatuor magistris, quorum primus erat

(4) I Tim., v.
(5) August., *Tract.* 119, in Joann., t. IX.

Alexander de Hales, Hugo de Dina, Bartholomæus de Pisis, Joannes Pecanus, Gilbertus Nicolai, Cordubensis, Joannes Philippi, Gonsalvus, et alii plerique, omnes ingenii nervos in eam explicandam torserint. Hanc B. P. *Librum vitæ, spem salutis, medullam Evangelii, viam salvationis, scalam cœli, clavem paradisi, pactum æterni fœderis*, tritis elogiis appellare consueverat.

Dictavit et Testamenti varias tabulas, quibus virtutum et summæ egestatis, sed evangelicæ, nos hæredes conscripsit : *Dominus dedit mihi.*

Cantica multa modulatus est, quibus more Psaltis et sponsæ cœlestis, nunc confitebatur amico, nunc Judicem deprecabatur, nunc Patrem interpellabat, nunc Creatorem supremo cultu et summa religione venerabatur.

Epistolis filios in Capitulis congregatos absens erudiebat, informabat, exhortabatur et ad institutæ Regulæ piam et castam observationem instigabat : *Dixit Dominus discipulis suis.*

Nonnullas alias ad fideles Christianos perutiles dedicavit Epistolas.

Extat ejusdem Epistola ad Sacerdotes ordinis sui : *In nomine sanctæ Trinitatis.*

Oratio, seu expositio in Orationem Dominicam, Math., VI : *Sanctissime Pater noster.*

Laus Domini Dei altissimi, quam composuit : *Tu es Domine Deus.*

Oratio ad Omnipotentem : *Deus omnipotens.*

Binæ Orationes ad Deiparam Virginem : *Sancta Dei genitrix.*

Posterioris initium : *S. Maria virgo.*

Alia ejusdem verba, quibus ad humilitatem, et devotionem, inducit : *Beatus servus.*

Hæc omnia relata sunt a Margarino de la Bigne, ad finem tom. III, *Biblioth. SS. PP.*, primæ editionis.

Petrus Rodulphus Tossianinus, lib. III Seraphicæ Religionis de scriptoribus ordinis Minorum.

4. Sanctus Franciscus, Seraphicæ Religionis fundator, quamvis idiota simplex et elinguis fuisse visus sit, scripsit tamen Regulam, et breve ac spirituale Testamentum, et multa Cantica ante et post confirmationem Regulæ. Scripsit quasdam Epistolas ad Capitulum Generale, ad omnes Christi fideles : tantumque ei placuit studium sacræ Scripturæ, quod B. Bonaventura narrat (1) se audivisse a quodam fratre, quod cum Novum Testamentum venisset ad manus suas, et plures fratres non possent simul habere, dividebat per folia, et singulis communicabat, ut sigillatim cuncti legerent citra fastidium alterius. In ejus vero obitu mandavit fratribus, ut doctores, qui verba vitæ annuntiant, essent illis in magna reverentia. Itaque nullus quidem eo floruit eloquentiæ color, nulla adfuit pronuntiationis venustas, nullus scriptionis ornatus, nec in ejus animo ulla insedit humana eruditio, nec studio acquisita doctrina ; in ejus tamen concionibus, et paucis scriptis, iisque rudi satis sermone exaratis, viget tanta animi efficacia doctrina cœlestis, tanto spiritus ardore æstuat evangelica præceptio, tanta intellectus sublimitate emicat divina sapientia, ut undique per totum orbem terrarum ad suum Ordinem attraxerit, et Christo ipsi addixerit innumerabilem hominum multitudinem ; ad hoc, ut per humilem sui dejectionem ad sublimia creaturarum aspirent. Quod si oratoris officium, si eloquentiæ finis est, apposite dicere ad persuadendum ; B. P. Franciscus in hac re summam laudem et gloriam consecutus potest videri, qui scriptis et concionibus suis animos penetravit, eos finxit, formavit et flexit. Non solum igitur inter scriptores ac eruditos hic annumerandus fuit, sed inter eos primas tenere merito censendus.

Antonius Possevinus, lib. I Apparatus sacri, verbo Franciscus.

5. Franciscus Assisias, quæ civitas est in Umbria, Italus, Ordinis Minorum, vir sanctissimus, et Franciscani Ordinis primus institutor, scripsit Regulam plane evangelicam, et apostolicam, quæ incipit : *Regula et vita.* Hanc ipse Pater *Librum vitæ, spem salutis, medullam Evangelii, viam salvationis, scalam cœli, clavem paradisi, pactum æterni fœderis*, appellare consueverat. Dictavit et Testamenti varias formulas, quibus virtutum atque Evangelicæ paupertatis suos fecit hæredes. Quin et cecinit plura Cantica sive Hymnos, quibus more Psaltis

(1) Bonavent., *Epist. ad agist. Innominat.*

et sponsæ cœlestis, modo colludebat tanquam sponso, modo confitebatur tanquam amico, modo ut judicem deprecabatur, modo ut Patrem interpellabat, modo tanquam Creatorem summo cultu adorabat.

Epistolis filios suos, qui comitia generalia habebant, absens erudiebat, ad institutæ Regulæ castam observationem adhortans; quarum initium est : *Dixit Dominus discipulis suis*. Sed et alias Christianis perutiles scripsit : et extat ejusdem Epistola ad sacerdotes Ordinis sui, quæ incipit : *In nomine Sanctæ Trinitatis*. Oratio item sive expositio Orationis Dominicæ, quæ incipit : *Sanctissime Pater noster*. Præterea Laus Domini Dei Altissimi, cujus initium : *Tu es Domine Deus*. Et Oratio ad omnipotentem Deum : *Omnipotens*, et binæ Orationes ad Deiparam Virginem, cujus prioris initium est : *Sancta Dei genitrix*, posterioris autem : *Sancta Maria virgo*.

Alia ejusdem verba, quibus ad humilitatem, devotionem et patientiam hortatur, inchoans, *Beatus servus*. Quæ omnia collecta sunt a Margarino Bigneo, et in sua *Bibliotheca Sanctorum Patrum* inserta.

Henricus Sedulius, in Elogiis a se præfixis ad Vitam D. Francisci, post Trithemii verba superius relata, adjunxit.

6. Præter ista, alia quoque extant sancti Francisci monumenta, quæ apud nos habentur, ut sunt :

Admonitiones ejus, Liber unus.

Orationes piæ ad diversos.

Epistolæ variorum argumentorum.

Quibus tum fratres sui instituti, tum omnes christianos ad caritatem, virtutes, et summum honorem sacrosanctæ Eucharistiæ habendum, efficacissime adhortatur. Hæc in manibus nostrorum. Forsitan audebunt aliquando videre lucem.

Marianus Florentinus, libro I suorum Chronicorum Mss., cap. 27, § 9.

7. Multa scripsit, ex quibus potest perpendi zelus, et fervor ejus de animarum salute. Quorumdam hic mentionem faciam. Scripsit :

Primam Regulam, quam Innocentius sine Bulla confirmavit, quæ incipit : *Hæc est vita*, etc.

Secundam Regulam, quam amisit frater Elias.

Tertiam Regulam, quam habemus per Honorium confirmatam, quæ incipit : *Regula et vita*, etc.

Edidit etiam Regulam sororibus Sanctæ Claræ, Regulæ fratrum Minorum conformem, quæ incipit : *In nomine Domini.*

Item Regulam fratribus et sororibus de Pœnitentia, seu Tertii Ordinis, quæ incipit: *Si qui voluerint*.

Item prope mortem condidit Testamentum, humilitatis et paupertatis fratribus relinquens prædia, [quod] incipit : *Dominus dedit*.

Item libellum, qui intitulatur : Sacræ Admonitiones B. Patris nostri Francisci, qui incipit : *Dixit Dominus : Ego sum vitis vera.*

Item Opusculum, sive Epistolam commonitoriam et exhortatoriam omnibus fidelibus, quæ incipit : *Cum sim servus.*

Item aliam Epistolam missam Capitulo Generali.

Item aliam Epistolam admonitoriam ad omnes clericos.

Item quoddam devotum Officium in honorem Domini nostri Jesu Christi, quod secundum solemnitates variabat.

Item quoddam scriptum de virtutibus, quibus decorata fuit B. Virgo Maria, et debet esse anima sancta, incipit : *Regina sapientiæ.*

Item quoddam scriptum de Spirituali lætitia, et accidia, et ejus remedio, quod incipit : *Tutissimum remedium.*

Item quoddam aliud scriptum, qualiter debent fratres vivere in eremitoriis, et incipit : *Illi qui volunt religiose.*

Item aliquas devotas Orationes.

Item Cantica in vulgari.

Item quasdam Laudes in vulgari ad sorores Sanctæ Claræ.

2° TESTIMONIUM GABRIELIS TITULI S. PANCRATII PRESBYTERI CARDINALIS DE TREIO.

In epistola missa ad R. admodum P. Lucam Wadingum, sic lectorem admonet de excellentia auctoris et doctrinæ Sancti Francisci.

Cum primum ex Hispania in sacram Urbem, longo itinere fessus, revertissem, desiderabam (ita ingenue fateor) in locum aliquem deliciosum et solitarium divertere,

quo et corporis laborem, et oppressi animi curas paulisper relaxarem; ita tamen, ut mihi ipsi non omnino otiosus vacarem, sed, ut soleo, sacræ Scripturæ, Sanctorum et Philosophorum libris, solitudini condimentum, et otio salem adhiberem. « Suave quidem « est pratum et hortus (inquit affluentiæ « divinæ rivulus Chrysostomus) (1) viroque « tamen suavius multo spirat divinæ Scrip« turæ lectio; illic siquidem flores invenire « est, sed qui tempore marcescunt; hic au« tem occurrunt sententiæ in nativo virore « permanentes; illic spinæ pro muro obse« piunt hortum, hic Dei providentia tutum « reddit lectorem; illic cicadæ stridore suo « obstreperæ, hic Prophetæ suavi jubilo « personantes, illic ex ipsó aspectu quid« dam oblectationis concipitur, hic autem « ex ipsa mox lectione plurimum decerpitur « utilitatis. » Quid enim utilius potest esse, « in cujus verbis tot delicias invenimus (2), « quod ad profectum nostrum intelligentiæ « diversitates accipimus, ut modo nuda nos « pascat historia, modo sub textu litteræ « velata medullitus nos reficiat moralis al« legoria, modo ad altiora suspendat con« templatio, in præsentis vitæ tenebris jam « de lumine æternitatis intermicans. » Voluptatem illam æternam, curis omnibus vacuam, et a sæculi procellis liberam, veluti cominus positam præostentat: « Ad hanc etenim si attentus fueris (3), anxietatem a te depellet, cordi tuo inferet incredibilem voluptatem : sublata malitia radices virtutum affiget animæ, interque turbellas istas negotiorum, quæ ritu undarum sese agitantium fluctuant, non te sinet ulla conflictari perturbatione. Insanis licet afflictetur mare procellis, tu in tranquillo navigas : habes enim, quæ te moderetur ac gubernet, Scripturarum lectionem : nec enim funiculum hunc interrumpit ulla tentatio negotiationum. »

Cum ergo utrasque has animi et corporis ego delicias pararem, et paucis petitis e nostra Bibliotheca libris, in Tiburtinam civitatem (quæ ab aeris temperie et salubritate ab antiquis laudata, adhuc retinet et nomen et rem) secessissem, adducta est mihi elegantissima Epistola tua dedicatoria; oblatus simul Codex Operum Seraphici Patris nostri Francisci a te in unum collectorum, cum breviusculis, iisque necessariis, notulis, et observationibus quibusdam amplioribus, a te adhibitis. Gratum mihi donum, optatissimum munus, nullo non pretio æstimabile, pretiosius super millia auri et argenti. Certe ut vidi, desideriis meis suspicatus sum favisse Deum, et annuisse optatis: quippe qui animum tuum disposuerit, ut eo tempore, quo sacra lectione animum paulisper recreare, et occurrentium rerum tumentes fluctus divertere tentabam, offerres mihi librum, cujus lectione non solum animi compararetur quies, sed et memoria tanti Patris spiritus refocillaretur. Sunt quidem multi librorum cumuli, ita ut Auctorum nomina, librorumque titulos vix cognoscere valeamus, in quorum lectione nimio et nonnunquam inutili labore consumimur ; sunt varia sanctorum virorum a longo tempore tracto et enucleata monumenta : sed si verum amamus, desiderabatur merito hujus sanctissimi Patris doctrina; quæ si sententiarum elegantia, dicendi numero, librorumque brevitate aliis humilior videatur, pondere tamen rerum ita excellens, ut si in aliis sanctæ Ecclesiæ Patribus Spiritum Dei locutum merito credimus, in hoc Spiritum Dei inflammantem, et Seraphico spiritu implentem, non solum loqui, sed ignem mittere in orbem terrarum, (Lucæ 11; Matt. 24), facile conspicere possimus. Hinc forte opus in ultima sæcula reservatum, cum refrigescente caritate multorum, ignita et Seraphica evulgatur doctrina, instauratur Evangelium Christi, et in zelo et virtute Eliæ ultimi judicii prænuntius loquitur, et regnum Dei cito venturum prædicat Franciscus, ad pœnitentiam animas convertens, et igne amoris, quo ipse flagrabat, inflammans.

Ego certe me continere non potui, quin statim Opera hæc percurrerem : et fateor, in ipsa lectione plurimam me deprehendisse hujus doctrinæ commendationem, quam sub uno vel altero capite libet transcurrere. Viget primo optimo fundamento humilitatis, in qua, ut Auctor excellens, ita in iis, quæ enodat, sacris eloquiis intelligendis et explicandis excellentissimus. Humilitas namque et sacrarum Scripturarum intelligentia, pari passu ambulant. Scriptum enim est (4):

(1) Chrysost., Hom. in illud : *Adstitit Regina a dextris tuis*, in princ.
(2) Gregor., lib. XVI, *Moral.*, c. 9.
(3) Chrysost. citatus.
(4) Job., XVII. Gregor., lib. XXVII, *Moral.* c. 27.

« Ideo timebunt eum viri, et non audebunt « contemplari omnes, qui sibi videntur esse « sapientes. Contemplari enim Dei sapien- « tiam non possunt, qui sibi videntur esse « sapientes : quia tanto ab ejus luce longe « sunt, quanto apud semetipsos humiles non « sunt : quia in eorum mentibus dum tumor « elationis crescit, aciem contemplationis « claudit ; et unde se lucere præ cæteris « æstimant, inde se lumine veritatis pri- « vant. » Profecto « ex divinis Scripturis eo « uberius disponente Domino veritatis « erumpunt stillicidia (1), quo credendo « percipiuntur humilius. Humilitate inves- « tiganda sunt, et pronuntianda humiliter, « quoniam elatum fugiunt, et ab eo, qui se « procaciter jactat, elongari noscuntur : « nam sicut Deus superbis se occultando « resistit, ita humilibus dat intelligentiæ « gratiam, quod Propheta indicavit, dicens : « *Declaratio sermonum tuorum illuminat,* « *et intellectum dat parvulis.* » (Psalm. CXVIII.) Parvulos autem pro humilibus accipi in sacra pagina, ostendunt verba Christi, inde gratias agentis Patri, quod parvulis, hoc est, humilibus, revelaverit ea quæ sapientibus et prudentibus hujus sæculi abscondit. Et superbiam philosophorum, impedimentum fuisse, ne veram fidem agnoscerent, quam humilitate didicissent, probat Augustinus. Si ergo Franciscus humilitatis idea, in locum, quem superbus Lucifer amisit, creditur elevatus; ad naturalem Angelorum supernorum scientiam divina gratia evectus merito reputabitur. Clavem accepit divinæ sapientiæ, et legis intelligentiæ, hoc est humilitatem, quæ clavis est Regia Christi, qua ad veram capessendam scientiam introitur, et aliis introitus aperitur; quam Scribæ et Pharisæi acceperant, et tumentes in superbiam elati, foras remanentes, audire meruerunt a Christo : *Væ vobis legis peritis, quia tulistis clavem scientiæ : ipsi non introistis, et eos, qui introibant, prohibuistis* (Lucæ, XI). Nullus ergo Francisco sapientior, quia nullus humilior. Nemo clavis acceptæ melius potestatem legis peritia exercuit, quam ipse, qui non solum aperuit sibi, et introivit, sed alios innumeros doctrina sua et religione fecit introire. Et si tertiam partem terræ combustam igne, ad vocem clangentis tubæ, qua primus Angelus cecinit, vidit Joannes ; « et per tertiam par- « tem terræ (2), eos qui per doctrinam et « exempla bonorum hominum salvi facti « sunt, debemus intelligere, qui igne timoris « Dei atque amoris, quidquid pravi in se fuit, « combusserunt, atque deleverunt » ; per Franciscum Angelum Dei electum, voce et factis, verbo et exemplo tubam Dei personantem, non solum tertiam partem terræ divino amore combustam, salvamque factam dicere debemus, sed universum illuminatum orbem a se et suis, et totam reparatam Ecclesiam, ut ex nocturna visione percepit Innocentius III, cum Franciscum labentem Ecclesiam (3), ut divinum Atlantem, humeris sustinere conspexit. Hic vere Ecclesiæ Doctor et Magister : nam si doctrina in hoc a Deo instituta est, ut salvos faciat nos ; qui plures salvos fecerit, verus erit Magister.

Illinc secundo hujus sancti viri mihi commendatur doctrina, quod simplici et candido sermone eam tradiderit : nullos enim tam abhorruerim, quam eos, « qui in verbo doc- « trinæ non humiles (4), sed arrogantes « existunt ; qui et ipsa recta, quæ prædicant, « non studio correctionis, sed vitio elatio- « nis annuntiant ». Hi successores sunt Eliu amici Job, qui in superbiam elatus, dicebat : *Attende Job, et audi me, et tace dum ego loquar ; audi me, et tace, et ego docebo te sapientiam* (Job, XXXIII et XXXIV); et iterum : *Audite sapientes verba mea, et eruditi auscultate me.* Hi superbi Doctores vulnerare potius quam emendare norunt, Salomone testante, qui ait : « In ore stulti (5), virga « superbiæ, quia increpando rigide feriunt, « et compati humiliter nesciunt ». Franciscus vero didicit et docuit sapienter, et humiliter, nec in verbis nec in sententiis tumidæ elationi et propriæ laudi studens, sed utilitati audientium et legentium, quod proprium est Christiani Doctoris, nam « qui « affluit insipienti eloquentia (6), tanto « magis cavendus est, quanto magis ab eo, « in iis, quæ audire inutile est, delectatur « auditor : et eum quoniam diserte dicere « audit, etiam vere dicere existimat ». At Patris nostri scripta humilia : « Non humana « industria composita, sed divina mente

(1) Laur. Justin., *De contemptu mundi*, c. 4.
(2) Apoc., VIII; Ambr. in *Apoc.*, c. 8, visione 4.
(3) S. Bonav. in *Legen. S. Francisc.*, c. 3, *in fine.*
(4) S. Isidor., l. III *Sent.*, c. 41.
(5) Prov., XIV. Ex Gregor., XXIV, *Mor.*, c. 22.
(6) Aug., l. IV, *De doctrina christiana*, c. 5.

« sunt fusa (1)». An non hæc humilis eloquentia simplex et incomptus stylus sacræ Scripturæ, in qua non prurientibus auribus expectandus cadentiæ sonus, sed sinceris mentibus requirenda substantia doctrinæ? Dum ad vanam eloquentiam et verborum corticem totus adhuc attenderet Augustinus, et cum primum legeret sacram Scripturam (2), « visa est ipsi indigna, quam Tullianæ di- « gnitati compararet : tumor enim ejus « (sic ipse de se loquitur) refugiebat modum « ejus, et acies ejus non penetrabat interiora « ejus : illa enim erat, quæ cresceret cum « parvulis, ille autem dedignabatur esse par- « vulus, et turgidus fastu sibi grandis vide- « batur. » Ita vereor ne contingat iis, qui sibi magni videntur, et superbo animo ad hæc Francisci Opera legenda accesserint; et ne dum hanc doctrinam tamquam incomptam abjiciant, absque fructu steriles, et mente jejuni recedant. Sed si animo humili, ut parvuli, lactis sapientiæ cupidi, eam perlegerint, non verborum compositas orationes, non doctas fabulas, non poetarum figmenta, non facetias, sed Evangelicam doctrinam quærentes; uberes fontes invenient, quibus numquam satiati adhuc sitient, donec ad Deum fontem vivum accedant, qui propinet ipsis calicem *aquæ vivæ salientis in vitam æternam* (Joan., IV). Facile hanc Francisci « in loquendo simplicitatem excusabit « sanctimoniæ auctoris magnitudo » (3), et candidum Lectoris ingenium : « bonorum « enim ingeniorum insignis est indoles, in « verbis verum amare, non verba (4). Quid « enim prodest clavis aurea, si aperire « quod volumus, non potest? aut quid obest « lignea, si hoc potest, quando nihil quæ- « rimus, nisi patere quod clausum est? Et « sicut effossum informe aurum et rude, eo « charius esse solet, quod nihil videatur « alterius metalli habere commixtum : ita « egregia monumenta, sua ipsius vetustate « atque simplicitate micantia, quibus res « potius quam verba in pretio esse solent, « gratior a plane erunt atque jucundiora, « quovis scripto recentioris Auctoris, qui- « buscumque eloquentiæ phaleris exornato. « Quidquid enim obducitur fuco aut pig- « mentis, suspectum redditur : pulchriorque « enitescit ipsa sua puritate simplicitas : « quæ quod mentiri nesciat, omne, quam- « vis adornatum, compositum velamentum « abhorret. » Ex humilitate ergo Auctoris et styli satis hæc commendatur doctrina.

Atque ex ejus vita et exemplo, quis ignorat, quam digna sit veneratione? Optima plane est viri humilis humilitatis doctrina, quæ « sive loquendo instruat (5), sive commen- « dabiliter tacendo quiescat, semper nos- « citur esse proficua : de thesauro namque « suo bonorum operum, quæ gessit rudi- « menta pronuntians, auditorum animos « convertit ad gratiam : concordat quippe « ejus vita cum voce, efficaciterque bene- « dictio divina assentitur in opere. » Prius ardeat lux in seipsa necessarium est, quam ponatur super candelabrum (6), ut luceat omnibus qui in domo sunt; et si sal in seipso infatuatum fuerit, quomodo condimento ipsius cætera salientur? Ideo vitam prius quærendam quam doctrinam, significavit Regius Vates (7), prius beatos clamans eos, « qui immaculati viam hujus sæculi per- « transeunt, gressus suos secundum legem « dirigentes : quam eos, qui scrutantur tes- « timonia ejus : ante enim vita, quam doc- « trina quærenda est : vita enim bona sine « doctrina habet gratiam : doctrina sine « vita, integritatem non habet. » Hinc de Jesu dicitur cœpisse facere, et docere, quo loco verborum antepositio non caret mysterio, et ipse de Doctoribus loquens dicit : *Qui autem fecerit, et docuerit, hic magnus vocabitur in Regno cœlorum* (8). Audis quoniam præcedit factum (9), subsequitur doctrina : siquidem benefacere, prima doctrina est. Cessantibus enim verbis, hoc ipsum docet homines opus optimum, dum videtur : quod etsi voce aures non excitet, virtute tamen corda compungat. Quis enim bonum factum videns non gaudeat, miretur, imitetur, ac veluti tacito magistro utens, ejus exemplo doceatur? Dictis igitur facta præcedunt. Inanis ergo et ridicula, contemnenda, hypocrisique plena, vana, inutilis, mendax, et sui auctoris inimica, quum sit doctrina quæ auc-

(1) Idem eod., lib. VII, c. 7.
(2) Aug., l. III, *Conf.*, c. 5.
(3) Hier., Epist. 103, ad Pammach.
(4) Aug., 4. *De doctr. Christiana*, c. II, *Baron.* tom. III an. *Christ.* 356.
(5) Laur. Just, *de Vita solitaria*, c. 7.
(6) Matt., III.
(7) Psal. CXVIII, in princ. Ambr. in Psal. CXVIII, in princ.
(8) Matt. V.
(9) Ambr. *in Serm. de Comm. Martyr. per annum.*

toris moribus non probatur, et ex exemplo sibi fidem sortitur, necessario fatendum est, eam, quæ plene moribus Auctoris constat, omnibus meliorem et efficaciorem esse.

Scio quidem, inter Sanctos et Sanctos, inter merita et merita differentiam esse maximam, ut Bernardus docuit (1), disputationes autem et controversias de eorum comparatione et gloria, inutiles et periculosas esse, nec viris piis conveniret, cum potius controversias excitent, quam imitandi desiderium et devotionem : atque ita ad sanctitatis comparationes non deveniam. Id solum dixero, debere unumquemque doctrinam Seraphici Francisci, ex ejus vita et meritis æstimare : et qui eum (ut par est) inter Angelicos choros collocatum, sedem Luciferi occupare crediderit, Angelicam reputet doctrinam : qui inter Apostolos illum maluerit recensere, Apostolicam existimet : qui eum in vita verum et certum imitatorem Christi, et in corpore ejus effigiem senserit et adoraverit, credat nullam doctrinam Auctoris non canonici plus hac Christi imitari doctrinam. Portat sigillum Christi Franciscus stigmataque ejus in corpore suo, quibus auctoritatem regiam præstat doctrinæ suæ : quæ enim sigillo regio signata sunt, regiam majestatem præ se ferunt : signatam ergo et confirmatam dicemus Francisci doctrinam Christi sigillo (2). Miraculosus ille liber, quem Joannes vidit scriptum intus et foris, quem nemo poterat aperire, quousque venit Agnus tamquam occisus, et aperuit illum, qui dignus aperire visus est, quoniam occisus fuit, et ex omni lingua, et natione, et gentibus congregavit Ecclesiam et Regnum Dei. Hæc quidem de Christo intelligi, communi consensu probant sancti Doctores, qui quasi occisus, quoniam post mortem occisionis signa portans, vivus apparuit. At post Christum, cui melius hæc visio, quam Francisco competere dignoscitur? qui vivus quasi mortuus apparuit, tum ex mortificatione, tum ex signis mortis, quibus Agnus occisus est Christus : ipse autem amoris dulcissima morte correptus vivus apparuit, et adhuc post naturalem mortem semivivus perseverat, erectus in sepulcro, ut testatur a Pontifice inscriptum Epitaphium. Si ergo aliquis post Christum, legis divinæ meruit aperire librum, et ejus exponere præcepta, is Franciscus est; qui ut occisus eisdem vulneribus, quibus Agnus apparuit, et Spiritu Dei plenus, poterit solvere et explicare signacula ejus, quæ sunt septem Spiritus Dei. Et ideo forsan erectus et incorruptus per tot sæcula in sepulchro perseverat, ut semivivus, non mortuus, aut occisus, sed quasi mortuus appareat : et integritas et incorruptio sint signa optimi Doctoris, et magistri (3), quia sicut aurum et argentum, et lapides, quos ignis non corrumpit, ita bonus magister incorruptibilis permanebit.

Docet etiam in suis libris Franciscus, tamquam potestatem habens (4) exemplo Christi : quem enim verba seraphico spiritu plena, et regio signata sigillo, non commoveant? non trahant? non compellant? Non immerito ei convenire existimem quod Tito (5) præcipit Apostolus: Cum omni imperio doceto (non quod imperiose et tumide divina doctrina prædicanda sit, sed quod bono exemplo, et vitæ integritate, venerabilis factus Magister suam doctrinam reddat observandam, ut ipsius capitis series satis ostendit, et observant sacri Doctores) (6). Franciscus enim cum imperio et potestate docet, tum ex vitæ et morum integra disciplina, tum ex auctoritate et majestate Christi, cujus signatus, adeo Deiformis effectus est, ut humanis oculis, cum non dissonet doctrina, sed conveniat, Christus videri possit : et si nos, qui non vidimus personam Christi, Franciscum stigmatibus decoratum, loquentem verba Christi audiremus, aut scribentem manu, clavo transfixa, videremus; non immerito ejus similitudine decepti, Christum audisse, aut vidisse scribentem dicere auderemus. Quis ergo non plurimi faciat? quis non libenter legat doctrinam Christi, transfixis manibus Francisci scriptam? quis manus transfixæ sanguine madentem chartam, calamum, atramentumque non veneraretur, si Franciscum scribentem adspicere mereretur? Crede tamen mihi, Lector, pluris facienda esse verba, dicta, et

(1) Bernard. Serm. 5, *in Fest. omnium Sanctorum.*
(2) Apoc., v.
(3) Ambr. in Epist. Paul. I ad Cor., c. 3.
(4) Matt., VII.
(5) Ad Tit., c. 2.
(6) Gregor. l. Mor. 23. c. 13. Isidor. 3, *Sent.*, c. 36.

sententias ejus, quam illa materialia signa : nam si ista transfixæ manus sanguine rubebant, illa cordis sanguine, et seraphico spiritus ardore sunt ignita ; et quanto spiritus divinus, ex quo fonte illa emanabant, omnibus aliis pretiosor est rebus, tanto dicta, sententiæ, præcepta, et consilia Francisci, pluris fieri debent, quam charta, calamus, et atramentum etiam ejus sanguine rubricata. Qui ergo illa, si dignus videre fuisses, tanti haberes; pluris ista, quæ tibi nunc traduntur, habeto.

Vides jam quantum ex vita, qualitate, et majestate Auctoris commendetur Opus? ulterius velim attendas, quantum seipsam commendet, singularis, seu particularis hæc philosophia (1) quodammodo tradens ejus elementa, quæ vere perfecta est, scientiæ.

Non aliud suis Operibus commendat Franciscus, quam quod in Evangelio tradidit Christus : illius perfectissimæ scientiæ doctrina hæc præcipua tradit elementa, salutariaque Christi hortamenta tam simpliciter suadet, quam efficaciter persuadet. Quis, quæso, melius explicavit, comprobavit, docuit, et monstravit exemplis, illud evangelicum : *Cavete* (Lucæ, XII) *ab omni avaritia, quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his, quæ possidet :* quam ille, qui ut ab avaritia suos discipulos arceret, nihil penitus possidere aut habere voluit? Quis neminem fallere, divinæ providentiæ fidem demonstravit, et experientiæ auctoritate munivit; certissimumque esse ostendit illud evangelicum : *Nolite solliciti* (Lucæ, XII ; Matt., VI) *esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini ; considerate corvos, qui non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, et Deus pascit illos; quanto magis vos pluris estis illis?* quam ille, qui se et suos divinæ providentiæ omnino commisit? Quis verum sensum attigit melius verborum Christi : *Qui vult venire* (Matt., XVI; Lucæ, IX) *post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me :* quam qui terrena omnia despiciens, se suaque abnegavit, et nudus nudum secutus, alios nudos sequi docuit Christum? Quis elegantioribus commentariis prosecutus est illud Dominicum verbum : *Si quis venit* (Lucæ, XIV; Matt., X) *ad me, et non odit patrem suum, aut matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus* : quam ille, qui licet a patre vapulavit, carceribusque fuit mancipatus, ne post Christum abiret, per patrem (ut cum Hieronymo loquar) (2) calcatum perrexit, matrem reliquit, et fugiens, ad episcopi genua nudus procubuit : et alias cum uxorem tentaretur accipere, ut filios procrearet, mulieris et puerorum formas ex nive composuit, et eas osculatus, ad nudumque corpus adstringens, et placide amplectens dixit : Hi sunt, Francisce, filii tui, et uxor tua; sicque animam suam, id est vitam, conterens in hoc mundo, ad æternam felicitatem custodivit? Quis gloriosius expertus est, ac melius explicuit illam centupli promissionem eis factam : *Qui reliquerint* (Matt., XIX) *filios, domum, aut agros propter nomen Christi*, quam qui modica mercatoris patris domo, et tenui patrimonio relicto, non solum æternæ vitæ accepit a Deo retributionem, et dona, quæ centupli promissionem longe excellunt, sed et materialiter in hac vita, tot domos opulentas, in universo obtinuit orbe terrarum, plenas optimis filiis, ita ut nulla sit apud Indos et Antipodas ita remota natio, quæ domos divo Francisco non consecraverit, et filios ei pepererit? et pro facultatibus, quas reliquit, tributa voluntaria Pontificibus, regibus, et privatis in universo imposuit, quibus alunt indigos filios, habentes mundi sibi subjectas potestates? Quis talem unquam mercandi artem cognovit, et docuit, quæ non solum pro centum reddat decem, aut pro uno centum, sed pro minimo millia millum complurima, et innumerabilia? qua similis omnino factus *homini negotiatori* (Matt., XIII) *quærenti bonas margaritas : inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia, quæ habuit, et emit eam;* et ei, *qui invento thesauro in agro* (Ibidem) Evangelicæ doctrinæ, *abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa, quæ habet, et emit agrum illum?* Aut quis unquam tam avidus mercator ulli non pepercit labori, ut lucrum ex mercatura reportaret, quam iste, qui fame, siti, nuditate, vigiliis, studiis, humilitate, et labore jam virtutum

(1) Clem. Alex., l. VI *Stromat.*, c. 3.

(2) Hier. Epist. 1, *in Heliod.*, ad princ.

aurum acquirebat, jam ad palmam martyrii properabat? Quis ex his, qui argenti et auri metalla se conficere posse præsumunt, chymicam istam unquam artem potuit imitari, quæ non solum cæteras artes, sed naturam excellit? præter naturam quippe est, ut omnes etiam tenuis substantiæ viri sua donent illis, qui a Francisco edocti sua reliquerunt; ita ut sibi et filiis prius alimenta deesse, quam fratribus Minoribus patiantur. Præterea quis potuit commodius explicare illud : *Beati* (Matt., v; Lucæ, vi) *pauperes, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum :* quam ille, qui non solum voluntariam paupertatem coluit, sed in ea proprium sibi et filiis constituit firmissimum et indeficiens patrimonium? Denique, ut uno verbo omnia complectar, nullus, præter Apostolos melius legem Evangelicam intellexit, nec politioribus commentariis explicuit : nemo eam non solum possibilem, sed necessariam, utilem, et facilem, jugum suave et onus leve ostendit, nec alter sequi Christum melius docuit.

Unde fateor, mi frater, me antequam titulos Operum, quæ inveneras, perlegissem, alios ultra hos expectasse tractatus, Francisci vitæ et virtutis proprios; videlicet, Commentaria in Evangelium Christi, De ejus vera imitatione tractatum, De sui ipsius et vanitatis sæculi contemptu, De vita solitaria et monastica, De purgativa, illuminativa, et unitiva via, De perfecta in Jesum crucifixum transformatione, De humilitate, De paupertatis gloria, De fide in Deum, et ejus providentia; sed postquam Opuscula non absque gaudio percurri, et rem altius mecum perpendi, cognovi hæc omnia breviter in Operibus a te mihi oblatis contineri, longioresque earum rerum tractatus a Patre nostro editos, non chartis commendatos, sed ut opera legis *scripta esse* voluisse *in cordibus nostris* (Rom., ii). Talis est enim practica et exemplo evulgata et probata doctrina Francisci, ut naturalem simul et Evangelicam legem comprehendat, quibus cordis nostri medulla conveniens membrana est. Est igitur doctrina Francisci evangelica, apostolica, seraphica, ad pœnitentiam vocans, cœli viam ostendens. Non est doctrina illa, quam Apostolus dicit *sapientiam hujus sæculi* (I Cor., ii), quæ est scilicet voluptaria, et nimio tenetur sui amore (1) et ut quæ doceat, quæ sunt hujus mundi, et quæ sunt circa ipsum solum : non est doctrina numularia, quam Dominus ejecit de templo (2), eorum scilicet qui doctrinam Christi et sacras ejus scripturas ad lucrum et honorem interpretantur, et casta eloquia (3), argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum, corrumpunt, et Regis adulterinam imaginem reddunt (4), et impia commutatione deturpant, et in thesauros suos redigunt, non lucrum Dei et honorem (5), sed propriam quærentes utilitatem.

Sed susurrantes jam audio Zoilos superbe sapientes, murmurantes, unde tanta doctrina evenerit Francisco, humili viro, idiotæ, non litterarum studiis, sed humilitati dedito; imo et qui de litterarum studiis sæpe consultus a suis, vel omnino prohibuit (6), vel saltem ita permisit limitate, ut ad orationis studium potius quam ad litterariam palæstram invitaret et destinaret; nec ipse aliquamdiu in scholis moratus, nec argutis plurimum interfuit disputationibus : unde ergo prius est factus Magister et Doctor, quam discipulus? Magister enim bonus ille est, qui docet ea, quæ prius didicit, ex Chrysostomi sententia : « Et cognitio quidem est ex eo quod quis didicerit (7). » Discere et audire Magistrum prius est, quam posse docere (8) quod adeo certum judicarunt, qui ab infantia Dominum Jesum cognoverant, et sciebant eum litteris operam non dedisse, videntes eum docere, quem hominem tantum reputabant, ut admirarentur, dicentes : *Unde huic omnia? Et quæ est sapientia, quæ data est illi, et virtutes tales, quæ per munus ejus efficiuntur? Nonne hic est faber filius Mariæ frater Jacobi, et Joseph, et Judæ, et Simonis? nonne et sorores ejus hic nobiscum sunt? et scandalizabantur in illo.* (Marc, vi; Matt., xiii.) Quare scandalizabantur? quia ex patre, matre, fratribus, et sororibus eum hominem purum esse arguebant, atque ita

(1) Clem. Alex., l. VI, *Stromat.*, c. 3.
(2) Lucæ, xix.
(3) Matt., xxi. Marc., xi. Joan., ii.
(4) Ex Amb., l. ix, *in Lucam.*, c. 1.
(5) Psal. xi.
(6) S. Bonav., in *Legen.*, cap. xi.
(7) Chrysost., in *Epist. ad Cor.*, c. viii, Homil. 20, ad fin.
(8) Clem. Alex., lib. VI, *Strom.*, c. iii.

litteras discere communi more debuisse priusquam doceret.

Non aliter hi inferent de Francisco, quem misellæ conditionis humanæ fines nequaquam transiliisse, nec in dialecticorum argutiis versatum, probe norunt. Quibus tamen facile respondetur, in rerum divinarum indagine, philosophorum libris, et vano sæculi magisterio præstare Sacrorum librorum humilem et sinceram lectionem, sanctamque meditationem, modo quæ leguntur, et meditatione percipiuntur, opere compleantur. Multi enim ex sanctis Patribus absque sæculari magisterio, profanorumque librorum usu in Dei lege docti evaserunt. Ita contigit Antonio, qui universam sacram Scripturam memoriter tenuisse dicitur, cujusque aliqua opera extant, doctissima sane, in Bibliotheca veterum Patrum. Ita Arsenio, ita Paulo, et aliis sanctis monachis et abbatibus, qui in desertis a pueritia viventes, lectione sola et contemplatione ad magnam scientiam pervenerunt. Ita didicerunt Benedictus, Basilius, Joannes Damascenus, et alii plures, qui nusquam leguntur in scholis versati, et quanto longius a scholasticorum argutiis aberant, tanto citius intellectus illorum illuminabatur, igne vibrante ardentis voluntatis, et quo Deum, quem semper memoria retinebant, cito cognoscebant et ferventer prædicabant. Quid memorem monachorum abbatem Hor (1), qui cum in deserto Thebaidæ nonagenarius habitaret, Angeli præsentia admonitus, ut ad habitata loca, ut aliis proficeret, descenderet, cum antea legere omnino ignoraret, scientiæ donum accepit? Aut quid in medium adducam alterum monachum Patermutium, qui e latrone conversus (2), et ad eremum secedens, quærens quid sibi oporteret scire; responsum accepit a Magistro ut tres tantum disceret priores versus Psalmi primi : ille vero hos sæpius repetens, et divina meditatione triturans, orationibus et jejuniis tantum profecit, ut totam sacram paginam memoria teneret? Quid referam de Joanne presbytero, qui in eremum divino Spiritu deductus, Angeli manu tactu ore ejus (ut Isaiæ calculo) plenitudinem scientiæ accepit (3)? Hujusmodi « quamplures quotidie experi- « remur; si simili cura, sinceritate, et hu- « militate, sacros codices evolveremus : « neque enim fieri potest, ut is qui in di- « vinis Scripturis magno studio et ferventi « desiderio vacat, unquam negligatur : sed « licet desit nobis hominis magisterium, « ipse Dominus superne corda nostra in- « trans illustrat et mentem, rationi jubar « suum infundit, detegit occulta, doctorque « fit eorum, quæ ignoramus : tantum si nos, « quæ a nobis sunt, afferre velimus (4). Anne quis docuit Apostolos, ut scirent Scripturas et linguas, præter illum a quo dictum est : Et mittam vobis Spiritum veritatis, qui a Patre procedit (5), ille docebit vos omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis? Aut quomodo in adventu ipsius docti facti sunt omnes, qui prius erant insipientes? de quibus dictum : *Stulta quæ sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes.* (I Cor., I.) Et alibi : *O stulti et tardi corde ad intelligendum Scripturas.* (Lucæ, XXIV.) Sed cum omnis sapientia a Deo sit, et Christus sit sapientia Patris, et ab eo nobis designatus Magister, voce e cœlo delapsa : Ipsum audite (6), quem ipse docuerit, doctus evadet : ad quem ipse Spiritum suum direxerit, sapientiæ, scientiæ, doctrinæ, et intellectus dona percipiet, quibus illuminatus omnem mundi excedat sapientiam. Non homines, sed Christus veram et cœlestem infundit doctrinam : hujus superexcellentis philosophiæ verus Magister est Christus. « Nolite putare, inquit Augus- « tinus, quemquam hominem aliquid dis- « cere ab homine. Admonere possumus per « strepitum vocis nostræ : si non sit intus, « qui doceat, inanis fit strepitus noster. « Magisteria forinsecus adjutoria quædam « sunt, et admonitiones : cathedram in cœlo « habet, qui corda docet : de Domino dico, « propterea ait, ipse in Evangelio : Nolite « vobis magistrum dicere in terra, unus est « magister vester Christus. Ipse ergo vobis « intus loquatur, quando nemo hominum « illic est : quia etsi aliquis est a latere tuo, « nullus est in corde tuo : sed Christus est « in corde tuo » (7). Interior ergo Magister est, qui docet; Christus docet, inspiratio

(1) *Vitæ Patrum*, lib. II, c. I.
(2) *Ibid.*, lib. II, c. IX.
(3) *Vitæ Patrum*, lib. II, v. 15.
(4) Chrysost., in c. XIII, *Genes.*, Hom. 35, in princ.
(5) Joan., XXIV.
(6) Matt., IX.
(7) August., Tract. III, in I Ep. Joan., II.

ipsius docet; ubi illius inspiratio, et illius unctio non est, forinsecus inaniter perstrepunt verba.

Leve ergo fundamentum est ad probandum Franciscum omnino idiotam fuisse, dicere Magistris multam operam non dedisse: nam si Magistri tam parum prosunt, ut vere nihil per se possint docere absque illo Magistro interiori, a quo docemur, secundum Augustinum; reliquum est, humano Magistro caruisse, non esse aliud, quam illo exteriori indice caruisse; quo licet monstrante facilius res cognoscantur, deficiente tamen, possibile est cognosci, præsertim cum « ad « veram sapientiam non una via perve« nitur, quippe pro sua quisque sanitate ac « firmitate comprehendit illud singulare ac « verissimum bonum. Lux est quædam inef« fabilis et incomprehensibilis mentium : « lux ista vulgaris nos doceat quantum po« test, quomodo illud se habeat. Nam sunt « nonnulli oculi tam sani et vegeti, qui mox « ut aperti fuerint, in ipsum se solem sine « ulla trepidatione convertant : sunt alii, « quibus sol initio conspectus visum obtun« deret (1). » Non ergo omnibus unus discendi modus : quia sicut in domo Patris mansiones multæ, ita multæ viæ; et sicut diversa bona (*uni enim datur prophetia, aliis scientia, aliis genera linguarum, aliis gratia curationum*) (Ephes., IX, et I ad Cor., XII) sic diversi modi, breviores et longiores, adipiscendi hæc dona secundum voluntatem Dei, qui omnia prudenter disponit, secundum qualitatem et naturam accipientis. Nec negamus nos Franciscum habuisse Magistrum, et tempus, et modos addiscendi; imo dicimus habuisse Magistrum Christum, qui per Spiritum Sanctum illum docuit, eo modo, eo tempore, eo loco, quibus ipse voluit, *cui omnia dedit Pater in manus*. (Joan., XIII et XVI.) Huic nullus ordo præscriptus, nullus locus, nullum tempus; potest mediante Magistro temporali docere, cum ex jam dictis semper sit ille, qui interius docet; potest et sine medio per seipsum. Hominibus enim, qui humanas artes profitentur, datum est operari instrumentis mediis; Deus autem, prout vult, ex natura sua potest operari, nec indiget instrumento, quia Deus naturæ est. Sic Apostolos in instanti docuit, sic Baptistam in matris utero, sic Prophetas, sic Saulum, e cujus oculis ceciderunt squamæ ignorantiæ. Proinde optimum hunc Magistrum bonus et primarius ille discipulus Petrus relinquere noluit, nec recedentibus iis, qui in Christi doctrina scandalizabantur, recessit: interrogatusque an cum aliis Apostolis abire vellet, respondit : *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes* (Joan., VI), id est doctrinam, quæ ad vitam æternam ducit, et verba, quæ ipsam continent vitam. Non est alius tibi similis Magister, ad quem declinare possimus; non est, qui ita perfecte doceat alius Præceptor. « Da in« quit ad Christum Petri nomine Augustinus « alterum te, et ibimus ad eum (2), » quasi dicat, nullatenus recedere debere discipulos a Christo, dum non sit alius a Christo Magister, qui quod Christus instruit, edoceat; nec quod inspirat Christus, ostendat.

Excellentiam autem hujus doctrinæ didicisse Franciscum a Christo, paucis tibi monstrabo, licet possem multis. Breve magisterium Christi est, toto corde Deum omni tempore, sive blandientem sive flagellantem, laudare (3), ejusque extollere bonitatem, et continuo orationi insistere. Hoc an recte didicerit Franciscus, consule discipulum ejus dicentem : « Ambulans et sedens, intus « et foris, et laborans et vacans, orationi « adeo erat intentus, ut illi videretur non « solum quidquid erat in eo cordis et cor« poris, verum etiam operis et temporis de« dicasse (4). » Doctrina Christi est : *Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde*. (Matt., XII.) Videamus an didicerit hæc noster Franciscus : in humilitate ita profecit, ut humiliora faciens fundamenta ædificii sui, in altiora, quæ superbus Lucifer perdidit, fabricam extulisse merito credatur : « In « propria quidem reputatione nihil erat nisi « peccator, cum in veritate speculum esset « et splendor omnimodæ sanctitatis (5). » Super hanc studuit ædificare seipsum, ut sapiens architectus fundamentum præjaciens, quod a Christo didicerat. Doctrina Christi est : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quæ habes, et sequere me*. Et : *Nisi quis renuntiaverit omnibus, quæ*

(1) Aug., lib. I, *Soliloq.*, c. 15.
(2) Aug., *ibid.*
(3) Ex Aug. enarr. in *Psal.* CXLIV.

(4) Bonav., in *Legen.*, c. 10.
(5) Bonav., in *Legen.*, c. 6, ubi multa alia.

possidet, non potest meus esse discipulus. Doctrinam hanc sibi pro vinculo hæreditatis adscripsit Franciscus : « Nemo enim « tam auri, quam ipse cupidus paupertatis, « nec thesauri custodiendi sollicitior ullus, « quam iste hujus Evangelicæ margaritæ. « In hoc præcipue suus offendebatur aspec- « tus, si quid videret in Fratribus, quod « paupertati non per omnia consonaret : « nam et Fratribus in conclavi quærentibus, « quæ virtus magis amicum redderet Christo; « quasi secretum sui cordis aperiens res- « pondebat : Paupertatem noveritis, fra- « tres, specialem viam esse salutis, tanquam « humilitatis fundamentum, perfectionisque « radicem, cujus est fructus multiplex, sed « occultus (1). » Certe quæ et quanta dixit et fecit pro paupertate observanda, longum esset referre. De cordis pietate, mansuetudine, et caritate, quis sermonem contexere valebit? Certe affirmare ausim, licet multa de hujus viri virtutibus et vera sapientia scripta sint, omnia in comparatione eorum, quæ dici possent, quasi si ulam roris matutini esse, maris magnitudini comparatam. Veram sapientiam didicit, a vero præceptore Christo didicit, a Patre didicit : doctrina enim Christi, Patris doctrina est : a Spiritu Sancto didicit, per quem Christus promisit se docturum omnia : optimos habuit magistros, optimus ipse discipulus. Didicerat ergo justitiam, sapientiam, caritatem, humilitatem a Christo. Quid ergo nos suis Operibus docebit? eructavit absque dubio quod biberat, ut alter Joannes (2), qui quod e Christi pectore biberat, verbum eructabat; et ideo in Operibus ejus nihil invenies, nisi doctrinam Christi.

Poterit ergo jam Franciscus detrahenti Zoilo verbis Ambrosii (3) respondere, si dixerit Zoilus illi : « Unde habuisti intelligere? Scriptum est : Interroga Patrem tuum, et annuntiabit tibi : seniores, » id est Magistros, « et dicent tibi, » respondebit : Etiam scriptum est de Deo : *Ego sum Pater tuus, interroga me* (Deut., XXXII) : et ex illo novi respondere, et ex illo supra illos intelligo quod non intelligebant, quia testimonia didici, quæ illi non noverant. Didici : Qui sequitur me, tollat crucem suam. Didici : *Diligite inimicos vestros. Et ideo super omnes docentes intellexi, quia testimonia Domini meditatio mea est.* (Psal. CXVIII.) Quam autem divinæ legis meditatio eum super omnes docentes doctum reddiderit, accipies ab illustrissimo S. R. E. cardinali Bonaventura : « Ad tantam autem mentis « serenitatem, indefessum orationis stu- « dium, cum continua exercitatione vir- « tutum, virum Dei perduxerat, ut quamvis « non habuerit Sacrarum litterarum peri- « tiam, per doctrinam, æternæ tamen lucis « irradiatus fulgoribus, Scripturarum pro- « funda miro intellectus scrutaretur acu- « mine. Penetrabat enim ab omni labe pu- « rum ingenium mysteriorum abscondita : et « ubi magistralis scientia foris stat, affectus « introibat amantis. Legebat quandoque in « Libris sacris : et quod animo semel inje- « cerat, tenaciter imprimebat memoriæ : « quia non frustra mentalis attentionis per- « cipiebat auditu, quod continuæ devotionis « ruminabat affectu. » Et post pauca : « In- « terrogatus Senis a quodam religioso viro, « theologiæ sacræ doctore, de quibusdam « quæstionibus difficilibus intellectu, tanta « claritate doctrinæ, divinæ sapientiæ pate- « faciebat arcana, ut vehementer stuperet « vir ille peritus, et cum admiratione re- « ferret : Vere theologia sancti Patris is- « tius, puritate ac contemplatione tanquam « alis in altum subjecta est aquila volans : « nostra vero scientia ventre graditur super « terram. Licet enim esset imperitus ser- « mone, scientia tamen plenus, enodabat « dubia quæstionum, et abscondita produ- « cebat in lucem : nec absonum si vir sanc- « tus Scripturarum a Deo intellectum acce- « perat, cum per imitationem Christi, per- « fectam veritatem ipsarum descriptam « gestaret in opere, et per Sancti Spiritus « unctionem plenariam, doctorem earum « apud se haberet in corde (4). » Hactenus de ejus scientia Bonaventura, et si adhuc majus videre cupis testimonium Ecclesiæ sanctæ, quæ veritatis magistra est, audi ejus judicium in Hymno de festivitate ejus, ab Ecclesia approbato. In primis Vesperis dicitur de eo : « Vita et doctrina splenduit » et in secunda Antiphona Laudum : « Hic prædicando circuit, et quem non homo docuit, fit doctis in stuporem »,

(1) Bonav., in *Legen.*, c. 7.
(2) Sic de eo loquitur Hieron.

(3) Ambr., in *Psal.* CXVIII, octon. 13, versu : Super omnes docentes.
(4) Bonav., in *Leg.*, c. 11.

et in quarta : « Doctus doctrice gratia » (1).

Sed si adhuc superbe sapis, et illum iterum atque iterum idiotam vocas, audi casum, ne dicam miraculum. In quadam Hispaniæ civitate (quam reticeo, ut honorem caveam viri, et religionis, cujus dedecori hoc tribui posset, mihi enim veritas cordi est absque aliorum injuria) decem abhinc annis contigit, prædicatorem quemdam concionantem, et litteras litteratosque sanctos commendantem, dixisse, se illis devotissimum, non vero idiotis, qualis erat Franciscus. Quod ut semel atque iterum repetiit, populares viri et mulieres adstantes, dum Francisci devotione tenebantur, susurro et murmure tacite hoc sibi de Francisco dictum non placere indicarunt. Cœpit subito prædicator ille, qui lingua expeditissimus erat, balbutire, rubore suffundi, et conturbari; cœperunt et ea, quæ ad concionem præparaverat solertissimo studio, e memoria decidere. Crevit ejus turbatione popularium tumultus : tandem concionator obmutuit, et quæ superbe forsan didicerat, in medium proponere non potuit; quia, ut credibile est, humilitatem viri sapientis despexerat; et ita incompleto sermone, e suggesto verecunde descendit. Hujus rei testes fuerunt episcopus et capitulum, frequensque populus illius civitatis, qui aderant ad festum solemnissimum invitati. Casum, ut novi, refero, non prædico miraculum; sed Franciscum agnosco sapientem simul et beatum, de quo jure dici potest : *Beatus* (Psal. XCIII), *quem tu erudieris Domine, et de lege tua docueris eum*. In quo beatus? « Propter donum scientiæ (2), quod de Spiritu sancto fuerat consecutus ». Unde non immerito, meo judicio, anteponendus Franciscus aliis Doctoribus, quos ab eodem magistro non fuisse edoctos plane constiterit : « Cedant enim (3) ei doctores quique necesse est, quem testimoniorum meditatione cœlestium doctrina Dei docentis imbuerit. » Et quanto minus humani studii et humanæ litteraturæ concedatur Francisco, tanto amplius ejus eminet laus doctrinæ : quia si non acquisita, ergo data dono Dei : si non acquisita, ergo revelata; si revelata, ergo vera, excellens, secura, doctrina nempe Spiritus sancti, doctrina et Christi.

(1) Ex officio S. Francisci.
(2) Ambr., Psal. CXVIII.
(3) Idem, eod. loco.

Sed quo tandem ab incepto itinere longius abii, et qui tantum gratulari tibi, reverende frater, cogitaveram, gratulatione omissa, ad alia diverti, et epistolæ brevitatem et modum excedens, bellum cum detractoribus suscepi? Anne aliquid habuit commune, congratulari tibi, et laudare susceptum laborem, et adversus invidos tam longo sermone divertisse? Vereor certe ne hoc malignantibus ingeniis pharmacum adhibuisse fuerit necessarium: quod dum minus cogitasse videor, convenientius fuisse præsumo. Nec ex hoc diminuitur gratiarum tibi debita actio, imo ex muneris propalata dignitate augetur; quæ enim sufficiens erit gratitudo, pro Francisci doctrina evangelica? Certe nulla, si verum fateamur, par erit tanto beneficio, in quo honor simul cum lucro, voluptas cum utilitate, et cum pharmaco infirmitatis solatium reperitur. Sed hujus facti nulla tibi gratia reddenda est, sufficit enim pro præmio egisse. Imo et tu immortales gratias Deo optimo maximo agere debes, qui per merita beatissimi patris nostri Francisci, te post tot sæcula, quibus hæc tradita erat silentio doctrina, creavit, et ex Hibernia *Catholicæ fidei tenacissima*, sed misero et turbulento hoc sæculo dira hæreticorum peste (4), et immani persecutione agitata, ut alterum Loth eduxit, et ad religionem vocavit, ut tamquam fidelis servus et prudens dares in tempore, ab eo præsignato, fidelibus hanc tritici mensuram bonam, et confertam, et coagitatam (5) et supereffluentem, qua fidelium animæ, veterem renovatam, et experimento probatam sentiant vocem Evangelii, quam Franciscus singularis tibicen aurea canit tuba paupertatis et caritatis, non in vanum vocem emittens, velut æs sonans, aut cymbalum tinniens, sed caritate plenus, opere prius prædicans quam verbo. Hæc est aqua illa crassa, quam ex antiquo servato sub terra igne invenisse (6) dicitur Nehemias, quæ sparsa super sacrificium, oriente sole calefacta, ignis iterum naturam assumens, combussit sacrificium et ligna. Servatus quippe Evangelicus ignis doctrinæ Francisci sub terra humilitatis suæ et suorum, aut ignaviæ et frigiditatis humanæ, nunc a te novo Nehemia educta, et in corda

(4) Baron., an. Christi 1053, in fine.
(5) Lucæ, XII. Lucæ, VI. I Cor., XIII.
(6) Mach., II, v. 1.

nostra effusa, ut aqua, oriente solis justitiæ lumine (a quo omnia calorem accipiunt et virtutem) ardebit, et igne caritatis comburet sacrificia cordium. Aqua, qua lavantur crimina (1), dum inducimur ad pœnitentiam; qua madent oculi, dum compellimur ad lacrymas; qua divino amore infuso comburuntur corda, vibrante igne Sancti Spiritus; qua divinæ sapientiæ sitis non extinguitur, sed excitatur (2). O utinam sicut illa miraculosa ex igne aqua crassa eo tempore inventa est, quo captivitate finita, populus Dei ad patriam revertebatur; ita hæc tempus præsignet, quo a peccati servitute liberati fideles, jam in cœlestem patriam iter dirigant : et sicut illa fuit principium pacis illius populi : ista Ecclesiæ pacem præsagiat, eaque in ignem conversa, alienum ignem, scilicet hæreticam aut indignam moribus doctrinam, in templum Dei mittentes (3) comburantur.

Hic est unus ex clypeis mille pendentibus in turri David (4), quo tu nunc armatus prodis ad defendendam Ecclesiam. An non sunt Christianæ antiquæ bibliothecæ, ex quibus hæc sancti Patris monumenta eduxisti, turris illa Davidica cum propugnaculis ædificata, ex qua mille pendent clypei, omnis armatura fortium? fortium, inquam, illorum de quibus scribitur : *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi* : *uniuscujusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos* (Cant., III)? Ii nimirum sunt veterani Ecclesiæ milites, sancti illi et antiqui Patres, qui scriptis et monumentis suis vigilantissime et acerrime pugnant contra hæreticos, et potestates atque rectores tenebrarum harum, qui quietem veri Salomonis interturbant, qui Ecclesiam ejus sponsam, in cujus sinu conquiescit, et inter cujus ubera commoratur, die nocteque divexant, nec clamantem sponsum audiunt : *Adjuro vos filiæ Jerusalem* (quia ipsi filiæ sunt Babylonis miseræ) *ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam quoadusque ipsa velit* (Cant., II, III et VIII). Contra istorum strepitus, impetus, et insultus vere ex sacris bibliothecis educuntur clypei, et omne armorum genus. Quamobrem eas pertimescunt et horrent hæretici : nam a Philisthæis (5) edocti, cavent, qua possunt diligentia, ne inveniatur gladius in Israel; ut cum ipsi insurrexerint, inermes reperiantur Catholici. Quod Julianus ille apostata teterrimus Christi et Ecclesiæ hostis diligenter fecit, dum lege cavit ne Christiani litteris Græcis erudirentur, nec scholas frequentarent : quod et hodierni sectarii, et apostatæ, nostro sæculo diligentissime fecerunt, et faciunt, ubicumque tyrannidem suam libere exercent. Quot enim bibliothecas sacras diripuerunt? quot sacra volumina exusserunt? quot sanctorum virorum monumenta dilaniarunt? Nec sane ad sua scelera imprudenter : in hoc enim laudo villicos iniquitatis, et prudentiam filiorum hujus sæculi. Videbant namque nihil sibi infestius, nihil sectis suis perniciosius, quam hujusmodi bellica Ecclesiæ armamentaria, ex quibus tot veterum Patrum exemplaria, Græca, Hebræa, Latina, et omnium denique linguarum scripta, quotidie eruuntur, quibus Babylonica eorum turris evertitur, et ad fundamenta usque exinanitur. Quemadmodum vero tempore belli diligentius conquiruntur arma, quibus se quisque muniat : ita tempore hæresium (quæ sunt ecclesiastica bella, occidunt enim animas, quæ mori nesciunt, cum aliæ strages in corpora, in ædes, et cætera hujusmodi caduca, et interitui ruinæque obnoxia, tantum desæviant) diligentius Catholici musæa et bibliothecas evolverunt, sanctorum Patrum libros perquisierunt, eosque velut leonibus fortiores, et aquilis velociores, in prima acie collocarunt, ut non immerito militans Christi Ecclesia dicatur, ac sit hæreticis *terribilis, ut castrorum acies ordinata* (Cant., VI). Inter quos tu, religiosissime vir, hæc Seraphici Patris monumenta eduxisti, quibus ut gladio decidunt hæretici. Quis namque ex nunc poterit se objicere potestati Pontificis, vel sacri Collegii cardinalium negare dignitatem, cum videat Franciscum (quem sanctissimum virum fuisse, nec hæretici nec alii infideles negant) primum se, deinde suos submittere S. R. E. et summi Pontificis et cardinalium nutui et jurisdictioni, et sub eo vexillo se suosque velle militare? Quis Ordinum, Pœnitentiæ, Sacrificii sacrosancti,

(1) Ex doctr. Ambr., l. III, Off., c. 14.
(2) Eccles., XXIV.
(3) Levit., X.

(4) Cant., IV.
(5) II Reg., XIII.

aliorumque Sacramentorum, quibus Ecclesia utitur, negabit veritatem, quam fatetur, commendat, et extollit Franciscus? Quis opera nostra ad gratiæ augmentum et gloriæ consecutionem non esse necessaria, sed omnia facta jam esse in virtute Christi, et solam ejus sufficere fidem attestabitur, quando ille, qui ipsius Christi stigmata portabat, opera pœnitentiæ et pietatis sectanda proponit? Quis denique religiosorum cœtus, emissionesque votorum improbare audebit, quorum auctor apparet tantus vir? Unde magnum te beneficium in Dei Ecclesiam contulisse credo, in hujus Operis editione, quæ fideles Sancti Spiritus igne accendit et illuminat, infidelesque comburit.

Sed nunc ad meipsum rediens, cæteris, quæ in Epistola tua scripsisti, rescribam, et faciam satis. Mittis igitur ad me sanctissimi patris nostri libros et opera, et hujus muneris consortem et cohæredem facis illustrissimum dominum, ac fratrem meum Antonium, Carthaginensem episcopum, totius ordinis Franciscani prius generalem. At quid jucundius mihi contingere potuit, quam tantum virum hujus muneris fieri consortem, ut ejus, quem natura dedit fratrem majorem ætate, et dominum, hæc sit vera fraternitas, ut eadem fides, et religionis et muneris istius participatio vere faciat esse germanos? Dicasti nobis ergo parentis nostri opera; et merito: debentur enim filiis bona parentum, et ad eos pertinet hæreditas, maxime non ingratos. Gratum filium illustrissimum fratrem meum certe dicere possum : quantum enim religioni inservierit, notissimum est. Habitum quippe quarto decimo ætatis anno suscipiens, fratres, qui de mortuorum parentum loco successerant, et omnia temporalia reliquit, exempla optimi patris Francisci secutus, ejusque religioni in religioso et gravi Salmantino cœnobio se devovit. Postea in religione philosophiam et theologiam publice professus, et ad diversa munera vocatus, tandem ad generalis ministri culmen ascendit, in quo quantum religioni inservierit, omnes norunt, donec ad episcopalem dignitatem ante officii sui finem evectus, ad animarum curam e religione divertit; non animo quidem aut moribus, sed sola habitatione et occupatione pastorali. Inter alia autem, quæ, dum generalis fungebatur officio, egit laude digna, duo tantum referam; quorum ego (gloriabundus dico) particeps fui. Primum, festi sacrorum stigmatum renovatio; alterum, domus, in qua natus, educatus, et a patre carceri mancipatus fuit sanctissimus pater noster Franciscus (quæ adhuc aliarum more sæcularibus locabatur absque decore et honore) in ecclesiam et monasterium erecto, favente magna pecuniarum summa Philippo tertio, religiosissimo Hispaniarum rege, et domino nostro, qui jam, ut credimus, hujus aliorumque bonorum operum gloriæ præmium tenet. Primum autem tibi jucundum fore credo, si referam, ut res evenit: rarus quippe est, et devotus eventus. Eram ego in civitate Vallifoletana, in cujus curia regia regi inserviebam, habitu et professione sæculari, officio auditoris fungens; advenitque in domum meam illustrissimus episcopus, tunc in Zamorensi cœnobio theologiæ lector, ut cum socio ibi recreandi animi causa, aliquibus, paucis tamen, remaneret diebus. Post cœnam itaque, die decima sexta decembris, ille cum socio recitabat matutinum officium, ego ex altera parte ejusdem cameræ deambulans, Psalterium Virginis recitabam, et sentiebam multoties repeti nomen Francisci. Accessi, quærens quod festum esset illud, de quo officium diceretur. Responderunt: De stigmatibus sancti Francisci. Ego admiratus dixi : Quare hoc festum in religione non celebratur solemnius, sed ita modice, ut omnes sæculares ignoremus hunc diem, nec tanti miraculi faciamus commemorationem? Et cœpi objurgare, et quasi criminis arguere religionem. Dicebam enim, meo judicio, stigmatum sancti patriarchæ festum debuisse plus celebrari quam diem mortis ejus. Mors enim sancta omnium Sanctorum commune festum est; at penetrantia stigmata Christi habuisse, soli Francisco concessum. Et sicut beatæ Virginis Nativitas et Conceptio sancta, et Joannis Baptistæ Nativitas, solemnissima celebritate coluntur, quia majus est miraculum sancte concipi et nasci, quam mori, ita in beato Francisco majus fuit miraculum, et specialius sanctitatis signum, vivum accipere sacra stigmata, quam sancte mori.

His aliisque rationibus, proposuimus ambo, hoc negotium, si Deus tempus occasionemque præberet, ita promovere, ut festum hoc solemnissime non solum in religione,

sed in universa Ecclesia celebraretur. O bonum Deum, qui votis nostris ita favit, ut factus Ordinis generalis frater meus, propositi nostri memor, me etiam, ut potui, adjuvante (saltem propositi recordatione non necessaria) festum celebrari obtinuerit, et primæ ejus solemni celebrationi adstitit ipse generalis Ordinis, adstiti et ego sanctæ Romanæ Ecclesiæ jam cardinalis, qui propositi tempore non elapso adhuc decennio eram sæcularis. Vide quantum præmium pro minimo affectu devotionis! et quanta sim huic divo obligatione devinctus, qui hoc, et omnia, quæ habui, ipsius devotioni tribuenda censeo : quam a parentibus hæreditatem accepimus, qui ob magnum in Franciscum affectum, sua corpora antiquissimo majori Placentini conventus Franciscani sacello decoris sepulchris, et paucis abhinc annis ab illustrissimo fratre nostro episcopo innumeris decoratis sanctorum reliquiis, pie commendarunt; quorum animas meritis et precibus beati patriarchæ, suique Ordinis fratrum, pie spero jam gloria potiri; et quorum consortio, Fratrumque Minorum suffragiis, ut ego cum prædicto fratre meo perfruamur, in eadem ecclesia aliud amplioris ædificii ego extruxi sacellum, quo corpora nostra constituantur, ut ibi requiescant, ubi semper animus requiem invenit.

At tu admiraris, et solemnibus celebrare cupis encomiis, me post purpuram cardinalitiæ dignitatis, habitum tertii Ordinis induisse, et solemniter tertiam patris nostri Francisci Regulam professum fuisse. Sed quomodo, qui meipsum, et omnia, quæ habeo, Francisci esse profitebar, possem qualecumque exhibere devotionis signum, nisi meipsum suæ religioni devoverem? Anne indignus est Francisci funis, quo regia purpura cingatur? Eo præcinctus Ludovicus rex Galliæ, Elisabeth Hungariæ princeps, in Sanctorum numerum relati; imperatrices, reges, reginæ, et alii principes viri; quorum numerum, tempore mortis suæ devotissime habitum suscipiens, auxit hoc anno Philippus tertius Hispaniarum, et paulo ante serenissima Hispaniæ regina Elisabeth, Philippi IV domini nostri uxor, et nobilissima princeps Maria ejusdem Philippi IV germana soror, quæ etiam huic tertiæ religioni nomen dederunt, quas cum potentissimo et piissimo rege Deus diu incolumes servet. An forte non decet regiam dignitatem cilicium? Decet certe, et tempore Elisei prophetæ eo usum regem Israel, narrat Historia sacra (1). Unde ergo miraris, quod cardinalis cinericium habitum purpuræ imponat, et chorda se præcingat? Dicis : Humilis habitus est, tantæ dignitati. At ego respondeo, ideo suscipiendum hoc tempore, « cum tanto humilior, atque « ad serviendum Deo promptior quisquam « debeat esse ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione (2) » : et nobis humilitatem hoc tempore, quo ad talem evecti sumus dignitatem, « tanto magis arbitror esse necessariam, « quanto major noscitur materia suppetere « superbiendi. Genus, ætas, scientia, « cathedra, et quod majus est, primatus prærogativa, cui non essent insolentiæ « comes, et elevationis occasio? quanquam « esse possint et humilitatis. Meditantibus « quidem honores blandiuntur, sed onera « pensantibus tædio sunt atque formidini (3). » Sed superbire honoribus communius est, « sæpeque transitoria potestas animam per abrupta elationis rapit : « plerumque enim se animo accepta potestas objicit, cum tumidis cogitationibus fallit. Manu ergo humillimæ considerationis, « deprimendus est tumor elationis (4). » Hinc Paulus ad Apostolatus et magisterii dignitatem evectus, nobis elucet, « serviens « Domino cum omni humilitate; memor humilitatis, quæ his, qui præsunt maxime « congruit, eo quod facillime in arrogantiam tolluntur (5). » Nonne hoc nos docent a natura instructæ grues, quæ in altiora elevandæ, ne a ventis huc illucque projiciantur, lapides pedibus portant, ut pondere securius volare possint, quæ leviores ventis cedere compellerentur? Nonne navim onerat nauta, ut sic depressa et demissa, humilior licet, securior tamen iter agat suum, nec ita facile a procellosis undis agitata, huc illucque jactata demergatur; et quo altioribus natare cupit undis, eo se majore gravat onere? Quid ergo ego facerem eo tempore, quo indignus ad tam supremum

(1) IV Reg., VI.
(2) Gregor., Hom. 9, in Evangelio.
(3) Bernard., epist. 42.
(4) Gregor., lib. XXI, in Job., c. 10 et 11.
(5) Act. XX. Chrysost., Hom. 44, in Actus apostol.

Ecclesiæ evehebar gradum, nisi humilitate Francisci me tueri, quo securius possem oneris injuncti procellas, labores et onus sustinere? Sed quid multa? nonne cinericius habitus Francisci vere purpureus est, quo ornari possit regia et cardinalitia dignitas? « Vere purpureus est (1), quem Christi signat cruor, et passionis ejus coloravit fides »; et quem Christi vice proprio sanguine e sacris stigmatibus effluente, rubrefecit Franciscus. Anne humilitas Christi servitus est? « Servilis non est quam regalis nobilitat purpura (2), ornamentum est purpura regium. Hunc si quis vel dedignetur, vel abhorreat habitum, respiciat quod non griseus, sed purpureus sit : humilitas namque suscepta pro Christo regiam præfert dignitatem. »

Quid ergo feci? purpuram purpura contexi, cardinalitiam regia; tantum abest, quod me humiliaverim, ut merito dubitare possim, an superbierim. Denique ut verum Franciscanæ religionis amatorem me ostenderem, inter ejus filios connumerari volui; et quem corde portabam, exterius præferre, quo modo possem, habitum religionis, cujus me devinctissimum filium profiteor : et o utinam talis operibus apparerem! Age igitur, mi frater et patris nostri, quas collegisti, in medium profer reliquias operum et laborum, quorum nova luce ultima illustrata sæcula resplendeant, et tanti patris laboribus lætentur. Cujus officii te nunquam pœniteat, nec aliam desideres utilitatem, quam fecisse; muneris autem tanti in me collati, semper memor ero. Vale, et in sanctæ Romanæ Ecclesiæ obsequium te Deus servet incolumem, virtutibus augeat, de cujus bonitate confido meritis tuis præmia nequaquam defutura. Dat. Tibure, 3 julii, anni MDCXXI.

III

JUDICIUM GRAVISSIMORUM AUCTORUM DE VITA S. FRANCISCI A S. BONAVENTURA CONSCRIPTA.

—

Octavianus a Martinis.

1. S. Bonaventura cum intenso affectu studeret contemplando, et annotando vitam B. Francisci, gloriosus S. Thomas de Aquino, qui eadem tempestate meritis claruit, Bonaventuræ magna charitate conjunctus fuit; accedens ad illius cubiculum, perforamen ostii introspexit, viditque illum in contemplatione raptum, et a terra mirifice sublevatum. Tum retrocedens ad suos : Sinamus, inquit, sanctum, qui laborat pro sancto. (*Orat.* coram Sixto IV Pontif. habita in Consistorio.)

S. Antoninus, Ordinis S. Dominici, archiepiscopus Florentinus.

2. S. Bonaventura stilo mirabili vitam B. Francisci compilavit, ipsamque diffusam ad compendiosiorem formam reduxit; in qua nihil posuit nisi certum, et probatum testibus fide dignis. (*Hist.*, part. III, tit. 24, c. 8.)

Jodous Clichtonæus.

3. Vitam B. Francisci S. Bonaventura cum magna pietate, et sinceritate conscripsit. (*Conc. de S. Franc.*)

Ludovicus Granatensis, Ordinis Sancti Dominici.

4. Quisquis beati Francisci vitam, quam sanctissimus Bonaventura conscripsit, diligenter attenderit, inveniet plane pulcherrimum quoddam certamen inter Deum ipsumque Franciscum intercessisse. Vir enim sanctus, Dei voluntatem in omnibus exsequi nitebatur ; Deus contra, sancti viri voluntati omnibus in rebus obsequebatur. Ille abjectione sui, Dei gloriam fidelissime quærebat; Deus contra, servi honorem modis omnibus amplificabat. Ille totus divinæ voluntatis obedientiæ traditus erat : contra vero Deus creaturas omnes, atque adeo semetipsum obedientem illi exhibebat. Ille omnia propter Deum reliquerat : at Deus omnia illi rursus centuplum aucta rependebat, hoc ita esse deprehendet, quisquis (ut modi dixi) ejus vitam, et res ab eo gestas perlegerit. Nihil enim in ea non summum, nihil non novum, et mirabile inveniet. (*Conc.* 4 *de S. Francisco.*)

Thomas Bozius Congregationis Oratorii presbyter.

5. S. Francisci vitam late pietatis plenis-

(1) Abbas Gillebert, Sermon., 18, in Cantica inter Opera Bernard.

(2) Idem, eod. loco.

simo stylo descripsit S. Bonaventura cardinalis (Lib. VII, *de Signis ecclesiæ*, cap. 1).

Aloysius Lipomanus, episcopus Veronensis.

6. Hanc divi Francisci vitam, beatus ille Bonaventura S. R. E. cardinalis, et episcopus Albanensis, Franciscani instituti non solum sectator, verum et instaurator et rector; vir in divinis Scripturis eruditissimus, de quo præceptor ejus Alexander ab Hales dicere solebat; in Bonaventura Adam peccasse non videtur; puro ac simplici stylo descripsit, tanta rerum copia, et sententiarum gravitate refertam; ut totus mundus ejus lectione instrui possit, et ad amorem Dei, per beati Francisci exemplum instaurari. Ego (ut verum fatear) cum sancti Francisci vitam lego, non solum accendor, sed in ejus meditatione totus exardesco; utpote in quo tanta divini amoris claritas effulserit; ut angelus potius, atque ex supremo ordine, qui ardor et incendium dicitur, magis quam homo dici posse videatur. Semper enim beatissimus iste, cogitatione in cœlo versabatur; semper felix ejus anima summo Auctori purissime et intentissime inhærebat : adeo ut, præ amoris magnitudine (quod hominibus plerumque ardentissime amantibus contingere solet) alienatus a sensibus, atque extra se esse videretur.

VITA BEATI FRANCISCI

A B. BONAVENTURA CONSCRIPTA.

(Juxta Vaticanam editionem anno 1596.)

PROLOGUS.

Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri diebus istis novissimis in servo suo Francisco omnibus vere humilibus, et sanctæ paupertatis amicis; qui superaffluentem in eo Dei misericordiam venerantes, ipsius erudiuntur exemplo, impietatem et sæcularia desideria funditus abnegare, Christo conformiter vivere, et ad beatam spem desiderio indefesso sitire. In ipsum namque, ut vere pauperculum et contritum (1), tanta Deus excelsus benignitatis condescensione respexit, quod non solum de mundialis conversationis pulvere suscitavit egenum; verum etiam evangelicæ perfectionis professorem, ducem, atque præconem effectum, in lucem dedit credentium, ut testimonium perhibendo de lumine (2), viam lucis et pacis ad corda fidelium Domino præpararet. Hic etenim, quasi stella matutina in medio nebulæ (3) claris vitæ et doctrinæ micans fulgoribus, sedentes in tenebris et umbra mortis irradiatione præfulgida direxit in lucem, et tanquam arcus refulgens inter nebulas gloriæ (4), signum in se Dominici fœderis repræsentans, pacem et salutem evangelizavit hominibus, existens et ipse angelus veræ pacis (5); secundum imitatoriam quoque similitudinem Præcursoris destinatus a Deo, ut viam parans in deserto altissimæ paupertatis, tam exemplo quam verbo pœnitentiam prædicaret : primum supernæ gratiæ præventus donis, dehinc virtutis invictæ adauctus meritis, prophetali quoque repletus spiritu, necnon et angelico deputatus officio, incendioque seraphico totus ignitus, et ut vir hierarchicus curru igneo sursum vectus, sicut ex ipsius vitæ decursu luculenter apparet, rationabiliter comprobatur venisse in spiritu et virtute Eliæ (6).

Ideoque alterius amici sponsi, et Evangelistæ Joannis vaticinatione veridica sub similitudine angeli ascendentis ab ortu solis, signumque Dei vivi habentis, astruitur non

(1) Is., LXVI, v. 2.
(2) Joan., I, v. 7.
(3) Eccles., L, v. 6.
(4) *Ibid.*, IX.
(5) Malach., III, v. 1.
(6) Cf., *infra*, c. IV.

immerito designatus. Sub apertione namque sexti sigilli: *Vidi* (ait Joannes) *alterum angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi.* (Apoc., VII, v. 2.) Hunc Dei nuntium amabilem Christo, imitabilem nobis, et admirabilem mundo, servum Dei Franciscum fuisse, indubitabili fide colligimus, si culmen in eo eximiæ sanctitatis advertimus, qua inter homines vivens imitator fuit puritatis angelicæ, qua et positus est perfectis Christi sectatoribus in exemplum. Ad quod quidem fideliter sentiendum et pie, non solum inducit officium quod habuit, vocandi ad fletum et planctum (1), calvitium et cingulum sacci, signandique Thau super frontes virorum gementium et dolentium (2) signo pœnitentialis crucis, et habitus cruci conformis; verum etiam irrefragabili veritatis testificatione confirmat signaculum similitudinis Dei viventis, Christi videlicet crucifixi, quod in corpore ipsius fuit impressum, non per naturæ virtutem, vel ingenium artis, sed potius per admirandam potentiam spiritus Dei vivi.

Ad hujus tam venerabilis viri vitam, omni imitatione dignissimam, scribendam, indignum et insufficientem me sentiens, id nullatenus attentassem, nisi me fratrum fervens incitasset affectus, generalis quoque Capituli concors induxisset instantia, et ea, quam ad sanctum patrem habere teneor, devotio compulisset: utpote, qui per ipsius invocationem et merita, in puerili ætate, sicut recenti memoria teneo, a mortis faucibus erutus, si præconia ejus laudis taceuero, timeo ne sceleris arguar, ut ingratus. Et hæc penes me causa præcipua hunc assumendi laborem, ut ego, qui vitam corporis et animæ a Deo mihi conservatam recognosco per ipsum, et virtutem ejus in me expertus agnovi, vitæ illius virtutes, actus, et verba, quasi fragmenta quædam partim neglecta, partim dispersa, quanquam plene non possem, utcumque colligerem, ne morientibus iis, qui cum famulo Dei convixerant, deperirent. Ut igitur vitæ ipsius veritas, ad posteros transmittenda, certius mihi constaret et clarius, adiens locum originis, conversationis, et transitus viri sancti, cum familiaribus ejus adhuc superviventibus collationem de his habui diligentem, et maxime cum quibusdam, qui sanctitatis ejus et conscii fuerunt, et sectatores præcipui. Quibus propter agnitam veritatem, probatamque virtutem, fides est indubitabilis adhibenda.

In descriptione autem eorum, quæ per servum suum Deus dignanter effecit, curiosum styli ornatum negligendum esse putavi, cum legentis devotio plus simplici sermone, quam phalerato, proficiat. Nec semper historiam secundum ordinem temporis texui propter confusionem vitandam; sed potius ordinem servare studui magis aptæ juncturæ, secundum quod eodem peracta tempore diversis materiis, vel diversis patrata temporibus eidem materiæ congruere videbantur. Initium autem vitæ ipsius, progressus, et consummatio, quindecim distincta capitulis describentur. Sit ergo.

CAPUT I.

De conversatione ejus in habitu sæculari.

Vir erat in civitate Assisii, Franciscus nomine, cujus memoria in benedictione est, pro eo quod Dominus ipsum in benedictionibus dulcedinis benigne præveniens, et de præsentis vitæ periculis clementer eripuit, et cœlestis gratiæ donis affluenter implevit. Etenim cum inter vanos fuerit hominum filios juvenili ætate nutritus in vanis, et post aliqualem litterarum notitiam lucrativis mercationum deputatus negotiis, superno tamen sibi assistente præsidio, nec inter lascivos juvenes, quamvis effusus ad gaudia, post carnis petulantiam abiit, nec inter cupidos mercatores, quanquam intentus ad lucrum, speravit in pecunia et thesauris. Inerat namque juvenis Francisci præcordiis, divinitus indita quædam ad pauperes miseratio liberalis, quæ secum ab infantia crescens, tanta cor ipsius benignitate repleverat (3), ut jam Evangelii non surdus auditor, omni proponeret se petenti tribuere, maxime si divinum allegaret amorem. Cum autem semel negotiationis intentus tumultibus, pauperem quemdam pro amore Dei petentem eleemosynam, præter morem solitum, vacuum repulisset, statim ad cor

(1) Officium S. Francisci, Is., XXII, v. 12.
(2) Ezech., IX, v. 4.
(3) Lucæ, VI.

reversus, cucurrit post ipsum, et eleemosyna illi clementer impensa, promisit Domino Deo, quod nunquam ex tunc, dum adesset possibilitas, petentibus pro amore Domini se negaret : quod usque ad mortem indefessa pietate observans, copiosa in Deum dilectionis et gratiæ incrementa promeruit. Aiebat enim post, cum jam perfecte Christum induerat (1), quod etiam existens in habitu sæculari, vocem divini expressivam amoris audire vix unquam sine cordis immutatione valebat. Porro mansuetudinis lenitas cum elegantia morum, patientia et tractabilitas supra humanum modum, munificentiæ largitas ultra suppetentiam facultatum, quibus bonæ indolis adolescens certis florere conspiciebatur indiciis, quædam videbantur esse præludia, quod copiosior super eum foret in posterum divinæ benedictionis abundantia diffundenda.

Quidam sane vir de Assisio, eruditus (ut creditur) a Deo, cum aliquando per civitatem eunti obviaret Francisco, deponebat pallium, sternebat pedibus ipsius vestimentum, asserens omni fore Franciscum reverentia dignum, utpote qui esset in proximo magna facturus, et ob hoc ab universitate fidelium magnifice honorandus. Ignorabat autem adhuc Franciscus circa se consilium Dei, pro eo quod tam jussione patris ad exteriora distractus, quam corruptione naturalis originis ad inferiora depressus, nondum didicerat contemplari cœlestia, nec assueverat degustare divina. Et quia spirituali auditui dat intellectum (2) inflicta vexatio, facta est super eum manus Domini, et immutatio dexteræ Excelsi, diutinis languoribus ipsius corpus affligens, ut coaptaret animam ad Spiritus Sancti unctionem. Cumque resumptis corporis viribus, sibi vestimenta decentia more solito præparasset, obvium habuit militem quemdam, generosum quidem, sed pauperem, et male vestitum, cujus pauperiem pio miseratus affectu, illum protinus, se exuto, vestivit; ut simul in uno geminum impleret pietatis officium, quo et nobilis militis verecundiam tegeret, et pauperis hominis penuriam relevaret. Nocte vero sequenti, cum se sopori dedisset, palatium speciosum et magnum, cum militaribus armis, crucis Christi signaculo insignitum, clementia sibi divina monstravit, ut misericordiam, pro summi Regis amore, pauperi exhibitam militi, præostenderet incomparabili compensandam esse mercede. Unde et cum quæreret cujus essent illa omnia; sua fore, militumque suorum, superna fuit assertione responsum. Evigilans itaque mane, cum nondum haberet exercitatum animum ad divina perscrutanda mysteria, nesciretque per visibilium species transire ad contuendam invisibilium veritatem, magnæ fore prosperitatis indicium existimabat insolitam visionem. Disposuit itaque, divinæ adhuc dispositionis ignarus, in Apuliam ad quemdam liberalem comitem se conferre, in ipsius sperans obsequio decus adipisci militiæ, ut ostensa sibi visio prætendebat. Cumque paulo post iter aggressus ivisset usque ad proximam civitatem, audivit in nocte Dominum familiari sibi allocutione dicentem : Francisce, quis potest melius facere tibi? Dominus, aut servus? dives, aut pauper? Cui cum Franciscus respondisset, quod tam dominus, quam dives, facere melius potest, intulit statim : Cur ergo relinquis pro servo Dominum, et pro paupere homine divitem Deum? Et Franciscus : Quid me vis facere, Domine? Et Dominus ad eum : Revertere in terram tuam, quia visio, quam vidisti, spiritualem præfigurat effectum, non humana, sed divina in te dispositione complendum. Mane itaque facto, cum festinatione revertitur versus Assisium, securus et gaudens; et jam exemplar obedientiæ factus, expectabat Domini voluntatem. Ex tunc, a publicæ negotiationis tumultu se subtrahens, supernam devote precabatur clementiam, ut quid sibi foret agendum ostendere dignaretur. Cum autem ex frequentis orationis usu flamma desiderii cœlestis in eo vehementer succresceret, et jam pro amore supernæ patriæ terrena omnia despiceret quasi nihil; thesaurum se reperisse sentiebat absconditum (3), ac velut prudens negotiator margaritam inventam excogitabat, venditis omnibus, comparare. Adhuc tamen qualiter id ageret, ignorabat, nisi quia ipsius suggerebatur spiritui, quod spiritualis mer-

(1) Rom., XIII.
(2) Is., XXVIII.

(3) Matt., XIII.

catio a mundi contemptu sumat initium, Christique militia sit a sui ipsius victoria inchoanda.

Quadam itaque die dum equitaret per planitiem, quæ subjacet civitati Assisii, leprosum quemdam habuit obvium, cujus inopinatus occursus ei non parvum incussit horrorem. Recurrens autem ad perfectionis mente jam conceptæ propositum, et recolens quod seipsum oporteret primum devincere, si vellet effici Christi miles; ad deosculandum eum, equo lapsus, occurrit. Cui cum manum, quasi aliquid accepturus leprosus protenderet, pecuniam cum osculo reportavit. Statim autem equum ascendens, et se circumquaque convertens, cum campus pateret undique liber, leprosum illum minime vidit. Admiratione itaque repletus et gaudio, laudes cœpit Domino decantare devote, proponens ex hoc semper ad majora conscendere. Solitaria proinde loca quærebat amica mœroribus : in quibus dum gemitibus inenarrabilibus incessanter intenderet, post longam precum instantiam a Domino meruit exaudiri. Dum enim una dierum sic sequestratus oraret, et præ nimietate fervoris totus esset absorptus in Deum, apparuit ei Christus Jesus veluti cruci confixus. Ad cujus conspectum liquefacta est anima ejus, et memoria passionis Christi visceribus cordis ipsius a Deo impressa medullitus, ut ab illa hora, cum Christi crucifixio veniret in mentem, vix posset a lacrymis et gemitibus exterius contineri; sicut ipse postmodum familiariter retulit, cum appropinquaret ad finem. Intellexit per hoc nempe vir Dei, illud evangelicum sibi dici : *Si vis venire post me, abnega temetipsum, et tolle crucem tuam, et sequere me.* (Matt., XVI.) Induit ex tunc spiritum paupertatis, humilitatis sensum, et affectum intimæ pietatis. Nam cum prius leprosorum non solum consortium, verum etiam longinquum contuitum vehementer horreret, jam propter Christum crucifixum, qui juxta verbum Propheticum (1) contemptibilis ut leprosus apparuit, ut semetipsum contemneret, humilitatis et humanitatis obsequia leprosis benefica pietate præstabat. Visitabat enim frequenter domos ipsorum, liberaliter eis eleemosynas erogabat, et cum multo compassionis affectu manus eorum osculabatur et ora; pauperibus etiam mendicantibus non solum sua, verum etiam seipsum cupiebat impendere, aliquando vestimenta exuens, aliquando dissuens, aliquando scindens ad largiendum eis, cum præ manibus alia non haberet. Sacerdotibus etiam pauperibus reverenter subveniebat, et pie, præcipue in ornamentis altaris, quo et cultus divini particeps fieret, et cultorum inopiæ supplementa præberet.

Cum autem religiosa devotione tunc temporis limina visitaret apostoli Petri, conspecta multitudine pauperum ante fores ecclesiæ, partim pietatis ductus dulcedine, partim paupertatis allectus amore, uni ex eis magis egenti proprias largitus est vestes, et semicinctiis contectus illius, diem illum in medio pauperum cum insolita spiritus jucunditate transegit, ut et sæcularem gloriam sperneret, et ad perfectionem evangelicam gradatim conscendendo perveniret. Mortificationi carnis invigilabat attentius, ut Christi crucem, quam interius ferebat in corde, exterius etiam circumferret in corpore. Agebat autem omnia hæc vir Dei Franciscus, nondum habitu vel convictu sequestratus a mundo.

CAPUT II.

De perfecta conversione ipsius ad Deum, et de reparatione trium ecclesiarum.

Quoniam autem servus Altissimi doctorem non habebat aliquem in hujusmodi, nisi Christum, addidit adhuc ipsius clementia eum in gratiæ visitare dulcedine. Dum enim die quadam egressus ad meditandum in agro deambularet juxta ecclesiam Sancti Damiani, quæ minabatur præ nimia vetustate ruinam, et in eam, instigante se spiritu, causa orationis intrasset, postratus ante imaginem Crucifixi, non modica fuit in orando spiritus consolatione repletus. Cumque lacrymosis oculis intenderet in Dominicam crucem, vocem de ipsa cruce dilapsam ad eum corporeis audivit auribus, ter dicentem : Francisce, vade, et repara domum meam, quæ labitur, ut cernis. Tremefactus Franciscus, cum esset in ecclesia solus, stupet ad tam mirandæ vocis auditum, cordeque percipiens divini eloquii virtutem, mentis alienatur excessu. In se tan-

(1) Isa., LIII, v. 4.

dem reversus, ad obediendum se parat, et totum se recolligit ad perficiendum mandatum de materiali ecclesia reparanda, licet principalior intentio verbi ad eam ferretur, quam Christus suo sanguine acquisivit (1), sicut eum Spiritus Sanctus edocuit, et ipse postmodum fratribus revelavit. Surrexit proinde, signo Crucis se muniens, et assumptis pannis venalibus, ad civitatem, quæ Fulgineum dicitur, festinus accessit; ibique venditis, quæ portaverat, equum, cui tunc insederat, felix mercator, assumpto pretio, dereliquit. Rediensque Assisium, ecclesiam, de cujus reparatione mandatum acceperat, reverenter intravit, et invento illic sacerdote pauperculo, et reverentiam decentem exhibuit, et ad reparationem ecclesiæ, et pauperum usum pecuniam obtulit, et ut secum se morari pateretur ad tempus, humiliter requisivit. Acquievit sacerdos de mora ipsius, sed timore parentum pecuniam recusavit, quam verus pecuniarum contemptor in quamdam fenestram projiciens abjectam velut pulverem vilipendit. Moram autem faciente viro Dei cum sacerdote prædicto, cum hæc intellexit pater ipsius, perturbatus animo cucurrit ad locum. At ipse, quia novus erat Christi athleta, cum audiret persequentium minas, et eorum præsentiret adventum, dare locum (2) iræ volens, in quadam occulta fovea se abscondit, in qua diebus aliquibus latitando, rogabat Dominum incessanter, lacrymarum imbre perfusus, ut liberaret de manibus persequentium animam suam, et quæ pia inspiraverat vota, benigno favore compleret. Igitur excessiva quadam completus lætitia, cœpit de pusillanimitatis ignavia semetipsum arguere, relictaque fovea, et abjecto pavore, versus Assisium iter aggressus est. Quem cum cives cernerent facie squalidum, et mente mutatum, ac per hoc alienatum putarent a sensu, luto platearum et lapidibus impetebant, et tanquam insano et dementi clamosis vocibus insultabant. Famulus autem Domini nulla fractus aut mutatus injuria, ut surdus in omnibus pertransibat. Cumque clamorem hujusmodi pater audisset, statim accurrens, non ad liberandum eum, sed potius ad perdendum, omni miseratione subtracta, pertractum domi, primo verbis, deinde verberibus et vinculis angit. Ipse autem ad exequendum Domino, quod cœperat, promptior ex hoc et validior reddebatur, recolens illud Evangelii : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (Matt., v).

Post modicum vero tempus, patre a patria discedente, mater ejus factum mariti non approbans, et inflexibilem filii constantiam emolliri posse non sperans, a vinculis absolutum abire permisit. At ipse gratias omnipotenti Deo referens, ad locum, in quo prius fuerat, est reversus. Rediens autem pater, et eum non inveniens domi, convitiis illatis uxori, fremens cucurrit ad locum, ut si eum revocare non posset, saltem de provincia effugaret. Franciscus vero confortatus a Deo, obvium ultro se obtulit patri furenti, libera voce clamans, se pro nihilo ducere vincula et verbera ejus; insuper et contestans, se pro Christi nomine gaudenter mala omnia subiturum. Videns itaque pater, quod eum revocare non posset, ad extorquendum pecuniam se convertit : qua tandem inventa in fenestrula quadam, aliquantulum ipsius mitigatus est furor, avaritiæ siti utcumque per haustum pecuniæ temperata. Tentabat deinde carnis pater filium gratiæ, pecunia jam nudatum coram episcopo ducere, ut in ipsius manibus facultatibus renuntiaret paternis, et omnia redderet, quæ habebat. Ad quod faciendum se promptum exhibuit verus paupertatis amator : perveniensque coram episcopo nec moras patitur, nec arctatur de aliquo, nec verba expectat, nec facit; sed continuo depositis omnibus vestimentis, ea patri restituit. Inventus est autem vir Dei tunc cilicium habere ad carnem, sub vestibus delicatis.

Insuper ex admirando fervore spiritu ebrius, rejectis etiam femoralibus, totus coram omnibus denudatur, dicens ad patrem : Usque nunc vocavi te patrem in terris; amodo autem secure dicere possum : *Pater noster qui es in cœlis*, apud quem omnem thesaurum reposui, et omnem spei fiduciam collocavi. Hoc cernens episcopus, et admirans tam excellentem in viro Dei fervorem, protinus exsurrexit, et inter brachia sua illum cum fletu recolligens, uti erat vir pius et bonus pallio, quo erat amictus, operuit præcipiens suis, ut aliquid sibi

(1) Act., xx.

(2) Rom., xii.

darent ad membra corporis contegenda. Oblatus est autem ei mantellus pauper et vilis agricolæ servientis episcopo. Quem ipse gratanter suscipiens, cum cœmento quod sibi occurrit, ad modum crucis manu propria consignavit : operimentum formans ex eo crucifixi hominis, et pauperis seminudi. Sic igitur servus Regis altissimi nudus relictus est (1), ut nudum sequeretur Christum Dominum, quem amabat, sic utique cruce munitus, ut animam suam ligno salutis committeret, per quod de mundi naufragio salvus exiret.

Solutus exinde mundi contemptor a vinculis mundanarum cupidinum, civitate relicta, securus et liber secretum solitudinis petiit, ut solus et silens supernæ audiret allocutionis arcanum. Dumque per sylvam quamdam iter faciens, laudes Domino lingua Francorum vir Dei Franciscus decantaret cum jubilo, latrones super eum ex abditis irruerunt. Quibus ferali animo quis esset interrogantibus, vir Dei confidentia plenus, prophetica voce respondit : Præco sum magni Regis. At illi percutientes eum in defossum locum plenum nivibus projecerunt, dicentes : Jace, rustice præco Dei. Ipse vero, recedentibus illis, exiluit de fovea, magnoque exhilaratus gaudio, altiori cœpit voce per nemora laudes Creatori omnium personare. Veniensque ad quoddam vicinum cœnobium, eleemosynam petiit ut mendicus, et recepit ut incognitus et despectus. Inde vero progrediens devenit Eugubium, ubi a quodam amico pristino agnitus et susceptus, paupere tunicula, ut Christi pauperculus, est contectus. Exinde totius humilitatis amator se transtulit ad leprosos, eratque cum illis, diligentissime serviens omnibus propter Deum. Lavabat ipsorum pedes, ligabat ulcera, educebat plagarum putredinem, et saniem abstergebat (2); osculabatur etiam ex miranda devotione ulcerosas plagas ipsorum, evangelicus medicus mox futurus. Propter quod tantam a Domino consecutus est virtutem, ut in spiritualibus et corporalibus morbis mirabiliter expurgandis mirabilem efficaciam obtineret. Referam unum de multis, quod accidit, viri Dei fama postmodum latius clarescente. Cum enim cujusdam, de comitatu Spoletano, os pariter et maxillam morbus quidam horribilis depascendo corroderet, nec subveniri posset eidem aliquo medicinæ remedio, contigit ut propter sanctorum exposcenda merita, Apostolorum visitatis liminibus, de peregrinatione rediens, servo Dei occurreret. Cumque præ devotione vellet ipsius oscular vestigia, vir humilis hoc non ferens, osculari volenti pedes, osculum oris dedit. Dum autem leprosorum servus Franciscus mirabili pietate illam plagam horribilem ore sacro contingeret, omni fugato morbo, subito æger ille sanitatem recuperavit optatam. Nescio quod horum magis sit admirandum, an humilitatis profunditas in osculo tam benigno, an virtutis præclaritas in miraculo tam stupendo.

Fundatus jam in Christi humilitate Franciscus, ad memoriam reducit obedientiam, sibi a cruce injunctam, de Sancti Damiani ecclesia reparanda, et tanquam verus obediens, Assisium rediit, ut saltem mendicando, voci divinæ pareret. Depositaque omni verecundia propter amorem pauperis Crucifixi, mendicabat apud eos, inter quos abundare solebat; debile corpus, attritum jejuniis, oneribus lapidum supponendo. Prædicta igitur ecclesia (juvante se Domino, et devotione civium assistente) refecta, ne post laborem corpus torperet ignavia, transtulit se ad reparandam ecclesiam quamdam beati Petri, longius a civitate distantem, ob devotionem specialem, quam ad Apostolorum Principem sinceræ fidei puritate gerebat. Hac tandem consummata, pervenit ad locum, qui Portiuncula dicitur, in quo ecclesia beatissimæ Virginis Genetricis Dei antiquitus fabricata extiterat; sed deserta, tunc a nemine curabatur. Quam cum vir Dei sic derelictam conspiceret, ob devotionem ferventem quam habebat ad Dominam mundi, cœpit illic assidue pro ipsius reparatione morari. Sentiens autem juxta nomen ipsius ecclesiæ, quo ab antiquo Sancta Maria de Angelis vocabatur, angelicarum ibi visitationum frequentiam, pedem fixit ibidem propter reverentiam angelorum, amoremque præcipuum Matris Christi. Hunc locum vir sanctus amavit præ cæteris locis mundi : hic etenim humiliter cœpit, hic virtuose profecit, hic feliciter consummavit : hunc in morte fratribus tanquam Virgini carissimum commendavit.

(1) Sap., x.

(2) Vide c. XIV.

De hoc frater quidam Deo devotus, ante conversionem suam, visionem viderat relatione condignam. Innumeros cernebat homines cæcitate percussos, facie in cœlum directa, et genibus flexis, in hujus ecclesiæ stare circuitu : qui omnes, protensis manibus in altum, lacrymabiliter clamabant ad Deum, misericordiam postulantes et lumen. Et ecce ingens de cœlo splendor advenit, se per omnes diffundens, qui lumen unicuique tribuit, et salutem desideratam concessit. Hic est locus, in quo Fratrum Minorum Ordo a S. Francisco per divinæ revelationis instinctum inchoatus est. Divinæ namque providentiæ nutu, qua Christi servus dirigebatur in omnibus, tres materiales erexit ecclesias, antequam, ordinem inchoans, Evangelium prædicaret, ut non solum a sensibilibus ad intelligibilia, a minoribus ad majora, ordinato progressu conscenderet; verum etiam ut, quid esset facturus in posterum, sensibili foris opere mysterialiter præsignaret. Nam instar reparatæ triplicis fabricæ, ipsius sancti viri ducatu, secundum datam ab eo formam, regulam et doctrinam, Christi triformiter renovanda erat Ecclesia, trinaque triumphatura militia salvandorum, sicut et nunc cernimus esse completum.

CAPUT III.

De institutione Religionis, et approbatione Regulæ.

In ecclesia igitur Virginis Matris Dei moram faciente servo ipsius Francisco, et apud eam, quæ concepit Verbum plenum gratiæ et veritatis (1), continuis insistente gemitibus, ut fieri dignaretur advocata ipsius, meritis Matris misericordiæ concepit ac peperit spiritum Evangelicæ veritatis. Dum enim die quodam missam de Apostolis devotus audiret, perlectum est evangelium illud, in quo Christus discipulis ad prædicandum mittendis formam tribuit evangelicam in vivendo, ne videlicet *possideant aurum, aut argentum, nec in zonis pecuniam, nec peram in via, nec duas tunicas habeant, nec calceamenta deferant, neque virgam* (Matt., x). Quod audiens ac intelligens, ac memoriæ commendans Apostolicæ paupertatis amicus, indicibili mox perfusus lætitia. Hoc est, inquit, quod cupio; hoc, quod totis præcordiis concupisco. Solvit proinde calceamenta de pedibus, deponit baculum, peram rejicit, et pecuniam execratur, unaque contentus tunicula, rejecta corrigia, pro cingulo funem sumit, omnem sollicitudinem cordis apponens, qualiter audita perficiat, et Apostolicæ rectitudinis Regulæ per omnia se coaptet. Cœpit ex hoc vir Dei divino instinctu evangelicæ perfectionis æmulator existere, et ad pœnitentiam cæteros invitare. Erant autem ipsius eloquia non inania, vel risu digna, sed virtute Spiritus Sancti plena, medullas cordis penetrantia, ut in vehementem stuporem audientes converterent. In omni prædicatione sua pacem annuntians, dicendo, *Dominus det vobis pacem*, populum in exordio sermonis salutabat. Hanc quippe salutationem, Domino revelante didicerat, sicut ipse postmodum testabatur (2). Unde factum est, ut juxta sermonem Propheticum, et ipse Prophetarum spiritu afflatus (3) annuntiaret pacem, prædicaret salutem, ac salutaribus monitis fœderaret plurimos veræ paci, qui discordes a Christo prius extiterant a salute longinqui.

Innotescente itaque apud multos viri Dei tam doctrinæ simplicis veritate, quam vitæ, cœperunt ipsius exemplo viri quidam ad pœnitentiam animari, et eidem, rejectis omnibus, habitu vitaque conjungi. Quorum primus erat vir venerabilis Bernardus, qui vocationis divinæ particeps factus, Patris beati primogenitus esse promeruit, tam prioritate temporis, quam privilegio sanctitatis. Hic enim servi Dei sanctitate comperta, ipsius exemplo disponens perfecte contemnere mundum, ab eodem, qualiter id perficeret, consilium requisivit. Quo audito, Dei famulus pro primæ prolis conceptu Sancti Spiritus consolatione repletus : A Deo, inquit, est hoc consilium requirendum. Intraverunt proinde ecclesiam Sancti Nicolai, mane jam facto; et oratione præmissa, cultor Trinitatis Franciscus ter Evangeliorum librum aperuit, trino a Deo exposcens testimonio sanctum Bernardi propositum confirmari. In prima libri apertione illud occurrit : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia, quæ*

(1) Joan., I.
(2) Vide in Test.
(3) Isa., LII.

habes, et da pauperibus (Matt., XIX). In secunda : *Nihil tuleritis in via.* (Lucæ, XIX.) In tertia vero : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (Matt., XVI). Hæc est, ait vir sanctus, vita et regula nostra, omniumque, qui nostræ voluerint societati conjungi. Vade igitur, si vis perfectus esse, et perfice quæ audisti. Non multo post, vocatis eodem spiritu quinque viris, filiorum Francisci numerus senarius est completus. Inter quos tertium sortitus est locum sanctus pater Ægidius, vir utique Deo plenus, et celebri memoria dignus : fuit enim, inter cæteros, virtutum sublimium exercitatione præclarus (sicut famulus Domini de ipso prædixit) quanquam esset idiota et simplex, ad excelsæ contemplationis sublimatus est verticem. Nam per multa curricula temporum, sursum actionibus incessanter intentus, a Deo crebris in Deum rapiebatur excessibus, quemadmodum et ego ipse oculata fide conspexi, ut magis censeretur inter homines vitam angelicam agere, quam humanam.

Illo quoque tempore cuidam sacerdoti Assisii, nomine Silvestro, honestæ conversationis viro, quædam a Domino fuit ostensa visio non tacenda. Cum enim modum et vitam Francisci, fratrumque suorum, humano spiritu abhorreret, ne periclitaretur præ temeritate judicii, respectu fuit supernæ gratiæ visitatus. Videbat namque in somnis totam civitatem Assisii a dracone magno circumdari, præ cujus magnitudine nimia tota regio videbatur exterminio subjacere. Contuebatur post hæc crucem quamdam auream ex ore beati Francisci procedentem, cujus summitas cœlos tangebat, cujusque brachia protensa in latum, usque ad mundi fines videbantur extendi. Ad cujus etiam aspectum præfulgidum draco ille teter et horridus penitus fugabatur. Hoc dum sibi tertio monstraretur, divinum existimans esse oraculum, viro Dei et fratribus suis per ordinem enarravit ; ac non multo post, mundum relinquens, vestigiis Christi sic perfecte adhæsit. quod vita ipsius in Ordine authenticam reddidit eam quam in sæculo habuerat visionem. Ex hujus visionis auditu vir Dei non in gloria est elatus humana ; sed bonitatem Dei in suis beneficiis recognoscens, fortius animatus est ad hostis antiqui fugandam versutiam, et crucis Christi gloriam prædicandam. Quadam autem die, dum in quodam solitario loco annos suos in amaritudine recogitans deploraret, Sancti Spiritus in eum superveniente lætitia, certificatus est de remissione plenaria omnium delictorum. Raptus deinde supra se, ac in quoddam mirandum lumen totus absorptus, dilatato mentis sinu, quæ circa se et filios suos futura erant, luculenter aspexit. Post hoc reversus ad fratres : Confortamini, ait, carissimi, et gaudete in Domino, nec, quia pauci estis, efficiamini tristes, neque vos terreat mea vel vestra simplicitas : quoniam, sicut mihi a Domino in veritate ostensum est, et in magnam multitudinem faciet nos Deus crescere, suæque benedictionis gratia multipliciter dilatabit.

Eodem quoque tempore, quodam alio bono viro religionem intrante, ad septenarium numerum viri Dei soboles benedicta pervenit. Tunc pius pater omnes ad se filios convocavit, et plura eis de regno Dei, de contemptu mundi, de abnegatione propriæ voluntatis, corporisque castigatione pronuntians, propositum suum de mittendo illos in quatuor orbis partes aperuit. Jam enim sterilis et paupercula simplicitas sancti patris pepererat septem filios, et desiderabat universitatem fidelium, ad pœnitentiæ lamenta vocatam, Christo Domino parturire. Ite, inquit dulcis pater ad filios, annuntiantes hominibus pacem ; prædicate pœnitentiam in remissionem peccatorum. Estote in tribulationibus patientes, in orationibus vigiles, in laboribus strenui, in sermonibus modesti, in moribus graves, et in beneficiis grati : quia pro his omnibus regnum vobis præparatur æternum. At illi humiliter coram servo Dei se prosternentes in terram, cum gaudio spiritus suscipiebant obedientiæ sanctæ mandatum. Ipse vero dicebat unicuique sigillatim : *Jacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet* (Psal., LIV). Hoc verbum dicere solebat, quotiescumque fratrem aliquem ad obedientiam dirigebat. Tunc et ipse sciens se aliis datum in exemplum, ut prius faceret quod doceret, cum uno sociorum versus unam orbis partem perrexit, reliquis sex ad modum crucis tribus aliis mundi partibus deputatis. Modico autem post elapso tempore, benigus pater caræ prolis exoptans præsentiam, cum in unum eos per se convocare non posset, per eum orabat hoc fieri,

qui dispersiones congregat Israelis (*Psal.*, CXLVI). Sicque factum est, ut absque humana vocatione, omnes ex insperato post modicum temporis, juxta ejus desiderium divina operante clementia, non sine ipsorum admiratione pariter convenirent. Illis quoque diebus, quatuor sibi adhærentibus viris honestis, ad duodenarium numerum excreverunt.

Cernens autem famulus Christi paulatim accrescere numerum fratrum, scripsit sibi et fratribus suis simplicibus verbis formulam vitæ, in qua, sancti Evangelii observantia pro fundamento indissolubili collocata, pauca quædam alia inseruit, quæ ad uniformem vivendi modum necessaria videbantur. Desiderans autem per Summum Pontificem approbari, quæ scripserat, disposuit cum illo simplicium cœtu Apostolicæ Sedis adire præsentiam, de sola confisus directione divina. Cujus desiderium Deus ex alto respiciens, sociorum animos simplicitatis suæ consideratione perterritos, ostensa viro Dei visione hujusmodi confortavit. Videbatur siquidem ei, quod per quamdam viam incederet, juxta quam stabat arbor celsitudinis magnæ : ad quam cum appropinquasset, et sub ea stans altitudinem ipsius miraretur, subito tantum divina virtute levabatur in altum, ut cacumen contingeret arboris, ejusque summa facillime curvaret ad ima. Hujus visionis præsagium vir Deo plenus intelligens referri ad condescensionem Apostolicæ dignitatis, exhilaratus est spiritu, fratribusque suis in Domino confortatis, iter cum eis est aggressus. Cum autem ad Romanam curiam pervenisset, et adduceretur ante conspectum summi Pontificis (essetque Christi vicarius in palatio Lateranensi, in loco, qui dicitur Speculum, deambulans, altis occupatus meditationibus, Christi famulum, tanquam ignotum, repulit indignanter. Quo humiliter foras egresso, sequenti nocte hujusmodi revelatio facta est a Deo ipsi summo Pontifici. Videbat namque inter pedes suos palmam paulatim succrescere, et in arborem pulcherrimam elevari. Et eo mirante, quid hæc visio vellet ostendere, divina lux impressit menti ipsius Christi vicarii, quod hæc palma illum pauperem, quem in præcedenti die repulerat, designabat. Et mane sequenti mandavit per suos famulos per urbem dictum pauperem quæri. Quem inventum juxta Lateranum in hospitali S. Antonii, ante conspectum suum celeriter jussit adduci). Cumque introductus esset ante conspectum summi Pontificis, exposuit suum propositum, petens humiliter et instanter supradictam sibi vivendi regulam approbari.

Videns Christi vicarius, dominus Innocentius III, vir utique sapientia clarus, admirandam in viro Dei simplicis animi puritatem, propositi constantiam, ingenitumque sanctæ voluntatis fervorem, Christi pauperem mentis amore complectens, inclinatus est animo, ut pium supplicanti præberet assensum. Distulit tamen perficere quod Christi postulabat pauperculus, pro eo quod aliquibus cardinalibus novum aliquid, et supra humanas vires arduum videretur. Aderat autem inter cardinales vir venerandus dominus Joannes de Sancto Paulo, episcopus Sabinensis, omnis sanctitatis amator, et adjutor pauperum Christi. Qui divino spiritu inflammatus, Summo Pontifici dixit, et fratribus suis : Si petitionem pauperis hujus tanquam nimis arduam novamque refellimus, cum petat confirmari sibi formam Evangelicæ vitæ, cavendum est nobis, ne in Christi Evangelium offendamus. Nam si quis intra Evangelicæ perfectionis observantiam, et votum ipsius, dicat contineri aliquid novum aut irrationabile, aut impossibile ad observandum, contra Christum Evangelii auctorem blasphemare convincitur. Quibus propositis, successor apostoli Petri conversus ad pauperem Christi, dixit : Ora, fili, ad Christum, ut suam nobis per te voluntatem ostendat; qua certius cognita, tuis piis desideriis securius annuamus. Omnipotentis autem Dei famulus, totum se conferens ad orandum, precibus devotis obtinuit, et quod exterius ipse proferret, et quod interius Papa sentiret.

Nam cum parabolam de divite rege cum muliere formosa et paupere contrahente gratanter, et de prole suscepta, præferente generantis Regis imaginem, ac per hoc educanda de mensa ipsius, sicut a Deo acceperat, retulisset, ex illius interpretatione subjunxit : Non est formidandum, quod fame pereant æterni Regis filii et hæredes, qui ad imaginem Regis Christi per Spiritus Sancti virtutem de paupere matre nati, et ipsi per spiritum paupertatis sunt in religione paupercula generandi. Si enim Rex cœlorum imitatoribus suis regnum pro-

mittit æternum, quanto magis illa subministrabit, quæ communiter largitur bonis et malis! Hanc ergo parabolam et intellectum ipsius Christi vicarius cum diligenter audisset, miratus est valde, et indubitanter Christum locutum in homine recognovit. Sed visionem, quam tunc temporis e cœlo perceperat, in hoc viro fore complendam, Spiritu divino suggerente, firmavit. Videbat namque in somnis, ut retulit, Lateranensem basilicam fore proximam jam ruinæ, quam quidam homo pauperculus, modicus et despectus, proprio dorso submisso, ne caderet, sustentabat. Vere, inquit, hic est ille, qui opere et doctrina Christi sustentabit Ecclesiam. Inde præcipua devotione repletus, petitioni ejus se per omnia inclinavit, ac Christi famulum speciali semper amore dilexit. Proinde postulata concessit, et adhuc concedere plura promisit. Approbavit Regulam, dedit de pœnitentia prædicanda mandatum, et laicis fratribus omnibus, qui servum Dei fuerant comitati, fecit coronas parvulas fieri, ut verbum Dei libere prædicarent.

CAPUT IV.

De profectu Ordinis sub manu ipsius, et confirmatione Regulæ, prius tantum approbatæ.

Fretus exinde Franciscus superna gratia, et auctoritate Papali, cum fiducia multa versus vallem Spoletanam iter arripuit, ut Evangelium Christi faciendo doceret. Dum autem in via conferret cum sociis, qualiter Regulam, quam susceperant, sincere servarent, qualiter in omni sanctitate et justitia coram Deo incederent, qualiter in seipsis proficerent, et essent aliis in exemplum, diutius collatione protracta, hora pertransivit. Et cum jam lassati essent ex diuturnitate laboris, esurientes in quodam loco solitudinis substiterunt. Sane cum omnis via deesset, qua possent sibi de victu necessario providere, statim adfuit providentia Dei. Nam subito apparuit homo afferens panem in manu, quem pauperculis Christi dedit, subitoque disparuit, incognitus unde venierit, aut quo iret. Cognoscentes autem per hoc pauperes fratres supernum sibi in comitatu Dei adesse præsidium, magis dono liberalitatis divinæ, quam cibo carnis propriæ sunt refecti : insuper divina consolatione repleti, statuerunt firmiter, et irrevocabiliter confirmaverunt, nullius inediæ aut tribulationis impulsu a sancto paupertatis resilire promisso. Exinde in Vallem Spoletanam cum sancto proposito redeuntes, tractare cœperunt, utrum inter homines conversari deberent, an ad loca solitaria se conferre. Sed Christi servus Franciscus, non de sua vel de suorum confidens industria, per orationis instantiam divina super hoc voluntatis beneplacitum requisivit.

Supernæ igitur revelationis illustratus oraculo, intellexit se ad hoc missum a Domino, ut Christo animas lucrifaceret, quas diabolus conabatur auferre. Ideoque magis omnibus, quam sibi soli vivere elegit, illius provocatus exemplo, qui unus pro omnibus mori dignatus est (1). Recolligit itaque se vir Dei cum cæteris sociis, in quodam tugurio derelicto juxta civitatem Assisii, in quo secundum sanctæ paupertatis formam, in labore multo et inopia victitabant, magis lacrymarum quam deliciarum panibus refici satagentes. Vacabant enim ibidem divinis precibus incessanter, mentaliter potius quam vocaliter studio intendentes oratonis devotæ, pro eo quod nondum ecclesiasticos libros habebant, in quibus possent horas canonicas decantare. Loco tamen illorum, Librum crucis Christi, continuatis aspectibus, diebus ac noctibus revolvebant ; exemplo patris ac eloquio eruditi, qui jugiter faciebat eis de cruce Christi sermonem. Rogantibus autem fratribus, ut eos doceret orare, dixit : *Cum orabitis, dicite : Pater noster* (Luc., XI, 2), et : Adoramus te, Christe, ad omnes ecclesias tuas, quæ sunt in toto mundo, et benedicimus tibi, quia per crucem tuam sanctam redemisti mundum (2). Docuit insuper eos Dominum laudare in omnibus, et ex omnibus creaturis honorare præcipua reverentia sacerdotes, fidei quoque veritatem, secundum quod sancta Romana tenet et docet Ecclesia, et firmiter credere, et simpliciter confiteri. Servabant illi patris sancti documenta per omnia, et ad omnes ecclesias, et cruces, quas e lon-

(1) II Cor., V.

(2) Ex officio Invent. S. Crucis.

ginquo videre poterant, juxta datam sibi formam orantes, se humiliter prosternebant.

Contrahentibus autem fratribus moram in loco præfato, vir sanctus die quadam sabbati civitatem Assisii intravit prædicaturus mane diei Dominicæ (ut moris erat) in ecclesia cathedrali. Cumque in quodam tugurio, sito in horto canonicorum, vir Deo devotus, in oratione Dei, more solito, pernoctaret, corporaliter absentatus a filiis, ecce fere media noctis hora, quibusdam ex fratribus quiescentibus, quibusdam perseverantibus in orando, currus igneus mirandi splendoris per domus ostium intrans, huc atque illuc per domicilium tertio se convertit, super quem globus lucidus residebat, qui solis habens aspectum, noctem clarere fecit. Obstupefacti sunt vigilantes, excitati simul et exterriti dormientes, et non minus senserunt cordis claritatem quam corporis, dum ex virtute mirandi luminis, alterius alteri conscientia nuda fuit. Intellexerunt namque concorditer omnes, videntibus invicem universis in cordibus singulorum, sanctum patrem absentem corpore, præsentem spiritu, tali transfiguratum effigie, supernis irradiatum fulgoribus et ardoribus inflammatum, supernaturali virtute in curru splendenti, simul et igneo sibi demonstrari a Domino, ut tanquam veri Israelitæ post illum incederent, qui virorum spiritualium, ut alter Elias, factus fuerat a Domino currus et auriga. Credendum sane, quod horum simplicium ille aperuit oculos ad preces Francisci, ut viderent magnalia Dei; qui oculos quondam aperuerat pueri ad videndum montem plenum equorum et igneorum curruum in circuitu Elisæi. Regressus autem vir sanctus ad fratres, cœpit conscientiarum ipsorum secreta rimari, confortare ipsos de visione illa mirabili, et de profectu Ordinis multa futura prædicere. Cumque patefaceret plurima, quæ sensum transcendebant humanum, vere cognoverunt fratres, super servum suum Franciscum Spiritum Domini in tanta plenitudine quievisse, quod post ipsius doctrinam et vitam erat eis proficisci tutissimum.

Post hæc pusilli gregis pastor Franciscus, ad Sanctam Mariam de Portiuncula duodenarium illum fratrum numerum, superna gratia præeunte, deduxit, ut ubi meritis Matris Domini, Minorum sumpserat Ordo initium, ipsius susciperet illic auxiliis incrementum. Ibi quoque factus evangelicus præco, civitates circuibat, et castra; non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in virtute Spiritus Sancti annuntians regnum Dei. Videbatur intuentibus homo alterius sæculi, quippe qui mente ac facie in cœlum semper intentus, omnes sursum trahere conaretur. Cœpit ex hoc Christi vinea germinare germen odoris Domini, et productis ex se floribus suavitatis, honoris et honestatis, uberes fructus afferre. Nam prædicationis ipsius fervore succensi quamplurimi utriusque sexus, in conjugali pudicitia Domino famulantes, secundum formam a Dei viro acceptam, novis se pœnitentiæ legibus vinciebant, quorum vivendi modum idem Christi famulus Ordinem fratrum de pœnitentia nominari decrevit. Nimirum sicut in cœlum tendentibus pœnitentiæ viam omnibus constat esse communem; sic et hic status, clericos et laicos, virgines et conjugatos in utroque sexu admittens, quanti sit apud Deum meriti, ex pluribus per aliquos ipsorum patratis miraculis innotescit. Convertebantur etiam virgines ad perpetuum cœlibatum, inter quas virgo Deo carissima Clara, ipsarum plantula prima, tanquam flos vernans et candidus odorem dedit, et tanquam stella præfulgida radiavit. Hæc nunc glorifica in cœlis, ab Ecclesia digne veneratur in terris, quæ filia fuit in Christo sancti patris Francisci pauperculi, et mater pauperum dominarum.

Multi etiam devotione compuncti, et perfectionis Christi desiderio inflammati, omni mundanorum vanitate contempta, Francisci vestigia sequebantur, qui quotidianis succrescentes profectibus, usque ad fines orbis terræ celeriter pervenerunt. Faciebat namque sancta paupertas, quam solam deferebant pro sumptibus, ipsos ad omnem obedientiam promptos, robustos ad labores, et ad itinera expeditos. Et quia nihil terrenum habebant, nihil amabant, nihilque timebant amittere, securi erant ubique, nullo pavore suspensi, nulla cura distracti, tanquam qui absque mentis turbatione vivebant, et sine sollicitudine diem crastinum et serotinum hospitium expectabant. Multa quidem in diversis partibus orbis eis inferebantur convitia, tanquam personis despicabilibus et ignotis; verum amor Evangelii Christi adeo ipsos patientes effecerat, ut

quærerent potius ibi esse, ubi persecutionem paterentur in corpore, quam ubi cognita sanctitate ipsorum, mundano possent gloriari favore. Ipsa quoque rerum penuria superabundans eis videbatur úbertas, dum juxta consilium Sapientis pro magno ipsi minimum complacebat.

Sane cum ad infidelium partes aliqui ex fratribus pervenissent, contigit, ut quidam Sarracenus, pietate commotus, pecuniam eis offerret pro necessario victu. Illis autem recusantibus accipere, admiratus est homo, cernens quod inopes essent. Intellecto tandem quod pauperes effecti amore Dei, pecuniam possidere nolebant; tanta est eis affectione conjunctus, ut offerret se ad ministrandum omnia necessaria, quamdiu aliquid facultatum sibi superesset. O inæstimabilis pretiositas paupertatis, cujus miranda virtute mens feritatis barbaricæ in tantam miserationis est immutata dulcedinem! Horrendum est proinde ac nefarium scelus, ut hanc margaritam nobilem vir christianus conculcet, quam tanta veneratione extulit Sarracenus.

Eo tempore religiosus quidam de ordine Cruciferorum, Moricus nomine, in hospitali quodam prope Assisium languore tam gravi, tamque prolixo laborans, ut jam morti foret adjudicatus a medicis, viro Dei supplex factus per nuntium postulabat instanter, ut pro se ad Dominum intercedere dignaretur. Cui beatus pater benigne assentiens, oratione præmissa, panis micas accepit, et cum oleo accepto de lampade, quæ coram Virginis ardebat altari, commiscens, quasi quoddam electuarium, per manus fratrum infirmanti transmisit, dicens : Medicinam hanc fratri nostro deferte Morico, qua ipsum Christi virtus non solum plenæ sanitati restituet, verum etiam robustum bellatorem effectum, aciei nostræ perseveranter adjunget. Statim autem ut antidotum illud, Sancti Spiritus adinventione confectum, æger homo gustavit, sanus exsurgens, tantum mentis et corporis a Deo vigorem obtinuit, ut paulo post viri sancti religionem ingressus, et unica tantum operiretur tunicula, sub qua longo tempore loricam portabat ad carnem, et crudis dumtaxat cibariis, herbis videlicet, leguminibus fructibusque contentus, per plura temporum lustra, nec panem gustaret, nec vinum : fortis tamen et incolumis perseverans.

Crescentibus quoque virtutum meritis in parvulis Christi, odor opinionis bonæ circumquaque diffusus, ad præsentiam sancti patris videndam plurimos e diversis mundi partibus attrahebat. Inter quos quidam sæcularium cantionum curiosus inventor, qui ab imperatore propterea fuerat coronatus, et exinde rex versuum dictus, virum Dei contemptorem mundialium adire proposuit. Cumque apud castrum Sancti Severini eum prædicantem reperisset in monasterio quodam, facta manu Domini super se, vidit eumdem crucis Christi prædicatorem Franciscum duobus transversis ensibus valde fulgentibus, in modum crucis signatum, quorum unus a capite ad pedes, alius a manu in manum per pectus transversaliter tendebatur. Non noverat facie servum Christi, sed tanto monstratum miraculo mox agnovit. Subito stupefactus ad visum incipit meliora proponere. Tandemque verborum ipsius compunctus virtute, tanquam si esset gladio Spiritus ex ejus ore procedente transfixus, sæcularibus pompis omnino contemptis, beato patri professione cohæsit. Propter quod videns ipsum vir sanctus ab inquietudine sæculi ad Christi pacem perfecte conversum, fratrem Pacificum appellavit. Hic postmodum in omni sanctitate proficiens, antequam fieret minister in Francia (siquidem primus ibidem ministerii gessit officium) meruit iterato magnum Thau in fronte Francisci videre, quod colorum varietate distinctum, faciem ipsius miro venustabat ornatu. Hoc quippe signum vir sanctus magno venerabatur affectu, frequenti commendabat eloquio, et in eis quas dirigebat litterulis, manu propria inscribebat, tanquam si omne ipsius studium foret signare Thau, juxta dictum propheticum, super frontes virorum gementium et dolentium, ad Christum Jesum veraciter conversorum. Processu quoque temporis multiplicatis jam fratribus, cœpit eos pastor sollicitus in loco Sanctæ Mariæ de Portiuncula ad generale Capitulum convocare, ut in funiculo distributionis divinæ in terra paupertatis eorum, unicuique tribueret obedientiæ portionem. Ubi licet omnium necessariorum esset penuria, fratrumque multitudo ultra quinque millia conveniret, divina tamen opitulante clementia, et victus sufficientia suberat, et salus comitabatur corporea, et spiritualis jucunditas affluebat. Capitulis vero provin-

cialibus, quia corporalem præsentiam exhibere non poterat, per sollicitam curam regiminis, instantiam precis, et efficaciam benedictionis, spiritu præsens erat; quamvis aliquando, mira Dei faciente virtute, visibiliter appareret. Dum enim egregius prædicator, qui et nunc Christi præclarus confessor, Antonius de titulo Crucis, Jesus Nazarenus Rex Judæorum, in Arelatensi capitulo fratribus prædicaret, quidam frater probatæ virtutis, Monaldus nomine, ad ostium capituli divina virtute et commonitione respiciens, vidit corporeis oculis beatum Franciscum in aere sublevatum extensis velut in cruce manibus, benedicentem fratres. Tanta vero et tam insolita fratres omnes consolatione spiritus repletos se fuisse senserunt, ut de vera sancti patris præsentia certum eis intra se spiritus testimonium perhiberet : licet postmodum id non solum per evidentia signa verum etiam per ejusdem sancti patris verba exteriori fuerit attestatione compertum. Credendum sane quod omnipotentis Dei virtus, quæ Ambrosium pium et sacrum antistitem tumulationi gloriosi concessit interesse Martini (1), ut pium pontificem pio veneraretur officio; etiam servum suum Franciscum prædicationi præsentavit veracis sui præconis Antonii, ut approbaret veritatis eloquia, præcipue crucis Christi, cujus erat bajulus et minister.

Cum autem, dilatato jam Ordine, vivendi formam per dominum Innocentium approbatam, disponeret per successorem ipsius Honorium in perpetuum facere roborari, hujusmodi fuit a Deo revelatione commonitus. Videbatur siquidem sibi de terra micas panum subtilissimas collegisse, multisque famelicis fratribus ipsum circumstantibus debere tribuere. Cumque micas tam tenues distribuere formidaret, ne forte inter manus exciderent, vox ei desuper ait : Francisce, unam de micis omnibus hostiam facito, et manducare volentibus tribue. Quo id agente, quicumque illud non devote recipiebant, aut receptum contemnebant donum, mox lepra infecti, notabiles apparebant. Recitat mane hæc omnia vir sanctus sociis, dolens se non percipere mysterium visionis. Sequenti vero die cum vigil in oratione persisteret, hujusmodi vocem de cœlo delapsam audivit : Francisce, micæ præteritæ noctis, verba evangelica sunt, hostia Regula, lepra iniquitas. Volens igitur confirmandam Regulam, ex verborum Evangelii aggregatione profusius traditam, ad compendiosiorem formam, juxta quod dictabat monstrata visio, redigere, in montem quemdam cum duobus sociis, Spiritu Sancto ducente, conscendit, ubi pane tantum contentus et aqua, jejunans, conscribi eam fecit, secundum quod oranti divinus sibi Spiritus suggerebat. Quam, cum de monte descendens, servandam suo vicario commisisset, et ille paucis elapsis diebus assereret per incuriam perditam, iterato sanctus vir ad locum solitudinis rediit, eamque instar prioris, ac si ex ore Dei verba susciperet, illico reparavit; et per supradictum dominum papam Honorium, octavo pontificatus illius anno, sicut optaverat, obtinuit confirmari. Ad cujus observantiam fratres ferventer inducens, dicebat se nihil ibi posuisse secundum industriam propriam, sed omnia sic scribi fecisse, sicut sibi fuerant divinitus revelata. Quod ut certius constaret testimonio Dei, paucis admodum evolutis diebus, impressa sunt ei stigmata Domini Jesu digito Dei vivi, tanquam bulla Summi Pontificis Christi, ad confirmationem omnimodam Regulæ, et commendationem auctoris, sicut post suarum enarrationem virtutum inferius dicetur.

CAPUT V.

De austeritate vitæ, et quomodo creaturæ præbebant ei solatium.

Cum igitur cerneret vir Dei Franciscus, suo exemplo ad crucem Christi bajulandam ferventi spiritu plurimos animari : animabatur et ipse, tanquam bonus dux exercitus Christi, ad palmam victoriæ per culmen invictæ pervenire virtutis. Attendens enim illud Apostoli verbum, *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis* (Galat., v, 24): ut crucis armaturam suo ferret in corpore, tanta disciplinæ rigiditate sensuales appetitus arcebat, ut vix necessaria sumeret sustentationi naturæ. Difficile namque fore dicebat necessitati corporis satisfacere, et pronitati sen-

(1) Gregor. Turon., lib. I, *De mirac. S. Martini*, c. 5.

suum non parere. Propter quod cocta cibaria, sanitatis tempore, vix admittebat, et raro; admissa vero, aut conficiebat cinere, aut condimenti saporem admixtione aquæ ut plurimum reddebat insipidum. De potu quid dicam? cum et de aqua frigida, dum sitis æstuaret ardore, vix ad sufficientiam biberet. Modos adinveniebat abstinentiæ potiores, et quotidie exercitatione crescebat: licetque jam perfectionis culmen attingeret, tanquam incipiens semper aliquid innovabat, afflictionibus carnis puniendo libidinem. Egrediens tamen exterius, propter verbum Evangelii, conformabat se suscipientibus ipsum in qualitate ciborum, cum tamen ad interiora regressus districte servaret rigidam abstinentiæ parcitatem. Sicque seipsum austerum sibi, humanum proximo, subjectum Evangelio Christi per omnia reddens, non solum abstinendo, verumetiam manducando præbebat ædificationis exemplum. Nuda humus, ut frequentius, lectus erat lassato corpusculo; et sæpius sedens, ligno vel lapide ad caput posito, dormiebat, unica paupere contectus tunicula, in nuditate Domino serviebat et frigore. Interrogatus aliquando quomodo vestitu tam tenui se posset ab hiemalis algoris asperitaie tueri, in spiritus fervore respondit: Si supernæ patriæ flamma per desiderium contegeremur interius, frigus istud exterius facile portaremus.

Vestis horrebat mollitiem, asperitatem amabat, asserens propter hoc Joannem Baptistam ore divino fuisse laudatum. Si quando vero in data sibi tunica lenitatem sentiret, chordulis eam contexebat interius, quia non in casulis pauperum, sed in palatiis principum, juxta Veritatis verbum, vestimentorum dicebat requirendam esse mollitiem. Experientia enim certa didicerat, dæmones asperitate terreri, deliciosis autem et mollibus ad tentandum fortius animari. Unde cum nocte quadam propter infirmitatem capitis et oculorum, præter solitum morem, cervical de pluma positum haberet ad caput, dæmon in illud ingressus, ipsum usque ad horam matutinalem inquietatum multimode a sanctæ orationis studio perturbavit; donec, vocato socio, pulvinar cum dæmonio fecit extra cellulam longius exportari. Egressus autem cum pulvinari frater de cella, membrorum omnium vires amisit et usum, quousque ad vocem sancti patris, hoc cognoscentis in spiritu, vigor pristinus cordis et corporis sibi fuit plenarie restitutus.

Rigidus in disciplina super custodiam suam stabat, curam permaximam gerens de utriusque hominis puritate servanda: quapropter circa conversionis primordia, tempore hiemali, in foveam plenam glacie seipsum plerumque mergebat, ut et domesticum sibi hostem perfecte subjiceret, et candidum vestimentum pudoris a voluptatis incendio præservaret. Tolerabilius viro spirituali fore incomparabiliter asserebat magnum sustinere frigus in carne, quam ardorem carnalis libidinis vel modicum sentire in mente. Cum autem apud eremum de Sarthiano nocte quadam orationi vacaret in cellula, vocavit eum hostis antiquus, tertio dicens: Francisce, Francisce, Francisce. Cui cum quid quæreret respondisset, fallaciter ille subjunxit: Nullus est in mundo peccator, cui, si conversus fuerit, non indulgeat Deus; sed quicumque semetipsum pœnitentia dura necaverit, misericordiam non inveniet in æternum. Statim vir Dei per revelationem cognovit hostis fallaciam, quomodo nixus fuerit eum ad tepida revocare. Nam hoc sequens indicavit eventus. Continuo enim post hoc ad insufflationem illius, *cujus halitus prunas ardere facit*, gravis ipsum carnis tentatio apprehendit.

Quam ut præsensit castitatis amator, deposita veste, chorda cœpit se verberare fortissime: Ei, inquiens, frater asine, sic te decet manere, sic subire flagellum. Tunica religioni deservit, sanctitatis signaculum præfert: furari eam libidinoso non licet: si quo vis pergere, perge. Insuper et mirando fervore spiritus animatus, aperta cella, foras exivit in hortum, et in magnam demergens nivem corpusculum jam nudatum, septem ex ea plenis manibus cœpit compingere massas, quas sibi proponens, suo sic exteriori homini loquebatur: Ecce, inquit, hæc major uxor tua est, quatuor istæ, duo filii, et duæ filiæ, reliquæ duæ servus et ancilla, quos ad serviendum habere oportet. Festina igitur omnes induere, quoniam frigore moriuntur. Si vero eorum multiplex sollicitudo molestat, uni Domino sollicite servi. Illico tentator victus abscessit, et vir sanctus cum victoria in cellam rediit: Quia dum bene pœnaliter arsit foris, ardorem interius sic extinxit libidinis,

ut deinceps tale aliquid minime sentiret. Quidam autem frater, qui tunc orationi vacabat, hæc omnia luna clarius incedente prospexit. Comperto vir Dei, quod hoc ille nocte vidisset, reserans ei tentationis processum, præcepit, ut quamdiu ipse viveret, nulli viventi rem, quam viderat, propalaret. Non solum autem mortificari debere docebat vitia carnis, et ejus incentiva frænari, verum etiam exteriores sensus, per quos mors intrat ad animam, summa vigilantia custodiri.

Mulierum familiaritates, colloquia et aspectus, quæ multis sunt occasio ruinæ, sollicitus evitari jubebat, asserens per hujusmodi debilem frangi, et fortem sæpe spiritum infirmari. Harum contagionem evadere conversantem cum eis, nisi probatissimum virum, tam facile dixit, quam juxta Scripturam (1) in igne ambulare, et non comburere plantas. Siquidem ipse adeo averterat oculos suos, ne hujusmodi vanitatem viderent, quod, sicut aliquando socio dixit, quasi nullam recognoscebat in facie. Non enim securum esse putabat, earum formarum introrsus haurire imagines, quæ possunt aut edomitæ carnis resuscitare igniculum, aut pudicæ mentis maculare nitorem. Asserebat etiam frivolum esse mulieris colloquium, excepta sola confessione vel instructione brevissima, juxta quod et saluti expedit, et congruit honestati. Quæ sunt, inquit, religioso cum muliere tractanda negotia, nisi cum sanctam pœnitentiam, vel melioris vitæ consilium, religiosa petitione deposcit? Ex nimia securitate minus cavetur hostis, et diabolus, si de suo capillum potest habere in homine cito crescere facit in trabem.

Otium autem, omnium malarum cogitationum sentinam, docebat summopere fugiendum, exemplo demonstrans, rebellem carnem et pigram, disciplinis continuis et fructuosis laboribus esse domandam. Unde corpus suum fratrem asinum appellabat, tanquam laboriosis supponendum oneribus, crebris cædendum flagellis, et vili pabulo sustentandum. Si quem vero cernebat otiosum et vagum aliorum velle manducare labores, fratrem muscam nominandum censebat: eo quod talis nihil boni faciens, sed benefacta inficiens, vilem et abominabilem se omnibus reddat. Propter quod dixit aliquando: Volo fratres meos laborare et exercitari, ne, otio dediti, per illicita corde aut lingua vagentur. Evangelicum siquidem volebat a fratribus observari silentium, ut videlicet ab omni otioso verbo omni tempore abstinerent sollicite, tanquam reddituri in die judicii de hujusmodi rationem. Sed et si quem invenisset fratrem verbis assuetum inanibus, acriter arguebat, taciturnitatem modestam, et puri cordis affirmans custodiam, et non modicam esse virtutem, pro eo quod mors et vita fore dicuntur in manibus linguæ, non tam ratione gustus, quam ratione loquelæ.

Licet autem pro viribus ad vitam austeram fratres induceret, non tamen ei placebat districtionis severitas, quæ pietatis non induit viscera, nec est discretionis sale condita. Cum enim quadam nocte unus ex fratribus præ nimietate abstinentiæ admodum fame cruciatus, nullam posset habere quietem, intelligeretque pius pastor ovi suæ imminere periculum, vocavit fratrem, apposuit panem; et ut ruborem illi tolleret, cœpit ipse prior comedere, eumque ad manducandum dulciter invitare. Deposuit frater verecundiam, sumpsit cibum, gavisus quamplurimum, quod per circumspectam condescensionem pastoris, et corporis evasisset dispendium, et non modicum accepisset ædificationis exemplum. Mane facto, convocatis in unum fratribus, vir Dei referens quod acciderat nocte, provida commonitione subjunxit: Sit vobis, fratres, non cibus, sed caritas in exemplum. Docuit insuper eos discretionem sequi, ut aurigam virtutum, non eam, quam caro suadet, sed quam edocuit Christus, cujus sacratissimam vitam expressum constat esse perfectionis exemplar. Et quoniam Agnum sine macula crucifixum non est possibile homini, carnis infirmitate circumdato, sic perfecte sectari, quin aliquando aliquas contrahat sordes; ideo documento certo firmabat eos, qui perfectioni vitæ vigilanter intendunt, quotidianis debere se lacrymarum emundare fluentis. Ipse vero, licet jam esset adeptus cordis et corporis puritatem mirabilem, non cessabat tamen lacrymarum imbribus jugiter oculos expiare mentales, corporeorum luminum non ponderando jacturam. Cum enim ex continuo fletu infirmitatem oculorum incurrisset gravissimam, sua-

(1) Prov., VI, 27-28.

dente sibi medico quod abstineret a lacrymis, si, corporei visus cœcitatem vellet effugere; vir sanctus respondit : Non est, frater medice, ob amorem luminis, quod habemus commune cum muscis, visitatio lucis æternæ repellenda vel modicum : Quia non spiritus propter carnem, sed caro propter spiritum beneficium lucis accepit. Malebat siquidem corporalis visus lumen amittere, quam lacrymas, quibus oculus mundatur interior, ut Deum videre valeat, repressa devotione spiritus impedire.

Cum autem semel daretur consilium a medicis, et instanter suaderetur a fratribus, ut pateretur sibi per remedium subveniri cocturæ, humiliter vir Dei assensit, quia salutiferum hoc simul et asperum esse cernebat. Vocatus itaque venit chirurgus, instrumentum ferreum igni submittens ad faciendam cocturam. At Christi servus corpus jam horrore concussum confortans, sicut amicum, cœpit ignem alloqui, dicens : Mi frater, ignis, præ ceteris rebus æmulandi decoris virtuosum, pulchrum, et utilem te creavit Altissimus : esto mihi hac hora propitius, esto curialis. Precor magnum Dominum, qui te creavit, ut tuum mihi calorem temperet, quo suaviter urentem valeam sustinere. Oratione finita, contra igne candescens ferreum instrumentum signum crucis edidit, ac deinde intrepidus persistebat. Profundatum est crepitans ferrum in tenera carne, et ab aure usque ad supercillium coctura protracta. Quantum irrogaverit ignis ille dolorem, vir sanctus expressit. Laudate, inquit ad fratres, Altissimum : quia vere dico vobis, nec ignis ardorem sensi, nec carnis ullum dolorem. Et conversus ad medicum : Si non est, inquit, caro bene decocta, imprime iterum ferrum. Expertus medicus, in invalida carne virtutem spiritus tam potentem miratus est, et divinum hoc miraculum extulit, dicens : Dico vobis, fratres, vidi hodie mirabilia. Quia enim ad tantam devenerat puritatem, ut caro spiritui, et spiritus Deo, harmonia mirabili concordarent, divina ordinatione flebat, ut creatura Creatori suo deserviens, voluntati et imperio ejus mirabiliter subjaceret. Alio enim tempore apud eremum Sancti Urbani servo Dei ægritudine gravissima laborante, cum ipse naturæ defectum sentiens, vini poculum postulasset, nihilque de vino, quod sibi dari posset, responderetur adesse; jussit aquam afferri, et allatam signo crucis benedixit. Mox vinum efficitur optimum, quod fuerat aqua pura, et quod deserti loci paupertas non potuit, viri sancti puritas impetravit. Ad cujus gustum tanta protinus facilitate convaluit, ut saporis novitas, et innovatio sanitatis, gustabile ac gustantem supernaturaliter innovantes, perfectam in ipso exspoliationem veteris hominis, et induitionem novi, duplici attestatione firmarent.

Non solum creatura servo Dei serviebat ad nutum, sed et Creatoris ubique providentia condescendebat ad placitum. Cum enim tempore quodam ex multarum infirmitatum concursu aggravato corpore, ad jucunditatem spiritus excitandam alicujus audiendi soni harmonici desiderium habuisset, nec id honestatis decentia per ministerium fieri pateretur humanum, adfuit angelorum obsequium ad viri sancti placitum adimplendum. Nocte etenim quadam vigilante ipso, et meditante de Domino, repente insonuit cithara quædam harmoniæ mirabilis, et suavissimæ melodiæ. Non videbatur aliquis, sed transitum et reditum citharœdi ipsa hinc inde auditus volubilitas innuebat. Spiritu in Deum directo, tanta fuit in illo dulcisono carmine suavitate perfruitus, ut aliud se putaret sæculum commutasse. Hoc et fratres sibi familiares non latuit, qui per certa frequenter conspiciebant indicia, eum tam excessivis et crebris consolationibus a Deo visitari, ut nec ipsas omnino occultare valeret.

Alio quoque tempore viro Dei prædicationis causa inter Lombardiam et Marchiam Trevisanam iter agente cum socio juxta Padum, tenebrosa noctis supervenit obscuritas. Cumque via esset exposita periculis magnis et multis propter tenebras, fluvium et paludes, dixit socius ad virum sanctum : Ora, pater, ut de instantibus periculis liberemur. Cui vir Dei cum fiducia multa respondit : Potens est Deus, si sibi placet, tenebrarum effugata caligine, beneficium lucis impendere. Vix sermonem compleverat, et ecce tanta lux illico cœpit circa eos superna radiare virtute, ut nocte aliis existente obscura ipsi luce clara viderent, non solum viam, verum etiam plurima circumquaque. Cujus lucis ducatu corporaliter directi, et spiritualiter confortati, usque ab locum hospitii per non modicum viæ spatium, cum divinis hymnis et laudibus incolumes pervenerunt.

Perpende quantæ fuerit vir iste munditiæ, quantæque virtutis, ad cujus nutum suum ignis ardorem contemperat, aqua saporem commutat, angelica præbet melodia solatium, et lux divina ducatum, ut sic sanctificatis Viri sancti sensibus, omnis probetur mundi machina deservire.

CAPUT VI.

De humilitate, et obedientia, et condescensionibus divinis sibi factis ad nutum.

Omnium virtutum decor et custos humilitas copiosa virum Dei ubertate repleverat. In propria quidem reputatione nihil erat nisi peccator, cum in veritate speculum esset et splendor omnimodæ sanctitatis. Super hanc studuit ædificare seipsum, ut sapiens architectus, fundamentum præjaciens, quod a Christo didicerat. Dicebat propter hoc Filium Dei de altitudine sinus paterni ad nostra despicabilia descendisse, ut tam exemplo, quam verbo, Dominus et Magister humilitatem doceret.

Propter quod studebat tanquam Christi discipulus in oculis suis et aliorum vilescere, a summo dictum esse Magistro commemorans : *Quod altum est apud homines, abominatio est apud Deum* (Luc., XVI, 15). Sed et verbum hoc dicere solitus erat : Quantum homo est in oculis Dei, tantum est, et non plus. Stultum proinde judicans mundanis extolli favoribus, gaudebat de opprobriis, et de laudibus tristabatur.

Malebat quidem de se vituperium audire quam laudem, sciens quod hoc ad emendandum induceret, illa ad cadendum impelleret. Et ideo sæpe cum populi merita in eo sanctitatis extollerent, præcipiebat alicui fratri, ut in contrarium verba ipsum vilificantia suis auribus inculcando proferret. Cumque frater ille licet invitus eum rusticum, et mercenarium, et inutilem diceret, exhilaratus tam mente quam facie respondebat : Benedicat tibi Dominus, fili carissime, quia tu verissima loqueris, et talia filium Petri Bernardonis decet audire. Ut autem se cæteris despicabilem redderet, non parcebat rubori, quin in prædicatione coram omni populo proprios manifestaret defectus.

Accidit semel, ut infirmitate gravatus, rigorem abstinentiæ pro recuperanda sanitate modicum relaxaret. Viribus autem corporis utcumque resumptis, verus sui contemptor, ad propriæ carnis animatus opprobrium : Non est, inquit, conveniens, ut populus abstinentem me credat, et ego e contrario carnaliter reficiar in occulto. Surrexit propterea, sanctæ humilitatis spiritu inflammatus, et in platea civitatis Assisii populo convocato, solemniter cum fratribus multis, quos secum adduxerat, majorem introivit ecclesiam, funeque ad collum ligato, nudum cum femoralibus solis in oculis omnium se trahi præcipit usque ad lapidem, in quo malefactores puniendi consueverant collocari. Super quem conscendens, licet quatanarius esset, et debilis, acerbi frigoris tempore cum multo vigore animi prædicavit, audientibusque cunctis asseruit se non tanquam spiritualem honorandum fore, quinimo tanquam carnalem, et glutonem, ab omnibus contemnendum. Igitur qui convenerant, tam ingenti viso spectaculo, admirati sunt, et quia ipsius austeritatem jam noverant, devotione compuncti, humilitatem hujusmodi magis admirabilem, quam imitabilem proclamabant. Licet autem id magis videatur portentum fuisse instar prophetalis vaticinii, quam exemplum, tamen vere (1) documentum extitit humilitatis perfectæ, quo Christi sectator instruitur transitoriæ laudis præconium debere contemnere, tumentis quoque jactantiæ comprimere fastum, et fraudulentæ simulationis mendacium confutare. Multa quidem in hunc modum sæpius faciebat, ut exterius tanquam vas perditum fieret, et sanctificationis spiritum interius possideret.

Studebat etiam bona Domini sui arcano pectoris condere, nolens patere gloriæ, quod posset occasio esse ruinæ. Nam sæpe cum beatificaretur a pluribus, verbum hujusmodi proferebat : Filios et filias adhuc habere possem : nolite laudare (2) securum. Nemo laudandus, cujus incertus est exitus. Ista quidem laudantibus ; ad se autem sic : Latroni si tanta contulisset Altissimus, gratior te foret, Francisce. Dicebat fratribus sæpe : De omni eo, quod peccator potest, nemo sibi debet iniquo applausu

(1) *Cæt. edit.* veræ.

(2) *Suppl.* velut.

blandiri. Peccator, ait, jejunare potest, orare, plangere, carnemque propriam macerare; hoc solum non potest, Domino scilicet suo esse fidelis. In hoc itaque gloriandum, si suam Domino gloriam reddimus, si, fideliter servientes, ipsi, quidquid donat, ascribimus. Ut autem pluribus modis negotiator hic evangelicus lucraretur, ac totum præsens tempus conflaret in meritum, non tam præesse voluit, quam subesse, nec tam præcipere, quam parere. Idcirco Generalis cedens officio, Guardianum petiit, cujus voluntati per omnia subjaceret.

Tam enim uberem asserebat sanctæ obedientiæ fructum, ut eis, qui jugo ipsius colla summitterent, nil temporis sine lucro transiret : unde et fratri, cum quo erat solitus ire, semper obedientiam promittere consueverat, et servare. Dixit aliquando sociis : Inter alia, quæ dignanter pietas mihi divina concessit, hanc gratiam contulit, quod ita diligenter novitio unius horæ obedirem, si mihi Guardianus daretur, sicut antiquissimo et discretissimo fratri. Subditus (inquit) prælatum suum non hominem considerare debet, sed illum, pro cujus est amore subjectus. Quanto enim contemptibilior præsidet, tanto magis humilitas obedientis placet. Cum vero vice quadam quæreretur ab eo, quis esset verus obediens judicandus, corporis mortui similitudinem pro exemplo proposuit : Tolle, inquit, corpus examine, et ubi placuerit, pone. Videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum. Quod si statuatur in cathedra, non alta, sed ima respiciet. Si collocetur in purpura, duplo pallescet. Hic, ait, verus obediens est, qui cur moveatur, non dijudicat; ubi locetur, non curat; ut transmutetur, non instat; evectus ad officium, solitam tenet humilitatem; plus honoratus, plus reputat se indignum. Dixit aliquando socio suo : Non mihi videor frater Minor, nisi fuero in statu, quem tibi descripsero. Ecce prælatus existens fratrum, vado ad capitulum, prædico, et commoneo fratres, et in fine dicitur contra me : Non convenis nobis, quia illiteratus es, elinguis, idiota et simplex. Tandem ejicior cum opprobrio, vilipensus ab omnibus. Dico tibi, nisi eodem vultu, eadem mentis lætitia, et eodem sanctitatis proposito hæc verba audiero, frater Minor nequaquam sum. Et addebat : In prælatione casus, in laude præcipitium, in humilitate subditi animi lucrum est. Cur ergo periculis plus quam lucris attendimus, cum acceperimus tempus ad lucrum? Hac igitur de causa humilitatis forma Franciscus fratres suos voluit vocari Minores, et prælatos sui Ordinis dici ministros, ut et verbis uteretur Evangelii, quod observare promiserat, et ex ipso nomine discerent discipuli ejus, quod ad discendam humilitatem ad scholas humilis Christi venissent. Magister siquidem humilitatis Jesus Christus, ut informaret discipulos ad humilitatem perfectam, dixit : *Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; et quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* (Marc., x, 43-44.)

Cum autem requireret ab eo dominus Ostiensis, Ordinis Minorum protector, et promotor præcipuus, qui postmodum, juxta quod idem vir sanctus prædixerat, ad summum pontificatus sublimatus honorem, Gregorius nonus est dictus, utrum sibi placeret quod fratres sui promoverentur ad ecclesiasticas dignitates, respondit : Domine, minores ideo vocati sunt fratres mei, ut majores fieri non præsumant. Si vultis, ut faciant fructum in Ecclesia Dei, tenete illos, et conservate in statu vocationis eorum, et ad prælationes ecclesiasticas nullatenus ascendere permittatis. Et quoniam humilitatem tam in se, quam in subditis, cunctis præferebat honoribus, amator humilium Deus, altioribus ipsum dignum judicabat fastigiis, secundum quod uni fratri, viro virtutis et devotionis præcipuæ, visio cœlitus ostensa monstravit. Cum enim esset in comitatu viri Dei, et una cum ipso in quadam ecclesia deserta ferventi oraret affectu, in ecstasi factus, vidit inter multas in cœlo sedes, unam præ cæteris digniorem, pretiosis ornatam lapidibus et omni gloria refulgentem. Miratus intra se præcelsi refulgentiam throni, anxia cœpit cogitatione perquirere, quis ad illum deberet assumi. Audivit inter hæc vocem dicentem sibi : Sedes ista unius de ruentibus fuit, et nunc humili servatur Francisco. Reversus demum frater ad se ab orationis excessu, virum beatum exterius prodeuntem solito fuit more secutus. Cumque, incedentes pec viam, de Deo invicem loquerentur, frater ille, visionis suæ non immemor, solerter ab eo quæsivit, quid de seipso

sentiret. Ad quem humiliter Christi servus : Videor, ait, mihi maximus peccatorum. Cui cum frater diceret ex adverso, quod hoc non posset sana conscientia dicere, nec sentire, subjunxit : Si quantumcumque sceleratum hominem tanta fuisset Christus misericordia prosecutus, arbitror sane quod multo quam ego Deo gratior esset. Confirmatus fuit frater ex tam admirabilis humilitatis auditu de veritate visionis ostensæ, Evangelio sacro testante (1) cognoscens, quod ad excellentiam gloriæ, de qua superbus ejicitur, vere humilis exaltetur.

Alio quoque tempore, cum in deserta quadam oraret ecclesia, in provincia Massæ, apud montem Casalem, intellexit per Spiritum, sacras ibidem remansisse reliquias. Quas cum longo jam tempore defraudatas honorificentia debita, non sine mœrore conspiceret, præcepit fratribus, ut eas cum reverentia fratrum deferrent ad locum. Sed cum poscente causa discessisset ab eis, mandati patris immemores filii, obedientiæ meritum neglexerunt. Die vero quadam cum sacra celebrare vellent mysteria, superiori altaris operimento submoto, ossa pulcherrima et redolentia nimis, non sine admiratione reperiunt, intuentes reliquias, quas non hominis manus, sed Dei virtus attulerat. Reversus paulo post vir Deo devotus diligenter cœpit exquirere, si quod de reliquiis mandaverat, esset impletum. Verum neglectæ obedientiæ culpam fratres confitentes humiliter, cum pœna veniam meruerunt. Et ait vir sanctus : Benedictus Dominus Deus meus, qui per seipsum implevit, quod vos facere debuistis. Considera, quæso, lector, divinæ providentiæ curam circa pulverem nostrum, et humilis Francisci excellentem in oculis Dei perpende virtutem. Nam cujus jussis non paruit homo, votis obedivit Deus.

Quodam tempore deveniens Imolam, civitatis episcopum adiit, humiliterque poposcit ut cum ipsius beneplacito posset populum ad prædicationem vocare : Sufficit, inquit, frater, quod ego prædicem populo meo. Inclinavit caput verus humilis, et foras egressus, post modicam horam regreditur intro. A quo, cum episcopus quasi turbatus requireret, quid iterato petere vellet, humili tam corde, quam voce respondit : Domine, si pater filium uno repulerit ostio, alio sibi reintrandum est. Humilitate victus episcopus, alacri vultu eum amplexus est, dicens : Tu, et omnes fratres tui, de cætero in episcopatu meo generali mea licentia prædicetis, quia illud humilitas sancta promeruit. Contigit ipsum aliquando Aretium devenire, cum tota civitas intestino bello quassata propinquum sui minabatur excidium. Hospitatus vero in suburbio, vidit supra civitatem exultantes dæmones, ac perturbatos cives ad cædem mutuam succedentes. Ut autem seditiosas illas effugaret aereas potestates, fratrem Silvestrum, columbinæ simplicitatis virum, quasi præconem præmisit, dicens : Vade ante portam civitatis, et ex parte Dei omnipotentis dæmonibus in virtute obedientiæ præcipe, ut exeant festinanter. Accelerat verus obediens patris jussa perficere, et præoccupans in laudibus faciem Domini, ante portam civitatis cœpit clamare valenter : Ex parte omnipotentis Dei, et jussu servi ejus Francisci, procul hinc discedite, dæmones universi. Redit ad pacem continuo civitas, et civitatis in se jura cives omnes cum magna tranquillitate reformant. Expulsa quippe dæmonum furibunda superbia, quæ civitatem illam velut obsidione vallaverat, superveniens sapientia pauperis, videlicet Francisci humilitas, pacem reddidit, urbemque salvavit. Humilis enim obedientiæ ardua promerente virtute, super spiritus illos rebelles atque protervos tam potestativum fuerat assecutus imperium, ut et ipsorum feroces protervias premeret, et importunas violentias propulsaret. Fugiunt quidem superbi dæmones excelsas virtutes humilium, nisi cum interdum ad humilitatis custodiam divina eos clementia colaphizari permittit, sicut et Paulus apostolus de seipso scribit, et Franciscus experimento probavit. Rogatus enim a domino Leone cardinali S. Crucis, ut secum aliquantum moraretur in urbe, acquievit humiliter ob ipsius reverentiam et amorem. Prima igitur nocte, cum post orationem vellet quiescere, supervenerunt dæmones in Christi militem atrociter insurgentes : Quem cum diu verberassent, ac dure, ad ultimum quasi seminecem reliquerunt. Discedentibus illis, socius vocatus advenit, cui cum vir Dei rei narrasset eventum, subjungens, ait : Credo, frater, quod dæmones, qui nihil pos-

(1) Luc, XIV, 11.

sunt, nisi quantum providentia superna disponit, ideo in me nunc tam ferociter irruerunt, quia non bonam spem præfert mansio mea in curia magnatorum. Fratres mei qui in locis pauperculis commorantur, audientes me cum cardinalibus esse, suspicabantur forsitan implicari mundanis, efferri honoribus, et deliciis abundare. Ideo melius judico eum, qui ponitur in exemplum, fugere curias et humiliter inter humiles in locis conversari humilibus, et sustinentes penuriam fortes efficiat, similia sustinendo. Veniunt ergo mane, et humili excusatione proposita, vale faciunt cardinali. Abhorrebat nempe vir sanctus superbiam, omnium malorum originem, et inobedientiam, ipsius pessimam prolem; sed non minus humilitatem pœnitentiæ acceptabat. Accidit semel, ut eidem præsentaretur quidam frater, qui contra legem obedientiæ aliquid fecerat, disciplina justitiæ corrigendus.

Videns autem vir Dei fratrem illum per signa evidentia veraciter esse compunctum, ad indulgendum ei amore fuit humilitatis inductus. Ne tamen facilitas veniæ, incentivum esset aliis delinquendi, jussit ablatum fratri caputium in medio flammarum projici, ut omnes adverterent quanta qualique vindicta offensa sit inobedientiæ percellenda. Cumque per moram caputium fuisset in medio ignis, præcepit ipsum flammis detrahi, reddique fratri humiliter pœnitenti. Mirabile dictu! Extrahitur caputium de medio flammarum, nullum habens adustionis vestigium. Sicque factum est, ut hoc uno Deus miraculo, et sancti viri virtutem, et humilitatem pœnitentiæ commendaret. Digne itaque sectanda est Francisci humilitas, quæ tam miram in terris etiam dignitatem obtinuit, ut Deum inclinaret ad votum, et hominis immutaret affectum, multoties dæmonum protervitatem suo jussu propelleret et flammarum voracitatem solo nutu refrænaret. Revera hæc est, quæ possessóres suos exaltans, dum omnibus reverentiam exhibet, ab omnibus promeretur honorem.

CAPUT VII.

De amore paupertatis, et mira suppletione defectuum.

Inter cætera charismatum dona, quæ a largo Datore Franciscus obtinuit, prærogativa quadam speciali promeruit in divitias simplicitatis excrescere per altissimæ paupertatis amorem. Hanc Filio Dei vir sanctus familiarem attendens, et jam quasi toto orbe repulsam, caritate sic studuit desponsare perpetua, quod non solum pro ea patrem matremque reliquit, verum etiam, quæ habere potuit, universa dispersit. Nemo tam auri, quam ipse cupidus paupertatis, nec thesauri custodiendi sollicitior ullus, quam iste hujus evangelicæ margaritæ (1). In hoc præcipue suus offendebatur aspectus, si quidquam videre in fratribus, quod paupertati non per omnia consonaret. Revera ipse a principio religionis usque ad mortem, tunica, chordula, et femoralibus dives, iis contentus fuit. Christi Jesu paupertatem et matris, frequenter cum lacrymis revocabat ad mentem; inde hanc virtutum asserens esse reginam, quia in Rege regum et in regina matre ipsius tam præstanter effulsit.

Nam, et fratribus in conclavi quærentibus, quæ virtus magis amicum redderet Christo, quasi secretum sui cordis aperiens, respondebat : Paupertatem noveritis, fratres, specialem viam esse salutis, tanquam humilitatis fomentum, perfectionisque radicem, cujus est fructus multiplex, sed occultus. Hæc enim est evangelici agri thesaurus absconditus, pro quo emendo vendenda sunt omnia, et quæ vendi non possunt, illius comparatione spernenda. Ad hujus, inquit, culmen qui cupit attingere, non solum mundanæ prudentiæ, verum etiam litterarum peritiæ renuntiare quodammodo debet : ut tali expropriatus possessione, introeat in potentias Domini, et nudum se offerat brachiis Crucifixi. Nequaquam enim sæculo perfecte renuntiat, qui proprii sensus loculos intra cordis arcana reservat. Sæpe vero de paupertate sermonem faciens, ingerebat fratribus evangelicum illud : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet* (Matth., xxv, 40). Propter quod docebat fratres, ut pauperum more pauperculas casulas erigerent, quas non habitarent ut proprias, sed sicut peregrini et advenæ alienas. Leges namque peregrinorum esse dicebat sub alieno colligi tecto, sitire ad patriam pacifice pertransire. Man-

(1) Matt., XIII.

dabat dirui aliquando domos erectas, aut fratres exinde amoveri, si aliquid in eis perciperet, quod ratione appropriationis vel sumptuositatis contrarium esset evanlicæ paupertati.

Hanc sui dicebat ordinis fundamentum, cui substrato primarie sic omnis structura religionis innititur, ut ipsius firmitate firmetur, et eversione funditus evertatur. Docebat proinde, sicut revelatione didicerat, sacræ religionis ingressum ab illo fore inchoandum evangelico verbo : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus.* (Matt., XIX, 21.) Ideoque non nisi expropriatos, et nihil penitus retinentes admittebat ad ordinem, tum propter verbum sancti Evangelii, tum etiam ne forent in scandalum loculi reservati. Unde in Marchia Anchonitana quidam petenti ad ordinem recipi, verus pauperum patriarcha respondit : Si vis Christi pauperibus jungi, pauperibus tua distribue. Quo audito, perrexit homo, et ductus amore carnali, sua suis reliquit, nilque pauperibus. Verum cum hoc, illo referente, vir sanctus audisset, dura eum increpatione feriens, dixit : Vade viam tuam, frater musca, quoniam nondum existi de domo et de cognatione tua. Consanguineis tuis tua dedisti, et defraudasti pauperes : dignus non es pauperibus sanctis sociari. Incœpisti a carne, ruinosum fundamentum spirituali fabricæ collocasti. Rediit animalis homo ad suos, et repetiit sua, quæ pauperibus relinquere nolens, virtutis propositum citius dereliquit. Alio quoque tempore cum in loco Sanctæ Mariæ de Portiuncula tanta esset inopia, quod non posset hospitibus fratribus supervenientibus secundum necessitatis exigentiam provideri, adiit virum Dei vicarius suus, allegans penuriam fratrum, et petens ut intrantium novitiorum res aliquas reservare liceret, ad quas expendendas recurrere possent fratres tempore opportuno. Ad quem vir sanctus, superni consilii non ignarus : Absit, inquit, a nobis, frater carissime, ut pro quovis homine impie agamus in Regulam. Malo te altare Virginis gloriosæ nudare, cum necessitas id requirit, quam contra paupertatis votum, et observantiam Evangelii, aliquid vel modicum attentare. Gratius enim habebit beata Virgo, sancti Evangelii perfecte servato consilio, suum altare detegi, quam altari suo ornato, Filii sui promissum consilium prætermitti. Transiens autem quodam tempore vir Dei cum suo socio per Apuliam juxta Barum, invenit in via bursam magnam, quasi plena esset denariis, tumescentem, quam usitato vocabulo Fundam appellant. Monetur a socio pauper Christi, et instanter inducitur ut bursa tollatur e terra, et pecunia pauperibus erogetur. Renuit homo Dei, commentum affirmans fore diaboli in bursa inventa, et fratrem non suadere rem meriti, sed peccati : Aliena scilicet surripere, ac donare. Recedunt de loco, festinant iter perficere cœptum. Sed nondum quiescit frater vacua pietate delusus, virum Dei molestans, quasi qui de relevanda pauperum penuria non curaret. Acquievit tandem vir mitis redire ad locum, non ut fratris voluntatem perficeret, sed ut detegeret diabolicam fraudem. Reversus est ergo ad Fundam cum fratre, et juvene quodam, qui erat in via. Oratione præmissa, jubet socio illam levare. Tremefactus frater obstupuit, diabolicum jam præsentiens monstrum ; propter obedientiæ tamen sanctæ mandatum, dubietatem abigens cordis, manum extendit ad bursam. Et ecce serpens non modicus de bursa exiliens, simulque cum ipsa subito evanescens, diabolicam deceptionem fratri monstravit. Hostilis itaque versutiæ deprehensa fallacia, dixit vir sanctus ad socium : Pecunia servis Dei, o frater, nihil aliud est, quam diabolus, et coluber venenosus.

Accidit post hæc quoddam mirabile viro sancto, dum se ad civitatem Senensem, causa exigente, transferret. Tres quidem mulieres pauperculæ, statura, ætate, ac facie per omnia similes, in quadam ei magna planitie inter Campilium et Sanctum Quiricum occurrerunt, novum salutationis munusculum ei offerentes. Bene veniat, inquiunt, domina paupertas.

Quo audito, verus paupertatis amator indicibili repletus est gaudio, utpote qui nihil in se salutandum hominibus tam libenter haberet, quam quod illæ decreverant. Subito disparentibus illis, considerantes fratres socii tam admirabilem in eis similitudinem, salutationis, occursus, et disparentiæ novitatem, mysticum aliquid designari circa virum sanctum, non irrationabiliter perpenderunt. Sane per illas tres, ut videbatur, mulieres pauperculas, sic uniformi facie occurrentes, sic salutantes insolite, sic su-

bito disparentes, evangelicæ perfectionis formositas, quantum ad castitatem scilicet, obedientiam et paupertatem, satis convenienter ostenditur, in viro Dei pari forma perfecte fulsisse, licet gloriari præelegerit in privilegio paupertatis, quam modo matrem, modo sponsam, modo dominam nominare solebat. In hac cæteros cupiebat excedere, qui ex ipsa didicerat inferiorem se omnibus reputare. Si quando pauperiorem se quempiam secundum exteriorem habitum cerneret, semetipsum protinus arguens excitabat ad simile, tanquam si æmula paupertate concertans, vinci se timeret in illo.

Accidit enim ut pauperculum quemdam obvium haberet in via, cujus cum nuditatem aspiceret, compunctus corde, lamentabili voce dixit ad socium : Magnam verecundiam intulit nobis hujus inopia, quia nos pro magnis divitiis paupertatem eligemus, et ecce magis relucet in isto. Propter sanctæ paupertatis amorem omnipotentis Dei famulus, eleemosynis ostiatim quæsitis utebatur multo libentius, quam oblatis. Si quando enim invitatus a magnis personis, mensis esset profusioribus honorandus, prius per propinquas vicinorum domos panum fragmenta petebat, ac deinde sic ditatus inopia discumbebat. Et cum aliquando id fecisset, invitatus a domino Hostiense, qui pauperem Christi præcipuo complexabatur affectu, conquerenti episcopo, quod suo derogasset honori, utpote qui, in ejus comesturus domo, pro eleemosynis isset, servus Dei respondit : Magnum, mi Domine, vobis honorem exhibui, dum majorem Dominum honoravi. Siquidem beneplacitum est Domino in paupertate, et ea maxime, quæ voluntaria pro Christo mendicitas est. Hanc dignitatem regalem, quam pro nobis Dominus Jesus egenus factus assumpsit, ut sua nos ditaret inopia, ac vere pauperes spiritu regni cœlorum reges institueret et hæredes, nolo relinquere pro feudo divitiarum falsarum vobis ad horam concesso. Nonnunquam fratres ad petendum eleemosynam hortans, verbis utebatur hujusmodi : Ite, inquit, quoniam hac novissima hora fratres Minores commodati sunt mundo, ut electi in eis impleant, unde a judice commendentur, illud audientes suavissimum verbum : *Quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis* (Matth., xxv, 40). Jucundum proinde dicebat sub fratrum Minorum titulo mendicare, quem in retributione justorum evangelicæ veritatis Magister ore suo tam signanter expressit. In festis quoque præcipuis, ubi opportunitas aderat, mendicare solitus erat, dicens in sanctis pauperibus propheticum illud impleri : *Panem angelorum manducavit homo* (Psal. LXXVII, 25). Illum sane panem angelicum esse dicebat, quem pro Dei petitum amore, et beatis suggerentibus angelis pro ipsius caritate largitum, sancta paupertas colligit ostiatim.

Unde cum semel in die sancto Paschæ moram faceret in eremitorio quodam adeo ab hominum habitatione remoto, quod commode mendicare non posset, memor illius, qui discipulis euntibus in Emmaus ipso die in specie peregrini apparuit, ab ipsis fratribus eleemosynam petiit ut peregrinus, et pauper. Quam cum accepisset humiliter, sacris eos informavit eloquiis, quod transeuntes per mundi desertum, tanquam peregrini, et advenæ, verique Hebræi, Pascha Domini, hoc est, transitum ex hoc mundo ad Patrem, in paupertate spiritus continue celebrarent. Et quoniam in petendis eleemosynis non quæstus agebatur cupidine, sed spiritus libertate pater pauperum, Deus specialem de ipso curam gerere videbatur.

Accidit enim semel ut infirmitate gravatus Domini servus, in loco Noceriæ, reduceretur Assisium per solemnes nuntios, ad hoc Assisinatis populi devotione transmissos. Qui Christi famulum deducentes, ad villam quamdam devenerunt pauperculam, nomine Sarthianum : ubi cum fames et hora cibum expeterent, euntes, et nihil invenientes venale, vacui redierunt. Ad quos vir sanctus : Ideo nihil invenistis, quia plus in muscis vestris, quam in Domino confiditis. Muscas nempe denarios vocavit. Sed revertimini, ait, per domos, quos circuistis, et amorem Dei offerentes (1) pro pretio, humiliter eleemosynam postulate. Nec falsa id æstimatione verecundum putetis aut vile, quoniam universa in eleemosyna post peccatum, dignis et indignis, eleemosynarius ille magnus largiflua pietate concessit. Deponunt erubescentiam milites, et eleemosynam sponte petentes,

(1) *Cæt. edit.* offerentis.

plura pro Dei amore, quam denariis emunt. Siquidem divino nutu corde compuncti pauperes incolæ, non solum sua, sed et seipsos liberaliter obtulerunt. Sicque factum est, ut inopiam, quam pecunia relevare non poterat, Francisci pauperies opulenta suppleret.

Tempore quo infirmus jacebat in eremitorio prope Reate, medicus quidam opportuno eum frequentabat officio. Cum autem Christi pauper impotens esset ad rependendam mercedem labori condignam, liberalissimus Deus, ne ipsum sine præsenti remuneratione dimitteret, pium ejus obsequium hoc novo beneficio vice pauperis compensavit. Hujus enim medici domus, quam tunc temporis ex omni lucro suo de novo construxerat, parietum patula scissione a summo usque deorsum, adeo de proximo minabatur ruinam, quod non videbatur per humanæ artis industriam possibile ipsius casui obviare. Ipse vero de sancti viri meritis plene confidens, cum magnæ fidei devotione petivit a sociis ejus aliquid sibi concedi, quod idem vir Dei manibus contrectasset. Cum igitur modicum de capillis ipsius, multa precum obtentum instantia, posuisset de sero intra muri scissuram, mane resurgens tanta invenit aperturam illam soliditate conclusam, ut nec reliquias ibi positas posset extrahere, nec scissuræ prioris vestigium aliquod invenire. Factumque est, ut qui ruinoso corpusculo servi Dei sedule ministrarat, ruituræ domus propriæ periculo præcaveret.

Alio quoque tempore vir Dei ad quamdam eremum transferre se volens, ut ibi liberius contemplationi vacaret, quia debilis erat, cujusdam viri pauperis vectabatur asello. Cumque diebus æstivis famulum Christi sequendo vir ille montana conscenderet, asperiori et longiori itinere fatigatus, nimioque sitis ardore deficiens, instanter cœpit clamare post sanctum : En morior (inquit) siti, nisi poculi alicujus beneficio continuo refociller. Absque mora vir Dei prosilivit de asino, et fixis in terra genibus, palmas tetendit in cœlum, orare non cessans, donec se intellexit auditum. Oratione tandem finita : Festina, inquit viro, ad petram illam, et illic aquam vivam invenies, quam tibi hac hora misericorditer Christus de lapide bibendam produxit. Stupenda Dei dignatio, quæ servis suis tam facile se inclinat! Bibit sitiens homo aquam de petra orantis virtute, et poculum hausit de saxo durissimo. Aquæ decursus ibidem antea non fuit, nec, ut est diligenter quæsitum, deinceps potuit inveniri. Qualiter autem per merita sui pauperis Christus multiplicaverit cibos in mari, cum suo sit loco inferius annotandum; hoc tantum commemorasse sufficiat, quod de eleemosyna modica sibi collata, nautas a famis et mortis periculo per dies plurimos liberavit, ut ex hoc liquido possit adverti, quod omnipotentis Dei famulus, sicut in eductione aquæ de petra conformis extitit Moysi, sic in multiplicatione victualium Elisæo. Procul igitur a pauperibus Christi omnis diffidentia abscedat. Si enim paupertas Francisci adeo copiosæ sufficientiæ fuit, ut subvenientium sibi defectus tam mira virtute suppleret, quod nec cibus, nec potus, nec domus deesset, cum pecuniæ, et artis, et naturæ facultas defecerat; multo magis illa merebitur, quæ usitato divinæ providentiæ ordine communiter conceduntur. Si (inquam) petræ siccitas ad pauperis vocem abundans poculum sitienti propinavit pauperculo, nil jam inter omnia suum denegabit obsequium his, qui pro Auctore omnium omnia reliquerunt.

CAPUT VIII.

De pietatis affectu, et quomodo ratione carentia videbantur ad ipsum affici.

Pietas vera, quæ secundum Apostolum ad omnia valet, adeo cor Francisci repleverat, ac penetraverat, ut totum videretur servum Dei in suum vendicasse dominium. Hæc est, quæ ipsum per devotionem sursum agebat in Deum, per compassionem transformabat in Christum, per condescensionem inclinabat ad proximum; et per universalem conciliationem ad singula, refigurabat ad innocentiæ statum. Cumque per hanc pie moveretur ad omnia, specialiter tamen animas Christi Jesu sanguine pretioso redemptas, cum cerneret inquinari aliqua sorde peccati tanta miserationis teneritudine deplorabat, ut eas tanquam mater in Christo quotidie parturiret. Et hæc penes ipsum causa præcipua venerandi Dei verbi ministros, quod semen fratri suo defuncto, videlicet Christo pro peccatoribus cruci-

fixo, per ipsorum conversionem, et pia sollicitudine suscitent, et sollicita pietate gubernent.

Istius miserationis officium patri misericordiarum omni sacrificio firmabat (1) acceptius, maxime si studio fuerit perfectæ caritatis impensum, ut ad id laboretur magis exemplo, quam verbo; magis lacrymosa prece, quam loquaci sermone. Plangendum proinde dicebat prædicatorem, tanquam vera pietate privatum, sive qui in prædicatione non animarum quærit salutem, sed propriam laudem, sive qui pravitate destruit vitæ, quod ædificat veritate doctrinæ. Præferendum huic dicebat fratrem simplicem, et elinguem, qui bono exemplo alios provocat ad bonum. Illud quoque verbum: *Donec sterilis peperit plurimos* (I Reg., II, 5). Taliter exponebat: Sterilis, inquit, est frater pauperculus, qui generandi in Ecclesia filios non habet officium. Hic pariet in judicio plurimos, quia nunc privatis orationibus convertit ad Christum, suæ gloriæ tunc judex ascribet. *Quæ multos habet filios, infirmabitur*, quia prædicator vanus et loquax, qui multis nunc quasi sua virtute genitis gaudet, cognoscet tunc se nil proprii habere in eis. Cum igitur animarum salutem viscerosa pietate appeteret, et fervida æmulatione zelaret, suavissimis se dicebat repleri odoribus, et quasi unguento pretioso liniri, cum sanctorum fratrum per orbem distantium odorifera fama, multos audiret ad viam veritatis induci. Et talium auditu exultabat in spiritu, benedictionibus omni acceptione dignissimis fratres illos accumulans, qui verbo, vel opere, ad Christi amorem inducerent peccatores. Si etiam qui religionem sacram iniquis violarent operibus, maledictionibus ejus gravissimum incurrebant sententiam. Ad te, Domine (inquit), sanctissime, a tota cœlesti curia, et a me parvulo tuo, sint maledicti, qui suo malo exemplo confundunt, et destruunt, quod per sanctos fratres ordinis hujus ædificasti, et ædificare non cessas. Tanta frequenter afficiebatur mœstitia super scandala pusillorum, ut deficere se putaret, nisi divinæ fuisset clementiæ consolatione suffultus. Cum autem semel malus turbatus esset exemplis, et anxio spiritu misericordem patrem precaretur pro filiis, responsum hujusmodi reportavit a Domino: Cur tu, pauper homuncio, conturbaris? An ego te super religionem meam sic pastorem institui, ut me principalem nescias esse patronum? Hominem simplicem ad hoc te constitui, ut quæ in te fecero, non humanæ industriæ, sed supernæ gratiæ ascribantur. Ego vocavi, servabo, et pascam, et aliis excidentibus alios subrogabo, ita ut si nati non fuerint, faciam illos nasci, et quantiscumque fuerit impulsibus paupercula hæc concussa religio, salva semper meo munere permanebit. Detractionis quoque vitium inimicum fonti pietatis et gratiæ, tanquam serpentinum abhorrebat morsum, et atrocissimam pestem, et piissimo Deo abominabile fore firmabat (2), pro eo quod detractor animarum sanguine pascitur, quas gladio linguæ necat. Audiens semel fratrem quemdam denigrare famam alterius, conversus ad vicarium suum dixit: Surge, surge, discute diligenter, et si accusatum fratrem innocentem repereris, accusantem dura correctione cunctis redde notabilem. Nonnunquam vero eum, qui fratrem suum famæ gloria spoliaret, judicabat habitu spoliandum, nec ad Dominum oculos posse levare, nisi prius, quod abstulerat, reddere pro posse curaret. Tanto major est, aiebat, detractorum impietas, quam latronum, quanto lex Christi, quæ in observantia pietatis impletur, magis animarum, quam corporum, nos astringit optare salutem.

Afflictis quoque qualicumque corporali molestia, mira compassionis teneritudine condescendens, si quid penuriæ, si quid defectus in aliquo cerneret, pii cordis dulcedine regerebat in Christum. Sane clementiam habebat ingenitam, quam superinfusa Christi pietas duplicabat. Itaque liquescebat animus ejus ad pauperes, et infirmos, et quibus non poterat manum, exhibebat affectum.

. Contigit semel ut pauperi cuidam eleemosynam importune petenti, unus e fratribus durius responderet. Quod audiens pauperum pius amator, fratri præcepit, ut ad illius pauperis pedes se nudatum prosterneret, proclamaret culpabilem, orationis suffragium postularet et veniam. Quod cum ille fecisset humiliter, dulciter pater

(1) *Leg.* affirmabat.

(2) *Leg.* affirmabat.

adjecit : Dum pauperem vides, o fratrer, speculum tibi proponitur Domini, et pauperis Matris ejus. In infirmis similiter infirmitates, quas assumpsit, considera.

Cumque in pauperibus cunctis, et ipse christianissimus pauper effigiem Christi prospiceret, si qua etiam necessaria vitæ sibi collata fuissent, eis occurrentibus, non solum liberaliter conferebat, verum etiam, ac si illorum propria essent, judicabat esse reddenda.

Accidit semel, ut eidem redeunti de Senis, pauper quidam occurreret, cum occasione infirmitatis super habitum palliolo quodam esset amictus. Cujus miseria oculo clementi conspecta : Oportet, inquit ad socium, ut reddamus mantellum pauperculo isti, nam ipsius est. Mutuo enim ipsum accepimus, donec pauperiorem invenire contingeret. Socius autem pii patris necessitatem considerans, pertinaciter obsistebat, ne provideret alii, se neglecto. At ille : Pro furto, ait, mihi reputo e magno eleemosynario imputandum, si hoc, quod fero, non dedero magis egenti. Propterea de omnibus, quæ sibi dabantur ad necessitatem corporis relevandam, solitus erat a dantibus licentiam petere, ut licite posset, si magis egenus occurreret, erogare. Nulli prorsus rei parcebat, nec mantellis, nec tunicis, nec libris, nec etiam paramentis altaris, quin omnia hæc, dum posset, ut pietatis impleret officium, indigentibus largiretur. Pluries cum oneratis obviaret in via pauperibus, imbecilles humeros illorum oneribus supponebat.

Consideratione quoque primæ originis omnium, abundantiori pietate repletus, creaturas quantumlibet parvas, fratris vel sororis appellabat nominibus, pro eo quod sciebat eas unum secum habere principium. Illas tamen viscerosius amplexabatur et dulcius, quæ Christi mansuetudinem piam similitudine naturali prætendunt, et Scripturæ significatione figurant. Redemit frequenter agnos, qui ducebantur ad mortem, illius memor Agni mitissimi, qui ad occisionem duci voluit pro peccatoribus redimendis. Hospitato quadam vice servo Dei apud monasterium Sancti Verecundi, de episcopatu Eugubii, ovicula quædam agniculum peperit illa nocte. Aderat sus ferocissima, quæ vitæ innocentis non parcens, rapaci eum morsu necavit. Hoc audito pius pater, mira compassione commotus, et Agni sine macula recordatus, lamentabatur pro morte agniculi coram omnibus, dicens : Heu me, frater agnicule, animal innocens, Christum hominibus repræsentans! Maledicta sit impia, quæ te interfecit, nullusque de ea comedat, homo vel bestia. Mirum! Statim infirmari cœpit porca malefica, et tribus diebus corpoream pœnam exsolvens, ultricem tandem pertulit necem. Projecta autem in vallum monasterii, ibique longo tempore jacens, in modum tabulæ desiccata, nulli fuit esca famelico. Advertat igitur humana impietas, quali pœna sit ferienda finaliter, si tam horrenda morte percussa est ferocitas bestialis.

Perpendat et fidelis devotio, quam in servo Dei pietas fuerit admirandæ virtutis, et copiosæ dulcedinis, ut ei applauderet suo modo etiam natura brutorum. Iter enim faciens juxta civitatem Senensem, invenit in pascuis magnum ovium gregem. Quas cum benigne, ut solebat, salutasset, relicto pastu, cucurrerunt omnes ad eum, levantesque capita sua, erectis in eum luminibus intendebant. Tantum quidem ei fecerunt applausum, ut pastores mirarentur, et fratres, cernentes circa ipsum tam ovium agnos, quam ipsos arietes, sic mirabiliter exultantes. Alio quoque tempore apud Sanctam Mariam de Portiuncula quædam viro Dei fuit ovis oblata, quam propter innocentiæ ac simplicitatis amorem, quas ovis natura prætendit, gratanter suscepit. Monebat pius vir oviculam, ut et laudibus divinis intenderet, et ab omni fratrum offensa caveret. Ovis autem, quasi viri Dei pietatem adverteret, informationem ipsius sollicite observabat. Nam audiens fratres in choro cantare, et ipsa ecclesiam ingrediens, sine alicujus informatione flectebat genua, vocem balatus emittens ante altare Virginis Matris Agni, ac si eam salutare gestiret. Insuper et cum elevaretur sacratissimum Christi corpus inter missarum solemnia, flexis curvabatur poplitibus, tanquam si reverens pecus de irreverentia indevotos argueret, Christoque devotos ad sacramenti reverentiam invitaret. Tempore quodam agniculum in urbe secum habuerat, ob reverentiam illius mitissimi Agni; quem nobili matronæ dominæ Jacobæ de Septem Soliis in suo recessu conservandum commisit. Agnus vero, quasi in spiritualibus eruditus a

sancto, dominæ ad ecclesiam eunti, stanti, et revertenti societate inseparabili cohærebat. Si matutinali hora domina tardabat exurgere, agnus consurgens impellebat eam corniculis, et balatibus excitabat, gestibus adhortans et nutibus, ut ad ecclesiam properaret. Propter quod agnus, Francisci discipulus, devotionis jam magister effectus, ut mirabilis et amabilis a domina servabatur.

Alio quoque tempore apud Græcium vivus viro Dei oblatus fuit lepusculus, qui liber in terra positus, cum posset, quo vellet, effugere, vocante se benigno patre, in sinum illius propero cursu saltavit. Quem ipse pio cordis affectu circumfovens, videbatur eidem compati quasi mater, dulcique allocutione commonitum, ne se iterum capi permitteret, liberum abire permisit. Cumque pluries in terra positus, ut abscederet, semper in sinum patris rediret, tanquam si sensu quodam occulto cordis ipsius perciperet pietatem, tandem jussu patris a fratribus delatus est ad loca solitudinis tutiora. Modo quoque consimili, in insula lacus Perusii cuniculus quidam captus, et viro Dei oblatus, cum cæteros fugeret, manibus ejus et sinui se domestica securitate commisit.

Per lacum Reatinum eidem ad eremum de Grecio properanti, piscator unam ex devotione fluvialem obtulit avem, quam cum libenter susceptam apertis invitaret manibus ad recessum, nec illa vellet, abire, erectis in cœlum oculis, diu in oratione permansit, et quasi aliunde post longam horam ad se reversus, dulciter iterato mandavit aviculæ, ut Dominum laudatura recederet. Suscepta itaque cum benedictione licentia, gestu corporis quoddam prætendens gaudium, advolavit. In eodem lacu similiter oblatus fuit ei piscis magnus, et vivus, quem more solito fraterno nomine vocans, in aquam reposuit juxta navem. Piscis vero coram viro Dei ludebat in aqua, et quasi amore illius allectus, nullatenus recessit a navi, nisi prius ab eodem cum benedictione licentia sibi data.

Alio quoque tempore ambulans cum quodam fratre per paludes Venetiarum, invenit maximam avium multitudinem, residentium et cantantium in virgultis. Quibus visis, dixit ad socium: Sorores aves laudant Creatorem suum, nos itaque in medium ipsarum euntes laudes et horas canonicas Domino decantemus. Cumque in medium ipsarum intrassent, non sunt aves motæ de loco. Et quia propter garritum ipsarum, in dicendis horis se mutuo audire non poterant, conversus vir sanctus, dixit ad illas : Sorores aves a cantu cessate, donec laudes Deo debitas persolvamus. At illæ continuo tacuerunt, tamdiu in silentio persistentes, quamdiu dictis horis spatiose et, laudibus persolutis, a sancto Dei cantandi licentiam receperunt. Dante autem eis viro Dei licentiam, statim more solito cantum suum resumpserunt.

Apud Sanctam Mariam de Portiuncula juxta cellam viri Dei super ficum cicada residens et decantans, cum servum Domini, qui etiam in parvis rebus magnificentiam Creatoris admirari didicerat, ad divinas laudes cantu suo frequentius excitaret, ab eodem quadam die vocata, velut edocta cælitus, super manum ipsius volavit. Cui cum dixisset : Canta soror mea cicada, et Dominum Creatorem tuo jubilo lauda. Sine mora obediens canere cœpit, nec destitit, donec jussu patris ad locum proprium revolavit. Mansit autem per octo dies ibidem, quolibet die veniendo, cantando et recedendo, ejus jussa perficiens. Tandem vir Dei ait ad socios : Demus jam sorori nostræ cicadæ licentiam; satis enim nos suo cantu lætificans ac laudes Dei octo dierum spatio excitavit. Et statim ab eo licentiata recessit, nec ultra ibidem apparuit, ac si mandatum ipsius non auderet aliquatenus præterire.

Eidem Senis infirmo phasianus quidam, de novo captus, a nobili quodam transmissus est vivus. Qui continuo ut virum sanctum audivit, et vidit, tanto ei amicabilitate cohæsit, ut nullo modo pateretur ab ipso sejungi. Nam pluribus vicibus extra locellum fratrum in vinea positus, ut abiret si vellet, rapide semper cursu redibat ad patrem, tanquam si ab eodem omni fuisset tempore educatus. Deinde cuidam collatus viro, qui ex devotione servum Dei visitare solebat, velut sibi molestum foret a pii patris absentari conspectu, escam recusavit omnino. Reportatus tandem ad famulum Dei, statim ut conspexit eumdem, quibusdam hilaritatis prætensis gestibus, avide manducavit.

Cum ad eremum pervenisset Alvernæ propter Quadragesimam celebrandam in honorem archangeli Michaelis, diversi ge-

neris aves circa ipsius cellulam volitantes, concentu sonoro et lætitiæ gestibus, quasi de ejus adventu gaudentes, patrem pium invitare ac allicere videbantur ad moram. Quo viso, dixit ad socium : Cerno, frater, voluntatis esse divinæ, quod hic aliquamdiu commoremur, tantum sorores aviculæ de nostra videntur præsentia consolari. Cum igitur contraheret ibi moram, falco ibidem nidificans magno se illi amicitiæ fœdere copulavit. Nam semper horam nocturno tempore, in qua vir Dei sanctus ad divina officia surgere solitus erat, cantu suo præveniebat et sono. Quod famulo Dei gratissimum erat, eo quod tanta sollicitudo, quam circa eum gerebat, omnem ab ipso torporem desidiæ excuteret. Cum vero servus Christi infirmitate plus solito gravaretur, parcebat falco, nec tam tempestivas indicebat vigilias. Si quidem velut instructus a Deo, circa diluculum suæ vocis campanam levi tactu pulsabat. Divinum certe videtur fuisse præsagium, tam in exultatione multimodi generis avium, quam in cantu falconis, cum Dei laudator et cultor pennis contemplationis subvectus, tunc foret illic apparitione seraphica sublimandus.

Moram eo faciente tempore quodam in eremitorio Græcii, loci illius indigenæ malis multiplicibus vexabantur. Nam et luporum rapacium multitudo, non solum bruta, sed et homines consumebat, et grando annua tempestate blada et vineas devastabat. Dum igitur sic afflictis præco sacri Evangelii prædicaret, dixit ad eos : Ad honorem et laudem Dei omnipotentis, fidejubeo vobis quod pestilentia hæc omnis abscedat ; et respiciens vos Dominus multiplicabit in temporalibus bonis, si mihi credentes misereamini vestri, ut vera confessione præmissa dignos faciatis pœnitentiæ fructus. Iterum hoc annuntio vobis, quod si beneficiis ingrati ad vomitum conversi fueritis, innovabitur plaga, duplicabitur pœna, et majori in vos ira desæviet. Ab illa utique hora pœnitentiam ad exhortationem ipsius agentibus illis, cessaverunt clades, periere pericula, nec molestiæ quidquam lupi intulere vel grandines. Imo, quod majus est, si quando vicinorum arva grando pervaderet, istorum terminis appropinquans, terminabatur ibidem, aut in partem aliam divertebat. Cessavit grando, servaverunt et lupi pactionem servi Dei, nec contra pietatis legem in homines ad pietatem conversos attentaverunt amplius desævire, quamdiu juxta condictum contra piissimas Dei leges impie non egerunt. Pie igitur sentiendum est de pietate viri beati, quæ tam miræ dulcedinis et virtutis fuit, ut domaret ferocia, domesticaret silvestria, mansueta doceret, et brutorum naturam, homini jam lapso rebellem, ad sui obedientiam inclinaret. Vere hæc est, quæ omnes creaturas sibi confœderans, valet ad omnia, *promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ* (I Tim., IV, 8).

CAPUT IX.

De fervore caritatis, et desiderio martyrii.

Caritatem ferventem, qua Sponsi amicus Franciscus ardebat, quis enarrare sufficiat? Totus namque quasi quidam carbo ignitus divini amoris flamma videbatur absorptus. Subito enim ad auditum amoris Domini excitabatur, inflammabatur, afficiebatur, quasi plectro vocis extrinsecæ chorda cordis interior tangeretur. Talem pro eleemosynis censum offerre, nobilem prodigalitatem dicebat, et eos, qui minus ipsum quam denarios reputarent, esse stultissimos, pro eo quod solius divini amoris impretiabile pretium ad regnum cœlorum sufficiat comparandum, et ejus, qui nos multum amavit, multum sit amor amandus. Ut autem ex omnibus excitaretur ad amorem divinum, exultabat in cunctis operibus manuum Domini, et per jucunditatis specula in vivificam consurgebat rationem et causam. Contuebatur in pulchris pulcherrimum, et per impressa rebus vestigia, prosequebatur ubique dilectum, de omnibus sibi scalam faciens, per quam conscenderet ad apprehendendum eum, qui est totus desiderabilis. Inauditæ namque devotionis affectu, fontalem illam bonitatem in creaturis singulis, tanquam in rivulis degustabat, et quasi cœlestem concentum perciperet in consonantia virtutum, et actuum eis datorum a Deo, ipsas ad laudem Domini more prophetæ David dulciter hortabatur.

Christus Jesus crucifixus intra mentis suæ ubera, ut myrrhæ fasciculus, jugiter morabatur, in quem optabat per excessivi amoris incendium totaliter transformari. Prærogativa quoque peculiaris devotionis

ad ipsum, ab Epiphaniæ festo usque ad continuos quadraginta dies, eo scilicet tempore, quo Christus latuit in deserto, ad solitudinis loca declinans, cellaque reclusus, quanta poterat arctitudine cibi et potus, jejuniis, et orationibus, et laudibus Dei sine intermissione vacabat. Tam fervido quidem in Christum ferebatur affectu; sed et dilectus illi tam familiarem rependebat amorem, ut videretur ipsi famulo Dei, quasi jugem præ oculis ipsius Salvatoris sentire præsentiam, sicut aliquando sociis familiariter revelavit.

Flagrabat erga sacramentum Dominici corporis fervore omnium medullarum, stupore admirans permaximo illam carissimam dignationem, et dignissimam caritatem. Sæpe communicabat, et tam devote, ut alios devotos efficeret, dum ad immaculati Agni degustationem suavem, quasi spiritu ebrius, in mentis ut plurimum rapiebatur excessum. Matrem Domini nostri Jesu Christi indicibili complectebatur amore, eo quod Dominum majestatis fratrem nobis effecerit, et per eam simus misericordiam consecuti. In ipsa post Christum præcipue fidens, eam sui ac suorum advocatam constituit, et ad honorem ipsius a festo Apostolorum Petri et Pauli usque ad festum Assumptionis devotissime jejunabat. Angelicis spiritibus, ardentibus igne mirifico, ad excedendum in Deum, et electorum animas inflammandas, inseparabilis erat amoris vinculo copulatus, et ob devotionem ipsorum ab Assumptione Virginis gloriosæ quadraginta diebus jejunans, orationi jugiter insistebat. Beato autem Michaeli archangelo, eo quod animarum repræsentandarum haberet officium, speciali erat amore devotior, propter fervidum quem habebat zelum ad salutem omnium salvandorum. Ex recordatione sanctorum omnium, tanquam lapidum ignitorum, in deificum recalescebat incendium, Apostolos omnes, et præcipue Petrum et Paulum, propter fervidam caritatem, quam habuerunt ad Christum, summa devotione complexans. Ob quorum reverentiam et amorem Quadragesimæ specialis jejunium Domino dedicabat.

Non habebat aliud Christi pauper, nisi duo minuta, corpus scilicet et animam, quod posset liberali caritate largiri. Sed hæc per amorem Christi sic offerebat continue, ut quasi omni tempore per rigorem jejunii corpus, et per ardorem desiderii spiritum immolaret, exterius in atrio sacrificans holocaustum, et in templo interius concremans thymiama. Sic autem eum caritatis excessiva devotio sursum in divina ferebat, ut ejusdem affectuosa benignitas ad naturæ consortes et gratiæ dilataret. Quem enim creaturis cæteris germanum pietas cordis effecerat, mirum non est, si Creatoris insignitis imagine, et sanguine redemptis auctoris, germaniorem Christi caritas faciebat. Non se Christi reputabat amicum, nisi animas foveret, quas ille redemit. Saluti animarum nihil præferendum esse dicebat, eo maxime probans, quod Unigenitus Dei pro animabus dignatus fuerit in cruce pendere. Hinc sibi in oratione luctamen, in prædicatione discursus, et in exemplis dandis excessus.

Unde quotiens austeritas nimia reprehenderetur in ipso, respondebat se datum aliis in exemplum. Licet enim innocens ejus caro quæ jam se sponte subdebat spiritui, nullo egeret flagello propter offensas, tamen exempli causa renovabat illi pœnas et onera, custodiens propter alios vias duras. Dicebat enim : *Si linguis hominum loquar, et angelorum caritatem autem* in me ipso *non habeam* (I Cor., XIII, 1), et proximis virtutum exemplar non monstrem, parum prorsum aliis, mihi nihil.

Ferventi quoque caritatis incendio gloriosum sanctorum martyrum æmulabatur triumphum, in quibus nec amoris flamma extingui, nec fortitudo potuit infirmari. Desiderabat propterea, et ipse illa perfecta caritate succensus, quæ foras mittit timorem, per martyrii flammam hostiam Domino se offerre viventem, ut et vicem Christo pro nobis morienti rependeret, et ad divinum amorem cæteros provocaret. Sexto namque conversionis suæ anno, desiderio martyrii flagrans, ad prædicandam fidem Christianam et pœnitentiam Sarracenis et aliis infidelibus, ad partes Syriæ transfretare disposuit. Cumque navem quamdam, ut illuc tenderet, conscendisset, ventis contrariis flantibus, compulsus est in Sclavoniæ partibus applicare. Cum igitur moram aliquamdiu contraxisset ibidem, nec invenire posset navem tunc temporis transfretantem, fraudatum a suo desiderio se sentiens, nautas quosdam Anconam tendentes, ut amore Dei eum secum ducerent, exoravit.

Verum illis propter expensarum defectum pertinaciter recusantibus, vir Dei plurimum de Domini bonitate confisus, navem cum socio latenter conscendit. Affuit quidam a Deo, ut creditur, pro paupere suo missus, qui secum ferens necessaria victus, quemdam timentem Deum de navi ad se vocatum sic allocutus est : Hæc pro pauperibus fratribus in navi latitantibus conserva fideliter, ac necessitatis tempore amicabiliter subministra. Sicque factum est, ut nautis propter vim ventorum per dies plurimos nusquam applicare valentibus, omnia consumerentur ipsorum cibaria, et sola pauperi Francisco collata desuper eleemosyna superesset. Quæ cum esset modica, tantum divina virtute suscepit augmentum, ut diebus pluribus in mari propter tempestatem continuam contrahentibus moram, usque ad portum Anchonæ omnium necessitatibus plenarie subveniret. Videntes itaque nautæ per servum Dei multa se mortis evasisse discrimina, tanquam qui maris horrenda pericula senserant, et miranda opera Domini viderant in profundo, gratias egerunt omnipotenti Deo, qui semper in suis amicis et servis mirabilem et amabilem se ostendit. Cum autem, relicto mari, terram perambulare cœpisset, jactato in eam salutis semine, reportabat manipulos fructuosos.

Verum quia martyrii fructus adeo cor ejus allexerat, ut pretiosam pro Christo mortem super omnia virtutum merita peroptaret, versus Marrochium iter arripuit, ut Miramolino et genti ejus Christi Evangelium prædicaret, si quo modo ad concupitam palmam valeret attingere. Tanto namque desiderio ferebatur, ut quamvis esset imbecillis corpore, peregrinationis suæ præcurreret comitem, et ad exequendum propositum festinus, et tanquam spiritu ebrius advolaret. Sed cum jam usque in Hispaniam perrexisset divina dispositione, quæ ipsum reservabat ad alia, gravissima ei supervenit infirmitas, qua præpeditus, quod cupiebat, adimplere nequivit. Sentiens igitur vir Dei, quod necessaria adhuc erat proli, quam genuerat, ipsius vita in carne, quamvis mortem sibi lucrum putaret esse, rediit ad pascendum oves suæ sollicitudini commendatas.

Verum caritatis ardore spiritum ipsius ad martyrium perurgente, tertia adhuc vice pro fide Trinitatis effusione sui sanguinis dilatanda, versus infideles proficisci tentavit. Tertio decimo namque conversionis suæ anno ad partes Syriæ pergens, multis se periculis constanter exposuit, ut Soldani Babyloniæ posset adire præsentiam. Inter Christianos enim ac Sarracenos tunc bellum tam implacabile erat, exercituum castris hinc inde in campo cominus ex adverso locatis, ut via mutui transitus sine mortis discrimine non pateret. Exierat namque a Soldano edictum crudele, ut quicumque caput alicujus christiani afferret, byzantium aureum pro mercede reciperet. At intrepidus Christi miles Franciscus, sperans in proximo suum adipisci posse propositum, diffinivit iter arripere, mortis pavore non territus, sed desiderio provocatus. Oratione namque præmissa, confortatus a Domino, confidenter illud propheticum decantabat : *Nam etsi* (Psal. XXII, 4) *ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Assumpto igitur socio fratre, Illuminato nomine, viro utique luminis et virtutis, cum iter cepisset, obvias habuit oviculas duas, quibus visis, exhilaratus vir sanctus dixit ad socium : Confide, frater in Domino, nam in nobis evangelicum illud impletur : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* (Math., X, 16.) Cum autem processissent ulterius, occurrerunt ei satellites Sarraceni, qui tanquam lupi celerius accurrentes ad oves, servos Dei feraliter comprehensos crudeliter et contemptibiliter pertractarunt, afficientes convitiis, affligentes verberibus, et vinculis alligantes. Tandem afflictos multipliciter et attritos ad Soldanum divina disponente providentia, juxta viri desiderium perduxerunt. Cum igitur princeps ille perquireret, a quibus, et ad quid, et qualiter missi essent, et quomodo advenissent, intrepido corde respondit Christi servus Franciscus : Non ab homine, sed a Deo altissimo se fuisse transmissum, ut ei et populo suo viam salutis ostenderet, et annuntiaret Evangelium veritatis. Tanta vero mentis constantia, tanta virtute animi, tantoque fervore spiritus prædicto Soldano prædicavit Deum trinum et unum, et Salvatorem omnium Jesum Christum, ut evangelicum illud in illo claresceret veraciter esse completum : *Ego dabo vobis os, et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii*

vestri. (Lucæ, XXI, 15.) Nam et Soldanus admirandum in viro Dei fervorem spiritus conspiciens et virtutem, libenter ipsum audiebat, et ad moram cum eo contrahendam instantius invitabat. Christi vero servus, superno illustratus oraculo : Si vis, inquit, converti tu cum populo tuo ad Christum, ob illius amorem vobiscum libenter commorabor. Quod si hæsitas propter fidem Christi legem Mahumeti dimittere, jube ignem accendi permaximum, et ego cum sacerdotibus tuis ignem ingrediar, ut vel sic cognoscas, quæ fides certior, et sanctior non immerito tenenda sit. Ad quem Soldanus : Non credo quod aliquis de sacerdotibus meis se vellet igni propter fidem suam defensandam exponere, vel genus aliquod subire tormenti.

Viderat enim statim quemdam de presbyteris suis, virum authenticum, et longævum, hoc audito verbo, de suis conspectibus aufugisse. Ad quem vir sanctus : Si mihi velis promittere pro te et populo tuo, quod ad Christi cultum, si ignem illæsus exiero, veniatis, ignem solus introibo. Et si combustus fuero, imputetur peccatis meis : si autem divina me protexerit virtus, Christum Dei virtutem et sapientiam, verum Deum et Dominum, Salvatorem omnium agnoscatis. Soldanus autem optionem hanc accipere se non audere respondit, quia seditionem populi formidabat. Obtulit tamen ei multa munera pretiosa, quæ vir Dei non mundanarum rerum, sed salutis animarum avidus, sprevit omnia quasi lutum. Soldanus vero videns virum sanctum tam perfectum rerum mundialium contemptorem, admiratione permotus, majorem erga ipsum devotionem concepit. Et quamvis ad fidem christianam transire nollet, vel forsan non auderet, rogavit tamen devote famulum Christi, ut prædicta susciperet, pro salute ipsius christianis pauperibus, vel ecclesiis eroganda. Ipse vero quia pondus fugiebat pecuniæ, et in animo Soldani veræ pietatis non videbat radicem, nullatenus acquievit. Videns etiam se non proficere in conversione gentis illius, nec suum assequi posse propositum, ad partes fidelium divina revelatione præmonitus remeavit. Sic itaque Dei ordinante clementia, et sancti viri promerente virtute, misericorditer et mirabiliter factum est, quod Christi amicus mortem pro ipso viribus totis exquireret, et tamen nullatenus inveniret, ut et merito non careret optati martyrii, et insigniendus servaretur in posterum privilegio singulari. Sic utique factum est, ut ignis ille divinus adhuc perfectius ipsius æstuaret in corde, ut post potentius evaporaret in carne. O vere beatum virum, cujus caro, etsi tyrannico ferro non cæditur, occisi tamen Agni similitudine non privatur ! O (inquam) vere, ac plene beatum, cujus animam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit !

CAPUT X.

De studio et virtute orationis.

Sentiens Christi servus Franciscus corpore se peregrinum a Domino, cum jam ad terrena foris desideria per Christi caritatem totus esset insensibilis factus, ne foret absque consolatione dilecti, sine intermissione orans, spiritum Deo contendebat exhibere præsentem. Erat quidem oratio contemplanti solatium, dum supernarum circuitu mansionum, angelorum concivis jam actus, ferventi desiderio quærebat dilectum, a quo solus eum carnis paries disjungebat. Erat et operanti præsidium, dum in omnibus, quæ agebat, de sua diffidens industria, et de superna pietate confidens, per ipsius instantiam totum in Domino cogitatum jactabat. Orationis gratiam viro religioso desiderandam super omnia firmiter asserebat, nullumque credens sine ipsa in Dei prosperari servitio, modis quibus poterat fratres suos ad ejus studium excitabat. Nam ambulans, et sedens, intus et foris, laborans et vacans, orationi adeo erat intentus, ut illi videretur non solum quidquid erat in eo cordis et corporis, verum etiam operis et temporis dedicasse. Solitus erat nullam visitationem spiritus cum negligentia præterire. Siquidem cum offerebatur, sequebatur eam; et quamdiu Dominus concedebat, dulcedine perfruebatur oblata. Cum autem intentus itineri, divini Spiritus aliquos sentiret afflatus, sociis præcedentibus, gradum figebat, novamque inspirationem ad fruitionem convertens, gratiam non recipiebat in vacuum.

Suspendebatur multoties tanto contemplationis excessu, ut supra semetipsum raptus, et ultra humanum sensum aliquid sentiens, quid ageretur circa se exterius igno-

raret. Transiens namque semel per Burgum Sancti Sepulcri, castrum utique populosum, pro debilitate corporis subvectus asello, obvias habuit turbas in eum præ devotione ruentes. Tractus autem, et detentus ab eis, compressus quoque ac multipliciter attrectatus, insensibilis videbatur ad omnia, et velut examine corpus, de his, quæ fiebant circa ipsum, nihil penitus advertebat. Unde cum jam diu transito castro, turbisque relictis, pervenisset ad quoddam domicilium leprosorum, quasi aliunde rediens, cœlestium contemplator sollicite requisivit, quando propinquarent ad Burgum.

Mens quidem ipsius, in cœlestibus fixa splendoribus, varietates non senserat locorum, nec temporum, nec occurrentium personarum. Quod ipsi accidisse frequentius, sociorum ejus experientia multiplex comprobavit. Et quia in oratione perceperat Sancti Spiritus desideratam præsentiam tanto familiarius se offerre precantibus, quanto plus invenit elongatos a strepitu mundanorum, ideo loca solitaria quærens, ad solitudines et ecclesias derelictas oraturus nocte pergebat. Ubi dæmonum pugnas horribiles frequenter sustinuit, qui secum sensibiliter confligentes, nitebantur ipsum ab orationis studio perturbare. Ipse vero armis munitus cœlestibus, quanto vehementius impetebatur ab hostibus, tanto fortior in virtute, et ferventior reddebatur in prece, fidenter dicens ad Christum : *Sub umbra alarum tuarum protege me, a facie impiorum qui me afflixerunt* (Psal., xvi, 8). Ad dæmones autem : Facite quidquid in me valetis, magnili spiritus et fallaces. Non enim potestis, nisi quantum vos manus superna relaxat; et ego ad perferendum omnia, quæ illa infligenda decreverit, cum omni jucunditate paratus assisto. Quam mentis constantiam superbi dæmones non ferentes, abscedebant confusi. Vir autem Dei, solitarius remanens et pacatus, nemora replebat gemitibus, loca spargebat lacrymis, pectora manu tundebat; et quasi occultius secretarium nactus, confabulabatur cum Domino suo. Ibi respondebat judici, ibi supplicabat Patri, ibi colloquebatur amico, ibi quoque a fratribus, ipsum pie observantibus, aliquoties auditus est clamorosis gemitibus apud divinam pro peccatoribus interpellare clementiam, deplorare alta voce, quasi coram se positam, Dominicam passionem. Ibi visus est nocte orans manibus ad modum crucis protensis, toto corpore sublevatus a terra, et nubecula quadam fulgente circumdatus, ut illustrationis mirabilis intra mentem, mira circa corpus perlustratio testis esset. Ibi etiam, sicut certis est comprobatum indiciis, incerta sibi et occulta divinæ sapientiæ pandebantur, quamvis illa non vulgaret exterius, nisi quantum Christi urgebat caritas, et proximorum utilitas exigebat. Dicebat enim : Levi mercede rem impretiabilem contingit amitti, et illum, qui dedit, ad non dandum iterum facile provocari. Quando a privatis redibat orationibus, quibus pene in virum alterum mutabatur, summopere studebat se conformare cæteris, ne forte, quod foris ostenderet, aura favoris intus a mercede evacuaret. Cum in publico subito afficeretur visitatus a Domino, semper aliquid objiciebat astantibus, ne Sponsi familiares attactus forinsecus vulgarentur. Excreationes, gemitus, duros anhelitus, extrinsecos nutus orans inter fratres devitabat omnino, sive quia diligebat secretum, sive quia ad interiora reintrans totus ferebatur in Deum. Sæpe talia familiaribus dixit : Quando servus Dei orans visitatur divinitus, dicere debet : Istam consolationem mihi peccatori et indigno de cœlo misisti, Domine; et ego illam tuæ committo custodiæ, quia thesauri tui me sentio esse latronem. Cum autem ab oratione revertitur, sic debet se pauperculum et peccatorem ostendere, ac si nullam sit novam gratiam consecutus.

Orante viro Dei in loco de Portiuncula, contigit Assisinatem episcopum venire ad eum, ut erat solitus, visitandum. Qui mox ut locum fuit ingressus, ad cellam, in qua Christi servus orabat, plus debito fidenter accessit. Pulsatoque ostiolo, intraturum se ingerens, dum caput immisit, sanctumque orantem conspexit, repentino timore concussus, obrigescentibus membris, etiam loquelam amisit. Subitoque voluntate divina per vim foras propulsus, retrogrado pede procul abductus est. Stupefactus episcopus ad fratres festinavit, ut potuit, Deoque sibi restituente linguam, primo verbo confessus est culpam.

Contigit tempore quodam abbatem monasterii S. Justini de episcopatu Perusii obviare famulo Christi. Quo viso, abbas

devotus celeriter de equo descendit, ut et viro Dei reverentiam faceret, et de salute animæ aliqua cum ipso conferret. Tandem, habita collatione suavi, abbas abscedens, orari pro se humiliter petiit. Cui vir Deo carus respondit : Orabo libenter. Parum itaque discedente abbate, dixit fidelis Franciscus ad socium : Expecta, frater, modicum, quia debitum volo solvere, quod promisi. Orante autem illo, subito abbas insolitum calorem, et dulcedinem hactenus inexpertam sensit in spiritu, ita quod in excessu mentis effectus, totus a seipso in Deum defecit. Parva morula substitit; et in se reversus, virtutem orationis S. Francisci cognovit. Majori proinde circa ordinem semper amore flagravit, multisque factum pro miraculo retulit.

Solebat vir sanctus horas canonicas non minus timorate Deo persolvere, quam devote. Nam licet oculorum, stomachi, splenis, et hepatis ægritudine laboraret, nolebat tamen muro vel parieti inhærere dum psalleret, sed horas semper erectus, et sine caputio, non gyrovagis oculis, nec cum aliqua syncopa persolvebat. Si quando esset in itinere constitutus, figebat tunc temporis gressum, hujusmodi consuetudinem reverentem et sacram propter pluviarum inundantiam non omittens. Dicebat enim : Si quiete comedit corpus cibum suum, futurum cum ipso vermium esca, cum quanta pace et tranquillitate accipere debet anima cibum vitæ ? Graviter etiam se putabat offendere, si quando orationi deditus, vanis phantasmatibus interius vagaretur. Cum aliquid tale accideret, non parcebat confessioni, quin illud protinus expiaret. Hoc studium sic in usum converterat, ut rarissime muscas hujusmodi pateretur. Fecerat in quadragesima quadam vasculum unum, ut minutias temporis, ne omnino exciderent, occuparet. Quod cum dicenti Tertiam in memoriam veniens paululum ipsius animum distraxisset, motus fervore spiritus, vasculum igne consumpsit, dicens : Sacrificabo illud Domino, cujus sacrificium impedivit. Psalmos cum tanta mentis ac spiritus attentione dicebat, quasi Deum præsentem haberet : et cum nomen Domini in eis occurreret, præ suavitatis dulcedine, labia sua lingere videbatur. Ipsum quoque Domini nomen non solum cogitatum, verum etiam prolatum, et scriptum, reverentia volens honorare præcipua, fratribus persuasit aliquando, ut omnes schedulas scriptas, ubicumque repertas, colligerent, mundoque loco reponerent, ne forte sacrum illud nomen contingeret conculcari. Nomen autem Jesu cum exprimeret, vel audiret, jubilo quodam repletus interius, totus videbatur exterius alterari, ac si mellifluus sapor gustum, vel harmonicus sonus ipsius immutasset auditum.

Contigit autem anno tertio ante obitum suum, ut memoriam Nativitatis pueri Jesu ad devotionem excitandam apud castrum Græcii disponeret agere, cum quanta majori solemnitate valeret. Ne vero hoc levitati possit adscribi, a summo Pontifice petita et obtenta licentia, fecit præparari præsepium, apportari fœnum, bovem et asinum ad locum adduci. Advocantur fratres, adveniunt populi, personat sylva voces, et venerabilis illa nox luminibus copiosis et claris, laudibusque sonoris et consonis splendens efficitur et solemnis. Stabat vir Dei coram præsepio pietate repletus, respersus lacrymis, et gaudio superfusus. Celebrantur missarum solemnia super præsepe, levita Christi Francisco sacrum evangelium decantante. Prædicat deinde populo circumstanti de Nativitate Regis pauperis; quem cum nominare vellet, puerum de Bethleem præ amoris teneritudine nuncupabat. Miles autem quidam virtuosus et verax, qui, propter Christi amorem sæculari relicta militia, viro Dei fuit magna familiaritate conjunctus, dominus Joannes de Græcio, se vidisse asseruit puerulum quemdam valde formosum in illo præsepio dormientem, quem B. Franciscus ambobus complexans brachiis, excitare videbatur a somno. Hanc equidem devoti militis visionem non solum videntis sanctitas credibilem facit, sed et designata veritas comprobat, et miracula subsecuta confirmant. Nam exemplum Francisci consideratum a mundo, excitativum est cordium in fide Christi torpentium, et fœnum præsepii reservatum a populo, mirabiliter sanativum fuit brutorum languentium, et aliarum repulsivum pestium diversarum, glorificante Deo per omnia servum suum, sanctæque orationis efficaciam evidentibus miraculorum prodigiis demonstrante.

CAPUT XI.

De intelligentia Scripturarum, et de spiritu prophetiæ.

Ad tantam autem mentis serenitatem indefessum orationis studium, cum continua exercitatione virtutum, virum Dei perduxerat, ut quamvis non habuerit sacrarum litterarum peritiam per doctrinam, æternæ tamen lucis irradiatus fulgoribus, Scripturarum profunda miro intellectus scrutaretur acumine. Penetrabat enim ab omni labe purum ingenium mysteriorum abscondita, et ubi magistralis scientia foris stat, affectus introibat amantis. Legebat quandoque in libris sacris, et quod animo semel injecerat, tenaciter imprimebat memoriæ, quia non frustra mentalis attentionis percipiebat auditu, quod continuæ devotionis ruminabat affectu.

Quærentibus aliquando fratribus, utrum sibi placeret quod litterati, jam recepti ad ordinem, intenderent studio sacræ Scripturæ, respondit : Mihi quidem placet, dum tamen, exemplo Christi, qui magis orasse legitur quam legisse, orationis studium non omittant, nec tamen (1) studeant, ut sciant qualiter debeant loqui, sed ut audita faciant, et cum fecerint, aliis facienda proponant. Volo, inquit, fratres meos discipulos evangelicos esse, sicque in notitia veritatis proficere, quod in simplicitatis puritate concrescant, ut simplicitatem columbinam a prudentia serpentina non separent, quas magister eximius ore suo benedicto conjunxit.

Interrogatus Senis a quodam religioso viro, theologiæ sacræ doctore, de quibusdam quæstionibus difficilibus intellectu, tanta claritate doctrinæ divinæ sapientiæ patefaciebat arcana, ut vehementer stuperet vir ille peritus, et cum admiratione referret : Vere, inquit, theologia istius sancti patris, puritate ac contemplatione tanquam alis in altum subvecta, est aquila volans ; nostra vero scientia ventre graditur super terram. Licet enim esset imperitus sermone, scientia tamen plenus enodabat dubia quæstionum, et abscondita producebat in lucem. Nec absonum, si vir sanctus Scripturarum a Deo intellectum acceperat, cum per imitationem Christi perfectam veritatem ipsarum descriptam gestaret in opere, et per Sancti Spiritus unctionem plenariam, doctorem earum apud se haberet in corde.

Adeo etiam in ipso claruit spiritus prophetiæ, ut prævideret futura, et cordium contueretur occulta, absentia quoque velut præsentia cerneret, et se præsentem absentibus mirabiliter exhiberet. Tempore namque quo Damiatam christianorum obsidebat exercitus, aderat vir Dei, non armis, sed fide munitus. Cum igitur die belli christiani pararentur ad pugnam, hoc audito, Christi servus vehementer ingemuit, dixitque socio suo : Si belli fuerit attentatus ingressus, ostendit mihi Dominus non prospere cedere christianis. Verum si hoc dixero, fatuus reputabor : si tacuero, conscientiam non evadam. Quid igitur tibi videtur? Respondit ejus socius, dicens : Frater, pro minimo tibi sit, ut ab hominibus judiceris, quia non modo incipis fatuus reputari. Exonera conscientiam tuam, et Deum magis time, quam homines. Quo audito, exiliens Christi præco salutaribus monitis christianos aggreditur, prohibet bellum, denuntiat casum : fit veritas in fabulam ; induraverunt cor suum, et noluerunt reverti. Itur, committitur, bellatur, totaque in fugam vertitur militia christiana, finem belli opprobrium regerens, non triumphum. Tanta vero strage christianorum imminutus est numerus, ut circa sex millia fuerint inter mortuos et captivos. In quo evidenter innotuit, quod spernenda non erat sapientia pauperis, cum *anima viri justi plus annuntiet aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.* (Eccli., XXXVII, 18.)

Alio quoque tempore cum post reversionem ipsius de ultra mare, Celanum prædicaturus accederet, miles quidam supplici eum devotione cum instantia magna invitavit ad prandium. Venit itaque ad militis domum, omnisque familia pauperum hospitum exultavit in ingressu. Ante vero quam cibum sumerent juxta solitum morem, vir mente devotus, offerens Deo preces et laudes, oculis stabat elevatis in cœlum. Oratione completa, benignum hospitem, familiariter advocatum in partem, sic allocutus est : Ecce, frater hospes, tuis victus precibus, ut manducarem, domum tuam in-

(1) *Lege :* tantum.

travi. Meis nunc cito monitis acquiesce, quoniam non hic, sed alibi manducabis. Confitere nunc peccata tua, veræ pœnitentiæ dolore contritus, nec in te remaneat quidquam quod veridica confessione non pandas. Reddet tibi Dominus hodie vicem, quoniam tanta devotione suos pauperes suscepisti. Acquievit continuo vir ille sermonibus sancti; socioque ipsius universa peccata in confessione detegens, disposuit domum suam, et ad mortem suscipiendam se, quantum valuit, præparavit. Intraverunt tandem mensam, et incipientibus aliis manducare, hospes subito spiritum exhalavit, juxta verbum hominis Dei repentina morte sublatus. Sicque factum est, hospitalitatis gratia promerente, ut, juxta verbum veritatis, prophetam recipiens mercedem prophetæ acciperet, dum per sancti viri pronuntiationem propheticam miles ille devotus sibi contra mortis subitationem providit, quatenus, armis pœnitentiæ præmunitus, perpetuam damnationem evaderet, et in æterna tabernacula introiret.

Tempore quo vir sanctus Reate jacebat infirmus, præbendarius quidam nomine Gedeon, lubricus et mundanus, infirmitate gravi correptus, lectulo decubans, cum ad eum fuisset delatus, lacrymose rogabat cum simul astantibus, ut ab ipso crucis signaculo signaretur. Ad quem ille : Cum vixeris olim secundum desideria carnis, non veritus judicia Dei, quomodo te cruce signabo? Verum propter devotas intercedentium preces, signo te crucis signabo, in nomine Domini. Tu tamen scito te graviora passurum, si ad vomitum redieris liberatus. Propter enim peccatum ingratitudinis, semper pejora prioribus inferuntur. Signo itaque crucis super eum facto, statim, qui contractus jacuerat, surrexit sanus; et in laudem Dei prorumpens : Ego, inquit, sum liberatus. Insonuerunt autem ossa renum ejus, audientibus cunctis, veluti cum manu ligna sicca franguntur. Paucis autem interlapsis temporibus, Dei oblitus, corpus impudicitiæ reddidit. Cumque sero quodam cœnasset in domo cujusdam canonici, nocteque illa dormiret ibidem, subito super omnes corruit tectum domus. Cæteris autem evadentibus mortem, solus ille miser interceptus atque interemptus est. Justo igitur Dei judicio facta sunt novissima hominis illius pejora prioribus propter ingratitudinis vitium, Deique contemptum : cum de accepta venia gratum esse oporteat, ut duplo displiceat flagitium iteratum.

Alio quoque tempore, mulier quædam nobilis, Deo devota, venit ad sanctum, ut suum ei explicaret dolorem, ac remedium postularet. Habebat quidem virum valde crudelem, quem adversarium patiebatur in servitio Christi; et ideo petebat a sancto, quatenus oraret pro illo, ut sua Deus cor ipsius dignaretur emollire clementia. Ipse vero, hoc audiens, ait illi : Vade cum pace, indubitanter expectans de viro tuo consolationem tibi de proximo affuturam. Et adjecit : Dices ei ex parte Dei et mea, quod nunc est tempus clementiæ, postmodum æquitatis. Benedictione accepta, revertitur mulier, invenit virum, denuntiat verbum. Cecidit super eum Spiritus Sanctus, et novum factum de veteri, sic facit cum mansuetudine respondere : Domina, serviamus Domino, et salvemus animas nostras. Suadente igitur sancta uxore, pluribus annis cœlibem vitam agentes, eodem die ambo ad Dominum migraverunt.

Miranda certe in viro Dei spiritus prophetici virtus, qua et membris jam arentibus restituebat vigorem et duris imprimebat cordibus pietatem : quanquam non minus ejusdem spiritus sit stupenda limpiditas, qua sic futurorum præcognoscebat eventum, ut etiam conscientiarum scrutaretur arcanum, quasi alter Elisæus duplicem Eliæ spiritum assecutus (1). Nam cum Senis viro cuidam sibi familiari quædam superventura finaliter prædixisset, et vir ille peritus (de quo supra mentio facta est, quod de Scripturis cum eo conferebat aliquando) his auditis, ab eodem sancto patre dubitando perquireret, an hæc ipse dixisset, quæ illius viri relatione cognoverat : non solum se illa dixisse asseruit, verum etiam quærenti alienum eventum, proprium exitum prophetando prædixit. Quod ut certius cordi ejus imprimeret, quemdam secretum conscientiæ illius scrupulum, quem nulli viventi vir præfatus expresserat, mirabiliter revelando explicuit, et salubriter consulendo reseravit. Ad quorum omnium firmitatem accedit, quod vir ille religiosus, sicut Christi famulus ei prædixit, sic finaliter consummavit.

(1) IV Reg., II.

Eo quoque tempore, quo revertebatur de ultra mare, socium habens fratrem Leonardum de Assisio, contigit eum fatigatum, et lassum parumper asellum conscendere. Subsequens autem socius, et ipse non modicum fessus, cœpit dicere intra se, humanum aliquid passus: Non de pari ludebant parentes ejus, et mei. En ipse equitat, et ego pedester asinum ejus duco. Hoc illo cogitante, protinus descendit de asino vir sanctus et ait: Non, frater, convenit ut ego equitem, tu venias pedes, quia nobilior et potentior in sæculo tu me fuisti. Obstupuit illico frater et rubore suffusus, deprehensum se recognoscens, procidit ad pedes ipsius, et lacrymis irrigatus, nudum exposuit cogitatum, veniamque poposcit.

Frater quidam Deo devotus, et famulo Christi, frequenti cogitatione versabat in pectore, superna fore gratia dignum, quem vir sanctus familiari complecteretur affectu; quem vero tanquam extraneum reputaret, extra numerum electorum reputandum a Deo. Cum igitur cogitationis hujusmodi crebrius vexatus impulsu, viri Dei familiaritatem vehementer optaret, nec tamen cordis sui secretum revelaret alicui; advocans eum ad se, dulciter pater pius sic allocutus est: Nulla te turbet cogitatio, fili: quoniam te carissimum habens inter præcipue mihi caros, libenter tibi munus meæ familiaritatis et dilectionis impendo. Miratus exinde frater, factusque devotior ex devoto, non solum in amorem crevit hominis sancti, verum etiam, per Spiritus Sancti gratiæ munus, donis est majoribus cumulatus.

Cum etiam in monte maneret Alvernæ cella reclusus, unus e sociis magno desiderio cupiebat habere de verbis Domini aliquod scriptum, manu ipsius breviter annotatum. Gravem enim, qua vexabatur, tentationem non carnis, sed spiritus, ex hoc credebat evadere, vel certe levius ferre. Tali desiderio languens anxiabatur interius, quia verecundia victus reverendo patri rem pandere non audebat. Sed cui homo non dixit, Spiritus revelavit. Portari namque sibi jussit a fratre prædicto atramentum et chartam, laudesque Domini juxta fratris desiderium propria manu scripsit, et ultimo benedictionem ipsius, dicens : Accipe tibi chartulam istam, et usque ad diem mortis tuæ custodias diligenter. Accepit frater donum illud optatum, et statim omnis illa tentatio effugatur. Servatur littera, et cum in posterum miranda effecerit, virtutum Francisci testimonium fuit.

Frater quidam erat, quantum a foris videbatur, sanctitate præclarus, conversatione insignis, tamen admodum singularis. Omni tempore orationi vacans, tanta districtione silentium observabat, quod consueverat non verbis, sed nutibus confiteri. Accidit autem sanctum patrem venire ad locum videre fratrem, et de ipso cum aliis fratribus habere sermonem. Commendantibus autem omnibus, et magnificantibus illum, respondit vir Dei : Sinite, fratres, ne mihi in eo diabolica figmenta laudetis. In veritate sciatis, quod diabolica tentatio est, et deceptio fraudulenta. Dure acceperunt hoc fratres, tanquam impossibile judicantes, quod tot perfectionis indiciis fraudis se commenta fuscarent. Verum non post multos dies eo religionem egresso, evidenter apparuit quanta luculentia interioris contuitus vir Dei cordis ejus secreta perspexit. Multorum quoque per hunc modum, qui stare videbantur, ruinam, sed et plurium perversorum conversionem ad Christum immobili veritate prænuntians, appropinquasse videbatur ad æternæ lucis speculum contemplandum, cujus fulgore mirabili absentia corporaliter, tanquam si essent præsentia, mentis ejus cernebat obtutus. Quodam namque tempore vicarius suus tenebat capitulum ; ipse vero in cella orans, sequester erat et medius inter fratres et Deum. Cum igitur unus ex ipsis defensionis quodam contectus palliolo non se subderet disciplinæ, videns hoc vir sanctus in spiritu, vocavit quemdam de fratribus, et dixit ad eum : Vidi, frater, diabolum super illius fratris inobedientis dorsum, collum ejus tenentem astrictum : qui tali sessore subactus, obedientiæ fræno spreto, instinctus ejus sequebatur habenas. Et cum rogarem Deum pro fratre, subito dæmon confusus abscessit. Vade igitur, et dic fratri, ut obedientiæ sanctæ jugo collum sine mora submittat. Monitus per internuntium frater, statimque conversus ad Deum, ad pedes vicarii humiliter se projecit.

Alio quoque tempore contigit duos fratres ad eremitorium Græcii de remotis venire, ut virum Dei cernerent, et benedictionem multo desideratam jam tempore reporta-

rent. Venientes autem, et non invenientes, quia de publico jam ad cellam redierat, desolati abibant. Et ecce recedentibus illis, cum de ipsorum adventu vel recessu nihil secundum humanum sensum percipere potuisset, præter solitum morem egressus e cella clamavit post eos, et juxta quod optaverant, signo crucis facto, in Christi nomine benedixit.

Duo fratres venerunt aliquando de Terra Laboris, quorum antiquior nonnulla intulit scandala juniori. Cum autem pervenissent ad patrem, quæsivit ille a juniori qualiter erga ipsum se frater socius habuisset in via. Quo respondente : Utique satis bene; subjunxit: Cave, frater, ne sub humilitatis specie mentiaris, scio enim, scio; sed expecta modicum, et videbis. Miratus est perplurimum frater, quomodo tam absentia per spiritum cognovisset. Igitur non post multos dies, contempta religione, foras egreditur qui scandalum fecerat fratri, et a patre non petierat veniam, nec correctionis debitam receperat disciplinam; simulque duo in una illius claruere ruina : æquitas scilicet divinæ justitiæ, et perspicacitas spiritus prophetiæ.

Qualiter autem absentibus se præsentem exhibuit divina faciente virtute, evidenter ex superioribus innotescit, si revocetur ad mentem, qualiter absens in curru igneo fratribus transfiguratus apparuit, et quomodo se Arelatensi capitulo in crucis effigie præsentavit.

Quod factum esse divina dispositione credendum est, ut ex præsentiæ corporalis apparitione mirabili patenter claresceret, quam præsens et pervius spiritus ejus luci sapientiæ foret æternæ, quæ omnibus mobilibus mobilior est : et ubique attingens propter sui munditiam per nationes in animas sanctas se transfert, et Dei amicos et prophetas constituit (Sapient., VII). Simplicibus et parvis sua solet pandere mysteria Doctor excelsus, sicut prius apparuit in David prophetarum eximio, et post in Apostolorum principe Petro, et tandem in pauperculo Christi Francisco. Hi enim cum essent litterarum imperitia simplices, facti sunt Sancti Spiritus eruditione illustres. Is quidem pastor, ut gregem pasceret Synagogæ de Ægypto eductum : ille piscator, ut sagenam repleret Ecclesiæ multiformitate credentium : hic autem negotiator, ut margaritam emeret evangelicæ vitæ, venditis et dispersis omnibus propter Christum.

CAPUT XII.

De efficacia prædicandi, et gratia sanitatum.

Fidelis revera famulus et minister Christi Franciscus, ut cuncta fideliter et perfecte perageret, illis potissime virtutum exercitiis intendebat, quæ, sacro dictante Spiritu, Deo suo magis placere cognoverat. Qua de re contigit illum in magnam dubitationis cujusdam agoniam incidere, quam multis diebus, ab oratione rediens, terminandam fratribus sibi familiaribus proponebat. Quid, inquit, fratres, consulitis, quid laudatis? An quod orationi vacem, an quod prædicando discurram? Si quidem ego parvulus, simplex et imperitus sermone, majorem orandi accepi gratiam, quam loquendi.

Videtur etiam in oratione lucrum, et cumulatio gratiarum; in prædicatione, distributio quædam donorum cœlitus acceptorum. In oratione etiam purificatio interiorum affectuum, et unitio ad unum verum et summum bonum, cum vigoratione virtutis ; in prædicatione, spiritualium pulverizatio pedum, distractio circa multa, et relaxatio disciplinæ. Tandem in oratione Deum alloquimur et audimus, et quasi angelicam vitam agentes, inter angelos conversamur; in prædicatione multa oportet condescensione uti ad homines, et humane inter eos vivendo, humana cogitare, videre, dicere et audire. Sed unum est in contrarium, quod videtur præponderare his omnibus ante Deum, quod videlicet unigenitus Dei Filius, qui est sapientia summa, propter animarum salutem de sinu Patris descendit, ut suo mundum informans exemplo, verbum salutis hominibus loqueretur, quos sacri sanguinis, et pretio redimeret, et emundaret lavacro, et poculo sustentaret, nihil sibi omnino reservans, quod non in salutem nostram liberaliter erogaret. Et quia debemus omnia facere secundum exemplar eorum, quæ videmus in ipso tanquam in monte sublimi, videtur magis Deo placitum, quod, intermissa quiete, foras egrediar ad laborem. Cumque per mul-

tos dies verba hujusmodi ruminaret cum fratribus, certitudinaliter nequibat percipere, quid horum sibi foret, ut Christo vere acceptius, eligendum.

Cum enim miranda nosset per spiritum prophetiæ, hanc per seipsum quæstionem dissolvere non valebat ad liquidum, Deo melius providente, ut prædicationis meritum per supernum manifestaretur oraculum, et servi Christi humilitas servaretur. Non erubescebat a minoribus parva quærere verus Minor, qui magna didicerat a Magistro supremo. Studio namque præcipuo solitus erat exquirere, quali via qualique modo posset secundum ipsius beneplacitum perfectius deservire. Hæc summa ejus philosophia, hoc summum ejus desiderium extitit, quoad vixit, ut quæreret a sapientibus et simplicibus, perfectis et imperfectis, parvulis et grandævis, qualiter ad perfectionis culmen virtuosius pervenire valeret. Assumens itaque duos ex fratribus, misit ad fratrem Silvestrum, qui crucem egredientem viderat de ore ipsius, et tunc in montem supra Assisium jugiter orationi vacabat, ut divinum super dubitatione hujusmodi responsum perquireret, quod sibi ex parte Domini demandaret. Hoc ipsum demandavit sacræ virgini Claræ, ut per aliquam puriorem et simpliciorem de virginibus, sub ipsius disciplina degentibus, et ipsa cum sororibus aliis orans, super hoc exquireret Domini voluntatem. Concordaverunt autem mirabiliter in idipsum, superno eis revelante Spiritu, venerabilis sacerdos, et virgo Deo dicata, beneplaciti scilicet esse divini, quod Christi præco ad prædicandum exiret.

Revelantibus itaque fratribus, et Dei, juxta quod acceperant, indicantibus voluntatem, exurgens continuo succinxit se, et nulla prorsus contracta mora, iter aggressus est. Ibat autem cum tanto fervore, ut divinum exequeretur imperium, tamque celeriter percurrebat, ac si, facta manu Dei super eum, novam induisset e cœlo virtutem.

Cum igitur appropinquaret Bevanium, ad quemdam locum devenit, in quo diversi generis avium maxima multitudo convenerat. Quas cum sanctus Dei vidisset, alacriter cucurrit ad locum, et eas, velut rationis participes, salutavit. Omnibus vero expectantibus, et convertentibus se ad eum, ita ut quæ in arbustis erant, inclinatis capitibus, cum appropinquaret ad eas, insolito modo in ipsum intenderent, usque ad eas accessit, et omnes, ut verbum Domini audirent, sollicite admonuit dicens : Fratres mei volucres, multum debetis laudare Creatorem vestrum, qui plumis vos induit, et pennas tribuit ad volandum, puritatem concessit aeris, et sine vestra sollicitudine vos gubernat. Cum autem eis hæc, et his similia loqueretur, aviculæ modo mirabili gestientes, cœperunt extendere colla, protendere alas, aperire rostra, et in illum attente respicere. Ipse vero cum spiritus fervore mirando per medium ipsarum transiens, tunica contingebat easdem, nec tamen de loco aliqua mota est, donec signo crucis facto, et licentia data cum benedictione viri Dei, omnes simul advolarunt. Hæc omnia contuebantur socii, expectantes in via.

Ad quos reversus vir simplex et purus, pro eo quod non hactenus avibus prædicaverat, cœpit se de negligentia inculpare. Exinde prædicando per loca vicina procedens, venit ad castrum quoddam nomine Alvianum, ubi congregato populo, et indicto silentio, propter hirundines nidificantes in eodem loco magnisque garritibus perstrepentes, audiri vix poterat. Quas vir Dei, omnibus audientibus, allocutus est, dicens : Sorores meæ hirundines, jam tempus est ut loquar et ego, quia vos usque modo satis dixistis. Audite verbum Dei, tenentes silentium, donec sermo Dei compleatur. At illæ, tanquam intellectus capaces, subito tacuerunt, nec fuerunt motæ de loco, donec fuit omnis prædicatio consummata. Omnes igitur, qui viderunt, stupore repleti, glorificaverunt Deum. Istius miraculi fama circumquaque diffusa, multos ad sancti reverentiam et fidei devotionem accendit.

In civitate namque Parisiensi scholaris quidam indolis bonæ, cum sociis aliis studio diligenter intentus, dum importuna garrulitate cujusdam infestaretur hirundinis, dicere cœpit ad socios : Hæc hirundo una est de illis, quæ virum Dei Franciscum prædicantem aliquando, donec silentium eis imponeret, molestabant. Et conversus ad hirundinem fiducialiter ait : In nomine servi Dei Francisci præcipio tibi, ut ad me veniens, continuo conticescas. At illa, Francisci audito nomine, quasi viri Dei disci-

plinis edocta, et statim conticuit, et ipsius manibus tanquam tutæ custodiæ se commisit. Stupefactus scholaris, statim eam libertati restituit, et ejus garritum amplius non audivit.

Alio quoque tempore cum famulus Dei Cajetæ semel prædicaret in littore maris, turbis præ devotione irruentibus, ut eum contingerent, horrens Christi servus tantum populorum applausum, in unam hærentem littori naviculam prosilivit solus. Illa vero tanquam si rationis particeps motore moveretur intrinseco, sine aliquo remige, cernentibus et mirantibus cunctis, se longius a terra protraxit. Cum autem aliquanto spatio in maris altitudinem secessisset, stetit inter fluctus immobilis, quamdiu vir sanctus turbis expectantibus in littore prædicavit. Cumque audito sermone, et viso miraculo, ac benedictione accepta, multitudo recederet, ne ipsum amplius molestaret, navicula proprio ductu ad terram reversa est. Quis igitur obstinatæ mentis esset et impiæ, qui prædicationem Francisci contemneret, cujus miranda fiebat virtute, ut non solum carentia ratione disciplinam susciperent, verum etiam inanimata corpora, tanquam animata prædicanti servirent?

Aderat equidem servo suo Francisco, ad quæcumque pergeret, is qui eum unxerat et miserat Spiritus Domini, et ipse Dei virtus et sapientia Christus, ut sanæ doctrinæ verbis afflueret, et magnæ potentiæ miraculis coruscaret. Erat enim verbum ejus velut ignis ardens, penetrans intima cordis, omniumque mentes admiratione replebat, cum non humanæ inventionis ornatum prætenderet, sed divinæ revelationis afflatum redoleret. Nam cum semel prædicaturus coram Papa et cardinalibus ad suggestionem domini Ostiensis sermonem quemdam studiose compositum commendasset memoriæ, stetissetque in medio, ut ædificationis verba proponeret, sic oblivioni tradidit omnia, ut effari aliquid omnino nesciret. Verum cum hæc veridica humilitate narrasset, conferens se ad Spiritus Sancti gratiam invocandam, tam efficacibus subito cœpit verbis affluere, tamque potenti virtute illorum mentes virorum sublimium ad compunctionem inflectere, ut aperte clareret, quod non ipse, sed Spiritus Domini loquebatur. Et quoniam primo sibi suaserat opere, quod aliis suadebat sermone, reprehensorem non timens, veritatem fidelissime prædicabat. Nesciebat aliquorum culpas palpare, sed pungere; nec vitam fovere peccantium, sed aspera increpatione ferire. Eadem mentis constantia magnis loquebatur et parvis, eademque spiritus jucunditate paucis loquebatur et multis. Omnis ætas, omnisque sexus properabat virum novum, mundo cælitus datum, et cernere et audire. Ipse vero per diversas regiones progrediens evangelizabat ardenter, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. In virtute namque nominis ejus veritatis præco, Franciscus ejiciebat dæmonia, sanabat infirmos; et quod majus est, sui sermonis efficacia obstinatorum mentes ad pœnitentiam molliebat, simulque sanitatem corporibus reddebat et cordibus, sicut aliqua comprobant operum ejus exempli gratia, inferius annotanda.

In civitate Tuscanella a milite quodam hospitio devote susceptus, filium ejus unicum a nativitate contractum, ad multam ipsius instantiam, manu allevans, sic subito incolumem reddidit, ut videntibus cunctis, protinus consolidarentur omnia corporis membra, et puer, sanus effectus et fortis, confestim exurgeret ambulans, et exiliens, et laudans Deum.

In civitate Narniensi cum paralyticum quemdam, membrorum omnium destitutum officio, signo crucis a capite usque ad pedes ad instantiam signasset episcopi, perfecte restituit sanitati.

In episcopatu Reatino puer quidam sic turgidus a quatuor annis, ut nullo modo propria crura cernere posset, a matre cum lacrymis præsentatus eidem; statim ut vir sanctus tetigit eum manibus sacris, incolumis est effectus. Apud civitatem Ortensem puer unus ita conglomeratus, ut caput pedibus portaret applicitum, et haberet ossa nonnulla confracta, signo crucis ad parentum lacrymabiles preces ab eodem suscepto, subito extensus extitit, et illico liberatus.

Mulier quædam civitatis Eugubii ambas contractas et aridas habens manus, adeo ut nihil per illas operari valeret, signo crucis ab eodem in nomine Domini sibi facto, tam perfectam obtinuit sospitatem, quod statim rediens domum, cibos in ministerium ejus et pauperum, quasi altera socrus Simonis propriis manibus præpararet.

Puellæ cuidam in castro Bevanii oculorum privatæ luminibus, cum in Trinitatis nomine sputo suo per ipsius oculos linivisset, lumen concupitum restituit.

Mulier quædam civitatis Narnii, oculorum cæcitate percussa, signum crucis ab eodem suscipiens, lucem recuperavit optatam.

Bononiæ puer quidam unum oculorum macula adeo habens obtectum, ut nihil prorsus videre posset, nec aliquo juvari remedio, post signum crucis a capite usque ad pedes per servum Domini sibi factum, visum recuperavit tam limpidum, ut postmodum Fratrum minorum ordinem ingressus, se longe clarius videre assereret de oculo prius infirmo, quam de oculo semper sano.

In castro Sancti Gemini servus Dei a quodam devoto viro susceptus hospitio, cujus uxor a dæmonio vexabatur, post orationem factam, in virtute obedientiæ imperavit dæmoni ut exiret, eumque potestate divina tam subito effugavit, ut vere claresceret quod obedientiæ sanctæ virtuti pervicacia dæmonum non obsistat.

In civitate de Castello, quidam furibundus et nequam spiritus quamdam obsidens mulierem, a viro sancto obedientiæ accepto mandato, indignabundus discessit, mente simul et corpore liberam, obsessam prius, fœminam derelinquens.

Frater quidam infirmitate tam horribili gravabatur, ut magis esse vexatio dœmonis, quam naturalis infirmitas, a pluribus firmaretur. Nam totus sæpe allidebatur, et volutabatur spumans, membris corporis nunc contractis, nunc extensis, nunc plicatis, nunc tortis, nunc rigidis effectis et duris. Quandoque totus extensus et rigidus, pedibus æquatis capiti levabatur in altum, horribiliter illico relapsurus. Hunc sic miserabiliter et irremediabiliter ægrotantem plenus misericordia Christi servus commiserans, bucellam sibi panis, de quo edebat, transmisit. Tantam vero gustatus panis contulit ægro virtutem, ut deinceps hujus infirmitatis molestiam non sentiret.

In comitatu Aretii, cum diebus pluribus mulier quædam laborasset in partu, essetque jam proxima morti, nullum omnino desperanti de vita supererat remedium, nisi Dei. Cum autem equo vectus propter corporis infirmitatem Christi famulus per partes illas transitum habuisset, contigit reduci animal per villam, in qua mulier torquebatur. Homines vero loci, viso equo cui vir sanctus insederat, extraxerunt frænum, ut superponerent mulieri; ad cujus contactum mirificum, omni remoto periculo, mulier illico peperit cum salute.

Vir quidam de Castro Plebis, religiosus ac timens Deum, chordam apud se, qua cinctus fuerat sanctus pater, habebat. Cumque multitudo virorum ac mulierum in castro illo, variis infirmitatibus laboraret, ibat per infirmantium domos, et, intincta chorda in aqua, dabat bibere patientibus, sicque per hunc modum plurimi sanabantur. Sed et de panibus a viro Dei contactis gustantes ægroti, divina operante virtute, consequebantur celeriter remedia sanitatum. Cum his et aliis multis miraculorum prodigiis præco Christi prædicans corruscaret, attendebatur his quæ dicebantur ab eo, ac si angelus Domini loqueretur. Excellens namque in ipso prærogativa virtutum, prophetiæ spiritus, efficacia miraculorum, oraculum de prædicando cœlitus datum, obedientia creaturarum ratione carentium, vehemens immutatio cordium ad verborum ipsius auditum, eruditio ejus a Spiritu Sancto præter humanam doctrinam, prædicandi auctoritas a Summo Pontifice non sine revelatione concessa, insuper et regula, in qua forma prædicandi exprimitur, ab eodem Christi vicario confirmata, summi quoque Regis signacula per modum sigilli corpori ejus impressa, tanquam testimonia decem, toti sæculo indubitanter affirmant, Christi præconem Franciscum, et venerandum officio, et doctrina authenticum, et admirabilem sanctitate, ac per hoc tanquam vere Dei nuncium Christi Evangelium prædicasse.

CAPUT XIII.

De stigmatibus sacris.

Mos erat angelico viro Francisco nunquam otiari a bono, quin potius instar supernorum spirituum in scala Jacob, aut ascendebat in Deum, aut descendebat ad proximum. Nam tempus sibi concessum ad meritum dividere sic prudenter didicerat, ut aliud proximorum lucris laboriosis im-

penderet, aliud contemplationis tranquillis excessibus dedicaret. Unde cum secundum exigentiam locorum et temporum alienæ condescendisset procurandæ saluti, inquietationibus derelictis turbarum, solitudinis secreta petebat, locumque quietis, quo liberius Deo vacans, extergeret, si quid pulveris sibi ex conversatione hominum adhæsisset. Biennio itaque antequam spiritum redderet cœlo, divina providentia duce, post labores multimodos perductus est in locum excelsum seorsum, qui dicitur mons Alvernæ. Cum igitur juxta solitum morem Quadragesimam ibidem ad honorem archangeli Michaelis jejunare cœpisset, supremæ contemplationis dulcedine abundantius solito superfusus, ac cœlestium desideriorum ardentiori flamma succensus, supernarum cœpit immissionum cumulatius dona sentire. Ferebatur quidem in altum, non ut curiosus majestatis perscrutator opprimendus a gloria, sed tanquam fidelis servus et prudens, investigans beneplacitum Dei, cui se conformare omnimode summo peroptabat ardore.

Immissum est igitur menti ejus per divinum oraculum, quod in apertione libri evangelici revelaretur ei a Christo, quid Deo de ipso et in ipso maxime foret acceptum. Oratione itaque cum multa devotione præmissa, sacrum Evangeliorum librum de altari sumptum, in Sanctæ Trinitatis nomine aperiri fecit per socium, virum utique Deo devotum et sanctum. Sane cum in trina libri apertione semper Domini Passio occurreret, intellexit vir Deo plenus, quod sicut Christum fuerat imitatus in actibus vitæ, sic conformis ei esse deberet in afflictionibus et doloribus Passionis, antequam ex hoc mundo transiret. Et licet propter multam austeritatem vitæ præteritæ, crucisque Dominicæ bajulationem continuam, imbecillis jam esset corpore, nequaquam est territus, sed ad martyrii sustinentiam vigorosius animatus. Excreverat quidem in eo insuperabile amoris incendium boni Jesu, in lampades ignis atque flammarum, ut aquæ multæ caritatem ejus tam validam extinguere non valerent. Cum igitur seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in Deum, et compassiva dulcedine in eum transformaretur, qui ex caritate nimia voluit crucifigi, quodam mane circa festum Exaltationis sanctæ Crucis, dum oraret in latere montis, vidit Seraph unum sex alas habentem tam ignitas quam splendidas de cœlorum sublimitate descendere. Cumque volatu celerrimo pervenisset ad locum viro Dei propinquum, apparuit inter alas effigies hominis crucifixi in modum crucis manus et pedes extensos habentis, et cruci affixos. Duæ alæ super caput ipsius elevabantur, duæ ad volandum extendebantur, duæ vero totum corpus velabant. Hoc videns vehementer obstupuit, mixtumque mœrore gaudium cor ejus incurrit. Lætabatur quidem in gratioso aspectu, quo a Christo sub specie Seraph cernebat se conspici; sed crucis affixio compassivi doloris gladio ipsius animam pertransibat. Admirabatur quam plurimum in tam inscrutabilis visionis aspectu, sciens quod passionis infirmitas cum immortalitate spiritus seraphici nullatenus conveniret. Intellexit tandem ex hoc, Domino revelante, quod ideo hujusmodi visio sic divina providentia suis fuerat præsentata conspectibus, ut amicus Christi prænosceret, se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis totum in Christi crucifixi similitudinem transformandum. Disparens igitur visio mirabilem in corde ipsius reliquit ardorem, sed et in carne non minus mirabilem signorum impressit effigiem. Statim namque in manibus ejus et pedibus apparere cœperunt signa clavorum, quemadmodum paulo ante in effigie illa viri crucifixi conspexerat. Manus enim et pedes in ipso medio clavis confixi videbantur, clavorum capitibus in interiori parte manuum et superiori pedum apparentibus, et eorum acuminibus existentibus ex adverso. Erantque clavorum capita in manibus et pedibus rotunda et nigra, ipsa vero acumina oblonga, retorta, et quasi repercussa, quæ de ipsa carne surgentia carnem reliquam excedebant. Dextrum quoque latus quasi lancea transfixum, rubra cicatrice obductum erat, qnod sæpe sanguinem sacrum effundens, tunicam et femoralia respergebat.

Cernens autem Christi servus quod stigmata carni tam luculenter impressa, socios familiares latere non possent, timens nihilominus publicare Domini sacramentum, in magno fuit positus dubitationis agone, utrum videlicet quod viderat, diceret, vel taceret. Vocavit proinde aliquos ex fratribus, et generalibus verbis loquens dubium coram eis proposuit, et consilium requisi-

vit. Quidam vero ex fratribus, gratia illuminatus, et nomine intelligens quod aliqua miranda vidisset, pro eo quod videbatur admodum stupefactus, dixit ad virum sanctum : « Frater, non solum propter te, sed etiam propter alios, scias tibi ostendi aliquando sacramenta divina. Timendum propterea jure videtur, ne si, quod pluribus profuturum accepisti, celaveris, pro talento abscondito reprehensibilis judiceris ». Ad cujus verbum motus vir sanctus, licet alias dicere solitus esset : Secretum meum mihi : tunc tamen cum multo timore seriem retulit visionis præfatæ, addens, quod is qui sibi apparuerat, aliqua dixerit, quæ, numquam dum viveret, alicui hominum aperiret. Credendum sane, tam arcana illa fuisse sacri illius Seraph in cruce mirabiliter apparentis eloquia, quod forte non liceret hominibus ea loqui. Postquam igitur verus Christi amor in eamdem imaginem transformavit amantem, quadraginta dierum numero, juxta quod decreverat, in solitudine consummato, superveniente quoque solemnitate archangeli Michaelis, descendit angelicus vir Franciscus de monte, secum ferens Crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis vel ligneis manu figuratam artificis, sed in carneis membris descriptam digito Dei vivi. Et quoniam sacramentum Regis abscondere bonum est, ideo secreti regalis vir conscius, signacula illa sacra pro viribus abscondebat, et occultabat. Verum quia Dei est ad magnam gloriam suam revelare magna, quæ facit Dominus, ipse, quia signacula secrete impresserat, miracula quædam aperte per ipsa monstravit, ut illorum occulta et mira vis stigmatum, manifesta pateret claritate signorum.

In provincia namque Reatina, pestis invaluerat valde gravis, quæ oves et boves omnes sic consumebat crudeliter, quod nullum poterat remedium adhiberi. Vir autem quidam timens Deum nocte fuit per visionem commonitus, ut ad eremitorium fratrum festinanter accederet, et loturam manuum ac pedum famuli Dei Francisci, qui tunc temporis morabatur ibidem, acceptam, super animalia cuncta respergeret. Mane itaque surgens venit ad locum, loturaque hujusmodi per socios sancti viri latenter obtenta, oves et boves languentes ex ea respersit. Mirabile dictu ! Statim ut aspersio animalia languida, et in terra jacentia, quantumcumque paululum attingebat, pristino recuperato vigore, surgebant continuo, et tanquam nihil mali sensissent, ad pascua festinabant. Sicque factum est, ut per virtutem mirandam aquæ illius, quæ sacras plagas contigerat, omnis prorsus plaga cessaret, pestilensque morbus a gregibus fugaretur.

Circa præfatum montem Alvernæ, antequam vir sanctus ibi contraheret moram, nube ex ipso monte surgente, grandinis violenta tempestas fructus terræ consuetudinarie devastabat. Sed post illam apparitionem felicem, non sine incolarum admiratione grando cessavit, ut cœlestis illius visionis excellentiam, et stigmatum ibidem impressorum virtutem, serenati præter morem ipsa cœli facies declararet.

Contigit quoque eum tempore hiemali propter debilitatem corporis, et asperitatem viarum hominis cujusdam pauperis, subvectum asello, sub rupis cujusdam prominentis pernoctare crepidine, ut nivis et noctis supervenientium quoquo modo declinaret incommoda, quibus præpeditus, ad hospitii locum non valuerat pervenire. Cum autem vir sanctus hominem illum querulosis submurmurantem gemitibus hinc inde seipsum jactare sensisset, tanquam qui tenui operimento contectus, quiescere præ frigoris acerbitate nequibat, divini amoris fervore succensus, manu illum protensa palpavit. Mirabile certe! Repente ad illius sacræ manus contactum, quæ seraphici calculi gerebat incendium, omni fugato frigore tantus in virum intus et extra calor advenit, ac si quædam in eum vis flammea ex fornacis spiraculo processisset. Nam illico et mente et corpore confortatus, suavius inter saxa et nives usque mane dormivit, quam unquam in proprio lecto pausaverat, sicut ipse post modum asserebat.

Certis itaque constat indiciis, sacra illa signacula illius impressa virtute fuisse, qui operatione seraphica purgat, illuminat, et inflammat, cum ipsa, forinsecus expurgando a peste, salutem, serenitatem, et calorem corporibus efficacia mira conferrent : sicut et post mortem evidentioribus est demonstratum prodigiis suo loco posterius annotandis. Ipse vero licet thesaurum inventum in agro multa diligentia studeret abscondere, latere tamen non potuit, quin aliqui stigmata viderent ma-

nuum ac pedum, quanquam manus quasi semper portaret contectas, et pedibus ex tunc incederet calceatis. Viderunt, dum viveret, fratres plurimi, qui licet essent propter sanctitatem præcipuam viri per omnia fide digni, tamen ad omne dubium amovendum sic esse, ac se vidisse, tactis sacrosanctis, juramento firmarunt. Viderunt etiam ex familiaritate, quam cum viro sancto habebant aliqui cardinales, laudes sacrorum stigmatum prosis, et hymnis, et antiphonis, quas ad ipsius ediderunt honorem, veraciter inserentes, qui tam verbo quam scripto perhibuerunt testimonium veritati. Summus etiam Pontifex dominus Alexander IV, cum populo prædicaret coram multis fratribus, et meipso, affirmavit se, dum sanctus viveret, stigmata illa sacra suis oculis conspexisse. Viderunt in morte plusquam quinquaginta fratres, virgoque Deo devotissima Clara, cum cæteris sororibus suis, et sæculares innumeri, ex quibus, quemadmodum suo loco dicetur, plurimi et osculati sunt ex devotionis affectu, et contrectaverunt manibus ad testimonii firmitatem. Vulnus autem lateris tam sollicite occultavit, ut illud nemo posset, nisi furtim contueri, dum viveret. Unus enim frater, qui ei sedule ministrare solitus erat, cum pia eum cautela, ut ad excutiendum extraheret tunicam, induxisset, attente respiciens vidit plagam, cui etiam tres veloci contactu digitos applicans, tam visu quam tactu vulneris quantitatem agnovit.

Consimili cautela vidit etiam frater ille, qui tunc temporis erat vicarius ejus. Frater vero socius mirandæ simplicitatis dum infirmitatis causa languentes scapulas contrectaret, manu per caputium missa, et casualiter vulneri sacro illapsa, magnum ei dolorem inflixit. Proinde portabat ex tunc femoralia ita facta, ut usque ad ascellas pertingerent, ad vulnus lateris contegendum. Fratres quoque qui illa lavabant, vel tunicam excutiebant pro tempore, quia inveniebant ea sanguine rubricata, indubitanter per evidens signum in cognitionem sacri vulneris pervenerunt, quod postmodum in morte, revelata facie, et ipsi cum aliis plurimis contemplati simul et venerati sunt.

Eia nunc, strenuissime miles Christi, ipsius fer arma invictissimi Ducis, quibus munitus et insignitus, omnes adversarios superabis. Fer vexillum Regis altissimi, ad cujus intuitum omnes pugnatores divini exercitus animentur. Fer nihilominus sigillum summi Pontificis Christi, quo verba et facta sua, tanquam irreprehensibilia et authentica, merito ab omnibus acceptentur. Jam enim propter stigmata Domini Jesu, quæ in corpore tuo portas, nemo tibi debet esse molestus; quin potius quilibet Christi servus omni tenetur esse affectione devotus. Jam per hæc signa certissima, non duobus aut tribus testibus ad sufficientiam, sed quamplurimis ad superabundantiam comprobata testimonia Dei in te, et per te credibilia facta nimis, omne tollunt infidelibus velamen excusationis, dum credentes in fide stabiliunt, spei fiduciam sursum agunt, et igne caritatis accendunt. Jam vere impleta est prima visio, quam vidisti, videlicet quod dux in militia Christi futurus, armis deberes cœlestibus signoque crucis insignibus decorari. Jam in principio tuæ conversionis, Crucifixi visio compassivi doloris gladio mentaliter te transfigens, sed et auditus vocis de cruce, tanquam de throno Christi sublimi, et secreto propitiatorio procedentis, juxta quod tuo sacro firmasti eloquio, vera fuisse indubitanter creduntur. Jam in tuæ conversionis progressu, et crucem quam vidit frater Silvester ex ore tuo mirabiliter procedentem, et gladios in crucis modum tua viscera transfigentes, quos frater vidit Pacificus, teque secundum crucis figuram in aere sublevatum, cum de crucis titulo sanctus prædicabat Antonius, juxta quod prospexit angelicus vir Monaldus, non phantastica visione, sed revelatione fuisse cœlica conspecta, vere creditur et firmatur. Jam denique circa finem, quod simul tibi ostenditur, et sublimis similitudo Seraph, et humilis effigies Crucifixi interius te incendens, et exterius te consignans, tanquam alterum angelum ascendentem ab ortu solis, qui signum habeas in te Dei vivi, et prædictis dat firmitatem fidei, et ab eis accipit testimonium veritatis. Ecce jam septem apparitionibus crucis Christi, in te et circa te secundum ordinem temporum mirabiliter exhibitis et monstratis, quasi sex gradibus ad istam septimam, in qua finaliter requiescis, pervenisti. Christi namque crux in tuæ conversionis primordio tam proposita quam assumpta, et dehinc in conversationis progressu per vitam probatissimam bajulata, in te ipso continue,

et in exemplum aliis demonstrata, tanta certitudinis claritate ostendit evangelicæ perfectionis apicem te finaliter conclusisse, ut demonstrationem hanc christianæ sapientiæ in tuæ carnis pulvere exaratam, nullus vere devotus abjiciat, nullus vere fidelis impugnet, nullus vere humilis parvipendat, cum sit vere divinitus expressa, et omni acceptione condigna.

CAPUT XIV.

De patientia ipsius, et transitu mortis.

Christo jam igitur cruci confixus Franciscus tam carne, quam spiritu, non solum seraphico amore ardebat in Deum, verum etiam sitiebat cum Christo crucifixo multitudinem salvandorum. Faciebat proinde, quoniam propter excrescentes in pedibus clavos ambulare non poterat, corpus emortuum per civitates et castra circumvehi, ut ad crucem Christi ferendam cæteros animaret. Fratribus quoque dicebat : Incipiamus, fratres, servire Domino Deo nostro, quia usque nunc parum profecimus.

Flagrabat etiam desiderio magno ad humilitatis redire primordia, ut leprosis sicut a principio ministraret, corpusque, jam præ labore collapsum, revocaret ad pristinam servitutem. Proponebat Christo duce se facturum ingentia, et fatiscentibus membris, spiritu fortis et fervidus, novo sperabat certamine de hoste triumphum. Neque enim languor vel desidia locum habet, ubi amoris stimulus semper ad majora perurget. Tanta autem in eo carnis ad spiritum erat concordia, tanta obedientiæ promptitudo, quod cum ille niteretur ad omnem sanctitatem pertingere, ipsa non solum non repugnaret, sed et præcurrere niteretur. Ut autem viro Dei cumulus meritorum accresceret, quæ omnia vere in patientia consummantur, cœpit infirmitatibus laborare tam graviter, ut vix in eo membrum aliquod remaneret absque ingenti passionis dolore. Ad hoc tandem per varias et diuturnas ac continuas ægritudines deductus est, ut, consumptis jam carnibus, quasi sola cutis ossibus cohæreret. Cumque duris corporis angeretur doloribus, illas suas angustias non pœnarum censebat nomine, sed sororum.

Cum autem semel gravius solito dolorum urgeretur aculeis, quidam frater simplex dixit ad eum : Frater, ora Dominum, ut mitius tecum agat; manum enim suam plus debito super te gravare videtur. Quo audito, vir sanctus cum ejulatu exclamans, ait : Nisi noscerem in te simplicem puritatem, tuum ex tunc abhorrerem consortium, qui ausus fueris circa me divina judicia reprehensibilia judicare. Et licet totus esset attritus gravis prolixitate languoris, projiciens se in terram, ossa debilia duro casu collisit. Et deosculans humum : Gratias, inquit, tibi ago, Domine Deus, de omnibus his doloribus meis, teque, mi Domine, rogo, ut centuplum, si tibi placuerit, addas ; quia hoc erit mihi acceptissimum, ut affligens me dolore non parcas, cum tuæ sanctæ voluntatis adimpletio sit mihi consolatio superplena. Videbatur propterea fratribus, quod quasi alterum Job viderent, cui cum languor cresceret carnis, crescebat simul et vigor mentis. Ipse autem obitum suum longe ante præscivit, dieque transitus imminente, dixit fratribus sui corporis tabernaculum deponendum in proximo, quemadmodum sibi fuerat revelatum a Christo. Cum itaque per biennium ab impressione stigmatum, anno videlicet a sua conversione vigesimo, multis fuisset angustiantium infirmitatum probativis tunsionibus conquadratus, tanquam lapis in supernæ Jerusalem ædificio collocandus, et tanquam ductile opus sub multiplicis tribulationis malleo ad perfectionem adductus; ad Sanctam Mariam de Portiuncula se portari poposcit, quatenus, ubi acceperat spiritum gratiæ, ibi redderet spiritum vitæ. Quo cum fuisset perductus ut veritatis exemplo monstraret, quod nihil erat illi commune cum mundo, in illa infirmitate tam gravi, quæ omni languori conclusit, super nudam humum se totum in spiritus fervore nudatum prostravit, quatenus hora illa extrema, in qua poterat adhuc hostis irasci, nudus luctaretur cum nudo.

Decubans sic in terra, saccina veste deposita, faciem solito more levavit in cœlum, et intendens illi gloriæ totus, manu sinistra dextri lateris vulnus, ne videretur, obtexit, et ait ad fratres : Ego quod meum est, feci; quod vestrum est, Christus edoceat. Illacrymantibus autem sociis sancti, qui miro fuerant compassionis telo percussi, unus ex eis, quem vir Dei guardianum suum esse dicebat, votum ipsius divina inspiratione

cognoscens, festinus surrexit, et acceptam cum chorda, et femoralibus tunicam, pauperculo Christi obtulit, dicens : Hæc tibi tanquam pauperi commodo, et tu illa suscipias obedientiæ sanctæ mandato. Gaudet ex hoc vir sanctus, et jubilat præ lætitia cordis, quoniam fidem tenuisse dominæ paupertati usque in finem se vidit; palmasque levans ad cœlum, Christum suum magnificat, pro eo quod exoneratus ab omnibus, liber vadit ad ipsum. Fecerat enim omnia hæc paupertatis zelo, ut nec habitum quidem vellet habere, nisi ab alio commodatum. Voluit certe per omnia Christo crucifixo esse conformis, qui pauper, et dolens, et nudus in cruce pependit. Propter quod et in principio conversionis suæ nudus remansit coram antistite, et in consummatione vitæ nudus voluit de mundo exire; fratribusque sibi assistentibus in obedientia caritatis injunxit, ut cum viderent eum jam esse defunctum, per tam longum spatium nudum super humum jacere permitterent, quod unius milliarii tractum suaviter quis perficere posset. O vere christianissimum virum, qui et vivens Christo viventi, et moriens morienti, et mortuus mortuo perfecta esse studuit imitatione conformis, et expressa promeruit similitudine decorari! Hora denique sui transitus propinquante, fecit fratres omnes existentes in loco ad se vocari, et eos consolatoriis verbis demulcens, pro sua morte, paterno affectu ad divinum est hortatus amorem. De patientia et paupertate, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ fide servandis, sermonem protraxit, cæteris institutis sanctum Evangelium anteponens. Circumsedentibus vero omnibus fratribus, extendit super eos manus in modum crucis brachiis cancellatis, pro eo, quod hoc signum semper amabat : et omnibus fratribus tam præsentibus quam absentibus in Crucifixi virtute ac nomine benedixit; insuper et adjecit: Valete, filii omnes, in timore Domini, et permanete in eo semper. Et quoniam futura tentatio et tribulatio appropinquat, felices, qui perseverabunt in his quæ cœperunt. Ego vero ad Deum propero, cujus gratiæ vos omnes commendo. Suavi hujusmodi admonitione completa, jussit Deo vir carissimus Evangeliorum sibi codicem apportari, et evangelium secundum Joannem, quod incipit eo loco : *Ante diem festum Paschæ*, sibi legi poposcit. Ipse vero prout potuit in hujus psalmi vocem erupit: *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum* (Psal. 141). Et ad finem usque complevit. *Me*, inquit, *expectant justi donec retribuas mihi* (Ib. 8).

Tandem cunctis in eum completis mysteriis, anima illa sanctissima carne soluta, et in abyssum divinæ claritatis absorpta, beatus vir obdormivit in Domino. Unus autem ex fratribus et discipulis ejus, vidit animam illam beatam sub specie stellæ præfulgidæ a candida subvectam nubecula, super aquas multas in cœlum recto tramite sursum ferri, tanquam sublimis sanctitatis candore prænitidam, et cœlestis sapientiæ simul et gratiæ ubertate repletam, quibus vir sanctus promeruit locum introire lucis et pacis, ubi cum Christo sine fine quiescit.

Minister quoque fratrum in Terra Laboris (1) tunc erat frater Augustinus, vir utique sanctus, et justus, qui in hora ultima positus, cum jam diu perdidisset loquelam, audientibus qui astabant, subito clamavit, et dixit : Expecta me, pater, expecta, ecce jam venio tecum. Quærentibus fratribus, et admirantibus multum, cui sic loqueretur, audaciter respondit : Nonne videtis patrem nostrum Franciscum, qui vadit ad cœlum? Et statim sancta ipsius anima migrans e corpore, patrem est secuta sanctissimum (2).

Episcopus Assisinas, ad oratorium S. Michaelis in monte Gargano (3) tunc temporis peregrinationis causa perrexerat, cui beatus Franciscus apparens nocte transitus sui, dixit : Ecce relinquo mundum, et vado ad cœlum. Mane igitur surgens episcopus, sociis narravit, quæ vidit : et Assisium rediens, cum sollicite perquisisset, certitudinaliter comperit, quod ea hora, qua sibi per visionem innotuit, beatus pater ex hoc mundo migravit.

Alaudæ aves lucis amicæ, et crepusculo-

(1) Terra Laboris, incolis la Terra di Lavoro, provincia regni Neapolitani est in ora maris Thyrrheni. (*Edit.*)

(2) Hanc apparitionem, uti et sequentem, e biographis solus Bonaventura annotavit.

(3) Mons Garganus, italice il monte Gargano, et il monte S. Angelo, mons regni Neapolitani est in Apulia Daunica, ubi sanctus archangelus Michael ecclesiam habet, sua apparitione et fidelium peregrinationibus celebrem. Erat autem laudatus episcopus Assisiensis idem ille Vido vel Guido, coram quo S. Franciscus bonis omnibus quondam cesserat.

rum tenebras horrescentes, hora transitus sancti viri, cum jam esset noctis secuturæ crepusculum (1), venerunt in multitudine magna super tectum domus, et diu cum insolita quadam jubilatione rotantes, gloriæ sancti, qui eas ad divinas laudes invitare solebat, tam jucundum quam evidens testimonium perhibebant (2).

CAPUT XV.

De Canonizatione ipsius.

Franciscus igitur servus et amicus Altissimi, Ordinis Minorum fratrum institutor etdux, paupertatis professor, pœnitentiæ forma, veritatis præco, sanctitatis speculum, et totius evangelicæ perfectionis exemplar, superna præventus gratia, ordinato progressu ab infimis pervenit ad summa. Hunc virum mirabilem, utpote paupertate prædivitem, humilitate sublimem, mortificatione vividum, simplicitate prudentem, omnique morum honestate conspicuum, quem in vita Dominus mirabiliter effecerat clarum in morte fecit incomparabiliter clariorem. Beato namque viro migrante a sæculo, spiritus ille sacer domum æternitatis ingrediens, fontisque vitæ haustu plenario gloriosus effectus, expressa quædam in corpore futuræ gloriæ signa reliquit, ut caro illa sanctissima, quæ crucifixa cum vitiis in novam jam creaturam transierat, et passionis Christi effigiem privilegii singularitate præferret, et novitate miraculi resurrections speciem præmonstraret.

Cernebantur quidem in membris illis felicibus clavi ex ejus carne virtute divina mirifice fabrefacti, sicque carni eidem innati, quod dum a parte qualibet premerentur, protinus quasi nervi continui et duri, ad partem oppositam resultabant. Inventa quoque fuit patentius in ipsius corpore, non inflicta humanitus, neque facta plaga vulneris lateralis, instar vulnerati lateris Salvatoris, quod redemptionis et regenerationis humanæ in ipso Redemptore nostro protulit sacramentum. Erat autem similitudo clavorum nigra quasi ferrum; vulnus autem lateris rubrum, et ad orbicularitatem quamdam carnis contractione reductum, rosa quædam pulcherrima videbatur. Caro vero ipsius reliqua, quæ prius tam ex infirmitate quam ex natura ad nigredinem declinabat, candore nimio renitescens, illius secundæ stolæ puchritudinem prætendebat. Membra ipsius adeo mollia et tractabilia se præbebant palpantibus, ut conversa viderentur in teneritudinem puerilis ætatis, et quibusdam cernerentur evidentibus signis innocentiæ decorata.

Cum igitur in candidissima carne clavi nigrescerent, plaga vero lateralis, ut vernans roseus flos, ruberet : mirandum non est, si tam formosa et miraculosa varietas jucunditatem et admirationem contuentibus ingerebat. Lacrymabantur filii pro substractione tam amabilis patris; sed et non modica perfundebantur lætitia, dum deosculabantur in eo signacula summi Regis. Miraculi novitas planctum vertebat in jubilum, et intellectus rapiebat indaginem in stuporem. Erat quippe tam insolitum tamque insigne spectaculum contuentibus omnibus, et firmamentum fidei, et incitamentum amoris; audientibus vero admirationis materia et excitatio desiderii ad videndum. Audito siquidem transitu patris, et fama diffusa miraculi, accelerans populus confluebat ad locum, ut id cerneret oculis, quod a ratione dubium omne repelleret, et affectioni gaudium cumularet.

Admissi sunt igitur Assisinates cives quamplurimi ad stigmata illa sacra contemplanda oculis, et labiis osculanda. Unus autem ex eis miles quidem litteratus et prudens, Hieronymus nomine, vir utique famosus et celebris, cum de hujusmodi sacris stigmatibus dubitasset, essetque incredulus quasi Thomas, ferventius et audacius coram fratribus et aliis civibus movebat clavos, sanctique manus et pedes et latus manibus propriis contrectabat, ut dum vulnerum Christi veracia illa signa palpando contingeret, de sui et omnium cordibus omne dubietatis vulnus amputaret. Propter quod et ipse inter alios hujus veritatis, tam certitudinaliter agnitæ, testis

(1) Obiit igitur S. Franciscus vesperi post occasum solis; quod diei tempus cum more italico ad sequentem diem referatur, a scriptoribus dicitur idem sanctus obiisse quarto nonas octobris in die Dominico, cum secundum nostrum communioremque Europæum loquendi modum obierit tertio nonas octobris in sabbato.

(2) Hæc quoque de alaudarum applausu nullus e biographis nostris præter S. Bonaventuram tradidit.

constans postmodum effectus est, et tactis sacrosanctis juramento firmavit. Fratres autem, et filii, qui vocati fuerant ad transitum patris, cum omni multitudine populorum, noctem illam, in qua almus Christi confessor decessit, sic divinis laudibus dedicarunt, ut non defunctorum exequiæ, sed angelorum excubiæ viderentur.

Mane autem facto, turbæ quæ convenerant, acceptis arborum ramis, et cereorum multiplicatis luminibus, cum hymnis et canticis sacrum corpus ad civitatem Assisii detulerunt. Transeuntes vero per ecclesiam Sancti Damiani, in qua illa virgo nobilis Clara, nunc gloriosa in cœlis, tunc inclusa cum virginibus morabatur, ibique aliquantulum subsistentes, sacrum corpus margaritis cœlestibus insignitum, videndum et osculandum sacris illis virginibus obtulerunt. Pervenientes denique ad civitatem cum jubilo, pretiosum thesaurum, quem portabant, in ecclesia S. Georgii cum omni reverentia condiderunt. In eo siquidem loco puerulus litteras didicit, ibique postmodum primitus prædicavit, postremo ibidem locum primum quietis accepit. Transiit autem venerabilis Pater ex hujus mundi ergastulo, anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo sexto, quarto nonas octobris, die sabbati in sero, sepultus in die Dominico.

Cœpit autem vir beatus continuo, divinæ faciei superirradiante respectu, magnis et multis coruscare miraculis, ut sublimitas sanctitatis ejus, quæ ipso vivente in carne ad morum directionem per exempla perfectæ justitiæ innotuerat mundo, illo jam regnante cum Christo, ad omnem fidei firmitatem per miracula divinæ potentiæ comprobaretur e cœlo. Cumque in diversis orbis partibus gloriosa ejus miracula, largaque per ipsum impetrata beneficia, plurimos ad Christi devotionem accenderent, et ad ipsius sancti reverentiam incitarent, acclamantibus tam linguis sermonum quam operum, ad aures summi Pontificis domini Gregorii IX, quæ per servum suum Deus operabatur, magnalia pervenerunt. Sane cum idem pastor Ecclesiæ non solum ex miraculis auditis post mortem, verum etiam experimentis in vita ipsius oculis visis, et manibus contrectatis, sanctitatem ejus mirabilem plena fide certificatus agnosceret, ac per hoc in cœlis glorificatum a Domino nullatenus dubitaret (1), ut Christo, cujus erat vicarius, concorditer ageret, hunc in terris reddere celebrem, tanquam omni veneratione dignissimum, pia consideratione disposuit. Ad omnem quoque certitudinem faciendam orbi terrarum de glorificatione viri sanctissimi, inventa miracula, et conscripta, et testibus idoneis approbata, examinari fecit per illos, qui minus inter cardinales, favorabiles negotio videbantur. Quibus diligenter discussis, et ab omnibus approbatis, de fratrum suorum, et omnium prælatorum qui tunc erant in curia, concordi consilio et assensu canonizandum decrevit. Veniensque personaliter ad civitatem Assisii, anno Dominicæ Incarnationis MCCXXVIII, decimo septimo kalendas augusti, die Dominica (2), cum maximis, quæ longum foret enarrare, solemniis, beatum patrem catalogo sanctorum adscripsit.

Anno vero Domini millesimo ducentesimo trigesimo, convenientibus fratribus ad capitulum generale, Assisii celebratum, ad basilicam, in honorem ipsius constructam, corpus illud Domino dedicatum octavo kalendas junii (3) translatum est. Dum autem ille sacer transportaretur thesaurus, bulla Regis altissimi consignatus, miracula plurima ille, cujus effigiem præferebat, operari dignatus est, ut per ardorem ipsius salvificum affectus traheretur fidelium ad currendum post Christum. Erat revera condignum, ut, quem Deus in vita sibi placentem et dilectum effectum in paradisum per contemplationis gratiam transtulerat, ut Enoch, et ad cœlum in curru igneo per caritatis zelum rapuerat, ut Eliam, ejus, jam vernantis inter flores illos cœlicos plantationis æternæ, ossa illa felicia de loco suo pullulatione mirifica redolerent.

(1) Gregorius IX, ante pontificatum, quem anno 1227 obtinuit, cardinalis episcopus Ostiensis *Hugo* vel Hugolinus dictus, mira familiaritate cum sancto fuerat conjunctus, ut etiam constat ex præmissis.

(2) Optime se habent omnes hæ notæ chronicæ, frustraque conatus est Franciscus Pagius eamdem solemnem canonizationem ad alium mensem aut diem referre.

(3) Anno 1230 festum Pentecostes (quod erat tempus capitulis generalibus habendis præstitutum) incidit in diem septimum kalendas junii; itaque in vigilia ejusdem festi contigit hæc sacri corporis translatio, cujus annua memoria etiam Martyrologiis ordinum S. Francisci ad diem 25 maii inscripta est.

Porro sicut vir iste beatus mirandis virtutum signis in vita claruerat, sic a die transitus sui usque in præsens per diversas mundi partes præclaris miraculorum prodigiis, divina se potentia glorificante, coruscat. Nam cæcis et surdis, mutis et claudis, hydropicis et paralyticis, dæmoniacis et leprosis, naufragis et captivis, ipsius meritis remedia conferuntur, omnibusque morbis, necessitatibus et periculis subvenitur. Sed et multis mortuis mirifice per ipsum suscitatis, innotescit fidelibus, mirificans sanctum suum, magnificentia virtutis Altissimi, cui est honor et gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen (1).

INCIPIUNT

QUÆDAM DE MIRACULIS

Ipsius post mortem ostensis.

—

De virtute sacrorum stigmatum.

Ad omnipotentis Dei honorem, et gloriam beati patris Francisci. Post glorificationem ipsius in cœlis, aliqua ex approbatis scripturus miracula, ab illo præcipue censui sumendum fore initium, in quo crucis Jesu virtus ostenditur, et gloria innovatur. Novus igitur homo Franciscus novo et stupendo miraculo claruit, cum singulari privilegio retroactis sæculis non concesso, insignitus apparuit, sacris videlicet stigmatibus decoratus, et configuratus in corpore mortis hujus corpori Crucifixi. De quo quidquid humana lingua dicatur, minus erit laude condigna. Totum quidem viri Dei studium, tam publicum quam privatum, circa crucem Domini versabatur; et ut crucis signaculo, cordi ejus a principio suæ conversionis impresso, corpus consignaret exterius, in ipsa se cruce recludens, habitum pœnitentiæ sumpsit, crucis imaginem præferentem, quatenus sicut mens ejus intus Dominum crucifixum induerat, sic et corpus ejus indueret arma crucis; et in quo signo Deus potestates aereas debellarat, in eodem suus exercitus Domino militaret. Sed et a principio temporis quo Crucifixo militare cœperat diversa circa eum crucis perfulsere mysteria, sicut vitæ ipsius consideranti decursum clarius innotescit, qualiter apparitione crucis Dominicæ septiformi, tam cogitatu, quam affectu et actu, totus fuit in Crucifixi effigiem, per ipsius ecstaticum transformatus amorem. Digne igitur summi Regis clementia suis amatoribus ultra omnem æstimationem hominum condescendens, suæ crucis vexillum ipsius corpori deferendum impressit : ut qui mirando fuerat crucis amore præventus, mirando etiam fieret crucis honore mirificus. Ad hujus stupendi miraculi irrefragabilem firmitatem, non solum videntium et palpantium testimonia, per omnem modum credibilia, verum etiam apparitiones mirabiles, et virtutes post ipsius obitum coruscantes, ad omne mentis effugandum nubilum suffragantur. Felicis namque recordationis dominus Gregorius IX, de quo vir sanctus prophetando prædixerat, quod ad dignitatem foret Apostolicam sublimandus, antequam crucis signiferum catalogo sanctorum adscriberet, scrupulum quemdam dubitationis in corde gerebat de vulnere laterali. Nocte vero quadam, sicut ipse felix antistes referebat cum lacrymis, beatus ei Franciscus quadam faciei prætensa duritia in somnis apparuit, et hæsitationem cordis ipsius redarguens, elevavit brachium dextrum, detexit vulnus, phialamque poposcit ab ipso, ut scaturientem reciperet sanguinem, qui ex latere defluebat. Obtulit in visione summus Pontifex phialam postulatam, quæ usque ad summum sanguine profluente de latere videbatur impleri. Ex tunc ad illud sacrum miraculum tanta cœpit devotione affici, et æmulatione fervere, ut nullo modo pati posset, quod aliquis præfulgentia illa sacra signa superba præsumeret impugnatione fuscare, quin eum severa increpatione feriret. Frater quidam ordine Minor officio prædicator, virtutis et famæ prærogativa præpollens, cui firmiter erat de sancti stigmatibus persuasum, dum humano sensu miraculi hujus

(1) In codice nostro Ms. hic ponitur : Explicit Vita beati Francisci. Sequuntur tamen ibidem miracula. At Waddingus prætermittens miracula, lectorem hic monet his verbis : Ad finem hujus vitæ multa adnectit per varia capitula D. Bonaventura D. Francisci miracula, ab eodem post mortem patrata; quibus plura, nec inferiora, inveni et legi in bibliotheca conventus D. Francisci Assisiatis, in codice satis antiquo membraneo, manuscripto; quibus modo supersedendum duxi, ea cum cæteris, quæ hic desiderari possunt, de patria, genealogia et physiognomia sancti viri suis locis producturus in lucem in Annalibus Minorum, quantocius edendis. (Wadingus, *Ann. Min.*)

apud se rationem perquireret, dubitationis cœpit cujusdam scrupulo titillari. Cum igitur per dies plurimos, sensualitate sumente vigorem, luctamen hujusmodi pateretur, nocte dormienti S. Franciscus pedibus lutulentis apparuit, humiliter durus, et patienter iratus. Et quæ sunt, ait, ista in te conflictationum certamina? quæ dubitationum sordes? Vide manus meas, et pedes meos. Cumque ille videret manus confixas, lutulentorum pedum stigmata non videbat. Remove, inquit, lutum a pedibus meis, et cognosce loca clavorum; quos cum ille apprehendisset devote, lutum sibi videbatur abstergere, locaque clavorum manibus contrectare. Continuo, ut evigilat, lacrymis irrigatur, et priores affectus quodammodo lutulentos, tam lacrymarum profluvio quam publica confessione detersit.

In urbe Roma, matrona quædam morum claritate, ac parentum gloria nobilis, S. Franciscum in suum elegerat advocatum, ipsius habens depictam imaginem in secreto cubiculo, ubi patrem in abscondito exorabat. Die vero quadam, dum orationi vacaret, considerans imaginem sancti, sacra illa signa stigmatum non habentem, dolere cœpit non modicum et mirari. Sed non mirum, si in pictura non erat, quod pictor omiserat. Cumque per plures dies, quid causæ foret defectus hujusmodi, mente sollicita pertractaret, ecce subito die quadam apparuerunt signa illa mirifica in pictura, sicut in aliis ipsius sancti imaginibus pingi solent. Tremefacta illa, filiam suam, Deo devotam, advocavit, protinus requirens si absque stigmatibus usque tunc imago fuisset. Affirmat illa, et jurat olim sine illis sacris stigmatibus extitisse, et nunc vere cum stigmatibus apparere. Verum quia mens humana semetipsam frequenter impellit, ut cadat, et in dubium revocet veritatem, subintrat iterum cor mulieris dubitatio noxia, ne forte sic fuisset imago a principio consignata. At Dei virtus ne primum contemneret miraculum, addit et secundum. Continuo namque disparentibus signis illis, nudata privilegiis imago remansit, ut per sequens signum fieret probatio præcedentis.

In Catalonia quoque apud Ilerdam, accidit virum quemdam, nomine Joannem, B. Francisco devotum, quodam sero, per quamdam incedere viam, in qua pro inferenda morte latitabant insidiæ, non quidem ipsi, qui inimicitias non habebat, sed alteri cuidam, qui videbatur similis ejus, et tunc erat in comitatu ipsius. Exurgens autem quidam de insidiis, cum hostem suum hunc esse putaret, tam lethaliter eum plagis plurimis gladiavit, ut nulla prorsus superesset spes recuperandæ salutis. Siquidem prima inflicta percussio, humerum cum brachio pene totum absciderat, et ictus alius sub mamilla tantam reliquerat aperturam, ut flatus inde procedens, circa sex candelas simul conjunctas extingueret. Cum igitur consilio medicorum ipsius impossibilis esset curatio, pro eo quod putrescentibus plagis, ex eis fœtor tam intolerabilis exhalaret, ut etiam ipsa ejus uxor vehementer horreret, nullisque jam humanis juvari possit remediis, convertit se ad beati patris Francisci patrocinium, quanta poterat devotione poscendum quem inter ipsos ictus, una cum B. Virgine fidentissime invocarat. Et ecce, misero in lectulo calamitatis solitario decubanti, cum Francisci nomen vigilans et ejulans frequentius replicaret, astitit quidam in habitu fratris Minoris, per fenestram, ut ei videbatur, ingressus ; qui vocans eum ex nomine, dixit : Quia fiduciam habuisti in me, ecce Dominus liberabit te. A quo, cum æger quis esset requireret, Franciscum illum se esse respondit. Et statim approprians vulnerum illius ligaturas resolvit, et eum unguento per omnes plagas, ut videbatur, perunxit. Statim autem ut sensit illarum sacrarum manuum, stigmatum Salvatoris virtute sanare valentium, suavem contactum, expulsa putredine, restituta carne, et vulneribus solidatis, restitutus est integre pristinæ sospitati : quo facto, beatus pater abscessit; et ipse sentiens se sanatum, et in vocem divinæ laudis et B. Francisci lætanter erumpens, vocavit uxorem. At illa celerius currens et stare jam videns, quem sepeliendum credebat in crastino, cum esset stupore vehementi perterrita, viciniam totam clamore complevit. Accurrentes autem sui, cum illum niterentur, tanquam freneticum in lecto reponere, et ille e contra renitens assereret, et ostenderet se sanatum, tanto sunt stupore attoniti, ut quasi sine mente omnes effecti, phantasticum esse crederent, quod videbant: quia quem paulo ante conspexerant plagis atrocissimis laniatum, et totum jam marcidum, plena cerne-

bant incolumitate jucundum. Ad quos ille, qui factus fuerat sanus : Nolite timere, inquit, nolite credere inane, quod cernitis, quia S. Franciscus modo a loco recessit, et illarum sacrarum manuum tactu, me integre ab omni plaga curavit. Crebescente tandem hujus fama miraculi, accelerat populus omnis, et videntes in tam aperto prodigio, stigmatum B. Francisci virtutem, admiratione simul et gaudio replebantur, Christique signiferum magnis laudum præconiis extollebant. Digne quidem beatus pater, carne jam mortuus, et vivens cum Christo, præsentiæ suæ ostensione mirabili et manuum sacrarum palpatione suavi, vulnerato lethaliter viro sanitatem concessit, cum illius etiam in se stigmata tulerit, qui misericorditer moriens, et mirabiliter surgens, vulneratum genus humanum et semivivum relictum plagarum suarum virtute sanavit.

Apud Potentiam Apuliæ civitatem, erat quidam clericus Rogerus nomine, vir honorabilis, et ecclesiæ majoris canonicus. Hic cum infirmitate quassatus, die quadam ecclesiam oraturus intrasset, in qua erat imago B. Francisci depicta, gloriosa stigmata repræsentans, cœpit de illius sublimitate miraculi, tanquam de re omnino insolita, et impossibili dubitare.

Subito igitur, dum mente plagatus interius cogitaret inania, in palma sinistræ manus sub chirotheca, graviter se sensit esse percussum, sonitum audiens percussuræ, velut cum spiculum prosilit de balista; moxque tam vulnere sauciatus, quam sonitu stupefactus, chirothecam de manu traxit, ut visu dignosceret, quod tactu perceperat, et auditu. Cumque nulla fuisset prius in palma percussio, conspexit in medio manus plagam, quasi sagittæ percussione inflictam ex qua tanta vis procedebat ardoris, ut videretur ex illo deficere. Mirabile dictu! Nullum in chirotheca vestigium apparebat, ut latenti plagæ cordis, latenter inflicta pœna vulneris responderet. Clamat exinde per duos dies, et rugit dolore gravissimo stimulatus, et increduli cordis velamen, explicat universis; credere se veraciter, sacra stigmata fuisse in S. Francisco fatetur, et jurat contestans omnis dubitationis abscessisse phantasmata. Orat suppliciter sanctum Dei, per sacra sibi stigmata subvenire, et multas cordis preces multo impinguat profluvio lacrymarum. Mirum certe! Incredulitate projecta sanationem mentis sanatio sequitur corporalis. Omnis quiescit dolor, frigescit ardor, nullum remanet vestigium percussuræ : sicque factum est, ut latens mentis infirmitas, per patens carnis cauterium, superna providente clementia, curaretur, menteque sanata et ipsa caro pariter sanaretur. Fit homo humilis Deo devotus, sancto et fratrum Ordini perpetua familiaritate subjectus. Hujus rei tam solemne miraculum, juramentis firmatum fuit, et litteris sigilli episcopi munimine roboratis, ipsius ad nos notitia delata pervenit. De sacris ergo stigmatibus, nullus sit ambiguitati locus; nullius in hoc, quia Deus bonus est, nequam sit oculus, quasi hujusmodi doni largitio sempiternæ bonitati non congruat. Si enim illo amore seraphico multa membra capiti cohærerent Christo, ut et in bello simili armatura invenirentur condigna, et in regno ad similem forent gloriam subvehenda, nullus hoc sanæ mentis, nisi ad Christi gloriam, diceret pertinere.

De mortuis suscitatis.

In castro montis Marani prope Beneventum, mulier quædam S. Francisco peculiari devotione cohærens, viam universæ carnis intravit. Convenientibus autem clericis nocte ad exequias et vigilias cum psalteriis decantandas, subito cunctis cernentibus erexit se mulier super lectum, et unum de astantibus sacerdotem, patrinum videlicet suum, advocavit, dicens : Volo confiteri, pater. Ego enim mortua, duro eram carceri mancipanda, quoniam peccatum, quod tibi pandam, necdum confessa fueram. Sed orante, inquit, pro me S. Francisco, cui, dum viverem, devota mente servivi, redire nunc ad corpus indultum est mihi, ut illo revelato peccato, sempiternam promerear vitam. Et ecce vobis videntibus, postquam illud detexero, ad promissam requiem properabo. Trementer ego sacerdoti trementi confessa, post absolutionem receptam, quiete se in lecto collegit, et in Domino feliciter obdormivit.

In castro Pamarco, in montanis Apuliæ posito, patri et matri unica erat filia in tenera ætate, tenere prædilecta. Qua infirmi-

tate gravi ad mortem perducta, parentes ejus successionem aliam non sperantes, se in illa quasi mortuos reputabant. Convenientibus ergo consanguineis et amicis ad flebile nimis funus, jacebat mater infelix ineffabilibus completa doloribus, et absorpta suprema tristitia, de his, quæ flebant, nihil penitus advertebat. Interim S. Franciscus, uno tantum socio comitatus apparens, desolatam visitare dignatus est feminam, quam sibi senserat esse devotam, et piis eam affatus alloquiis: Noli flere, inquit, nam lucernæ tuæ lumen, quod deploras extinctum, mea tibi est intercessione reddendum. Surrexit continuo mulier, et quæ sibi dixerat sanctus, omnibus manifestans, non permisit extinctum corpus efferri, sed cum magna fide S. Francisci nomen invocans, et mortuam filiam apprehendens, vivam et incolumem, cunctis videntibus et mirantibus allevavit.

Cum fratres de Noceria peterent quoddam plaustrum a quodam viro Petro nomine, quo aliquantulum indigebant, stulte respondit eis, pro petito subsidio irrogando convitium, et pro eleemosyna ad honorem sancti postulata Francisci, in nomen ipsius blasphemiam jaculando. Pœnituit hominem statim insipientiæ suæ, divino super eum irruente pavore, ne forte ultio Domini sequeretur, sicut et fuit protinus subsecuta. Nam infirmatus continuo primogenitus ejus, parvo elapso spatio, spiritum exhalavit. Volutabatur per humum pater infelix, et sanctum Dei Franciscum invocare non cessans, cum lacrymis exclamabat: Ego sum, qui peccavi, ego, qui inique locutus sum; me in persona propria flagellare debuisti. Redde, sancte, jam pœnitenti, quod abstulisti impie blasphemanti. Tibi me reddo: tuis me obsequiis semper expono: nam et devotum sacrificium laudis, pro tui honore nominis semper offeram Christo. Mira res! Ad hæc verba surrexit puer, et planctum prohibens, se morientem eductum de corpore, per B. Franciscum deductum asseruit, et reductum.

Cujusdam urbis Romæ notarii puerulus vix septennis matrem ad ecclesiam S. Marci euntem puerili more sequi desiderans, dum remanere domi compelleretur a matre, per fenestram palatii se projecit, et ultima quassatione collisus, continuo expiravit. Mater vero, quæ nondum longe discesserat, ad sonitum corruentis, præcipitium pignoris suspicata, celeriter rediit, filiumque reperiens tam miserabili casu repente subtractum, protinus sibi ipsi manus injecit ultrices, ac dolorosis clamoribus totam excitavit viciniam ad lamentum. Frater vero quidam, nomine Raho, de ordine Minorum, illuc se ad prædicandum conferens, propinquavit ad puerum, et fide plenus ait ad patrem: Credisne sanctum Dei Franciscum posse filium tuum a mortuis suscitare propter amorem, quem semper ad Christum habuit, pro reddenda vita hominibus crucifixum? Quo respondente, se firmiter credere, et fideliter confiteri servum sancti in perpetuum se esse futurum, si tantum a Deo munus per ipsius merita recipere mereretur, prostravit se frater ille, cum fratre socio in oratione cæteros, qui aderant, excitans ad orandum. Quo facto cœpit puer aliquantulum oscitare, et apertis oculis, brachiisque elevatis, seipsum erexit, et statim coram omnibus ambulavit incolumis, per mirandam sancti virtutem vitæ simul redditus et saluti.

In civitate Capuæ, dum puer quidam super ripam Vulturni fluminis, cum pluribus jocaretur, incautus cecidit in profundum, quem fluminis impetus celeriter vorans, sub sabulo mortuum sepelivit. Proclamantibus autem pueris, qui cum eo luserant circa flumen, populosa illuc multitudo convenit. Cumque universus populus suppliciter et devote beati Francisci merita invocaret, ut devotorum sibi parentum fidem aspiciens, prolem a mortis periculo dignaretur eripere, natator quidam procul astans, clamoribus auditis, accessit. Et post diutinam inquisitionem, invocato tandem B. Francisci subsidio, locum invenit, in quo limus in modum sepulchri pueri cadaver obtexerat; quem effodiens, et extra deportans, dolens defunctum inspexit. Licet autem populus, qui astabat, videret juvenem mortuum, nihilominus tamen flens et ejulans proclamabat: Sancte Francisce, redde puerum patri suo. Sed et Judæi qui supervenerant, naturali pietate commoti, dicebant: Sancte Francisce, redde puerum patri suo. Subito puer lætantibus et mirantibus cunctis, exurgens incolumis, duci se ad ecclesiam B. Francisci suppliciter postulavit, ut gratias illi devotus exsolveret, cujus se noverat virtute mirabiliter suscitatum.

In civitate Suessa, in vico, qui ad Columnas dicitur, repente quædam corruens domus, unum absorbuit juvenem et subito interemit. Viri autem et mulieres, ruinæ sonitu excitati, undique accurrentes, elevaverunt hinc inde ligna et lapides, et miseræ matri mortuum filium reddiderunt. Illa vero amarissimis repleta singultibus, sicut poterat, dolorosis vocibus exclamabat: Sancte Francisce, sancte Francisce, redde mihi filium meum. Non solum autem illa, sed et omnes, qui aderant, B. patris præsidium flagitabant. Sed cum non esset neque vox, neque sensus, cadaver posuerunt in lectulo, et ad sepeliendum ipsum diem crastinum expectabant. Mater vero, fiduciam habens in Domino per merita sancti ejus, votum emisit, nova se syndone B. Francisci operturam altare, si filium suum revocaret ad vitam. Et ecce circa horam noctis mediam, cœpit juvenis oscitare, et calescentibus membris, vivus exsurgens et sanus, in laudis verba prorumpit. Sed et clerum, qui convenerat et populum universum excitavit ad laudes, et gratias Deo et B. Francisco cum mentis lætitia persolvendas.

Juvenis quidam, Gerlandinus nomine, de Ragusa oriundus, vindemiarum tempore ad vineas exiens, cum in vase vinario, ut utres impleret, sub torculari se mitteret, repente prægrandes lapides, motis in se lignorum struibus, caput ipsius lethali percussione quassarunt. Festinavit continuo pater ad filium, et desperans obrutum non adjuvit, sed eum sub onere, sicut corruit, sic reliquit. Accurrerunt expeditius vinitores, magni clamoris vocem lugubrem audientes, multoque cum patre pueri dolore completi, extraxerunt juvenem, jam mortuum a ruina. Pater vero ipsius, Jesu pedibus provolutus, humiliter precabatur ut filium suum unicum per sancti Francisci merita, cujus tunc imminebat solemnitas, sibi reddere dignaretur. Ingeminabat preces, vovebat officia pietatis, et sancti viri corpus se visitaturum cum filio, si suscitaretur a mortuis, repromisit. Mirum certe! Continuo puer qui toto fuerat corpore conquassatus, restitutus vitæ et integræ sospitati, gaudens coram omnibus exsurrexit, plangentes objurgans, et sancti Francisci suffragiis vitæ se redditum asseverans.

Quemdam alium mortuum in Alemania suscitavit, de quo dominus papa Gregorius, tempore translationis ipsius sancti, fratres omnes, qui ad translationem et capitulum convenerant, per Apostolicas litteras certos reddidit, et gaudentes. Miraculi hujus seriem, quia ignoravi, non scripsi, credens papale testimonium omnis assertionis excellere instrumentum.

De his quos a mortis periculo liberavit.

In confinibus urbis, vir quidam nobilis, Rodulphus nomine, cum Deo devota uxore, fratres Minores suo recepit hospitio, tam hospitalitatis gratia, quam B. Francisci reverentia et amore. Nocte vero illa, in summitate turris dormiens custos castri, cum jam jaceret super struem lignorum in ipsa muri positorum crepidine, ipsorum soluta compage, in tectum palatii corruit, et exinde super terram. Excitata ad sonitum casus tota familia, et custodis intellecta ruina, dominus castri et domina cum fratribus accurrerunt. Is vero, qui ab alto corruerat, absorptus fuerat tam profundo sopore, ut nec ad casum evigilaret iteratæ ruinæ, nec ad strepitum accurrentis familiæ cum clamore. Trahentium tandem et impellentium manibus excitatus, conqueri cœpit, quod dulci fuisset quiete privatus, inter B. Francisci brachia, suaviter asserens se dormiisse. Cum vero de casu proprio doceretur ab aliis, et in imo se videret, qui in alto jacuerat, stupens esse factum, quod fieri non perceperat, pœnitentiam se facturum ob reverentiam Dei, et B. Francisci coram omnibus repromisit.

In castro Pophis, quod in Campania positum est, sacerdos quidam, Thomas nomine, accessit ad reparandum ecclesiæ molendinum. Deambulans autem incaute circa extrema canalis, quo gurges profundus copioso defluebat influxu, subito casu cavilloso ligno intrusus est, cujus impulsu volvitur molendinum. Cum igitur consertus jaceret in ligno, et super os ipsius, quia supinus erat aquarum impetus inundaret, corde tamen, quia lingua non poterat, S. Franciscum flebiliter invocabat. Per magnum vero spatium, sic illo jacente, ac de vita ipsius jam penitus sociis desperatis, in contrariam partem molam cum violentia revolverunt, et sic ejectus sacerdos palpi-

tans volutabatur in aquæ meatu. Et ecce quidam frater Minor, indutus tunica candida et fune succinctus, cum magna suavitate arreptum per brachium extra flumen eduxit, dicens : Ego sum Franciscus, quem invocasti. Ille vero sic liberatus nimis obstupuit, volensque pedum ipsius osculari vestigia, huc atque illuc anxius discurrebat, quærens a sociis : Ubi est ille? quo abiit sanctus? qua via discessit? Viri autem illi tremefacti, proni ceciderunt in terram, sublimis Dei gloriosa extollentes magnalia, et virtuosa merita humilis servi ejus.

Juvenes quidam de Burgo Celani pro metendis herbis exierant ad campestria quædam, in quibus vetus latebat puteus, herbis in summo ore virentibus obumbratus, qui quasi per passus quatuor aquarum altitudinem continebat. Segregatim igitur per campum discurrentibus pueris, unus ex improviso decurrit in puteum. Absorbente autem profunda fovea corpus, spiritus mentis sursum recurrebat ad B. Francisci suffragium, clamans in ipso lapsu fideliter et fidenter : Sancte Francisce, adjuva me. Cæteri huc atque illuc se vertentes, dum puer alius non compareret, clamore, circuitu et lacrymis requirebant eumdem. Comperto tandem, quod in puteum cecidisset, festinantes cum gemitibus redierunt ad Burgum, indicantes eventum, exposcentes auxilium. Redeuntibus autem illis, cum multa hominum turba, demissus unus per funem in puteum, puerum respexit in aquarum superficie residentem, nihil passum penitus læsionis. Extractus vero de puteo puer, dixit omnibus, qui astabant : Quando subito cecidi, B. Francisci patrocinium invocavi, qui corruenti mihi statim præsentialiter adfuit, et manum porrigens leviter apprehendit, nec unquam deseruit, donec una vobiscum puteo me eduxit.

In ecclesia B. Francisci apud Assisium, præsente Romana Curia prædicaret dominus episcopus Ostiensis, qui postmodum summus Pontifex extitit Alexander, quidam lapis ponderosus et magnus, incaute super pulpitum excelsum et lapideum derelictus, præ nimietate pressuræ impulsus, super caput cujusdam cecidit mulieris. Existimantes igitur circumstantes perfecte ipsam jam mortuam, et caput ejus totaliter conquassatum, cooperuerunt eam pallio, quo erat amicta ut sermone finito, educeretur extra ecclesiam lugubre funus. Ipsa vero se B. Francisco, ante cujus jacebat altare, fideliter commendavit, et ecce prædicatione finita mulier coram omnibus adeo surrexit incolumis, ut nullius in ea læsionis vestigium appareret. Sed et quod est amplius admirandum, cum per longa tempora usque ad horam illam, dolorem capitis, quasi continuum habuisset, plene fuit ex tunc ab omni morbi molestia liberata, sicut ipsa postmodum testabatur.

Apud Cornetum, cum in loco fratrum ad fusionem campanæ, viri quidam convenissent devoti, puerulus quidam octennis, Bartholomæus nomine, xenium quoddam fratribus laborantibus apportavit. Et ecce subito ventus vehemens, concussa domo, ostium portæ, grave quidem et magnum super ipsum puerulum ita valido projecit impulsu, ut quem tam ingens pondus oppresserat, lethali crederetur collisione quassatus : sic enim totaliter jacebat tumulatus sub pondere, ut nihil exterius appareret. Accurrerunt omnes qui aderant, B. Francisci virtuosam dexteram invocantes. Sed et pater ipsius, qui rigescentibus membris se movere non poterat præ dolore, votis et voce S. Francisco filium offerebat. Levatum est denique funestum pondus desuper puerum, et ecce quem credebant mortuum, quasi suscitatus a sommo, lætus apparuit, nullam prorsus in se proferens læsionem. Igitur cum quatuordecim esset annorum, factus est frater Minor, vir postea litteratus et famosus in ordine prædicator.

Homines de Lentino lapidem prægrandem absciderunt de monte, qui supponendus erat altari cujusdam ecclesiæ B. Francisci in proximo consecrandæ. Cum autem fere quadraginta homines, lapidem illum superponere vehiculo niterentur, repetitis sæpius viribus, super quemdam hominem lapis ille cecidit, et in modum sepulchri obtexit. Sed cum mente confusi, quid facerent, ignorarent, major pars hominum desperata discessit. Porro viri decem qui remanserant, lugubri voce, sanctum invocantes Franciscum, ne in suo servitio sic horrende mori hominem pateretur, resumpto tandem corde, tanta facilitate lapidem amoverunt, ut nullus dubitaret virtutem adfuisse Francisci. Surrexit homo incolumis in omnibus membris; insuper et lumen recuperavit limpidum oculorum, quod prius habuerat obscuratum.

ut sic omnibus daretur intelligi, quam in rebus desperatis, beati Francisci merita validæ sint virtutis.

Simile quiddam accidit apud S. Severinum, in Marchia de Ancona. Dum enim lapis prægrandis de Constantinopoli adsportatus ad basilicam B. Francisci, multorum viribus traheretur, rapido lapsu est super quemdam trahentium devolutus. Cumque ille non solum crederetur defunctus, sed etiam totaliter comminutus, assistente sibi B. Francisco, et lapidem sublevante, absque omni læsione sanus et incolumis, lapidis projecto pondere prosilivit.

Bartholomæus Cajetanus civis, cum ad constructionem cujusdam ecclesiæ B. Francisci non modicum desudaret, ruente trabe quadam infirmiter posita, ejusque opprimente cervicem, fuit graviter conquassatus. Ipse vero mortem sibi sentiens imminentem, ut erat vir fidelis et pius, a quodam fratre viaticum postulavit. Quod frater ille tam celeriter afferre non valens, quia mori subito credebatur, B. Augustini verbum protulit, dicens ei : Crede, et manducasti. Sequenti vero nocte, B. Franciscus cum undecim fratribus illi apparuit : et inter ubera portans agniculum, ad lectum ejus accessit, vocavitque illum ex nomine dicens : Bartholomæe, noli timere, quia non prævalebit adversus te inimicus, qui te in meo servitio voluit impedire. Hic est agnus, quem tibi dari petebas, quem et propter bonum desiderium suscepisti, cujus etiam virtute consequeris utriusque hominis sospitatem, et sic per vulnera manum ducens, ad opus quod cœperat, eum redire præcepit. Qui valde mane consurgens, et iis qui eum seminecem reliquerant, incolumis et lætus apparens, admirationem intulit et stuporem; sed et ipsorum mentes, ad B. patris reverentiam, et amorem tam exemplo sui quam sancti miraculo excitavit.

Quidam de castro Ceperani, nomine Nicolaus in manus inimicorum crudelium incidit die quadam ; qui crudelitate ferali, vulneribus eum super vulnera concidentes, usque adeo super miserum sævierunt, donec vel extinctum crederent, vel protinus extinguendum. Clamaverat autem Nicolaus prædictus, cum primos ictus exciperet alta voce: Sancte Francisce, adjuva me, sancte Francisce, succurre mihi. Hanc vocem a remotis audierunt quamplurimi, licet auxilium ferre non possent. Deportatus tandem domum, totus suo sanguine volutatus, fiducialiter asserebat se mortem ex illis vulneribus non visurum, nec etiam se tunc sentire dolores, quoniam sanctus Franciscus sibi succurrerat, et ut pœnitentiam ageret a Domino impetravit; quod et sequens confirmavit eventus. Nam lotus a sanguine continuo contra humanam spem, extitit liberatus.

Filius cujusdam nobilis in castro S. Germani, valido languore detentus omnique ulterius desperatus salute, ad extremum usque perductus est. Rivus etenim sanguinis ab oculis ejus emanabat, sicut ex vena brachii assolet ebullire, cæterisque propinquæ mortis veris indiciis, in reliquo corpore apparentibus, judicabatur pro mortuo ; sed et pro debilitate spiritus, et virtutis, sensus et motus usu privatus, visus est penitus emigrasse. Congregatis autem ex more ad planctum parentibus et amicis, ac de sola agentibus sepultura, pater ipsius, fiduciam habens in Domino, concito gressu ad ecclesiam currit B. Francisci, quæ in eodem erat constructa : et cingulo suspenso ad guttur, cum omni humilitate se prostravit ad terram; sicque vota vovens, et multiplicans preces, suspiriis et gemitibus meruit apud Christum, S. Franciscum habere patronum. Reversus itaque statim pater ad filium, et sanitati restitutum inveniens, luctum in gaudium commutavit.

Simile quiddam meritis sancti, operatus est Dominus, circa puellam quamdam in Catalonia, de villa nomine Thamarit, et circa aliam de Ancona. quæ cum essent præ nimietate ægritudinis constitutæ, B. Franciscus fideliter a parentibus invocatus, perfectæ continuo eas restituit sanitati.

Clericus quidam de vico Albo, nomine Matthæus, veneno mortifero bibito, in tantum fuit gravatus, quod loqui aliquo modo non valens, solum finalem exitum expectabat. Sacerdos quidam, ut sibi confiteretur, admonuit, et verbum unum ab eo extorquere non valuit. Ipse vero in corde suo humiliter Christum orabat, ut per B. Francisci merita, a mortis eum faucibus eripere dignaretur. Moxque ut confortatus a Domino B. Francisci nomen fideli devotione deprompsit testibus qui aderant, veneno evomito, liberatori suo gratias egit.

De liberatis a naufragio.

In magno maris periculo positi quidam nautæ, cum per milliaria decem a portu Barulitano distarent, ingravescente nimium tempestate, jam de vita dubii anchoras submiserunt. Verum spiritu procellarum, mari ferventius tumescente, fractis funibus, et relictis anchoris, incerto, et inæquali cursu per æquora vagabantur. Tandem nutu divino, mari placato, ad resumendas anchoras, quarum funes superius enatabant, toto se conamine paraverunt. Cumque id perficere propriis viribus non valerent, plurimorum sanctorum invocato subsidio, multisque jam sudoribus liquescentes, nec unam per totam diem resumere potuerunt. Aderat autem nauta quidam, Perfectus nomine, sed moribus imperfectus, qui cum irrisione quadam dixit ad socios : Ecce sanctorum omnium invocastis auxilium, et ut videtis, nullus est, qui succurrat. Invocemus istum Franciscum, qui novellus est sanctus, si quo modo in mare se mergat, et anchoras perditas reddat. Consenserunt cæteri, non irrisorie, sed veraciter suasioni Perfecti, et ipsius objurgantes irrisorium verbum, firmaverunt cum sancto sponanteum votum, statimque in momento, sine aliquo adminiculo nataverunt anchoræ super aquas, quasi ferri natura versa foret in ligneam levitatem. Peregrinus quidam invalidus corpore, propter febris peracutæ symptomata, quam fuerat ante perpessus, navi quadam subvectus, de ultramarinis partibus veniebat.

Ferebatur autem ipse ad S. Franciscum præcipuo devotionis affectu, et eum sibi apud cœlestem Regem elegerat advocatum. Cum igitur nec dum perfecte liber a morbo sitis angustiaretur ardoribus, deficiente jam aqua, cœpit alta voce clamare : Ite fidenter, haurite poculum mihi, quia B. Franciscus vasculum meum aqua replevit. Mirum certe! Invenerunt vas aqua repletum, quod fuerat ante vacuum derelictum. Alio vero die, cum tempestate suborta operiretur navis fluctibus, et procellis quateretur pervalidis, ita ut jam naufragium timerent, cœpit idem infirmus subito clamore vociferari per navem : Surgite omnes, inquit, et B. Francisco venienti occurrite : ecce ad salvandum nos adest, sicque cum voce magna et lacrymis in faciem procidens adoravit. Statim ad sancti visionem omnem sospitatem resumpsit infirmus, et maris fuit tranquillitas subsecuta.

Frater Jacobus Reatinus, cum in navicula parva, fluvium quemdam cum aliis fratribus pertransiret, sociis primo super ripam positis, postremo se ad exitum præparabat; sed modico illo ligno per infortunium revoluto, rectore natante, frater mersus est in profundum. Invocabant fratres extra positi, affectuosis precibus B. Franciscum, et ut filio succurreret, lacrymosis gemitibus supplicabant. Submersus autem frater, de ventre gurgitis nimis immensi, cum ore non posset, corde clamabat, ut poterat, implorans pii patris subsidium. Et ecce auxiliante B. patris præsentia, per profundum sicut per aridam ambulabat, et demersam naviculam capiens, cum ea pervenit ad littus. Mirabile dictu! Vestimenta ejus maditata non sunt, nec aquæ gutta proximavit ad tunicam.

Frater Bonaventura nomine, cum duobus viris per lacum quemdam navigans, confracta ex parte navicula, propter aquæ affluentis impetum, demersus est cum navi et sociis in profundum. Cum autem de lacu miseriæ misericordem patrem Franciscum invocarent, cum multa fiducia supernatavit subito aqua plena navicula, et cum eis, sancto præbente ducatum, salubriter pervenit ad portum. Sic et quidam frater de Esculo submersus in flumine S. Francisci meritis extitit liberatus. Sed et in lacu Reatino, cum quidam viri et mulieres in consimili essent periculo constituti, ad invocationem nominis S. Francisci, de aquarum multarum periculoso naufragio salubriter evaserunt.

Quidam nautæ Anconitani periculosa tempestate jactati, submersionis periculum jam videbant. Cumque sic desperati de vita S. Franciscum suppliciter invocarent, lumen in mari magnum apparuit, et cum ipso lumine tranquillitas concessa divinitus, ac si beatus vir sua miranda virtute et ventis imperare posset et mari. Quantis autem miraculorum prodigiis beatus hic pater in mari claruerit, et clarescat, quoties ibidem opem tulerit desperatis, nullatenus credo possibile per singula enarrare. Nec mirum, si jam regnanti in cœlis collatum est imperium super aquas : cui et in hac mortalitate degenti, omnis corporea creatura, ad suam refigurata originem, mirabiliter serviebat.

De liberatis a vinculis, et carceribus.

In Romania, Græcum quemdam cujusdam domini servientem, contigit de furto fallaciter accusari, quem dominus terræ in arcto carcere mandavit includi, et graviter vinculari.

Domina vero domus, miserta servi, quem indubitanter credebat a culpa sibi imposita innocentem, pro liberatione ipsius apud virum precibus insistebat devotis. Verum non acquiescente viri sui duritia obstinata, recurrit domina supplex ad S. Franciscum, et ejus pietati voto commendavit insontem. Protinus adfuit miserorum adjutor, et virum in carcere positum misericorditer visitavit, solvit vincula, carcerem fregit, innocentem manibus apprehensum foras eduxit, et ait: Ego sum ille, cui domina tua te devote commisit. Cumque ille timore magno corriperetur, et pro descensu altissimæ rupis voraginem circuiret, subito liberatoris sui virtute inveniens se in plano, rediit ad dominam suam, relataque per ordinem miraculi veritate, devotam dominam ad Christi amorem, et reverentiam servi ejus Francisci ferventius inflammavit.

In Massa S. Petri, cuidam militi debebat pecuniæ quantitatem pauperculus quidam; cumque præ inopia facultas non suppeteret persolvendi, captus debitor a milite repetente, misereri sibi orabat suppliciter, dilationem quærens amore B. Francisci. Sprevit superbus miles preces oblatas, et sancti amorem velut inane quid inaniter vilipendit. Nam cervicose respondens: Tali te, ait, loco recludam, et tali retrudam carcere, quod nec Franciscus, nec aliquis te poterit adjuvare. Tentavit quod dixit; carcerem adinvenit obscurum, in quo hominem vinculatum conjecit. Paulo post adfuit B. Franciscus, et confracto carcere, ruptisque compedibus, illæsum hominem reduxit ad propria. Sic fortitudo Francisci, militem prædata superbum, captivum, qui se sibi subjecerat, liberavit a malo, militisque proterviam admirando miraculo in mansuetudinem commutavit.

Albertus de Aretio, cum in vinculis atrocissimis teneretur pro debitis injuste ab eo petitis, suam innocentiam S. Francisco humiliter commendavit. Ordinem quidem fratrum Minorum plurimum diligebat, et S. Franciscum inter sanctos speciali venerabatur affectu. Dixit autem creditor suus voce blasphema, quod nec Franciscus, nec Deus posset eum de suis manibus liberare. Factum est itaque in vigilia S. Francisci, cum vinctus ille nihil comedisset, sed ob sancti amorem victum suum cuidam tribuisset egeno; nocte veniente apparuit ei vigilanti S. Franciscus, ad cujus ingressum vincula de pedibus et catenæ de manibus ceciderunt; sponte aperta sunt ostia, prosilierunt tabulæ de solario, et liber abscessit homo ad propria rediens. Implevit ex tunc votum, jejunans vigiliam B. Francisci, et cereo, quem annuatim consuevit offerre, in accrescentis devotionis indicium annuatim unciam superaddens.

Residente in sede B. Petri domino Gregorio IX, quidam Petrus nomine de civitate Alisia, de hæresi accusatus, Romæ captus est; et de mandato ejusdem Pontificis ad custodiendum traditus episcopo Tiburtino: quem sub pœna episcopatus accipiens, compedibus alligavit, obscuroque ipsum carcere, ne posset effugere, includi fecit, panem ei præbens in pondere, et poculum in mensura. Cœpit autem homo ille B. Franciscum ad sui miserendum multis precibus et fletibus invocare, eo quod audierat solemnitatis ejus jam adesse vigiliam. Et quoniam fidei puritate omnem abdicaverat hæreticæ pravitatis errorem, totaque cordis devotione adhæserat fidelissimo Christi servo Francisco, intercedentibus ipsius meritis, a Domino meruit exaudiri.

Instante enim jam nocte suæ festivitatis, circa crepusculum B. Franciscus in carcerem miseratus descendit, et illum suo nomine vocans, ut cito surgeret, imperavit. Qui timore perterritus, quisnam esset interrogans, B. Franciscum adesse audivit. Cumque virtute præsentiæ viri sancti, vincula pedum suorum confracta conspiceret cecidisse, et tabulas carceris clavis ultro prosilientibus aperiri, et apertum iter sibi ad exeundum præberi; solutus tamen et obstupefactus fugere nesciebat, sed ad januam clamans custodes omnes perterruit. Qui cum eum liberatum a vinculis episcopo nunciassent, post intellectum ordinem rei, ad carcerem Pontifex devotus accessit, et manifeste Dei virtutem cognoscens, Dominum adoravit ibidem; vincula quoque coram domino Papa et cardinalibus delata fuerunt, qui videntes quod factum fuerat

admirati plurimum benedixerunt Deum.

Guidolotus de S. Geminiano falso accusatus fuit, quod veneno interemerat quemdam virum, et quod eodem genere mortis, filium ejusdem viri, et universam ejus familiam proposuerat enecare. Captus proinde, a potestate terræ gravissimis vinculis aggravatus, in turri quadam reclusus est. Ipse vero fiduciam habens in Domino, pro sua innocentia, quam sciebat, causam commisit B. Francisci patrocinio defendendam. Excogitante igitur potestate, qualiter criminis objecti confessionem eliceret per tormenta, qualibusque pœnis confessum faceret interire, nocte illa, cum mane ad cruciatus deberet adduci, S. Francisci præsentia extitit visitatus; et immenso luminis fulgore usque mane circumdatus, repletusque gaudio et fiducia multa, securitatem evasionis accepit. Advenerunt mane tortores, et eductum de carcere, equuleo suspenderunt, aggravantes super eum multa pondera ferri: Depositus est pluries et iterum elevatus, ut pœna pœnæ succedente, citius ad confessionem criminis adduceretur; sed spiritu innocentiæ lætabatur, in vultu nullam mœstitiam prætendens in pœnis; deinde accensus est ignis sub ipso non modicus: nec propterea capillus est læsus, cum tamen capite dependeret ad terram. Tandem bulliente oleo superfusus, virtute patroni, cui se commiserat defensandum, hæc omnia superavit, et sic dimissus liber salvus abscessit.

De liberatis a periculo partus.

Quædam comitissa in Sclavonia, sicut nobilitate illustris, sic et æmula probitatis, erga sanctum Franciscum devotione flagrabat, erga fratres vero sedula pietate. Tempore vero partus, duros perpessa dolores, tanta fuit angustia molestata, ut prolis futurus ortus præsens videretur matris occasus. Non videbatur infantem eniti posse ad vitam, nisi expiraret e vita, nec tali nixu parere, sed perire. Subvenit cordi ejus S. Francisci fama, virtus et gloria; excitatur fides, inflammatur devotio. Convertit se ad auxilium efficax, ad fidum amicum, ad devotorum solatium, refugium afflictorum: Sancte Francisce, inquit, pietati tuæ supplicant omnia ossa mea, et mente voveo quod explicare non possum. Mira celeritas pietatis! Finis dicendi, finis fuit dolendi; parturiendi meta, pariendi principium. Statim enim omni cessante pressura, partum edidit cum salute. Non fuit immemor voti, non propositi refuga: Ecclesiam quamdam pulchram construi fecit, et constructam ad sancti honorem fratribus assignavit.

In partibus Romanis, mulier quædam Beatrix nomine, vicina partui, cum per dies quatuor fœtum in ventre portaret extinctum, multis infelix agitabatur angustiis, et exitialibus doloribus urgebatur. Mortuus fœtus matrem cogebat ad mortem; et nondum in lucem productum abortivum, publicum matris periculum pariebat. Tentabat medicorum auxilium: sed omne humanum remedium laborabat in vanum. Sic de primis maledictionibus Evæ copiosius aliquid declinarat in miseram, ut sepulchrum facta conceptus, sepulchrum pro certo proximum expectaret.

Fratribus tandem Minoribus per internuncios tota se devotione committens, suppliciter aliquid de S. Francisci reliquiis, fide plena poposcit. Contigit nutu divino aliquantum inveniri de chorda, qua fuerat sanctus quandoque præcinctus. Mox ut super dolentem posita chorda fuit, omnis facillime solutus est dolor, mortis causa, mortuus fœtus emissus, pristina sanitas restituta.

Cujusdam de Narnio nobilis viri uxor, Juliana nomine, pro filiorum morte annos trahebat lugubres, et continue infelices deplorabat eventus, pro eo quod omnes, quos cum pressura portaverat, filios modico interjecto tempore cum vehementiori dolore sepulturæ tradiderat. Cum igitur quatuor mensium conceptum haberet in utero, magisque propter eventus præteritos de conceptæ prolis sollicitaretur obitu, quam de ortu, B. patrem Franciscum pro vita nondum nati fœtus, fideliter precabatur. Ecce autem nocte quadam, dormienti sibi mulier quædam apparebat in somnis, formosum puerulum gestans in manibus, illumque lætissime offerebat eidem. Cum vero illa recipere recusaret, quem statim formidabat amittere, mulier illa subjunxit: Secure suscipias, quia quem tuo mœrori compatiens sacer mittit Franciscus, vita vivet, et sospitate gaudebit. Statim evigilans mulier intellexit per ostensam sibi cœlitus visionem B. Francisci sibi adesse suffragium.

Ex tunc abundantiori completa lætitia pro suscipienda prole juxta promissum multiplicavit preces, et vota promisit. Impletum est denique tempus pariendi, et peperit fœmina masculum, qui juvenilis robore florens ætatis, tanquam per B. Francisci merita fomentum susciperet vitæ, incitamentum parientibus præbuit ad Christum, et sanctum ejus, devotioris affectus. Simile quiddam huic in Tiburis civitate sanctus pater effecit. Cum enim mulier quædam filias plurimas peperisset, desiderio prolis fatigata virilis, apud S. Franciscum preces ingeminavit et vota. Concepit igitur ejus meritis mulier illa, et geminos ei parere dedit, qui pro uno fuerat exoratus.

Apud Viterbium partui propinqua mulier, morti propinquior censebatur, visceralibus tormentata doloribus, et tota calamitosa in infortuniis mulierum. Cumque naturæ succumbente virtute, omnis deficeret artis industria, invocato B. Francisci nomine, liberata confestim mulier partum salubriter terminavit. Sed assecuta quod voluit, et oblita beneficii quod accepit, honorem sancto non deferens, die natalis ipsius ad opera servilia manus extendit; et ecce subito dexterum brachium, ad laborem extensum, inflexibile remansit et aridum. Quod cum studeret ad se revocare cum altero, ultione consimili et illud exaruit. Timore igitur divino correpta mulier, redintegravit votum; usumque membrorum, quem propter ingratitudinem amiserat et contemptum, per misericordis et humilis sancti merita, cui se iterato devovit, recuperare promeruit.

Mulier quædam de partibus Aretinis, cum per septem dies partus discrimina sustineret, et jam in nigredinem versa desperata esset ab omnibus, votum fecit B. Francisco, et ejus cœpit moriens auxilium invocare. Emisso autem voto, celeriter obdormivit, viditque in somnis, beatum Franciscum se dulciter alloquentem, ac requirentem, utrum faciem ipsius agnosceret, et an antiphonam illam Virginis gloriosæ : *Salve Regina mater misericordiæ*, sciret ad honorem ejusdem virginis recitare. Qua respondente se habere notitiam de utrisque : Incipe, ait sanctus, antiphonam sacram, et antequam compleas, paries cum salute. Ad hanc vocem evigilavit mulier, et cum timore cœpit dicere : *Salve Regina mater misericordiæ*. Cumque illos misericordes oculos precaretur, fructumque commemoraret uteri virginalis, continuo cunctis liberata pressuris, infantem speciosum peperit, gratias agens Reginæ misericordiæ, quæ per B. Francisci merita ipsius fuerat dignata misereri.

De cœcis illuminatis.

In conventu fratrum Minorum Neapoli, cum quidam frater, Robertus nomine, cæcus annis plurimis extitisset, crevit in oculis ejus caro superflua, motum et usum impediens palpebrarum. Cum igitur fratres forenses ad diversas mundi partes tendentes, ibidem plurimi convenissent, beatus pater Franciscus speculum obedientiæ sanctæ, ut eos miraculi novitate hortaretur ad iter, prædictum fratrem ipsis præsentibus tali modo curavit. Jacebat nocte quadam frater Robertus prædictus æger ad mortem, jamque sibi fuerat anima commendata : tum ecce astitit ei B. pater cum tribus fratribus omni sanctitate perfectis, videlicet S. Antonio, fratre Augustino, et fratre Jacobo de Assisio, qui sicut eum perfecte fuerant secuti, dum viverent, ita et ipsum alacriter comitabantur post mortem. Accipiens cultellum S. Franciscus, carnem superfluam resecavit, lumen restituit pristinum, et a mortis eum fauce reduxit, dixitque illi ; Fili Roberte, gratia, quam tecum feci, signum est fratribus ad remotas nationes euntibus, quod ego præcedam eos, et ipsorum dirigam gressus. Vadant, inquit, gaudenter, et injunctam obedientiam alacri animo exsequantur.

Apud Thebas in Romania, mulier cæca vigiliam S. Francisci in pane tantum et aqua jejunans ad ecclesiam fratrum Minorum, summo mane festivitatis, a viro suo perducta est. Quæ dum missa celebraretur, in elevatione corporis Christi oculos aperuit, clare vidit, devotissime adoravit. In ipsa vero adoratione, voce magna proclamans : Gratias, inquit, Deo, et sancto ejus, quia video corpus Christi, omnibus, qui aderant, in voces exultationis conversis. Post sacrorum expletionem, reversa est mulier ad domum suam, cum gaudio spiritus, et lumine oculorum. Exultabat quidem mulier, non solum quia lucis corpo-

reæ recuperarat aspectum, verum etiam quia sacramentum illud mirificum, quod est lumen animarum verum et vivum, respectu primario per B. Francisci merita, fidei suffragante virtute, meruerat intueri.

In Campania puer quidam quatuordecim annorum, de castro Pophis, subita vexatus angustia, sinistrum oculum amisit ex toto. Passionis acerbitas, sic de loco suo propulit oculum, quod per octo dies extra, nervo relaxato, longitudine digiti unius ad maxillas dependens pene aridus est effectus. Sed cum sola superesset abscissio, et a medentibus foret penitus desperatus, pater ejus ad auxilium B. Francisci tota se mente convertit. Non defuit illi indefessus miserorum adjutor precibus supplicantis. Nam oculum aridum, mirabili virtute in locum suum, pristinumque vigorem restituit, et lucis optatæ radiis illustravit.

In eadem provincia apud Castrum, magni ponderis lignum ex alto prorupit, et cujusdam sacerdotis caput gravissime quassans, sinistrum oculum excæcavit; qui humi dejectus cœpit alta voce sanctum Franciscum luctuose clamare, dicens : Succurre, pater sanctissime, ut ad festum tuum ire valeam, sicut fratribus tuis ire promisi. Erat enim vigilia sancti. Qui statim exsurgens peroptime liberatus, in vocem prorupit laudis et gaudii, et circumstantes omnes, qui ejus miseriæ condolebant, in stuporem convertit et jubilum. Ivit ad festum narrans omnibus, quam in se expertus fuerat clementiam et virtutem.

Vir quidam de monte Gargano dum in vinea sua laborans, lignum quoddam ferro succideret, proprium percussit oculum, et sic divisit per medium, ut quasi media pars ipsius exterius dependeret. Cumque in tam desperato periculo desperaret sibi posse per hominem subveniri, jejunaturum se in festo S. Francisci, si ei succurreret, repromisit; statim in loco debito viri oculum sanctus Dei restituit, sicque divisum rejunxit et lumine pristino decoravit, ut nullius læsionis vestigia remanerent.

Filius cujusdam nobilis viri a nativitate cæcus, meritis B. Francisci lumen accepit optatum : qui nomen ab eventu sortitus, Illuminatus vocatus est. Assumpsit postea cum in ætate esset Ordinem B. Francisci, accepti beneficii non ingratus, tantumque profecit in lumine gratiæ et virtutis, ut veræ lucis filius videretur. Tandem B. patris promerentibus meritis sanctum initium fine sanctiori conclusit.

In Zachanto, quod est castrum juxta Anagniam, miles quidam, Gerardus nomine, oculorum lumen ex toto perdiderat. Accidit autem ut duo fratres Minores ab exteris partibus venientes ad domum ipsius hospitaturi diverterent. Suscepti itaque devote, propter reverentiam S. Francisci a familia tota, et cum omni benignitate tractati, gratias agentes Deo et hospiti, ad locum fratrum devenere. Nocte igitur quadam, B. Franciscus uni fratrum illorum in somnis apparuit, dicens : Surge, festina cum socio ad domum hospitis nostri, qui Christum et me suscepit in vobis; volo enim beneficia rependere pietatis; cæcus quidem effectus, suis promerentibus culpis, quas pœnitentiali non studuit confessione purgare.

Disparente quoque patre, frater festinus surrexit, ut mandatum cum socio celeriter adimpleret; venientesque ad hospitis domum, cuncta, quæ viderat alter, per ordinem narraverunt eidem. Stupuit vir ille non modicum, et universa quæ dicebantur, vera esse confirmans, compunctus ad lacrymas confessus est libens. Tandem correctione promissa interiorique homine totaliter renovato, exteriorem continua recuperavit aspectum. Hujus miraculi fama circumquaque diffusa, non solum ad reverentiam sancti, verum etiam ad confessionem humilem peccatorum, et hospitalitatis gratiam plurimos incitavit (1).

(1) Quod sequitur ex editionibus Vaticana et Suriana S. Bonaventuræ non esse videtur. Itaque e texto rescisum est, et in notis positum :

Quidam pro furti calumnia cæcatus fuit, rigore justitiæ sæcularis apud Assisium; Othone milite per ministros publicos sententiam Octaviani judicis de eruendis accusato oculis exsequente. Qui taliter deformatus, effossis oculis, præcisis nervis opticis etiam cum cultello, ductus ad altare beati Francisci, implorata ipsius clementia, et sua in prædicti criminis impositione, innocentia allegata, sancti ipsius merito infra triduum, novos recepit oculos, minores quidem illis, quibus orbatus fuerat, sed non minus limpide visus officium exercentes. Hujus autem stupendi miraculi testis fuit prænominatus miles Otho, juramento ad hoc adstrictus, coram domino Jacobo abbate S. Clementis, auctoritate domini Jacobi episcopi Tiburtini de ipso miraculo inquirente. Testis etiam extitit ejusdem miraculi frater Guillelmus Romanus a fratre Hieronymo Esculano, generali ministro Ordinis fratrum Minorum, ad veritatem dicendam, quam

De liberatis a diversis infirmitatibus.

Apud castrum Plebis, juvenis quidam mendicus surdus erat et mutus a nativitate sua, qui linguam adeo curtam habebat ac tenuem, quod multotiens exquisita a pluribus, præcisa penitus videretur. Vir quidam, Marcus nomine, ipsum propter Deum suscepit hospitio : qui eum sibi benefacere sentiens, cœpit cum ipso assiduus demorari. Sero quodam, cum prædictus vir cœnaret cum conjuge, astante puero coram eis, dixit uxori : Hoc ego maximum miraculum reputarem, si beatus Franciscus huic auditum redderet, et loquelam. Et adjecit : Voveo Deo, quod si hoc sanctus Franciscus dignabitur operari, propter amorem suum huic puero expensas conferam, donec vivet. Mirum certe! Subito lingua crevit, et locutus est, dicens : Gloria Deo, et sancto Francisco, qui mihi loquelam præbuit, et auditum.

F. Jacobus de Iseo, cum puerulus esset, in domo paterna, incurrit rupturam corporis valde gravem. Superno vero afflatus spiritu, licet esset juvenis et infirmus, Ordinem S. Francisci devotus intravit; nulli tamen qua urgebatur infirmitatem detexit. Factum est autem cum corpus sancti Francisci transferretur ad locum, ubi pretiosus sacrorum ossium ejus nunc thesaurus est conditus, adfuit, et tunc dictus frater translationis gaudiis, ut glorificati jam patris corpori, honorem debitum exhiberet. Et appropinquans tumbæ, in qua ossa sacra fuerant collocata, præ devotione spiritus, sacrum tumulum complexatus, et cum lacrymis multis orans subito, miro modo ad loca debita partibus revocatis, sanum se sensit, succinctorium deposuit, et ex tunc ab omni dolore præterito liber fuit. Ab infirmitate quoque consimili, frater Bartholus de Eugubio, frater Angelus de Tuderto, Nicolaus sacerdos de Stichano, Joannes de Fora, vir quidam de Pisis, et alius de castro Cisternæ, Petrus quoque de Sicilia, et homo quidam de castro Spelli juxta Assisium, et quamplures alii per Dei misericordiam et B. Francisci merita extiterunt mirabiliter liberati.

In Maritima, mulier quædam mentis alienationem per quinquennium passa, visu et auditu privata est, indumenta dilaniabat dentibus, ignis et aquæ periculum non timebat, et caduci morbi ad summum incurrerat horribilem passionem. Nocte vero quadam, cum disponeret sibi divina misericordia misereri, salutaris fulgore lucis superillustrata divinitus, vidit beatum Franciscum super solium sedere sublime, ante quem prostrata sanitatem suppliciter exposcebat. Illo vero nondum favente precibus, firmavit mulier votum, promittens pro Dei amore, ac sancti, petentibus, donec haberet, eleemosynam non negare. Illico sanctus pactum recognovit, quod olim cum Domino fecerat simile, et signans eam crucis signaculo, integram sibi restituit sanitatem. A consimili passione puellam quamdam de Nursia, et filium cujusdam nobilis viri, et alios quosdam, relatione veridica compertum est sanctum Dei Franciscum misericorditer liberasse.

Petrus de Fulgineo ad visitandum limina beati Michaelis quodam tempore pergens, dum minus reverenter peregrinationem peregit, fontis cujusdam aquam degustans, a dæmonibus est invasus. Et exinde per tres annos obsessus, discerpebatur in corpore, pessima loquens, et horrenda prætendens, habens aliquando lucida intervalla, beati virtutem, quam efficacem audierat ad effugandas aereas potestates, humiliter requisivit : et ad sepulcrum pii patris accedens, mox ut illud contigit manu, e dæmonibus crudeliter eum discerpentibus mirifice liberatus fuit. Simili etiam modo, mulieri cuidam de Narnio habenti dæmonium, misericordia Francisci subvenit, et aliis pluribus, quarum vexationum angustias, et curationum modos, longum esset per singula enarrare.

Vir quidam nomine Bonus, homo de civitate Fani, paralyticus et leprosus, ad ecclesiam beati Francisci a parentibus deportatus, utriusque morbi plenam consecutus est sanitatem. Sed et alius juvenis

circa hoc noverat, præcepto et excommunicationis sententia obligatus. Qui taliter adstrictus coram pluribus ministris provincialibus, ejusdem Ordinis, et aliis magni meriti fratribus, affirmavit, se dudum, adhuc sæcularem existentem, vidisse eum habentem oculos, et postmodum actu executionis injuriam patientem, ac se, excæcati oculos in terram projectos curiose cum baculo revolvisse, et postmodum virtute divina, eumdem, novæ lucis receptis oculis videntem clarissime conspexisse.

quidam Acto nomine, de Sancto Severino, totus leprosus, voto emisso, et ad sepulchrum sancti delatus, meritis ipsius a lepra mundatus est. Habuit quidem sanctus supra hujusmodi morbo curando præcellentem virtutem, pro eo quod humanitatis et pietatis amore leprosorum obsequiis semetipsum humiliter deputarat.

Nobilis quædam mulier, Rogata nomine, in episcopatu Sorano per viginti tres annos fluxu sanguinis fatigata, sed a quam pluribus medicis quamplurima mala perpessa; præ nimietate quidem languoris, sæpius videbatur expirare. Sed et si quando fluxus hujusmodi stringebatur, tumescebat corpore toto. Audiens autem quemdam puerum, romano sermone canentem miracula, quæ Deus per B. Franciscum fuerat operatus, nimio dolore commota, tota prorupit in lacrymas, sicque intra se fide accensa, dicere cœpit : O beate pater Francisce, qui tantis coruscas miraculis, si me digneris ab hac ægritudine liberare, magna tibi accrescet et gloria, quoniam adhuc tantum miraculum non fecisti. Quid plura? His dictis, sensit se B. Francisci meritis liberatam. Filium quoque ipsius, Marcum nomine, qui brachium habebat contractum, S. Franciscus voto ad ipsum emisso, sanavit. Fœminam etiam quamdam de Sicilia per septennium fluxu sanguinis fatigatam, beatus Christi signifer salvam fecit.

In urbe Roma, Praxedes quædam nomine, religiositate famosa, quæ a tenella ætate propter æterni Sponsi amorem, arcto se carcere per quadraginta jam fere annos abdiderat, apud B. Franciscum, gratiam promeruit spiritualem. Nam cum die quadam pro rebus opportunis solarium suæ cellulæ conscendisset, et impulsione phantastica corruens, cum fractum haberet pedem cum crure et humerum a positione debita sequestratum, apparuit ei benignissimus pater vestimentis gloriæ candidatus, et dulcibus affatibus alloqui cœpit eamdem : Surge, inquit, filia benedicta, surge ne timeas. Et apprehensa manu ipsius, allevans eam, disparuit. Ipsa vero per cellulam suam huc atque illuc se convertens, putabat se visum videre, usquequo ad clamorem ipsius apportato jam lumine, perfecte se sentiens per servum Dei Franciscum esse sanatam, cuncta quæ acciderant per ordinem enarravit.

De non observantibus festum, et non honorantibus sanctum.

In Pictaviæ partibus, in villa quæ Simo dicitur, sacerdos quidam, Reginaldus nomine, beato Francisco devotus, festum ipsius parochianis suis indixerat solemniter celebrandum. Unus autem de populo ignorans sancti virtutem, sui parvipendit sacerdotis mandatum. Egressus autem foras in agrum, ut ligna succideret, cum se præparasset ad opus, vocem audivit hujusmodi ter dicentem : Festum est, operari non licet. Verum cum nec imperio sacerdotis, nec supernæ vocis oraculo, servilis temeritas frænaretur, addidit divina virtus ad gloriam sancti sui, sine mora miraculum et flagellum. Mox enim ut furcam una manu jam tenens, alteram cum ferreo instrumento levavit ad opus, sic divina virtute utraque manus utrique instrumento cohæsit, ut ad neutrius dimissionem digitos aliquatenus relaxare valeret. Stupefactus nimis, et quid ageret nesciens, ad ecclesiam multis undique ad videndum prodigium concurrentibus, properavit. Ubi mente compunctus ante altare, quodam ex assistentibus sacerdote monente (plures quippe ad festum vocati convenerant sacerdotes), beato Francisco se humiliter devovit; tria, sicut ter vocem audierat, vota vovens quod scilicet festum ipsius coleret quod ad illam, in qua tunc erat, ecclesiam in festo veniret, et quod sancti corpus personaliter visitaret. Mirum certe relatu! Uno emisso voto unus digitus factus est liber; ad secundi emissionem, solutus est alius; sed tertio facto voto, laxatus est tertius; et postmodum tota manus, necnon et altera subsequenter, populo, qui jam multus advenerat, sancti clementiam devotissime implorante. Sic homo pristinæ redditus libertati per seipsum instrumenta deposuit; cunctis laudantibus Deum, virtutemque sancti mirificam, qui tam mirabiliter percutere poterat, et sanare. Ipsa vero instrumenta usque hodie coram altari ad honorem B. Francisci fabricato, idem in memoriam sancti dependent. Plura quoque illic, et in locis vicinis patrata miracula et sanctum in cœlis ostendunt eximium, et festum ipsius in terris venerabiliter excolendum.

In civitate quoque Cenomanensi, dum in solemnitate Francisci, mulier quædam ma-

nus ad colum extenderet, et digitis apprehenderet fusum, obrigescentibus manibus, cœperunt digiti magnis ardoribus cruciari. Igitur pœna docente, sancti recognoscens virtutem, corde compuncta, cucurrit ad fratres. Cumque pro salute ipsius devoti filii sancti patris clementiam precarentur, incolumis effecta est statim : nec aliquid læsionis remansit in manibus, nisi ad facti memoriam, solum vestigium combusturæ. Simili etiam modo in Campania majori, mulier quædam, et in villa Oletti mulier altera, et in castro Pyllei, tertia, dum beati patris festum celebrare contemnerent, prævaricantes primum mirabiliter sunt punitæ, sed postmodum pœnitentes, per sancti Francisci merita mirabilius liberatæ.

Miles quidam de Burgo in provincia Massæ, beati Francisci operibus, et miraculorum signis impudentissime detrahebat. Inferebat multa opprobria peregrinis, ad ipsius memoriam venientibus, et contra fratres publica garriebat insania. Cum autem semel sancti gloriam impugnaret, addidit super peccata sua blasphemiam detestandam : Si verum est, inquit, quod Franciscus iste sit sanctus, gladio cadat hodie corpus meum ; si vero sanctus non est, evadam incolumis. Non distulit ira Dei condignum inferre supplicium, cum jam facta fuisset oratio in peccatum. Mora enim modica interjecta, dum blasphemus nepoti suo inferret injuriam, accepit ille gladium et patrui visceribus cruentavit. Eodem die mortuus est sceleratus, inferni mancipium, et filius tenebrarum, ut cæteri discerent miranda Francisci opera, non blasphematoriis verbis impetere, sed devotis laudibus honorare.

Judex quidam nomine Alexander, dum a beati Francisci devotione, quos poterat venenata lingua retraheret, divino judicio lingua privatus, per sex annos obmutuit. Qui cum in eo quod peccaverat, torqueretur, alta pœnitudine revocatus dolebat, se contra sancti miracula oblatrasse. Itaque non perstitit misericordis indignatio sancti, sed pœnitentem, ac se humiliter invocantem, restituta loquela, recepit ad gratiam. Ex tunc linguam blasphemam consecravit laudibus sancti, devotionem simul et disciplinam recipiens per flagellum.

De quibusdam aliis miraculis diversorum generum.

In castro Galiani Valvensis diœcesis, mulier quædam nomine Maria, quæ Christo Jesu, et B. Francisco famulatu devoto subjecta, una dierum æstivo tempore exiit, ut manibus conquireret propriis necessarium victum. Cum igitur fervente nimium æstu, sitis deficere cœpisset ardoribus, omni privata beneficio poculi, pro eo quod in monte arido sola esset, quasi exanimis humi prostrata, patronum suum sanctum Franciscum invocabat pio mentis affectu. Dum autem perseveraret mulier in affectuosa et humili prece, labore, siti, et æstu fatigata quamplurimum, paululum obdormivit; et ecce S. Franciscus adveniens, et eam vocans ex nomine : Surge, inquit, et bibe aquam, quæ divino munere tibi ac pluribus exhibetur. Ad hujus vocis auditum surrexit mulier a somno, non modicum confortata, et accipiens silicem, quæ juxta se erat, radicitus evulsit a terra, effodiensque ligno parvulo circumquaque, viventem reperit aquam, quæ cum primo videretur parvula stilla, subito divina virtute crevit in fontem. Bibit itaque mulier, et satiata oculos lavit, quos cum longa prius haberet ægritudine obumbratos, nova ex tunc sensit luce perfusos. Festinavit ad domum mulier, tam stupendum miraculum ad gloriam sancti Francisci denuncians universis. Concurrerunt undique multi ad miraculi famam, experientia magistra discentes mirabilem illius aquæ virtutem, dum ad ipsius contactum, confessione præmissa, a variis morborum cladibus plurimi liberabantur. Perseverat usque hodie fons ibi perspicuus, et in honorem beati Francisci ibidem oratorium est constructum.

In Hispania apud Sanctum Facundum, viri cujusdam cerasum arefactam, ad virorem frondium, florum et fructuum contra spem mirabiliter revocavit. Incolas quoque terræ apud Vilesios, a vermium peste corrodentium vineas circumquaque, miraculoso suffragio liberavit. Sacerdotis cujusdam juxta Palentiam horreum quoddam, quod vermibus frumentariis repleri quolibet anno solitum erat, sibi fideliter commendatum penitus expurgavit. Terram quoque domini cujusdam de Petramala in regno Apuliæ, sibi suppli-

citer commendatam, ab odiosa peste bruchorum penitus servavit indemnem : cum tamen in circuitu omnia essent prædicta pestilentia devorata.

Vir quidam Martinus nomine, cum longe a castro suo boves minasset ad pascua, crus unius bovis casu quodam sic fuit desperate confractum, ut nihil esset sibi de remedio aliquo cogitandum. Dum autem pro decoriatione foret sollicitus, et instrumentum cum quo id faceret, non haberet, domum reversus B. Francisco bovis curam reliquit, ipsumque fideli sancti custodiæ fiducialiter commendavit, ne ante suum reditum devoraretur a lupis. Summo itaque mane ad bovem in sylva relictum, cum excoriatore reversus, pascentem ipsum ita reinvenit incolumem, quod nequaquam crus fractum ab altero discernebat. Gratias egit bono pastori, qui diligentem de bove suo curam habuit, et medelam donavit. Succurrere novit humilis sanctus omnibus invocantibus ipsum, nec quantumcumque parvas necessitates hominum dedignatur. Nam viro cuidam de Amiterno, jumentum restituit furto sublatum. Mulieri cuidam de Interduco catinum novum in multas partes casu divisum, integre reparavit. Viro etiam cuidam de monte Ulmi in Marchia consolidavit vomerem in frusta confractum.

In Sabinensi diœcesi, vetula quædam octogenaria erat, cujus filia moriens lactentem infantulum dereliquit. Cum igitur anus paupercula plena esset inopia, et vacua lacte, nullaque esset mulier, quæ sitienti parvulo lactis stillicidium, juxta quod exigebat necessitas, erogaret, quo se verteret vetula penitus ignorabat. Debilitato vero infantulo, nocte quadam omni humano destituta subsidio, ad beati patris Francisci auxilium implorandum, lacrymarum imbre perfusa, tota se mente convertit. Adfuit statim innocentis amator ætatis : Ego, inquiens, sum Franciscus, o mulier ! quem cum tantis lacrymis invocasti. Pone, ait, mammas tuas in ore puerili, quoniam abundanter tibi lac Dominus dabit. Implevit anus sancti mandatum, et statim octogenariæ mammæ lactis copiam effuderunt. Innotuit omnibus mirabile sancti donum, multis tam viris, quam mulieribus, accelerantibus ad videndum. Et quia quod testabantur oculi, lingua impugnare non poterat : excitabantur omnes ad laudandum Deum in sancti sui virtute mirabili, et amabili pietate.

Apud Spoletum vir et uxor, unicum habentes filium, quotidie illum velut hæreditarium opprobrium deplorabant; brachiis siquidem collo connexis, junctisque genibus pectori, et pedibus naribus alligatis, non hominis proles, sed monstrum quoddam potius videbatur. Vehementiori mulier ex hoc afflicta dolore crebris gemitibus clamabat ad Christum, S. Francisci auxilium invocando, ut infelici sibi, et in tali opprobrio constitutæ, succurrere dignaretur. Nocte igitur quadam, cum propter hujusmodi tristitiam, tristis eam somnus arriperet, apparuit ei S. Franciscus, piis eam affatibus mulcens, insuper et suadens, quod ad locum propinquum, suo nomini dedicatum, deferret puerum, ut ex aqua putei loci illius, in nomine Domini superfusus, plenam reciperet sospitatem. Negligente autem illa sancti adimplere mandatum, secundo replicavit id ipsum. Tertio quoque apparens, mulierem cum puero usque ad januam dicti loci, præambulo ducatu perduxit. Supervenientes autem nobiles quædam matronæ devotionis causa ad prædictum locum, eis a muliere præfata diligenter exposita visione, una cum ipsa puerum fratribus præsentarunt, et haurientes aquam de puteo, earum nobilior propriis manibus lavit infantem. Statim puer, omnibus membris ad sua loca perductis, sanus apparuit, et magnitudo miraculi omnibus admirationem induxit (1).

(1) Quod sequitur, ex editionibus Vaticana et Suriana, Bonaventuræ non esse videtur :

Apud Segusiam juvenis quidam de Riparolio, Ubertinus nomine, Ordinem fratrum Minorum ingressus; novitiatus sui tempore, horridi cujusdam perturbatione pavoris incurrit amentiam; totiusque dextræ partis paralysis morbo gravissimo, auditum et linguam cum motu amisit et sensu. Cum autem sic miserabilis, non sine fratrum multa mœstitia per plures dies in lectulo decubasset, B. Francisci solemnitas supervenit, in cujus vigilia, concesso sibi aliquo lucido intervallo, pium patrem licet voce informi, corde tamen fideli, prout poterat, invocabat. Hora vero matutinali, fratribus omnibus in ecclesia laudibus divinis intentis, ecce B. pater habitu fratrum indutus, in infirmariæ loco præfato novitio astitit, lumenque non modicum in habitaculo illo refulsit. Et extensam manum super dextrum illius latus, a capite usque ad pedes suaviter contingendo deducens, digitos in auriculas misit, quodamque in dextro humero impresso charactere : Hoc tibi, ait, signum erit, quod Deus per me, cujus exemplo ductus religionem intrasti, plene te restituit sani-

In castro Chore Ostiensis diœcesis, vir quidam sic crus ex toto perdiderat, ut nullo modo progredi, vel movere se posset. Positus itaque in angustia vehementi, et auxilio desperatus humano : cœpit nocte quadam, ac si præsentem cerneret B. Franciscum, talem coram eo assumere materiam querelandi : Adjuva me, S. Francisce, recolens meum servitium, et devotionem tibi impensam. Nam in asino meo te portavi, sanctos pedes tuos, et sanctas manus tuas osculatus fui, semper tibi devotus, semper benevolus extiti, et ecce morior doloris hujus durissimo cruciatu. His pulsatus querelis, statim adfuit beneficiorum memor, et devotionis gratus, et vigilanti viro cum uno fratre apparuit; ad vocationem ejus se venisse dixit, et tulisse remedia sanitatis. Tetigit locum doloris cum baculo parvulo, qui figuram Thau in se habebat, et fracto mox apostemate, perfectam tribuit sanitatem. Et, quod mirabilius est, sacrum signum Thau impressum super locum sanati ulceris, ad miraculi memoriam dereliquit. Hoc signo S. Franciscus suas consignabat litteras, quoties caritatis causa scriptum aliquod dirigebat.

Sed ecce, dum per diversa miracula gloriosi patris Francisci, mens narrationis varietate distracta decurrit, promerente ipso crucis glorioso signifero, in signum salutis Thau, non sine divina directione pervenit, ut ex hoc possimus advertere, quod sicut crux militanti post Christum, fuit sublimitas meriti ad salutem, sic et triumphanti cum Christo, facta est firmitas testimonii ad honorem. Hoc quippe crucis mysterium magnum et mirum, in quo charismata gratiarum, et merita virtutum, et thesauri sapientiæ et scientiæ tam alta profunditate velantur, ut a mundi sapientibus et prudentibus sit occultum, tam plene fuit huic Christi parvulo revelatum, ut omnis vita ipsius, non nisi crucis vestigia sequeretur, non nisi crucis dulcedinem saperet, non nisi crucis gloriam prædicaret. Vere namque in suæ conversionis principio dicere cum Apostolo potuit : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (Galat., VI, 14). Non minus etiam vere in conversationis progressu addere valuit : *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia* (Ibid., 16). Verissime autem in consummatione potuit subinferre : *Stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.* (Ibid., 17). Sed et illud nos quotidie desideramus ab ipso audire : *Gratia Domini nostri Jesu Christi, cum spiritu vestro fratres. Amen.* (Ibid., 18.)

Gloriare igitur jam secure in crucis gloria Christi, signifer gloriose, quoniam a cruce incipiens, secundum crucis regulam processisti, et tandem in cruce perficiens, per crucis testimonium quantæ gloriæ sis in cœlo, cunctis fidelibus innotescis. Secure jam te sequantur, qui exeunt ex Ægypto : quia per baculum crucis Christi mari diviso deserta transibunt, in repromissam viventium terram, Jordane mortalitatis transmisso, per ipsius crucis mirandam potentiam ingressuri. Quo nos introducat verus populi ductor, et Salvator Jesus Christus crucifixus, per merita servi Francisci. Ad laudem et gloriam unius Dei et trini, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

ADDITAMENTUM

AD VITAM SANCTI FRANCISCI

Juxta editionem P. de La Haye (1641).

I. A civitate Reatina venit [Gregorius] Spoletum, mox Assisium visitatis prius S. Clara et consodalibus, quæ extra urbem ad S. Damianum quotidiano boni nominis incremento sancte vivebant. Nullus harum virginum sanctimoniam magis perspectam exploratamque habuit in ipso pontifice, qui in cardinalatu earum protectorem egit, consilio, re, familiari, et singulari eis adfuit patrocinio. Protracto familiari colloquio cum primicæria Clara tandem subjunxit, eam propter pericula temporum, et eventus

tati. Chordaque illum succingens, quia sine chorda jacebat, dixit ad eum : Surgens ecclesiam intra, ut laudes Deo debitas cum fratribus devotus exsolvas. Quibus dictis, cum puer ipsum manibus vellet contingere, et pedum ejus deosculari vestigia, ut gratias ageret : ab ejus aspectu B. pater abscessit. Et juvenis recuperata sanitate corporis, cum rationis industria, vivacitate sensuum et loquela, ecclesiam ingressus cum multa fratrum et sæcularium admiratione, qui tunc aderant, et juvenem paralyticum viderant et amentem, laudibus divinis interfuit : et per ordinem narrato miraculo, multos ad Christi et beati Francisci devotionem accendit.

sæculorum debere possessiones admittere, quas spopondit se plene et abundanter elargiturum. Fortissimo et constanti illa restitit animo majorem omni possessione, dicens, esse paupertatem, neque ullum hoc thesauro esse securiorem. Suspicatus pius Pontifex propterea tenaciter inhæsisse paupertati, quod ei servandæ perpetuo se obstrinxerit voto addidit : si votum formidas carissima filia, nos te a voto absolvimus. Sancte pater, inquit illa, nequaquam a Christi sequela in perpetuum, sed a peccatis meis absolvi desidero.

Urbem ingressus, magno exceptus apparatu, recta perrexit ad sepulchrum S. Francisci, cujus vitæ sanctitatem longa experientia compertam habebat, et cujus gloria magis magisve in dies singulos crescebat miraculorum frequentia. Longa oratione viri sancti patrocinio commendato Ecclesiæ statu in tanto rerum turbine, statim ibidem iniit cum comitibus, cardinalibus sermonem de prodigioso notissimæ sanctitatis homine canonizando. Debita itaque præmissa inquisitione examinantur miracula, quæ facile fuit conscribere, dum ex ipsa civitate, rure suburbano, et locis vicinis plurimi, sancti viri intercessione magna et mirabilia obtinuerint a Domino beneficia. Exactam rerum discussionem commisit iis cardinalibus, qui minus favebant tanti negotii accelerationi. Interim Perusium abit Pontifex, quædam commodius dispositurus circa Frederici contumaciam, vel flectendam, vel frangendam. Habito ibi pleno consistorio circa processus validitatem, et communi omnium administrorum addito consensu de connumerando inter cœlites viro sancto, cum universa curia rediit Assisium, quo jam ad rei novitatem et solemnitatem innumera heroum, prælatorum, ac universæ gentis ex multis regionibus convenit multitudo.

Dum viri sanctitatem impensius Pontifex expendit, et singularem ejus prærogativam in Christi acceptis vulneribus admirabundus secum extollit, circa vulnus laterale quòd oculis non vidit, cœpit dubitabundus hæsitare. Nocte quadam apparuit ei in somnis indignato, commotoque vir sanctus; et hæsitationem cordis ipsius redarguens, elevavit brachium dextrum, detexit vulnus, phialamque poposcit ab ipso, ut scaturientem reciperet sanguinem, qui ex latere defluebat. Obtulit in visione summus Pontifex phialam postulatam; quæ usque ad summum, sanguine profluente de latere videbatur impleri. Ex tunc ad illud sacrum miraculum tanta cœpit devotione affici et æmulatione fervere, ut nullo modo pati posset, quod aliquis præfulgentia illa sacra signa, superba præsumeret impugnatione fuscare, quin eum severa increpatione feriret.

Magna cum solemnitate præparatis secundum Pontificis majestatem, et in virum sanctum affectum, rebus omnibus quæ in tanto exponuntur theatro, in ipsa ecclesia S. Georgii ex alto solio gravissimum habuit Pontifex ad universam multitudinem de sancti viri laudibus sermonem, ab illis verbis exorsus : *Quasi stella matutina in medio nebulæ, et quasi luna plena in diebus suis, et quasi sol refulgens, sic et iste refulsit in templo Dei.* (Eccl. L, 6, 7.) Completo sermone ex eminenti loco, Octavianus cardinalis diaconus consobrinus Innocentii III, ab eodem creatus tituli Sanctorum Sergii et Bacchi, miracula fideli examine probata, quæ nos dabimus statim, populo recitavit. Deinde Rainerius Cappoccius Viterbiensis, diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmedin, ab eodem Innocentio assumptus, qui arctam habuit cum S. Dominico necessitudinem, multisque functus est pro Ecclesia muneribus, in confirmationem et gloriam tantorum miraculorum doctam recitavit orationem : dum dixit multis ex imo corde tractis singultibus præ summo in sanctum virum amore, surgens ex solio Pontifex præmissa devota et brevi oratione, deinde in pedes erectus sublatisque in cœlum oculis et manibus alta voce intonavit : « Ad laudem et « gloriam omnipotentis Dei, Patris et Filii, « et Spiritus Sancti, et gloriosæ Virginis « Mariæ, et beatorum Apostorum Petri et « Pauli, ad honorem Ecclesiæ Romanæ bea- « tissimum patrem Franciscum, quem Do- « minus glorificavit in cœlis, venerantes in « terris, de consilio fratrum nostrorum, et « aliorum prælatorum in catalogo sancto- « rum decrevimus adnotandum, et festum in « die obitus sui celebrari. » Statim cardinales *Te Deum laudamus* incipiunt, et populi in varias laudes voces depromunt. Descendit de solio Pontifex, et per inferiores gradus sanctuarium concameratum, ubi sanctum corpus conditum erat, intravit, ubi

prostratus coram arca, in qua custodiebatur, eam exosculatus multa vota obtulit et donaria. Addit Albertus Stadensis Pontificem cum cardinalibus corpus ex ipsa tumba levasse; fortasse id factum, ut satisfieret cardinalium et virorum principum votis, viderentque in integro corpore pulchra illa Christi vestigia.

Adnotarunt plures auctores canonizationis formam et solemnitatem; neque id mirum, quia ultra omnes fuit maxima, ut adnotavit Joannes de Florentia in opusculo de hac re MS. primo ex insolitis cæremoniis, nam eousque recitatis approbatisque in secreto cardinalium consistorio canonizandi miraculis, adscribebatur absque tanto apparatu numero sanctorum. Secundo, ex tanta Pontificis dignatione, ut personaliter cum tota curia venerit ad hoc munus Assisium, atque ipse viri sancti vitam et laudes ad populum dixerit, plurima recensens magna animi teneritudine, quæ viventem adhuc fecisse vidit aut cognovit ex arcta cum eo necessitudine. Tertio, ex præsentia corporis ipsius sancti patris, quod fortasse paucis aut nullis canonizatorum evenit. Quarto, ex plurima attestatione et conclamatione hominum ipsorumque cardinalium, qui ante biennium sanctum virum viderunt, cognoverunt, stigmatizatum probarunt. Ex his fidelissimus, omni acceptione major testis fuit Raynaldus ex comitibus, Pontificis nepos, qui ante cardinalatum Francisco familiaris fuit, et in viventis corpore stigmata perspexit, velut ipse jam Pontifex, Alexander IV renunciatus, publica concione dixit ad populum.

II. - BULLA CANONIZATIONIS

Sancti Francisci, ejusque diei festi institutio.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, etc.

Miranda circa nos divinæ pietatis dignatio, et inæstimabilis dilectio caritatis, qua Filium pro servo tradidit redimendo, dona suæ miserationis non deserens, et vineam dextera ejus plantatam continua protectione conservans, in illam qui salubriter ipsam excolant, evellentes sarculo ac vomere, quo Samgar sexcentos Philisthæos percussit, spinas et tribulos ex eadem, operarios etiam in undecima hora transmittit, ut superfluitate palmitum resecata, et vitulaminibus spuriis radices altas non dantibus, necnon sentibus extirpatis, fructum suavem efferat et jucundum, qui prælo patientiæ defæcatus in æternitatis cellarium transferatur : impietate profecto velut igni succensa, et frigescente caritate multorum, in ejusdem maceriam diruendam, irruentibus Philisthæis, portione terrenæ cadentibus voluptatis.

Ecce in hora undecima Dominus, qui cum diluvii aqua terram deleret, justum per lignum, contemptibilem gubernavit, super sortem justorum virgam peccantium non relinquens, excitavit servum suum beatum Franciscum virum utique secundum cor suum, apud cogitationes divitum lampadem quidem contemptam, sed paratam ad tempus statutum, illam in vineam suam mittens, ut ex ipsa spinas et vepres evelleret, prostratis illam impugnantibus Philistæis, illuminando patriam, et reconciliari Deo, exhortatione sedula commonendo.

Qui audita interius voce invitantis amici, impiger surgens, mundi vincula blandientis, quasi alter Samson, gratia divina præventus dirupit, et spiritu fervoris concepto, asinique arrepta mandibula, prædicatione siquidem simplici, nullis verborum persuasibilium humanæ sapientiæ coloribus adornata, sed tamen Dei virtute potenti, qui infirma mundi eligit, ut fortia quæcumque confundat, non tantum mille, sed multa millia Philisthinorum, eo qui tangit montes, et fumigant, faciente, prostravit, et in spiritus servitutem redegit, carnis illecebris antea servientes. Quibus vitiis mortuis, et Deo viventibus, jam non ipsis, quorum pars pessima periit, ex mandibula ipsa egressa copiosa est aqua, reficiens, abluens, et fecundans lapsos, sordidos, et arentes : quæ in vitam æternam saliens absque argento et commutatione aliqua potest emi : cujus rivuli longe lateque diffusi, vineam irrigant, usque ad mare palmites, et usque ad flumen propagines extendentem.

Hic denique patris nostri Abrahæ imitatus vestigia, mente de terra, et cognatione sua, necnon domo patris ejus egrediens, iturus in terram quam sibi Dominus divina inspiratione monstraret, ut expeditius curreret ad bravium vocationis cœlestis, et per angustam portam posset faci-

lius introire, sarcinam terrenæ substantiæ deposuit, se illi conformans, qui cum dives esset, pro nobis factus est pauper, eamque dispersit, dedit pauperibus, ut sic ejus justitia in sæculum sæculi permaneret. Et in terram visionis accedens, super unum sibi montium demonstratum, videlicet excellentiam fidei, carnem suam, quasi filiam unigenitam, quæ ipsum interdum deceperat, cum Jephte Domino in holocaustum obtulit, igne supposito caritatis, illam fame, siti, frigore, ac nuditate, vigiliis multis et jejuniis macerando, qua cum vitiis et concupiscentiis crucifixa, dicere poterat cum Apostolo : Vivo ego, jam non ego, vivit autem in me Christus : quoniam jam non sibi vixerat, sed Christo potius, qui pro peccatis nostris mortuus est, et resurrexit propter justificationem nostram, ut nullatenus peccato ulterius serviamus. Vitia quoque supplantans, contra mundum, carnem, et potestates aereas luctamen assumens viriliter, uxore, villa, bobus, a cœna magna retrahentibus invitatos, penitus abdicatis, cum Jacob Domino jubente surrexit; et gratia Spiritus septiformis accepta, octoque sibi assistentibus beatitudinibus evangelicis, Bethel domum Dei, quam seipsum præparavit eidem, per quindecim gradus virtutum, qui mystice in Psalterio continentur, ascendit : et ibidem altare cordis Domino construens, aromata devotarum orationum obtulit super eo, per manus angelicas in conspectu Domini deferenda, concivis angelicus mox futurus.

Ne vero sibi soli proficeret in monte, tantummodo Rachel amplexibus inhærendo, contemplationi pulchræ quidem, sed sterili, ad Liæ interdictum descendit cubiculum, minaturus gregem gemellis fœtibus fœcundatum ad interiora deserti pro vitæ pascuis perquirendis, ut illic ubi manna cœlestis dulcedinis reficit a sæcularium strepitu segregatos, cum lacrymarum effusione semina sua mittens, cum exultatione manipulos ad æternitatis horrea reportaret, cum populi sui principibus collocandus corona justitiæ coronatus. Qui nimirum non quæ sua sunt quærens, sed potius quæ sunt Christi, et eidem velut apis argumentosa deserviens, necnon quasi stella matutina in medio nebulæ, ac quasi luna plena in diebus suis, et sicut sol in Ecclesia Dei fulgens, lampadem et tubam in manus assumpsit, ut lucentium operum documentis humiles attraheret ad gratiam, et protervos a noxiis retraheret excessibus, dura increpatione terrendo. Ac sic virtute caritatis afflatus, in castra Madianitarum, Ecclesiæ judicium declinantium, per contemptum, eo juvante, qui dum virginali utero clauderetur, mundum suo circuibat imperio universum, intrepidus irruit, et abstulit arma, in quibus confidebat fortis armatus, atrium suum custodiens, et distribuit spolia quæ tenebat, ejusque captivitatem captivam reduxit in obsequium Jesu Christi.

Hoste itaque triplici in terra positus superato, regno cœlorum vim intulit, et illud rapuit violenter, et post hujus vitæ quamplura gloriosa certamina, de mundo triumphans, feliciter migravit ad Dominum, multos præveniens scientia præditos scienter nescius, et sapienter indoctus.

Sane licet ejus vita tam sancta, tam strenua et præclara sibi sufficeret, ad obtinendum consortium Ecclesiæ triumphantis, quia tamen militans, quæ solummodo videt in facie, non præsumit de his qui de suo foro non sunt, auctoritate propria judicare, ut illos pro vita, tantum venerandos assumat, præsertim, quia nonnunquam angelus sathanæ in lucis angelum se transformat; omnipotens et misericors Deus, de cujus munere venit, quod prædictus famulus Christi, digne sibi et laudabiliter deservivit, tantam lucernam absconsam sub modio remanere non patiens, sed eam volens super candelabrum collocari, his qui sunt in domo luminis, solatium præbituram, vitam ejus sibi fuisse acceptam, et ipsius memoriam esse a militanti Ecclesia venerandam, multis et præclaris miraculis declaravit.

Cum igitur gloriosæ vitæ ipsius insignia, ex multa familiaritate, quam nobiscum habuit in minori officio constitutis, plene cognita nobis essent, et de miraculorum coruscatione multiplici per testes idoneos nobis facta fuerit plena fides, confidentes per Dei misericordiam, nos, et gregem nobis commissum, ejus suffragiis adjuvari, et quem familiarem habuimus in terris, habere patronum in cœlis; habito fratrum nostrorum consilio et assensu, ipsum adscribi decrevimus Sanctorum catalogo venerandum.

Statuentes, ut quarto nonas octobris, die videlicet, quo a carnis ergastulo absolutus, ad ætherea regna pervenit, ab universali

Ecclesia, natalia ejus devote ac solemniter celebrentur.

Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus, et exhortamur in Domino, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus die prædicto in commemoratione ipsius, divinis laudibus alacriter insistentes, ejusdem patrocinia humiliter imploretis, ut ipsius intercedentibus meritis, ad ejus mereamini consortium pervenire : illo præstante, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen. Datum Perusii, XIV kalend. augusti, pontificatus nostri anno secundo.

III. *De celebrando ubique ejus natali ad universos prælatos diploma.*

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, archipresbyteris, archidiaconis, decanis, et aliis ecclesiarum prælatis :

Sicut phialæ aureæ, quas vidit Joannes plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum, in conspectu Altissimi, ad abolendam nostrorum criminum corruptelam, odorem suavitatis emittunt : ita saluti nostræ credimus plurimum expedire, si eorum in terris celebrem habeamus memoriam, ipsorum merita solemnibus recolentes præconiis, quorum in cœlis speramus intercessionibus assiduis adjuvari. Sane cum de conversatione, vita et meritis beati Francisci, institutoris et rectoris Ordinis Minorum fratrum (qui, juxta consilium Salvatoris, contemptis transitoriis, secundum promissionem ejusdem, ad cœlestia præmia feliciter et æterna pervenit) cujus vita et fama præclara, peccatorum depulsa caligine, ambulantes in regione umbræ mortis de vitiorum tenebris ad pœnitentiæ viam vocans (quorum tam virorum quam mulierum, ad fidem Ecclesiæ roborandam, et confutandam hæreticam pravitatem, vivit et adhuc viget non modica multitudo) tam per vos, quam per multos alios fide dignos, qui miracula, quæ Deus per illius sancti merita operatur, plenius cognoverunt, certiores effecti; auditis etiam virtutibus, et miraculorum insignibus, et quod inter carnales spiritualiter, et inter homines etiam conversationem angelicam habuisset; ipsum, qui cum Christo corporaliter meruit esse in cœlestibus, ne ipsius honori debito et gloriæ detrahere videremur quodammodo, si glorificatum a Domino, permitteremus ulterius humana devotione privari, de fratrum nostrorum consilio, et prælatorum omnium, qui tunc temporis apud Sedem Apostolicam consistebant, Sanctorum catalogo duximus adscribendum. Cum igitur ejus lucerna sic exarserit hactenus in hoc mundo, quod per Dei gratiam, jam non sub modio, sed super candelabrum meruerit collocari; universitatem vestram rogamus, monemus, et hortamur, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus devotionem fidelium ad venerationem ipsius salubriter excitantes, festivitatem ejus quarto nonas octobris singulis annis solemniter celebretis, et pronuntietis constituto die specialiter celebrandam, ut ejus precibus Dominus exoratus, suam nobis tribuat gratiam in præsenti, et gloriam in futuro. Datum Perusii, VII idus julii, pontificatus nostri anno secundo.

IV. *De translatione corporis ejus.*

Intimatum fuit per universam Europam(1) fratribus et viris principibus, summo transferendum solemniter, Pontifice (ut spes erat) præsente, corpus beatissimi viri Francisci recens inter sanctos connumerati, ad novam ecclesiam suo nomini dedicatam, cujus pars inferior seu ecclesia subterranea, in qua ad tutam et secretam custodiam condendus erat hic preciosus thesaurus, jam absoluta erat, et firmiter undique concamerata; celebranda item generalia ordinis comitia, in quibus de rebus gravioribus, et bono ordinis ageretur regimine.

Duplici ex hoc capite convenerunt ultra duo millia fratrum, atque universi hominum status tanta multitudo, ut eos urbs capere non posset, sed in campis sub tentoriis, et turmatim gregum more in rure suburbano illis diebus victitarent. Sed dum Pontificis expectaretur adventus, supervenerunt solemnes ab eo missi nuncii, qui referrent tot implicitum negotiis gravioribus Ecclesiæ et Imperii; adeoque molestas res Frederici, ut ab Urbe non facile liceret abscedere: qui etiam ferrent pretiosa munera ad cohonestandam translationem et adornandam ecclesiam, crucem videlicet auream non medio-

(1) Chron. ant. Mar., c. 3.

cris ponderis opere gemmario elaboratam, pretiosis ornatam lapidibus, sita in medio magna Christi crucis parte; vasa magna argentea, et ministerialia quæque altaris inaurata, antipendium item magni pretii, et pulchra nimis paramenta. His superadditæ, non minori æstimatione dignæ litteræ Pontificis, in quibus virum sanctum ex affectu adeo commendat, ut suum patrem dicat, et verius suum velit quam fratrum Minorum, quibus etiam narrat, solemniter sibi intimatum eumdem virum sanctum nuper in Theutonia mortuum ad vitam revocasse, ad cujus vestigia solerter sectando paterne omnes hortatur, amplas tribuens indulgentias iis, qui translationi interfuerint. Habet has litteras Petrus Rodulphus, fol. 170, et Regestum Vaticanum numero decimo octavo, ubi hæc inscriptio : *Magistro et fratribus Ordinis Minorum in Capitulo generali constitutis*, fortassis ex scriptoris negligentia pro *Ministro* irrepsit verbum illud *Magistro*, Minoribus semper insuetum, et regulæ instituto adversum. Lectori placebit, si ipsas litteras subnectamus, quas etiam alias ad universos dedit fideles usque ad illa verba *ipsius laudibus delectemur* ad perpetuam rei memoriam, et tanti miraculi testimonium :

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ministro et fratribus Ordinis in generali capitulo Constitutis.

Mirificans misericordias suas Dominus, quæ super omnia ejus opera sunt, ut unicæ suæ sponsæ renovet, sicut aquilæ, juventutem, innovat signa, et immutat mirabilia fulgura, et pluviam faciendo, dum Ecclesiæ filios legitime hic certantes feliciter in cœlo coronans, et quorum animas beata immortalitate glorificavit in patria, horum corpora miraculorum coruscatione in terra clarificans, matrem salutis gaudio reficit, et fœcunditatis rore perfundit. Sic enim fides Ecclesiæ roboratur, convalescit spes, et caritas recalescit; sic confutatur hæretica pravitas, lapsus delinquentium cohibetur, et inducitur conversio peccatorum. Quare inter pressuras innumeras, et angustias infinitas quas plus ferre possumus, quam referre, consolationis, et gaudii materiam resumentes, gratias et laudes, quas possumus, referimus Redemptori, qui beatum Franciscum patrem nostrum, et vestrum, forte autem magis nostrum, quam omnium vestrum, adhuc in carne viventem, insignibus præveniens muneribus gratiarum, tanta nunc eum cum ipso regnantem clarificat gloria, quod præter alias virtutes magnificas, nuper in Theutonia ipsius sancti celebri nomine invocato, mortuum mirifice suscitavit, sicut nobis est solemniter intimatum, ut nos in ejusdem sancti magis ac magis pro amore succensi, totis affectibus in ipsis laudibus delectemur, sperantes ut, quos in sæculo extra sæculum vivens, tota mente dilexit, et nos nunc clarius amplexatus, quo illum, qui est vera caritas, vicinius intuetur, pro nobis intercedere non desistat, et vos, quos idem in Christo regenerans, in abundantia divitiarum altissimæ paupertatis reliquit hæredes, gerentes in intimis visceribus caritatis, ad profectum Ordinis vestri aspiramus ardenter, proposita nobis spe, quod orationum vestrarum suffragiis, nostrarum tolerantia passionum nobis proveniet in salutem. Verum, ut patrem laudabiliter imitantes, pervenire mereamini, quo ipse pervenit, universitatem vestram rogamus et obsecramus in Domino Jesu Christo, per Apostolica vobis scripta mandantes, ut quemadmodum accepistis a beatissimo patre vestro, mortificationem Jesu circumferentes in corporibus vestris, ut vita Jesu manifestetur in vobis, veræ humilitatis gloriam amplexati, armemini circumquaque inexpugnabili patientiæ armatura: obedientiam, quæ inter alias observantias regulares præcipua reputatur, nec non alia regularia statuta patris prædicti inviolabiliter servaturi. Cum enim spectaculum facti sitis mundo, Angelis, et hominibus, necesse habetis taliter conservari, ut bene facientes, imprudentum hominum ignorantiam obmutescere faciatis; quin potius ex bonis vos considerantes operibus, glorificetis Deum, et beatum Franciscum dignis laudibus præconizetis. Cæterum cum gloriosissimum corpus sancti prædicti ad ecclesiam, ipsius nomine dedicandam, cupiatis devote transferre, nos desiderium vestrum favore debito prosequentes, quia dignum est, ut veneremur in terris, quem Dominus sic honorat in cœlis, de misericordia Jesu Christi, et beatorum Apostolorum ejus Petri et Pauli auctoritate confisi, omnibus, qui ad translationis ejus solemnia devote convenerint, vel usque ad Nativitatem Virginis gloriosæ proxime venturam ipsius ecclesiam visitaverint,

transfretantibus mare tres annos, transeuntibus Alpes duos, et cæteris unum, et qui in anniversario translationis illuc usque ad octavam diem reverenter accesserint, annum similiter de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Laterani, XVII kalendas junii, pontificatus nostri anno quarto.

V. Ultra hæc bonam misit pecuniæ numeratæ summam ad fabricæ subsidium, et ecclesiam Sancti Georgii, in qua ad illud tempus sancti Francisci corpus requievit, donavit virgini Claræ ejusque sectatricibus, procuratorem suum Assisii constituens, qui contiguum extrueret monasterium, et fabricæ curam ageret, ut religiosæ virgines, tutius viverent intra civitatis mœnia, et ab ædis S. Damiani nimis angusto liberarentur ergastulo. Sed et ecclesiam novam, quæ ædificabatur in sancti institutoris honorem, denuo multiplici gratia, et favore affecit exemptam faciens (quam antea anno secundo sui pontificatus exemit) a quacumque jurisdictione, sibique immediatam, et totius Ordinis caput, ac matrem constituens. Vere tamen antiquitate caput est conventus Sanctæ Mariæ Angelorum, et mater ex instituta primitus ibi religione : sed cœnobium hoc pontificio privilegio utrumque habet dignitate, auctoritate; et ex condito thesauro præcellit. Præclara etiam antithesi in suis litteris locum antea vocatum *collem inferni*, appellat *collem Paradisi*, ut ex subjecto diplomate constabit. Censum annuum, libram unam ceræ in rei memoriam fratres solvunt quotannis. Exemplar exscriptum ex Vaticano, ubi habetur sub numero vigesimo secundo, offero, sed absque tempore concessionis, quod scriptor præteriit, attamen constat ex ipso diplomate datum fuisse ante translationem factam, dum dicit in eo templo debere recondi sancti viri corpus; et si ex ipso regesto divinare licet, datum est circa idus maii, vel eo tempore quo superiores litteræ datæ sunt; etenim in regesto quæ immediate præcedit epistola, data est V idus maii, et quæ proxime sequitur XVI kalendas junii :

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ministro Ordinis fratrum Minorum ejusque fratribus morantibus apud ecclesiam B. Francisci in loco, qui dicitur collis Paradisi, tam præsentibus quam futuris in perpetuum.

Is qui Ecclesiam suam semper nova prole fœcundat, dignatus hæc moderna tempora prioribus conformare, B. Confessoris Francisci spiritum in caritatis amore per inspirantem gratiam excitavit, ut Apostolorum vestigia imitatus in paupertate in qua plus caritas proficit, relictis omnibus solum secutus fuerit æternæ beatitudinis largitorem, et velut fidelis servus et prudens laudabiliter operatus in talentis ei creditis, fructum in Ecclesia Dei attulit copiosum. Ab ipso enim Ordinis vestri sancta plantatio cooperante divina gratia processum habuit et progressum ; qua palmites honestatis longe lateque producens, flores protulit, et odores effudit ad resecanda nociva et salubria inserenda. Cum igitur apud Assisium in fundo nobis et Ecclesiæ Romanæ oblato in loco, qui dicitur *collis Paradisi*, in ejusdem Confessoris honore construatur ecclesia, in qua recondi debet tam pretiosus thesaurus, sanctum videlicet corpus ipsius, qui in tempore iracundiæ factus est reconciliatio, ut pro peccatis populorum fieret intercessor, nos cum dignum sit et congruens ut eadem ecclesia prærogativa libertatis et honoris gaudeat propter eum, quem in cœlis Dominus exaltavit : pro ejus reverentia ecclesiam ipsam sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ecclesia ipsa nulli, nisi Romano Pontifici, sit subjecta, et vestri Ordinis, cujus institutor et pater extitit Confessor prædictus, caput habeatur et mater, ac in ea per fratres ejusdem Ordinis perpetuo serviatur. Prohibemus insuper, ne quis audeat in eamdem ecclesiam excommunicationis vel interdicti sententiam promulgare ; quam si proferre contigerit, tanquam contra Sedis Apostolicæ indulta prolatam, decernimus non tenere. Pro consecrationibus vero altarium, sive pro oleo sancto, vel quolibet alio ecclesiastico sacramento nullus ab eadem ecclesia sub obtentu consuetudinis, vel alio modo quidquam valeat extorquere, sed hæc omnia gratis vobis episcopus diœcesanus impendat, alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem, gratiam et communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis, quod postulatur, impendat. Quod si se-

des diœcesani episcopi forte vacaverit, interim omnia ecclesiastica sacramenta a vicinis episcopis accipere libere, et absque contradictione possitis; sic tamen ut ex hoc in posterum proprio episcopo nullum præjudicium generetur. Quia vero interdum eadem ecclesia non habet loci diœcesani copiam, si quem episcopum Romanæ Sedis, ut diximus, gratiam et communionem habentem, et de quo plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eo benedictiones vasorum, et vestium, consecrationes altarium, ordinationes fratrum clericorum, auctoritate Apostolicæ Sedis recipere valeatis. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis, et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum vestrorum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Ad indicium autem hujus libertatis ab Apostolica Sede perceptæ unius libræ ceræ censum, nobis et successoribus nostris annis singulis persolvetis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus bona auferre, nec ablata retinere, etc. Cunctis autem, etc. Datum Laterani, per manum magistri Martini, S. R. E. vicecancellarii.

VI. Multis præmissis præludiis, magna præparata solemnitate, tandem in profesto Pentecostes die vigesimo quinto maii facta est translatio, elevata e terra magno cum clangore tubarum aliorumque instrumentorum capsa lignea, in qua sanctum corpus occludebatur, impositaque plaustro seu currui pulcherrimo, mira et pretiosa varietate ornato, quem ob ingentem molem trahebant boves purpura cooperti. Vi et armis voluerunt esse præcipui actores in hoc spectaculo cives Assisiates adhibitis multis custodibus, et valida militum manu, caventes ne dolo ullo, aut arte subriperetur, vel præscisis ullis partibus minueretur adeo insignis thesaurus. Constituti erant minister generalis, et alii graves Ordinis patres Pontificis nomine et auctoritate, commissarii hujus translationis, quibus tamen non adeo liberum fuit eam per se facere, nam civitatis rectores id sibi muneris assumpserunt, et ut ventum erat ad ecclesiam restiterunt communi omnium desiderio corpus videre volentium, nam rapientes illud in superbia et tumultu (1) translationis mysterium damnabiliter prophanarunt, non passi a fratribus prædicto corpori debitam venerationem exhiberi, dum omnia perturbarunt, omnia confuderunt. Ita refert Pontifex gravissimo de hac re diplomate, statim subjiciendo, licet aliqui ex nostris culpam omnem rejiciant in Heliam, cui plura ultra veritatem imposita; quod fit frequenter his, qui regunt, præsertim iis, quorum semel deperiit opinio, ut facile quidquid sit mali in eos refundatur, et dubiæ noxæ, quorum actor incertus, illis affigantur. Fortasse in eo laboravit Helias, ut non pateret rapinæ corpus, et ut ab omnium auferretur oculis, ea arte ut nulli innotesceret locus, in quo recondebatur, nec cuniculus, aut ostiolum, per quod descendebatur ad ecclesiam subterraneam. Turbati non parum fratres ex tanto tumultu et fraudato desiderio, nec defuerunt, qui apud Pontificem quererentur, ad quorum relationem vehementer commotus, increpavit aspere Assisiates, jussitque ut coram in Urbe apparerent ex senatu aliqui dignam tanta temeritate pœnam soluturi. Injunxit etiam per piissimas et gravissimas litteras episcopis Perusino et Spoletano, ut curarent plenam satisfactionem dari ipsi Pontifici tantæ injuriæ, quam sibi ait irrogatam. Habetur in ejus Regesto numero 38:

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Perusino, et Spoletano episcopis, etc.

Speravimus hactenus ut potestas, consilium, et populus Assisinatensis multiplicem gratiam, qua eos adhuc in minori officio constituti prævenimus, et sumus continuo prosecuti, sicut convenit, agnoscentes, sectarentur agnitam, reverenter nostris beneplacitis omnimodis obsequendo, ut semper in gratiam crescerent ampliorem. Sed quod non sine amaritudine referimus vehementi, ipsi gratis ingrati, nobis malum

(1) Vide notulam, quæ, post epitaphium sancti Francisci, infra ponitur.

pro bono iniqua vicissitudine rependentes, in eo nos acriter provocarunt, in quo debuerant nobis summo studio potissime complacere. Cum enim beatum Franciscum glorificatum in cœlis, clarificantes in terris ipsum, ascripserimus catalogo Confessorum, et in honorem ejus ecclesiam fundari volentes de manibus nostris lapide ibi primario posito, ipsamque duxerimus eximendam, ut libertatis titulis decorata semper niteret celebris, et insignis, ipsi non attendentes innumera bona, quæ civitati eorum, quin etiam universis et singulis exinde poterant provenire, omnia perturbarunt, omnia confuderunt, in animarum suarum periculum, famæ dispendium et jacturam etiam temporalem. Sciunt siquidem quod nos sanctissimum corpus Confessoris prædicti pio amore venerabiliter amplexantes, translationem ejus dilectis filiis generali ministro, et quibusdam aliis fratribus Ordinis Minorum viris religiosis, et timoratis, tanquam vicariis nostris, commisimus confidenter, cum non nisi auctoritate Apostolicæ Sedis esset translatio facienda, ibique illam concessimus indulgentiam, quæ limina beatorum Petri et Pauli visitantibus, concedi consuevit; sed ipsi vesano spiritu concitati, non attendentes quod sacra mysteria nonnisi a sacris sunt tractanda ministris, prædictum corpus ausu sacrilego rapientes in superbia et tumultu translationis mysterium damnabiliter prophanarunt, non passi a fratribus prædicto sancto venerationem debitam exhiberi. O quæ insania ipsos taliter fascinavit, ut sacerdotale sibi officium usurpantes, rem divinam, Deo contrectarent invito! Nonne sciunt quod Oza inclinatæ arcæ Domini manum apponens, a Domino percussus interiit, qui videbatur utcumque vero similiter excusandus, quia ne arca caderet inclinata manum apposuit adjutricem. Nonne audierunt quod Ozias ingressus templum Domini, quia super altare thymiamatis incensum voluit adolere percussus est lepra, ut perfecte detur intelligi, quod contrectactio divinorum est laicis penitus interdicta. Nonne possunt ex simili culpa pœnas similes formidare? Cæterum ut sciant quam graviter nos, imo Dominum, offenderunt, auctoritatem nobis in sancto prædicto volentes adimere, nos prædictam ecclesiam, quam exemimus, episcopi et capituli Assisinatis subjicimus ditioni, prohibentes ut ibi de cætero nullatenus generale Capitulum celebretur, nec aliqui de fratribus commorentur, et locum supponimus ecclesiastico interdicto, donec nobis de tanta injuria satisfiat. Ne vero contra eos severius procedere compellamur, universitati eorum nostris damus litteris firmiter in præceptis, ut infra quindecim dies post susceptionem earum, viros idoneos universitatis nomine ad nostram præsentiam destinare procurent; paratos satisfactionem plenariam exhibere, ac de stando mandatis nostris præstare sufficientes cautiones. Quocirca fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si potestas, consilium, et populus prædicti præceptum nostrum neglexerint adimplere, vos in potestatem, et consilium excommunicationis, et in terram interdicti sententias, appellatione postposita, promulgantes, faciatis eas usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Laterani, XVI kalendas junii, pontificatus nostri anno quarto.

VII. Quonam modo tunc conditum corpus, nullus quem viderim expressit, nec ex nostris ullus est qui memoriæ tradiderit se illud vidisse, quantumvis non defuerint viri principes, qui illud cernere voluerunt, et obtinuerunt, Ægidius Carillius Albornotius cardinalis Hispanus, vir præclarissimus, perpetuæ etiam inter Italos memoriæ, Nicolaus quintus, et Sixtus quartus Pont. Max., dux Mediolanensis, Franciscus Sforza, et viri quidam Assisiates, quorum unius ego mox testimonium proferam. Refert Rodulphus venisse Pio quinto sancto pontifici in mentem sacrum hoc videre depositum, stricteque mandasse Joanni Pico Camerti ministro generali patrum conventualium, cui auctor tunc erat a secretis, ut in hanc curam obnixe incumberet, si forte inveniret viam tantum adeundi, vel aperiendi thesauri, suffodit die noctuque incessanter bonus ille vir, sed inanis fuit omnis ejus conatus et industria, quia divino numine factum est, ne pretiosum depositum furibus vel hostibus pateret. Similiter legitur de corpore beati Jacobi Compostellæ adeo profundo, et occulto condito loco, ut nequaquam possit illuc quispiam pervenire. Inter nostros, et præcipue in sacra illa æde perpetua

traditio est, et communis consensus cadaver erectum in pedes, integrum, illæsum, oculis apertis, vulneribus recentem manantibus sanguinem adhuc conservari. Ita vidit Nicolaus quintus, et qui cum eo erant, quorum unus sub morte ubi adulari, nec mentiri adeo facile licet, rem omnem narravit. Historiam exceperunt alii, qui ita transcripserunt :

Ad reverendissimum atque ornantissimum D. D. Andriensium episcopum, Franciscus de Bautio, dux Andriæ, Com. P. F.

Scripturus ego ad Pontificis Nicolai progressum (1), qui Seraphici patris Francisci corpus visitaverat personaliter, veritus sum ne, ut parum instructus, tanquam imperitus a probis et gravibus viris arguar. Attamen quoniam in negotio, quod aggredior, non levitate (ut ita dicam) aut temeritate aliqua, quin potius reverentia et devotione fretus sum, idcirco ad te admodum reverendum hanc epistolam, etsi incultam, omni tamen veritate plenam, destinare curavi. Ad te, inquam, qui potestate tibi credita, Ecclesiæ Dei partem gubernas et regis. Novi enim, ut reor, te recentem ac vivam memoriam retinere eorum, quæ hic modo subinferuntur. Quapropter etsi in his, quæ per me scribenda sunt, aliquid me prætermisisse,vel plus satis addidisse perspexeris; articulis tuis idipsum, tua solita benignitate et prudentia, qua plurimum polles, emendare et corrigere poteris. Novi enim ob imperitiam meam, me fallere, ac falli posse in hoc negotio.

Te autem qui clavem David solus habes rogatum esse vellem, ut in hanc horam sermonem rectum ac bene sonantem in os meum concedere digneris, ut ea digne dicere valeam, quæ infructuoso silentio pertransire nefas esset. Te, inquam dominum, Dominum meum Jesum Christum supplex deprecor, ne hujus rei per me enarrandæ devotionis fructu caream, et expers sim.

Jacobus quidem Laquidonensis ecclesiæ episcopus, dum nonis martii Andriæ esset, tuque et ipse simul alloquentes, vestros vultus admiratione non minima replevistis. Quod cum ego, qui simul aderam, intuitus essem, causam tantæ admirationis tanquam curiosus, a vobis inquirere cœpi. Eapropter Jacobus, qui mihi intimior erat, his verbis affatus est, ut ad me conversus diceret : Si quæ per tempora retroacta aures meæ expertæ sunt, non ignorares, tibi quoque admirationis inesset causa.

Ad quem ego : Quæso ut quæ audisti edisseras. Tunc ille : Mallem, inquit, et per contritionem lacrymari, quam in his cordis hilaritatem ostendere. Cum autem hæc ab eo audivissem, avidius adorsus sum hominem, et opportunam horam quæritans, deprecatus sum eum, dicens : Utinam palam abs te ista cito docear. Et ille : Libenter faciam, inquit, sed magni ponderis res ista est, et non omni homini aperienda. Attamen tu diligenter et attente audi, et ausculta. Astergius quidam tituli Sancti Eusebii presbyter cardinalis, Beneventanæ urbis olim archiepiscopus, dum in extrema valetudine esset positus, febrique valida, qua maxime vexaretur, ut putaret sibi vicinam mortem fore, nocte superveniente, quæ finem languoris secum ferre videbatur : sic enim viribus corporis destitui visus est, ut vix crederetur eum supervicturum in crastinum. Ego vero Jacobus, qui nimio amore hominem diligebam, cum præsens essem, ejusque minister, attente super eum vigilabam, flebamque : Ipse vero sic in extremis laborans, non minus devote, quam pie in hanc vocem prorumpens, clamabat : O Francisce! Mane autem facto cum paulusculas utcumque vires resumpsisset, omni cum mansuetudine deprecatus hominem, ut causam ejusmodi invocationis Francisci mihi innotescere dignaretur. At ille : O Jacobe, quem, inquit, in amore tibi præferam? Porro si alius interrogasset me de ejusmodi rei causa, forsitan non illam ei panderem; dicam tibi nihilominus, et tu attente auscultabis.

Nicolaus, hujus nominis Pontifex quintus, anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, beati Petri Apostoli Sedem strenue gubernabat. Huic dum Assisii moram traheret, venit in mentem, ut beati Francisci corpus oculis propriis inspiceret, ob quam causam accersitus est ab eo dominus Petrus de Noceto; ad quem Pontifex : Vade, inquit, ad guardianum loci hujus, et meo nomine illi significabis, me omnino visitaturum esse et visurum beati Francisci corpus. Ivit autem Petrus, et jussa

(1) *Melius* : de Nicolai progressu, *vel* ingressu (scilicet ad locum ubi corpus S. Francisci requiescit).

sibi imposita perficiens, reversus est ad Pontificem, dicens : Feci, beatissime pater, quod mandasti. Guardianus, iis auditis sermonibus, nimio pavore correptus est, ita ut in magno dubitationis agone fuerit positus: ex una enim parte contradicere non audebat voluntati summi Pontificis; ex altera vero verebatur, ne tam sacrum et pretiosum pignus auferretur ab Ordine, veluti per alios prius fuerat attentatum, et ipse postmodum calumniam sustineret a civibus. Ea propter adiens Pontificem, modo huc, modo illuc, tanquam demens et vagus incedebat, celans animum suum. Cum autem fortiter cogeretur ut Pontificium impleret mandatum ; petiit humiliter, ut rem istam fratribus loci palam facere permitteret Pontifex; qui postquam illos fuisset allocutus, ad Pontificem iterum reversus est, dicens : Obedientiam prout Ordinis dignitas expostulat, tibi præbere parati sumus, beatissime pater, dummodo unum, juxta beneplacitum nostrum, impleveris. Porro si tui desiderii cupis esse compos, tribus tantum, et non pluribus tecum assumptis, ad locum descendere necesse est. Quinta vero noctis hora adveniente, descendet tua sanctitas; et oculis propriis conspicies, quem ardenter videre desideras.

Quo audito Nicolaus Pontifex, qui recte et sinceriter se gerebat in negotio : Lætus, inquit, assentior. Gallicus vero quidam episcopus, magna auctoritate vir apud Pontificem, hæc audiens, Pontificem allocutus est, dicens : Non tibi convenit, beatissime pater, horum fratrum assentiri voluntati, propter scandalum, quod Ecclesiæ Dei advenire possit. Non sic erit, inquit; quoniam recte ac fideliter in hoc negotio pergo; idcirco, Deo præstante, mei desiderii compotem me fore spero. His dictis, Pontifex Nicolaus elegit me Austergium, Petrum de Noceto, et præhabitum episcopum Gallicum : guardianum vero cum tribus fratribus simul adesse mandavit, visitaturis ipsis, et visuris corpus beati patris : qui nobis juncti, suisque indumentis depositis, hora congruenti cum adfuissemus ad paratum locum, amoti sunt lapides, cum quibus janua fabricata erat; gradusque marmoreos diligenter aspeximus, quos et magno silentio descendimus. Et ecce ostium ferreum habuimus obvium, in quo tres catenæ ferreæ ex ordine stabant, quæ illico fuerunt apertæ clavibus. Tunc guardianus flexis genibus Pontificem allocutus, ait : Ingredere, pater sanctissime. Qui solus ingrediens ante pedes sancti corporis prostratus humiliter, tam vehementer plorabat, ut fremitus audiretur a nobis.

Postquam vero summus Pontifex consecutus est quod desiderium suum flagitabat; ad se reversus introduxit et nos, qui cum pervenissemus ad locum, stupor equidem incredibilis omnes invasit. Vere investigabiles viæ Domini, et judicium ejus ab omni humana cogitatione prorsus alienum. Quis unquam audivit, aut quis talia effatus est, ut corpus humanum per tot æva mortuum, super plantas proprias recte staret? Sed non fuerat abbreviata manus Domini. Erat autem locus ille cernentibus nobis, instar parvæ ecclesiæ, habens tres tribunas in testudine rectas. Media vero quæ ab interiori parte erecta erat, miro marmoreo tabulato fabricata videbatur : in cujus medio lastra marmorea posita erat, supra quam ex Orientali latere corpus illud sacrum Francisci Seraphici erectum stabat, facie ad Occasum tendens, et oculis elevatis in cœlum : manus vero coopertæ erant habitus manicis, et simul junctæ, ut fratres ferre consueverunt.

Erat autem corpus ita incorruptum, quasi esset prima die positum; videbatur enim quasi dormiens. Ex alio vero latere, alium erectum stantem vidimus, habitu beati Dominici, qui et manus simul junctas habebat, cum articulis sursum junctis, veluti mos est orantium : oculi vero ejus ad beati Francisci pedes intuebantur. Ambo autem ita lucidos et splendentes habebant oculos, ut nulla ad vivos esset differentia. Odor insuper suavissimus talis erat, ut olfactus hominum nunquam talem senserit.

Cumque summus Pontifex a lacrymis et gemitibus abstinuisset aliquantulum, ad beati Francisci pedes iterum procumbens, manu fimbriam ejus vestimenti extulit : nos vero sine sotularibus pedes adspeximus. O igitur felices oculi, qui hæc videre meruerunt! O fortunati animi, qui hæc meditari digni inventi sunt! Magna enim his fuerat collata gratia, ut in servum liquido aspicerent, quæ in Deum minime videre poterant. Erat enim in pedis sancti medio foramen cum sanguine ita recenti, ac si tunc mucrone pes fuisset confossus. Cujus quidem rei aspectu singultus magnus omnes arripuit. Et quis cogitare posset animi mo-

tionem? animum præ devotione liquescere? alienari sensum? et vires totas destitui? Omnes autem ante recessum e loco osculum dedimus sancto pedi, omnesque pariter ob odorem refocillati sumus. Pes vero alius fimbria habitus operiebatur : nec nobis visum fuit illum violenter arripere. Manus similiter perforatæ ut pedes cernebantur, recentem sanguinem ostendentes. O igitur memoria profunda nostræ redemptionis in servo intueri, quæ in Redemptore prius fuerant! O igitur sacra vulnera et dulci osculatione digna. quæ post humanum lapsum in remedium data sunt! Et quis nostrum, qui ibidem aderamus, ausus fuit amplius corpus sacrum tangere, nisi solus summus Pontifex? Ipse enim manus illius pretiosas devotissime osculatus est, osculumque sacro ori dedit. A quinta vero noctis hora usque ad undecimam illic mansimus, suavissimo odore repleti. Cum vero a narrantibus nuntiatum fuit nobis diem prope esse, doluit quam maxime : visum enim fuerat nobis per horam ibi fuisse.

In illis vero tribunis sociorum beati Francisci corpora tumulata jacent : unusquisque enim locum suum possidet, unus hinc, et alter illinc; ante ostium vero loci jacet corpus illius exstatici viri Dei fratris Ægidii : quorum corpora absque diminutione ulla, integra cernuntur, suavissimum odorem redolentia. Ad extremum autem cum magna animi fortitudine roborati, omnes inde recessimus. Cardinalis vero Austergius quem superius memoravimus, quamvis in memorata infirmitate aliquantulum convaluisset in die, attamen nocte sequenti naturæ debitum solvit. Nec est dubitandum quod tantus homo a quo hæc, quæ narravimus, accepimus, dum ad vitæ pervenisset extrema, composuisset mendacium, referens illa quæ vera non essent. Affirmabat quoque antequam spiritum cœlo redderet, quod Nicolaus Pontifex, dum e loco illo sacro recederet, promisisset guardiano et cæteris qui simul aderant, nulli mortalium palam facere quæ viderat, dum ipse viveret quamvis non parvipenderet illa manifesta fieri apud homines devotos, et probos qui non secundum carnem ambulant.

Aliam addo rationem illustris viri D. Galeotti a Galeottis de Bistochio, qui, anno MDIX, meruit videre sancti viri corpus, cujus situm et conditionem hic describit relicto autographo filio suo Antonio Francisci, dato XII kalendas decembris ejusdem anni, transmisso ex archivo Sanctæ Mariæ Angelorum apud Assisiates, quod ex vulgari Italico placuit Latinum transcribere :

Ego Galeottus a Galeottis de Bistochio, vidi sanctissimum corpus mei patris sancti Francisci, quod adhuc vivum apparet, et operimentum ejus intactum atque immaculatum. Ut ostium aperuit R. P. custos, ex sacro corpore talis ac tanta suaveolentia processit ut amplius nihil possit desiderari; stigmata item adeo recentia et rubicunda ut vivi corporis viderentur. Feliciter hoc conspectu potiti sumus tribus sub auroram horis die decimo octavo novembris, comitantibus R. P. fratre Julio a Leccio sacri conventus custode, et fratre Justiniano a Collostate Sacrista. Nec absque pretio obtinui; dissidentibus etenim inter se his patribus, consensum extorsi multo nummo cooperante meis votis ipso sancto patriarcha. Ecclesia, in qua servatur pretiosus hic thesaurus, speciosa est, januam habet e regione altaris præcipui, ad quod per egregium pervenitur ambitum; descenditur vero in ecclesiam per gradus septemdecim, quorum unumquemque nos in descensu sacravimus una oratione Dominica et salutatione angelica. Modo experiemur, quid vitæ supersit. Tibi autem, Antoni Francisce dilecte fili, hanc relinquo memoriam, et hortor quantum in te fuerit, coneris similem assequi gratiam, firmiter spondens summam te a Domino consolationem assecuturum. Interim sancto patri Francisco te ex visceribus commendo.

Addidit illud de vitæ diuturnioris experimento propter communem assertionem, quod tam sacrum et religiosum vult Dominus sanctum corpus, ut non liceat ejus inspectoribus illud videre et vivere longiorem vitam. Rebus religione et sacramento plenis, ita aliquando venerationem et reverentiam Dominus conciliat, vel quia ad mysteriorum eorum aspectum excæcantur, imo et exanimantur curiosi inspectores, vel quia vitam ipse Dominus tollit, ne quod sacrum, et silentio dignum est, pluribus propalent. Addo hic item sepulchri, vel suppedanei lapidis epitaphium exscriptum a quodam ducis Mediolanensis Francisci Sfortiæ comite, delubrum hoc subingresso, a cujus posteris illud accepi :

Epitaphium sepulchri B. Patris Francisci.

V. S. C. A.

FRANCISCI ROMANI

CELSA HVMILITATE CONSPICVI

CHRISTIANI ORBIS FVLCIMENTI

ECCLESIÆ REPARATORIS

CORPORI NEC VIVENTI NEC MORTVO

CHRISTI CRVCIFIXI PLAGARVM

CLAVORVMQVE INSIGNIBVS ADMIRANDO

PAPA NOVÆ FÆTVRÆ COLLACRYMANS

LÆTIFICANS ET EXVLTANS

IVSSV, MANV, MVNIFICENTIA POSVIT

ANNO DOMINI MCCXXVIII

XVI KALENDAS AVGVSTI

ANTE OBITVM MORTVVS

POST OBITVM VIVVS.

Litterarum quatuor capitalium ille sensus VIRO, SERAPHICO, CATHOLICO, APOSTOLICO, dicitur autem Franciscus Romanus, ex summa obedientia, et pietate erga sedem, et fidem Romanam, vel quia Assisium Romanæ est ditionis.

NOTULA

DE B. FRANCISCI SEPULCRO.

In paginis præcedentibus dicitur Assisiates mysterium translationis corporis S. Francisci perturbasse, atque, spretis commissariis a S. Pontifice delegatis, omnia pro suo libitu consummasse, neque ipsis fratribus fuisse permissum corpus sancti viri videre, osculari, venerari. Sed, non contemnentes, hæc fecerunt. At, e contra timuisse præsertim videntur ne reliquiæ subriperentur, aut reliquiarum pars aliqua, unde civitas hæc aut illa gloriari potuisset. Sancti Francisci corpus occultare volentes, illud sibi vindicarunt. Neque postea, ut videre est in narratione ad episcopum Andriensem supra, minus perterriti fuerunt, tempore Nicolai V, guardianus et fratres ejus, dum Pontifex cupiebat sepulcrum et corpus propriis oculis contemplari : « Ex una parte

contradicere non audebant; ex altera vero, verebantur ne tam sacrum, et pretiosum pignus auferretur ab Ordine, veluti per alios prius fuerat attentatum. »

Et ita evenit ut postea, sæculis elapsis plurimis, nesciebatur ubi præcise corpus jaceret. Quod inventum fuit in annis recentioribus, et solemnitas concessa est a sancta sede *de Inventione corporis S. Francisci*, ab omni Ordine celebranda. Hæc leguntur in breviario Franciscano :

Assisiensis basilica, quam Gregorius IX, ob S. Francisci, Minoritarum parentis, honorem, atque ad sacrum ipsius corpus loco honestissimo condendum, molitione admirabili extruendam ab inchoata curavit, singulari quadam divinæ Providentiæ dispositione, illo dignitatis ac gloriæ splendore cumulata fuit, qui ad perfectum absolutumque ejusdem decus desiderari unice videbatur. Communi quippe consensione percrebuerat, sub ara principe ejusdem basilicæ locum esse in quo viri sanctissimi corpus exstaret. Verum nondum adinveniri posse, atque in lucem, aspectumque hominum proferri, lectissima tanti patris familia et res christiana condolebat. Imo Paulus V diserte cavit, ut sacrum corpus perquirere, fossionesque aut aliud quidpiam in eum finem pertentare fas esset nemini. Illuxit tamen tempus a Deo præfinitum, quo pretiosus ille thesaurus protrahendus foret in lucem, et Pius papa septimus, precibus annuens generalis ministri Minorum conventualium, derogato interdicto Pauli V, ut nova prudenter fieret sacri corporis inquisitio, benigne concessit. Longo igitur duarum et quinquaginta noctium, atque incredibili labore, clam et occulte insumpto, locum demum introspicere datum fuit, aræ maximæ recte suppositum, in quo arca lapidea jacebat, quam ferrei clathri validis virgis, inferiusque ac superius mirifice densis circumcludebant, quin sacras reliquias ibidem observatas invisere prohiberent. Aditu proinde in cavum eum sinum, uti cautum fuerat, illico obstructo, reque ad Pontificem delata, primum episcopo Assisiensi mandatum fuit, ut ea duntaxat, quæ usque tunc acta proferebantur, rite ipse cognosceret, quin tamen de sacris reliquiis quæstionem institueret. Mox per litteras in forma brevis, alii episcopi, Nucerinus nempe, Spoletanus, Perusinus et Fulginatensis, adjecti fuerunt, ut insimul in memoratum locum convenirent, reque universa accuratissime conspecta, viris artium peritis et in examen vocatis, ea omnia in acta solemnia referrent, ac juridicum super identitate sacri corporis processum peragerent, obsignarent, et ad Urbem mitterent, simulque significarent quid de re ipsa sentirent. His omnibus absolutis, Christi in terris Vicarius acta omnia discutienda et perpendenda demandavit selectæ cuidam Congregationi. Deinde vero, causam universam serio diligenterque considerandam ipse suscepit, atque peculiari divinæ sapientiæ præsidio multa humilique prece exorato, nonis septembris anno 1820 edixit et declaravit : « Constare de identitate corporis nuper sub ara maxima inferioris basilicæ Assisiensis inventi, illudque revera corpus esse S. Francisci, Ordinis Minorum fundatoris. » Voluit tamen, ne venerabile corpus ex subterraneo loco, in quo fere sex sæculis quieverat, alio deferatur; item ne minimam quidem sacrorum ossium partem liceat inde extrahi auferrique ; ac demum ne arca, postquam clausa fuerit et obsignata, ullo unquam tempore absque Romani Pontificis permissu reseretur. Quod, ut executioni mandaretur, magnis sumptibus mons scrupeus effractus est, lapides amoti, et tertia ecclesia circa locum constructa est, ubi seraphici viri corpus ab initio fuit conditum. Ut autem perpetua de hoc exstet memoria, Leo XII Pontifex maximus missam cum officio *de Inventione corporis S. Francisci* approbavit, et ab universo Minorum Ordine celebrari præcepit.

SANCTI FRANCISCI ASSISIATIS

OPUSCULA

PARS PRIMA. — EPISTOLÆ.

EPISTOLA PRIMA.

Ad universos Christi fideles (1).

Ad Dei puram et sinceram dilectionem, omnes Christicolas per hæc pauca et sincera verba invitat.

Universis christianis, religiosis, clericis, laicis, masculis et fœminis, omnibus qui habitant in universo mundo (2).

Quam benedicti sunt, et beati, qui Deum diligunt, et faciunt sicut Dominus dicit in Evangelio : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, et proximum sicut te ipsum* (Matt., XII, 30). Diligamus ergo Deum, et adoremus eum puro corde, et pura mente; quia super omnia, hoc quærens dixit : *Veri adoratores adorabunt Deum Patrem in spiritu et veritate* (Joan., IV, 23). Omnes qui adorant eum, in spiritu veritatis oportet adorare : et bene valete in Domino.

EPISTOLA SECUNDA.

Ad universos Christi fideles.

Præmisso ad universos fideles præcedenti Epistolio, hanc quasi brevem Christianæ perfectionis summam cunctis per litteras misit (3).

Universis christianis, religiosis, clericis, laicis, tam viris quam fœminis, omnibus qui habitant in universo mundo, frater Franciscus eorum servus et subditus, obsequium cum reverentia, pacem veram de cœlo, et sinceram in Domino caritatem.

Cum sim servus omnium, omnibus et servire teneor et administrare odorifera verba Domini mei. Unde in mente considerans, quod cum personaliter propter infirmitatem et debilitatem mei corporis non possim singulos visitare, proposui litteris præsentibus nuntiis, verba Domini nostri Jesu Christi, qui est Verbum Patris, vobis offerre, et verba Spiritus Sancti, quæ spiritus et vita sunt.

Istud Verbum Patris tam divinum, tam sanctum et gloriosum nuntiavit Pater altissimus de cœlo per sanctum Gabrielem archangelum suum, quod et descendit in uterum Virginis gloriosæ Mariæ, ex cujus utero veram suscepit carnem humanitatis fragilitatis nostræ : qui cum dives esset, super omnia voluit ipse in mundo cum beatissima Matre sua eligere paupertatem. Prope passionem celebravit Pascha cum Discipulis suis, et accipiens panem, gratias egit, et benedixit, et fregit, dicens: *Accipite et comedite, hoc est corpus meum, et accipiens calicem, dixit : Hic sanguis*

(1) Familiare fuit priscis Ecclesiæ patribus hujusmodi universales scribere epistolas.

(2) Epistolion hoc in principio suæ conversionis sunt qui indicent ad universos Christi fideles scriptum a viro Dei, quem gustavit, et vidit quam suavis sit, ex nimia caritate, quæ otiosa non est. Illa inserta reperies cap. 3 sequentis Epistolæ, apud Monumenta Ordinis, Tract. 2, et ejusdem esse fragmentum supponere videtur Pisan., lib. I, Conform. XII, cap. 3. Nos vero seorsim transcribendam cum Rodulph., lib. II, pag. 174, et Reboll., I p., lib. I, cap. 16, judicavimus.

(3) Eam tenent Monumenta Ordinis utriusque impressionis, uterque Codex MS. Assisianus, et Pisan., lib. I, Conf. 12, sparsim per varia capita.

meus novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum (Matt., XXVI, 27). Deinde oravit Patrem, dicens : *Pater : si fieri potest, transeat a me calix iste. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis super terram* (Matt., XXVI, 39; Luc., XXII, 44). Posuit tamen voluntatem suam in voluntate Patris, dicens : *Pater, fiat voluntas tua, non sicut ego volo, sed sicut tu vis* (Matt., XXVI, 42 et 39; Isaiæ, IX, 6). Cujus Patris talis fuit voluntas, ut Filius ejus benedictus et gloriosus, quem dedit nobis, et natus fuit pro nobis, seipsum per proprium sanguinem suum, sacrificium et hostiam in ara crucis offerret, non pro se, per quem facta sunt omnia, sed pro peccatis nostris, relinquens exemplum nobis, ut sequamur vestigia ejus. Et vult ut omnes salvemur per eum, et recipiamus ipsum puro corde, et casto corpore. Sed pauci sunt, qui velint recipere eum, et salvi esse per eum, licet ejus jugum suave sit, et onus leve.

Qui nolunt gustare quam suavis sit Dominus, et diligunt tenebras magis quam lucem nolentes adimplere mandata Dei, maledicti sunt; de quibus dicitur per prophetam : *Maledicti qui declinant a mandatis tuis.* Sed et contrario, quam benedicti et beati sunt, qui in spiritu et veritate (ut oportet) eum adorant! Dicamus ei laudes et orationes die noctuque, dicendo : *Pater noster, qui es in cœlis*, etc., quia oportet nos semper orare, et numquam deficere.

Debemus siquidem confiteri sacerdoti omnia peccata nostra : ut recipiamus corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, ob hoc, quod qui non manducat carnem suam, et bibit suum sanguinem, non potest intrare in regnum Dei. Digne tamen unusquisque manducet et bibat : *quia qui indigne manducat judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini* (I Cor., II, 29).

Faciamus insuper fructus dignos pœnitentiæ, diligamus proximos, sicut nosmetipsos : et si quis non vult eos amare sicut seipsum, saltem non inferat eis mala, sed faciat bona.

Qui autem potestatem judicii receperunt, judicium cum misericordia semper exerceant, sicut ipsi vellent a Domino misericordiam obtinere. *Judicium enim sine misericordia erit illi, qui non facit misericordiam* (Jacob., II, 13). Habeamus itaque caritatem et humilitatem, et eleemosynas faciamus; quia ipsæ lavant animas nostras a sordibus peccatorum : homines enim omnia perdunt, quæ in hoc mundo relinquunt, secum tamen portant caritatis mercedem, et eleemosynas quas fecerunt, de quibus a Domino consequentur præmium et dignam mercedem.

Debemus jejunare, et a vitiis abstinere, in omni quod inducere potest ad peccatum, nec non et a quacumque superfluitate usus. Et etiam catholici ecclesiam visitare frequenter, ecclesiasticos venerari et revereri ob eorum officium, et administrationem sanctissimi corporis et sanguinis Christi, quod sacrificant, et recipiunt, et aliis ministrant. Et firmiter sciamus omnes, quod nemo salvari potest nisi per sancta verba, et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, quæ clerici dicunt, annuntiant, et administrant, et ipsi soli ministrare debent.

Specialiter autem religiosi, et qui sæculo renuntiaverunt, tenentur plura et majora facere, et ea dimittere quibus non est opus, et odio habere corpora nostra cum vitiis et peccatis, quia Dominus dicit in Evangelio : Omnia mala a corde exeunt. Diligere inimicos nostros, et bene facere his qui nos oderunt (Lucæ, XVI, 27). Observare præcepta, et consilia Redemptoris nostri, nosmetipsos abnegare, et corpora nostra ponere sub jugo servitutis et obedientiæ. Et nullus tenetur ad obedientiam in eo, ubi committitur delictum vel peccatum; quia tantum ad id venimus, ut salvando animas nostras, bonorum operum aliis exempla præbeamus.

Cui autem obedientia impendenda est et commissa, et qui pro majore habetur, videat ut minor fiat, et aliorum fratrum servus, et in singulos subditos misericordiam operetur, quantam sibi vellet, cum esset subditus; nec ex delicto fratris irascatur in fratrem, sed omni patientia et humilitate ipsum benigne corrigat, moneat, et supportet.

Non sumus secundum carnem sapientes atque prudentes, sed simplices, humiles, et puri. Et habeamus corpora nostra in opprobrium et despectum; quia omnes per culpam nostram sumus miseri, et putridi, sicut Dominus dicit per Prophetam : *Ego autem sum vermis, et non homo.* (Psal., XXI, 7.) Nunquam debemus desiderare esse super alios, sed potius subditi et subjecti

omni humanæ creaturæ, propter Deum. Et omnes illi qui fecerint, et perseveraverint usque in finem, requiescet super eos Spiritus Domini, et faciet in eis habitaculum et mansionem, et erunt filii Patris cœlestis, cujus opera faciunt, et sunt sponsæ, fratres et matres Domini nostri Jesu Christi. Sponsæ sumus, quoniam Spiritui Sancto conjunguntur fideles animæ. Fratres sumus Jesu Christi, quando facimus voluntatem Patris, qui in cœlis est. Matres, quando portamus eum in corde et corpore nostro per amorem, et sinceram conscientiam, et parturimus eum per sanctam operationem, quæ lucere debet aliis in exemplo. O quam gloriosum et magnum, habere in cœlis Patrem! O quam sanctum, Paraclitum, pulchrum et amabilem habere sponsum! O quam sanctum, et quantum delectabile, beneplacitum, humile, pacificum, dulce et amabile, et super omnia desiderabile, habere talem fratrem, qui posuit animam suam pro ovibus suis, et oravit pro nobis Patrem suum, dicens : *Pater, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. Pater, omnes quos dedisti mihi in mundo, tui erant, et tu mihi eos dedisti; et verba quæ dedisti mihi, dedi eis, et ipsi acceperunt, et cognoverunt vere, quia a te exivi, et crediderunt, quia tu me misisti. Rogo pro eis, sanctifico meipsum, ut sint sanctificati in unum, sicut et nos sumus. Et volo, Pater, ut ubi ego sum, ibi sit et minister meus, ut videat claritatem in regno meo.* (Joan., x, 17; xvii, 6, 8, 9, 11, 19, 24.)

Ei autem, qui tam tanta sustinuit pro nobis, tot una contulit, et conferet in futurum; omnis creatura, quæ est in cœlis, terra, mari, et in abyssis, reddat laudes Deo, gloriam, et honorem, et benedictionem : quia ipse virtus est, et fortitudo nostra est, qui est solus bonus, solus altissimus, solus omnipotens, admirabilis et gloriosus, et solus sanctus, laudabilis et benedictus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Omnes enim illi, qui non sunt in pœnitentia, et non recipiunt corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed operantur vitia et peccata, et qui ambulant post concupiscentiam suam, et mala desideria, et non observant quæ promiserunt, et serviunt corporaliter mundo et corporibus, desideriis, curis, et sollicitudinibus hujus sæculi et hujus vitæ, decepti sunt a diabolo, cujus filii sunt, et cujus opera faciunt.

Cæci sunt, quia verum lumen non vident, Dominum nostrum Jesum Christum. Sapientiam non habent Spiritus, quia Filium Dei in se non habent, qui est vera sapientia Patris. De quibus dicitur : *Sapientia eorum devorata est.* (Psal. cvi, 27) : Vident, agnoscunt, et sciunt, et faciunt mala, et scienter perdunt animas suas. Videte cæci, decepti ab inimicis vestris, scilicet a carne, mundo, et dæmone, quia corpori delectabile peccatum, et amarum Deo servire, quia cuncta mala a corpore hominum exeunt, et procedunt, sicut dicit Dominus in Evangelio. Putatis diu possidere vana hujus sæculi, sed decepti estis, quia venient dies et hora, de quibus non cogitatis, et nescitis et ignoratis. (Matt., xiii, 18.)

Infirmatur corpus, mors appropinquat, veniunt popinqui, et amici dicentes : Dispone domui tuæ, etc. Et ecce uxor ejus, et filii ejus, propinqui et amici se fingunt flere; et respiciens videt eos flentes, et movetur malo motu, et cogitando intra se, dicit : Ecce animam meam, et corpus meum, et omnia mea pono in manibus vestris. Vere iste homo est maledictus, qui confidit, et exponit animam suam, et corpus, et omnia sua in talibus manibus. Unde dicit Dominus per prophetam : *Maledictus homo, qui spem suam ponit in homine.* (Jerem., xvii, 5.) Et statim faciunt vocare sacerdotem, qui dicit ei : Vis recipere pœnitentiam de omnibus peccatis tuis? Respondet : Volo. Vis satisfacere de commissis, et his quæ fraudasti et decepisti, de tua substantia? Respondet : Non. Cui sacerdos : Quare non? Respondet : Quia cuncta disposui in manibus propinquorum. Et tunc incipit perdere loquelam, et sic moritur miserrimus. Sed sciant omnes, quod ubicumque, et qualitercumque homo moriatur in criminali peccato, et sine satisfactione, et potuit satisfacere, et non fecit, quod talem dæmon recipit, et rapit animam suam de corpore suo, cum tanta angustia et tribulatione, quantam nemo scire potest, nisi qui patitur illam tribulationem. Et omnia talenta, potestas, et scientia, quam putabat habere, auferuntur ab eo : et propinqui et amici, quibus bona tradidit, tollent ea, et divident, et postea dicent : Maledicta sit anima ejus, quia plura potuit dare nobis, et non dedit, et potuit

plus acquirere quam quæsivit; et similia. Corpus comedent vermes, animam corrodent dæmones; et sic perdet animam et corpus propter hoc breve sæculum.

Ego frater Franciscus minor servus vester rogo et obsecro in caritate, quæ Deus est, et cum voluntate osculandi pedes vestros, quod hæc verba et alia Domini nostri Jesu Christi, cnm humilitate et caritate velitis recipere, operari et observare. Et omnes illi, qui ea benigne recipiunt et intelligunt, ea mittant aliis in exemplum. Si in eis perseveraverint usque in finem, benedicat eos Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. Amen.

EPISTOLA III.

Ad beatum Antonium de Padua.

Noluit, docendi munus obire, nisi obtenta D. Francisci licentia, cui per hoc Epistolium B. pater respondit (1).

Carissimo meo fratri Antonio frater Franciscus in Christo salutem.

Placet mihi quod sanctæ Theologiæ litteras fratribus interpreteris, ita tamen ut neque in te, neque in cæteris (quod vehementer cupio) extinguatur sanctæ orationis spiritus juxta Regulam quam profitemur. Vale.

EPISTOLA IV.

Ad beatam virginem Claram et cæteras sorores S. Damiani (2).

Sororum S. Claræ cura a fratribus habenda.

Carissimæ sorori Claræ, et cæteris sororibus Sancti Damiani, frater Franciscus in Christo salutem.

Quia Domini inspiratione fecistis vos filias et ancillas Altissimi, summi Regis, Patris cœlestis, et Spiritui Sancto vos desponsastis vivere secundum perfectionem sancti Evangelii, volo, et promitto per me, et fratres meos semper habere de vobis, tanquam de ipsis curam diligentem, et sollicitudinem specialem. Valete in Domino.

EPISTOLA V.

Ad easdem (3).

A virtute incœpta non recedendum.

Carissimæ sorori Claræ, et cæteris sororibus S. Damiani in Christo salutem.

Ego frater Franciscus parvulus volo sequi vitam et paupertatem altissimi Domini nostri Jesu Christi, et ejus sanctissimæ Matris, et perseverare in ea usque in finem. Et rogo vos omnes dominas meas, et consilium do vobis, ut in ista sanctissima vita et paupertate semper vivatis. Et custodire vos multum, ne doctrina vel consilio alicujus ab ipsa in perpetuum ullatenus recedatis. Valete in Domino.

EPISTOLA VI.

Ad fratrem Eliam totius ordinis vicarium generalem (4).

Offensus ne offendas. Prælatus subditos peccantes benigne corrigat.

Reverendo in Christo patri, fratri Eliæ totius Ordinis vicario, frater Franciscus in Christo salutem.

Frater, det tibi Dominus suam sanctam benedictionem. In omnibus sis patiens, et

(1) Illud nobis obtulere Latino idiomate Rodulph., lib. I *Hist. Seraph. Relig.*, in Vita D. Anton.; Sedulius in *Hist.* itidem *Seraphica*, in *Comment. ad ejusdem Vitam*, in caput 9, num. 1: et alii, Hispano vero, Marianus, lib. V, cap. 5, et Rebolledo, lib. IV, cap. 38, licet omnes diversimode.

(2) Hanc ad se et consocias suas beatum patrem scripsisse paulo post ipsarum conversionem, testatur beata virgo Clara, cap. 6, primæ Regulæ Clarissarum, quam pro ea et sequacibus B. pater conscripsit. Ex eodem capite, et Regula, quam nobis præ cæteris obtulere Firmam. trium Ord., tract. 1, partis quintæ, Enchiridion sive Manuale Minorum, et Monum. Ordinis, tract. 2, eam huc transcripsimus. Enchiridion e regione hujus Epistolæ et sequentis, apposuit in margine : *Littera beati Francisci*. Hanc sacris virginibus scripsisse credo, sumpta occasione ex magna earum in Deum confidentia, qua in eum firmiter reposita, in stricta custodia, summam paupertatem in perpetuum voverunt : ne vero postea aliqualis eas diffidentia circa vitæ necessaria a sancto proposito retraheret, se fidejussorem et procurationem fore cum fratribus suis temporalibus promisit, quod usque ad tempus Urbani IV fideliter adimpleruot.

(3) Hanc itidem ex eodem cap. 6, primæ Regulæ Clarissarum extraximus, cujus meminit Rebolledo, lib. I, part. II, cap. 28, et Pisan., lib. II, *Conform.* 6, parte II, sub his verbis : Cum ad mortem infirmaretur beatus pater, Clara virgo per quemdam significavit ei desiderium et votum suum et consociarum, quo maxime peroptabant eum videre, antequam diem clauderet extremum. Quarum voto propter infirmitatis intensionem satisfacere non valens, scripsit Claræ et sororibus ad consolationem earum litteram, in qua dabat benedictionem suam, etc. Et ut tristitiam deponerent, promisit se post mortem ab illis ad videndum. Unde illarum litterarum has fragmentum esse judicamus, in quibus ad virtutum perseverantiam eas hortatur, et sollicitius rogat, ut quam inceperunt vitam, observent.

(4) Hanc habet Rodulphus libro secundo, fol. mihi 178. Eam ad biennium ante suam mortem,

bene dispositus. Si in aliquo a fratribus tuis offenderis, accepta referas Deo. In hoc etiam cognoscam si es servus Dei, si errantem fratrem misericordia reducas ad Deum, et si graviter errantem amare non desieris. Et si aliquo timore humano id attentare non audeat, pete ab eo si misericordiam cupiat. Et si aliquis, suadente diabolo, ceciderit in aliquod grave peccatum, recurrat ad guardianum: ille vero transmittat ad provincialem, qui misericorditer recipiat; et si viderit illum esse contritum, dicat illi: Vade, et noli amplius peccare. Vale in Domino.

EPISTOLA VII.

Ad eumdem (1).

Prælatus pectore gesset subditos. Prælatus animarum medicus.

Reverendo in Christo patri, fratri Eliæ totius Ordinis vicario, Franciscus in Christo salutem.

In omnibus, frater Elia, quæ feceris, plurimum tibi commendo charitatem, et patientiam : multos enim te tolerare oportet, et onus, quod humeris portas, magnum est et grave, animas videlicet multorum. In Lege veteri summus Sacerdos portabat in rationali judicii, quod ex humeris super pectus pendebat, nomina duodecim tribuum Israel; significans in hoc, quod ut prælatus subditos suos in humeris portat, necesse est ut eos in pectore gestet : nam tolerare non poterit, quos amare desierit. Jesus Christus Dominus noster, quando voluit Petro dare Ecclesiam suam, priusquam oves traderet illi, eum de amore examinavit. Vide ergo ne ullus fratrum peccet; sed si peccaverit, a facie tua non abeat sine misericordia et correctione, et quia medicus es, offer infirmo medicinam; quoniam, ut dixit Dominus, *non est opus bene habentibus medicus sed male habentibus* (Matt., IX, 12). Vigila, admone, labora, pasce, ama, expecta, time. Vale in Domino.

EPISTOLA VIII.

Ad generalem ministrum Fratrum Minorum (2).

Patienter adversa toleranda. Prælatus sit maxime misericors.

Reverendo in Christo patri N. totius Ordinis generali ministro.

Dominus te custodiat, et in sancta sua caritate conservet. Patientiam in omnibus operibus tuis, mi frater, tibi commendo in tantum, quod quicumque tibi impedimentum fecerit, sive alii, etiam si te verberent, omnia debes habere pro gratia; et ita velis, et non aliud. Et dilige eos, qui ista faciunt tibi; et non velis aliud, nisi quantum Dominus dederit tibi. Et in hoc dilige eos, ut velis quod sint meliores christiani. In hoc volo cognoscere si tu diligis Dominum, et me servum suum, et tuum, si feceris istud; videlicet quod non sit aliquis frater in mundo qui peccaverit, quantumcumque potuerit peccare, quod postquam viderit oculos tuos, numquam recedat sine misericordia tua. Et si non quæreret, tunc quæras ab eo, si vult misericordiam. Et si ille millies appareret postea coram oculis tuis, dilige eum plusquam me, ad hoc ut trahas eum ad bonum, et semper miserearis talibus. Et istud denunties guardianis, quando poteris, quod per te sic firmus es facere. Et omnes fratres, qui scirent eum peccasse, non faciant verecundiam ei, nec detractionem, sed magis misericordiam habeant circa ipsum, et teneant privatum peccatum fratris sui; quia non est sanis medicus, sed male habentibus. Si quis fratrum instigante inimico mortaliter peccaverit, per obedientiam teneatur recurrere ad guardianum suum : et guardianus similiter per obedientiam teneatur eum mittere cus-

et jam sacris plagis acceptis, inscriptam colligere licet ex eo, quod defuncto primo, a beato patre, generali, beato scilicet patri Petro Cataneo, biennio ante suum obitum fratrem Eliam in vicarium generalem procreaverit.

(1) Nullum hujus Epistolæ vestigium apud antiquos Codices inveni, solus eam Hispano idiomate et phalerato nobis tradidit Rebolledo I part., lib. II, cap. 27. quæ duo dubium, imo et suspicionem suppositii fœtus incussere, licet argumentum ejus simillimum sit præcedenti, nec multum discrepet a sequenti. Comptus tamen, et compositus dicendi modus, et conceptuosa (ut vocant) ex Scripturis comprobatio, in qua non multus erat B. Franciscus, ut ejus non esse dicamus, fundamentum præbere videtur. Nisi velimus dicere, Epistolam illius esse, non tamen loquendi vel scribendi modum, juxta quem apud Rebolledo reperimus : eam nos latinitati donavimus.

(2) Epistolæ summam habet Pisanus libro primo *Conformitatum* 12, vitæ S. Francisci cum Christo, ante distributionem Capitulorum; cætera vero, sicut nos transcripsimus. Eamdem idiomate Hispano et Italico reperies apud Marianum I parte, lib. II, cap. 14.

todi : ipse vero custos misericorditer provideat ei, sicut ipse vellet provideri sibi in consimili casu. Et isti penitus non habeant potestatem injungendi aliam pœnitentiam, nisi illam : Vade, et noli amplius peccare. Ista fac, et vale.

EPISTOLA IX.

Ad provinciales Ordinis Minorum (1).

Prælatus non sit personarum acceptor, et non facile per sanctam obedientiam præcipiat.

Dilectis in Christo fratribus ministris provincialibus Ordinis Minorum.

In regimine vestro, fratres ministri, duo vos deprecor : Primum, quod non sitis personarum acceptatores ; secundum, quod non præcipiatis facile per sanctam obedientiam : quia hoc est statim gladium evaginare, quod non debet fieri, nisi matura consideratione, et magna occasione. In mandatis, moderati, in peccatores, misericordes, condonando faciles, in victu abstinentes, in vestitu pauperes, in verbis mansueti, Deo et officiis vestris fideles estote. Ex operibus verba et præcepta eruite, si vultis quod subditi ex verbis vestris facienda depromant, et quod ore præcipitis, illi opere compleant. Valete in Domino.

EPISTOLA X.

Ad capitulum generale II (2).

In hac epistola fratres suæ vocationis admonet, in ea perseverare adhortatur, et Regulæ observantiam, divinum cultum et officium omnibus commendat.

Reverendis et multum diligendis fratribus universis, Fr. Franciscus in Christo salutem.

Nomen Dei audientes, adorate eum cum timore et reverentia proni in terra. Ideo misit vos Deus in mundum universum, ut verbo et opere detis testimonium voci ejus, et faciatis omnes scire quod non est alius præter ipsum. In disciplina et sancta obedientia perseverate ; et quæ promisistis ei bono proposito, adimplete per omnia. Oro, sicut possum, generalem ministrum, ut faciat Regulam ab omnibus inviolabiliter observari. Et clerici dicant divinum Officium cum devotione coram Deo, non attendentes melodiam vocis, sed consonantiam mentis. Et bene valete in Domino.

EPISTOLA XI (3).

Ad capitulum generale.

Præcipua præcedentium litterarum, in his iterum tanquam religiosis viris necessaria, repetit. Debitum in cultu et officio divino observari rogat honorem ; eumdem divinis nominibus et scriptis exhiberi. Regulam, regularemque disciplinam fratres sectari adhortatur.

Reverendis et multum diligendis, ministro generali, et cæteris fratribus Ordinis Minorum, frater Franciscus in Christo salutem.

Quia qui ex Deo est verba Dei audit ; debemus proinde nos, fratres amantissimi, qui spiritualius divinis sumus officiis deputati, non solum audire et facere quæ dicit Deus, verum etiam ad insinuandam in nobis altitudinem Creatoris nostri, et in ipso subjectionem nostram, vasa et officialia cæ-

(1) Eædem quas in argumento Epistolæ septimæ assignavimus, de auctore hujus nobis suppetunt rationes dubitandi : nec enim apud alium quempiam, quam apud Rebolledo I part., lib. II, cap. 27, eam invenire potuimus ; cui licet dignam auctoritatem, aut æquam fidem negare non velimus, suspicionem tamen non parvam generat, quod solum apud tam Neotericum pateat, quod antiquos omnes Ordinis scriptores et chronographos latuit, et cujus nec vestigium, apud vetustos codices habetur. Nisi velimus dicere, ex collatione 27, fundamentum hujus efformandæ epistolæ eum sumpsisse, licet ab ea longissime discrepet. Eam nos ex hispano idiomate transtulimus in latinum.

(2) Eam habent Ubertus lib. V, cap. 7; *Bibliotheca vet. Patrum*, editionis Parisiens., tom. V, et Coloniens., tom. XIII; *Firmamen.*, I part. fol. 21; *Monum. utriusque impress.* tract. 2, licet indistinctam ab epistola 12, in cujus principio hanc præfigunt. Per se tamen reponendam duximus cum Rodulph, lib. II, fol. mihi 237, et Rebolledo I part., ib. II, cap. 16, eo quod distinctum sit utriusque argumentum, non eodem tempore scriptæ, nec ad eosdem sint missæ ; hæc tribus circiter annis ante ejus mortem, illa paulo ante ; hæc ad Capitulum generale, illa ad sacerdotes Ordinis ; ut ex eisdem apud eumdem Rodulph. et eorum titulis vel inscriptionibus colligere licet.

(3) Eam Capitulo cuidam generali, sive secundo (de quo præcedenti epistola mentionem fecimus, facitque Rodulph., lib. II, tract. *de Comitiis generalibus*) sive alii cuicumque scriptam colligimus ex illa periodo : Clerici dicant Officium cum devotione, etc., quam apud Pisanum invenimus lib. Conf. 12, cap. 7, sub hoc titulo : In Epistola capitulo generali directa. Et ex titulo quem eidem præfigit uterque codex MS. Assis. quem videre licet. Totam, sicut huc transcripsimus, nobis obtulit Ubertus, lib. V, cap. 7, et uterque codex MS. Assis., licet decimæ et duodecimæ, quas in unam, conglomerarunt, insertam : quia tamen illas ab invicem separatas, et ab hac discretas vidimus, apud eos auctores, quos eisdem præfigimus, hanc etiam per se separandam duximus.

tera custodire, quæ continent verba sua sancta. Propterea moneo omnes fratres meos, et in Christo conforto, quatenus ubicumque invenerint divina verba scripta, sicut possunt, venerentur ; et quantum ad eos spectat, si non sunt reposita bene, vel inhoneste jacerent in loco aliquo dispersa, recolligant, et reponant, honorantes in sermonibus Dominum, qui locutus est. Multa enim sanctificantur per verba Dei, et virtute verborum Christi altaris conficitur sacramentum. Confiteor præterea Deo Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, et beatæ Mariæ perpetuæ Virgini, et omnibus sanctis in cœlo, et in terra, et generali ministro hujus religionis nostræ, sicut venerabili domino meo, et omnibus sacerdotibus Ordinis nostri, et omnibus aliis fratribus meis benedictis, omnia peccata mea. In multis offendi mea gravi culpa, specialiter quod Regulam, quam Domino promisi, non servavi, nec officium, sicut Regula præcepit, dixi, sive negligentia, sive infirmitatis meæ occasione, sive quia ignorans sum et idiota. Ideoque per omnia oro, sicut possum, generalem dominum meum ministrum, ut faciat Regulam ab omnibus observari : et clerici dicant officium cum devotione coram Deo, ut possint per unitatem mentis placere Deo, et non cum lascivitate vocis aures populi demulcere ; et non attendentes melodiam vocis, sed consonantiam mentis, ut vox concordet menti, mens vero concordet Deo. Ego enim promitto hæc firmiter custodire, sicut dederit mihi gratiam Deus : hæc fratribus, qui mecum sunt, observanda tradam in officio, et cæteris aliis constitutis. Quicumque autem fratrum hæc observare noluerint, non teneo eos catholicos, nec fratres meos ; nolo etiam ipsos videre, nec loqui, donec pœnitentiam egerint. Hoc dico de omnibus aliis, qui vagando vadunt, postposita Regulæ disciplina : quoniam Dominus noster Jesus Christus dedit vitam suam ne perderet sanctissimi Patris obedientiam. Ego frater Franciscus homo vilis, et indigna creatura Domini Dei, dico per Dominum Jesum Christum generali ministro totius religionis nostræ, et omnibus generalibus ministris, qui post eum erunt, et cæteris custodibus et guardianis, qui sunt, et erunt, ut hoc scriptum habeant, operentur, et studiose reponant. Et exoro ipsos, ut quæ scripta sunt in eo, sollicite faciant custodiri, ac diligentius observari. Et secundum beneplacitum omnipotentis Dei, nunc, semper, donec fuerit mundus iste, benedicti vos a Domino, qui feceritis ista ; et in æternum Dominus sit vobiscum. Amen.

EPISTOLA XII.

Ad sacerdotes totius Ordinis.

Fratribus suis, sed præcipue sacerdotibus, summum Eucharistiæ honorem et reverentiam commendat, rationesque, quibus id persuadeat, proponit (1).

In nomine sanctæ Trinitatis et summæ unitatis, Patris et Filii, et Spiritus Sancti, amen.

Reverendis et multum diligendis fratribus universis, generali ministro Ordinis Minorum domino suo, et cæteris ministris generalibus, qui post eum erunt, et omnibus ministris, et custodibus, et sacerdotibus fraternitatis ejusdem, in Christo humilibus, et omnibus simplicibus et obedientibus, primis et novissimis frater Franciscus, homo vilis et caducus, vester parvus servus, salutem in eo qui redemit, et lavit nos in sanguine suo, Dominus Jesus Christus altissimus Filius, nomen illi, qui est benedictus in sæcula. Amen.

Audite domini, filii, et fratres mei, auribus percipite verba mea. Inclinate aures cordis vestri, et obedite voci Filii Dei. Servate in toto corde vestro mandata ejus et concilia ejus perfecta mente implete. Confitemini ei, quoniam bonus, et exaltate eum in operibus vestris. Tamquam filiis se nobis offert Dominus Deus. Deprecor itaque omnes fratres cum osculo pedum, et cum caritate qua possum, ut omnem reverentiam, et omnem honorem, quantumcumque poteritis, exhibeatis corpori et sanguini Domini nostri Jesu Christi, in quo, quæ in cœlis et quæ in terris, sunt pacificata et reconciliata omnipotenti Deo. Rogo etiam in Domino omnes

(1) Hanc Epistolam habent communiter omnes. Pisanus libro primo *Conf.* 12, sparsim per plura capita. *Firm.* I part., fol. 21. *Monum. utriusque impress.*, tractat. 2; Rodulphus libro secundo, fol. mihi 173; *Biblioth. vet. Pat.*, superius citata; Ubertus, libro secundo, cap. 7; Marianus, I part. lib. 2, cap. 44; Rebolledo, lib. 2, cap. 16; et uterque codex Assis. Sunt tamen ex his, qui putant scriptam fuisse alicui congregationi, vel capitulo generali : Ubertus namque et codices Assisiani sub eodem titulo eam reponunt, ac alias duas præcedentes; et Rebolledo hunc præfigit.

fratres meos, sacerdotes qui sunt et erunt et esse cupiunt Altissimi, quod quandocunque voluerint missam celebrare, puri et pure faciant cum reverentia verum sacrificium sanctissimi corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, sancta intentione et munda, non pro ulla terrena re, neque timore vel amore alicujus hominis, quasi placentes hominibus. Sed omnis voluntas, quantum adjuvat gratia Omnipotentis, ad eum dirigatur, et soli ipsi Deo summo tantum placere desideretis, quia ipse solus operatur ibi, sicut sibi placet. Quoniam sicut ipse Dominus dicit: *Hoc facite in meam commemorationem* (Lucæ XXII, 19), si quis aliter fecerit, Judas traditor efficitur. Recordamini fratres Sacerdotes, quoniam scriptum est in Lege Moysi, quod transgredientes in corporalibus, sine ulla miseratione per sententiam Domini moriebantur. Quanto majora et pejora meretur pati supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est? et spiritui Sancto contumeliam fecerit? Despicit enim homo pollutus, et conculcat Agnum Dei; quoniam, sicut dicit Apostolus, non dijudicans et discernens sanctum panem Christum ab aliis cibariis, vel operibus indignis, indignus manducat, cum Dominus per Prophetam dicat: Maledictus homo qui opus Dei facit negligenter vel fraudulenter (Jer., XLVIII, 10). Et propter sacerdotes, qui nolunt ponere super id cor in veritate, condemnat nos dicens: *Maledicam benedictionibus vestris*. Audite fratres mei. Si beata virgo Maria honoratur (ut dignum est) quia ipsum portavit in sanctissimo utero suo; si beatus Joannes Baptista contremuit, et non audebat tangere Domini verticem; si sepulchrum, in quo per aliquod tempus jacuit, sic veneratur: quantum debet esse sanctus et justus, et dignus, qui non jam moriturum, sed in æternum victurum, et glorificatum, in quem desiderant Angeli prospicere, contrectat manibus, corde, et ore sumit, et aliis ad sumendum præbet? Videte dignitatem vestram, fratres sacerdotes, *et estote sancti, quia ipse sanctus est?* (Levit. XI, 44). Et sicut super omnes propter hoc mysterium honoravit vos Dominus Deus, ita et vos propter hoc mysterium diligite eum, reveremini, et honorate. Magna miseria, et miseranda infirmitas, quando ipsum sic præsentem habetis, et aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo paveat, totus mundus contremiscat, et cœlum exultet, quando super altare in manibus sacerdotis est Christus Filius Dei vivi. O admiranda altitudo! o stupenda dignatio! o sublimitas humilis, quod Dominus universitatis, Deus et Dei Filius sic se humiliat, ut pro nostra salute sub modica panis formula se abscondat! Videte, frates, humilitatem Dei et effundite coram illo corda vestra, et humiliamini, ut et vos exaltemini ab eo. Nihil ergo de vobis retineatis vobis, ut totos vos recipiat, qui se vobis exhibet totum. Moneo præterea et exhortor in Domino, ut in locis in quibus morantur fratres, una tantum celebretur missa in die, secundum formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Si vero in loco plures fuerint sacerdotes, sic sit, per amorem caritatis, alter contentus audita celebratione sacerdotis alterius; quia absentes et præsentes replet, qui eo digni sunt, Dominus noster Jesus Christus. Qui licet in pluribus locis reperiatur, tamen indivisibilis manet, et aliqua detrimenta non novit, sed unus verus, sicut ei placet operatur, cum Domino Deo Patre, et Spiritu Sancto Paracleto in sæcula sæculorum. Amen.

Observatio, seu in hanc epistolam commentarium.

Una tantum Missa celebretur. — Hunc locum putavit Philippus Melanchthon hæretico suo dogmati de abjurandis missis privatis favisse; unde et pro eodem illum citavit in execrabili illa *Apologia Confessionis Augustanæ*, art. *de Missa*. Quod sane movit pium ac eruditum virum Joannem Eckium in suo Enchiridio, ut negaret hanc Epistolam fuisse a D. Francisco conscriptum. De quo etiam non leviter dubitarunt Illustriss. Card. Bellarm., lib. II, *de Missa*, c. 40, ad object. 12, t. III, et Ant. Possevin., tom. I, sui *Appar. sacri*, sub nomine *Franciscus Assisias*. Sed et addidit Eckius, nec filios ejus, fratres Minores agnoscere Epistolam hanc inter cætera Opuscula D. Francisci. In quo sane deceptus est: in omnibus etenim Monumentis et Chronicis, tam antiquis quam novioribus, Ordinis Minorum, nullum tam suum esse observatur, quam Epistola hæc; nec illius esse, aliquando ante hos dubitatum est: qui ne admitterent

tanti nominis virum tam perversæ doctrinæ vel minimum favisse, de illius auctore dubitarunt; adhibitis insuper quibusdam solutionibus de sensu auctoris, quisquis, ut aiunt, ille fuerit: nempe id intelligendum esse de Feria 5, de ea quæ communiter appellatur majoris hebdomadæ, vel de missa majori aut conventualis. Quod si aliter et absolute de omnibus diebus illi sermo esset, apertissime falsum et erroneum continere judicant Epistolam; et non modicum applaudere pestilenti errori Melanchthonis, et aliorum hæreticorum, qui privatas missas omnino abominantur; unamque solum cœnam Dominicam fieri vellent, quæ eodem ritu, solemnitate, ac circumstantiis, quibus Christus Dominus suam peregit, celebraretur, et in qua omnes adstantes communicarent. Quæ plane hæreticorum deliria sunt, et sectariorum figmenta.

Hinc non leviter moti, nec inani ducti fundamento fidei speculatores, hæreticæ pravitatis inquisitores, in Hispania, in catalogo illo librorum cavendorum vel expurgandorumt qui sub illustris. Card. Bernardo de Sandoval et Roxas archiepiscopo Toletano, supremo in Hispaniarum ditionibus in causis fidei inquisitore, prodiit in lucem anno Domini 1612, fol. mihi 98. colum. 1, ad hunc locum apponuntur hæc verba: *Caute lege*. Quam cautionem postea vidi ad finem Epistolæ, apposito signo e regione horum verborum tom. V et XIII *Biblioth. vet. Pat.* noviorum editionum, ubi hæc Epistola inter alia D. Francisci Opuscula habetur. Cautio certe sana, et maturo consilio adhibita ne Franciscus vir catholicus, et totus Apostolicus, videretur tanto errori subscripsisse, aut ex magna illius auctoritate, aliqua hæreticorum accederet doctrinæ.

Ego vero, si quid in hac re sapio, sentio (si inter tantos viros sentire liceat) non esse dubitandum de auctore hujus epistolæ, nisi nos omnis fallat antiquitas, et nulla sit fides adhibenda vetustissimis codicibus, et traditioni, a D. Francisci sociis et coævis ad nostros deductæ, qua semper stabilitum est, ab ipso hanc fuisse exaratam Epistolam. Et certe D. Bernardinus Senensis dictorum et scriptorum D. Francisci diligentissimus observator, tom. I, suorum Operum, serm. 20, art. 2, cap. 7, in fine ad probandam magnam sacerdotum excellentiam, et necessariam in eisdem puritatem, utitur argumento Francisci in hac epistola: *Si B. Virgo Maria*, et quatuor vel quinque periodos citat ejusdem sub Francisci nomine.

Insuper judico eum hoc loco fratres rogasse sacrosancta non multiplicare sacrificia, et ut a quotidiana abstinerent celebratione, veritum ne propter quotidianam sacrificandi consuetudinem, tanti mysterii debita reverentia, quam in hac ipsa epistola anxius inculcat, et tantopere commendat, paulatim declinaret; et in ipsis sacrificantibus fervor, tanto altari dignus, aliquantisper teperet (quod et ipsum retraxit, et omnino repulit a sacris presbyteratus ordinibus suscipiendis, et D. Bonaventuram Francisci spiritus hæredem, et devotionis participem, per multos dies a celebrando continuit; quoadusque, mirandum, per Angelum ad os ejus Synaxis sacra perlata est a manu sacerdotis celebrantis) vel apud clerum aut populum sacrosanctum Domini corpus assiduitate vilesceret. (C. Extr., *De privil.*, cap. 1.) Nam quod rarum est, plus appetitur, et æstimatur, Decreti parte I, distinctio 93, caput *Legimus*, § Namque; et Auth. de *Consulibus*, caput 1, in fine, coll. VIII, tit. 6. Et rarum est omne quod magnum est, Decreti parte II, causa 2, quæst. 7, cap. *In sancta Nicæna*. Atque ita hunc locum intellexit episcopus Silvensis Alvarus Hisp., lib. II, *de Planctu Eccles.*, art. 5. Ejusque hunc esse sensum, colligitur non obscure ex ipsa epistola, in qua nihil aliud quam reverentiam erga hoc Sacramentum suadere conatur; et sacrificandi quando placuerit, supponit penes fratres liberam esse facultatem, dicens: *Quandocumque voluerint missam celebrare, puri et pure faciant cum reverentia*. Unde non tollit libertatem, præceptive prohibet tanquam malum et illicitum, sicut hæretici, consuetudinem celebrandi, sed inducit ad rariorem et puriorem tanti Sacramenti cultum. Nec primus aut solus docuit Francïscus, abstinendum esse multoties ab immolatione Agni immaculati, ut postea majori spiritus fervore perciperetur; sed multos pios et timoratos sacerdotes de facto quosdam et plures dies prætermisisse, quin Sacrum facerent; aliosque consuluisse ita fieri, ob majorem rei sacræ reverentiam, dicunt Franciscus Pitigianis noster I part. suæ *Summæ* in 4 Scoti, dist. 13, quæst. 2,

fratres meos, sacerdotes qui sunt et erunt et esse cupiunt Altissimi, quod quandocunque voluerint missam celebrare, puri et pure faciant cum reverentia verum sacrificium sanctissimi corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, sancta intentione et munda, non pro ulla terrena re, neque timore vel amore alicujus hominis, quasi placentes hominibus. Sed omnis voluntas, quantum adjuvat gratia Omnipotentis, ad eum dirigatur, et soli ipsi Deo summo tantum placere desideretis, quia ipse solus operatur ibi, sicut sibi placet. Quoniam sicut ipse Dominus dicit: *Hoc facite in meam commemorationem* (Lucæ XXII, 19), si quis aliter fecerit, Judas traditor efficitur. Recordamini fratres Sacerdotes, quoniam scriptum est in Lege Moysi, quod transgredientes in corporalibus, sine ulla miseratione per sententiam Domini moriebantur. Quanto majora et pejora meretur pati supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est? et spiritui Sancto contumeliam fecerit? Despicit enim homo pollutus, et conculcat Agnum Dei; quoniam, sicut dicit Apostolus, non dijudicans et discernens sanctum panem Christum ab aliis cibariis, vel operibus indignis, indignus manducat, cum Dominus per Prophetam dicat: Maledictus homo qui opus Dei facit negligenter vel fraudulenter (Jer., XLVIII, 10). Et propter sacerdotes, qui nolunt ponere super id cor in veritate, condemnat nos dicens: *Maledicam benedictionibus vestris.* Audite fratres mei. Si beata virgo Maria honoratur (ut dignum est) quia ipsum portavit in sanctissimo utero suo; si beatus Joannes Baptista contremuit, et non audebat tangere Domini verticem; si sepulchrum, in quo per aliquod tempus jacuit, sic veneratur: quantum debet esse sanctus et justus, et dignus, qui non jam moriturum, sed in æternum victurum, et glorificatum, in quem desiderant Angeli prospicere, contrectat manibus, corde, et ore sumit, et aliis ad sumendum præbet? Videte dignitatem vestram, fratres sacerdotes, *et estote sancti, quia ipse sanctus est?* (Levit. XI, 44). Et sicut super omnes propter hoc mysterium honoravit vos Dominus Deus, ita et vos propter hoc mysterium diligite eum, reveremini, et honorate. Magna miseria, et miseranda infirmitas, quando ipsum sic præsentem habetis, et aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo paveat, totus mundus contremiscat, et cœlum exultet, quando super altare in manibus sacerdotis est Christus Filius Dei vivi. O admiranda altitudo! o stupenda dignatio! o sublimitas humilis, quod Dominus universitatis, Deus et Dei Filius sic se humiliat, ut pro nostra salute sub modica panis formula se abscondat! Videte, frates, humilitatem Dei et effundite coram illo corda vestra, et humiliamini, ut et vos exaltemini ab eo. Nihil ergo de vobis retineatis vobis, ut totos vos recipiat, qui se vobis exhibet totum. Moneo præterea et exhortor in Domino, ut in locis in quibus morantur fratres, una tantum celebretur missa in die, secundum formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Si vero in loco plures fuerint sacerdotes, sic sit, per amorem caritatis, alter contentus audita celebratione sacerdotis alterius; quia absentes et præsentes replet, qui eo digni sunt, Dominus noster Jesus Christus. Qui licet in pluribus locis reperiatur, tamen indivisibilis manet, et aliqua detrimenta non novit, sed unus verus, sicut ei placet operatur, cum Domino Deo Patre, et Spiritu Sancto Paracleto in sæcula sæculorum. Amen.

Observatio, seu in hanc epistolam commentarium.

Una tantum Missa celebretur. — Hunc locum putavit Philippus Melanchthon hæretico suo dogmati de abjurandis missis privatis favisse; unde et pro eodem illum citavit in execrabili illa *Apologia Confessionis Augustanæ*, art. *de Missa*. Quod sane movit pium ac eruditum virum Joannem Eckium in suo Enchiridio, ut negaret hanc Epistolam fuisse a D. Francisco conscriptum. De quo etiam non leviter dubitarunt Illustriss. Card. Bellarm., lib. II, *de Missa*, c. 40, ad object. 12, t. III, et Ant. Possevin., tom. I, sui *Appar. sacri*, sub nomine *Franciscus Assisias*. Sed et addidit Eckius, nec filios ejus, fratres Minores agnoscere Epistolam hanc inter cætera Opuscula D. Francisci. In quo sane deceptus est: in omnibus etenim Monumentis et Chronicis, tam antiquis quam novioribus, Ordinis Minorum, nullum tam suum esse observatur, quam Epistola hæc; nec illius esse, aliquando ante hos dubitatum est: qui ne admitterent

tanti nominis virum tam perversæ doctrinæ vel minimum favisse, de illius auctore dubitarunt; adhibitis insuper quibusdam solutionibus de sensu auctoris, quisquis, ut aiunt, ille fuerit: nempe id intelligendum esse de Feria 5, de ea quæ communiter appellatur majoris hebdomadæ, vel de missa majori aut conventualis. Quod si aliter et absolute de omnibus diebus illi sermo esset, apertissime falsum et erroneum continere judicant Epistolam; et non modicum applaudere pestilenti errori Melanchthonis, et aliorum hæreticorum, qui privatas missas omnino abominantur; unamque solum cœnam Dominicam fieri vellent, quæ eodem ritu, solemnitate, ac circumstantiis, quibus Christus Dominus suam peregit, celebraretur, et in qua omnes adstantes communicarent. Quæ plane hæreticorum deliria sunt, et sectariorum figmenta.

Hinc non leviter moti, nec inani ducti fundamento fidei speculatores, hæreticæ pravitatis inquisitores, in Hispania, in catalogo illo librorum cavendorum vel expurgandorumt qui sub illustris. Card. Bernardo de Sandoval et Roxas archiepiscopo Toletano, supremo in Hispaniarum ditionibus in causis fidei inquisitore, prodiit in lucem anno Domini 1612, fol. mihi 98. colum. 1, ad hunc locum apponuntur hæc verba: *Caute lege*. Quam cautionem postea vidi ad finem Epistolæ, apposito signo e regione horum verborum tom. V et XIII *Biblioth. vet. Pat.* noviorum editionum, ubi hæc Epistola inter alia D. Francisci Opuscula habetur. Cautio certe sana, et maturo consilio adhibita ne Franciscus vir catholicus, et totus Apostolicus, videretur tanto errori subscripsisse, aut ex magna illius auctoritate, aliqua hæreticorum accederet doctrinæ.

Ego vero, si quid in hac re sapio, sentio (si inter tantos viros sentire liceat) non esse dubitandum de auctore hujus epistolæ, nisi nos omnis fallat antiquitas, et nulla sit fides adhibenda vetustissimis codicibus, et traditioni, a D. Francisci sociis et coævis ad nostros deductæ, qua semper stabilitum est, ab ipso hanc fuisse exaratam Epistolam. Et certe D. Bernardinus Senensis dictorum et scriptorum D. Francisci diligentissimus observator, tom. I, suorum Operum, serm. 20, art. 2, cap. 7, in fine ad probandam magnam sacerdotum excellentiam, et necessariam in eisdem puritatem, utitur argumento Francisci in hac epistola: *Si B. Virgo Maria*, et quatuor vel quinque periodos citat ejusdem sub Francisci nomine.

Insuper judico eum hoc loco fratres rogasse sacrosancta non multiplicare sacrificia, et ut a quotidiana abstinerent celebratione, veritum ne propter quotidianam sacrificandi consuetudinem, tanti mysterii debita reverentia, quam in hac ipsa epistola anxius inculcat, et tantopere commendat, paulatim declinaret; et in ipsis sacrificantibus fervor, tanto altari dignus, aliquantisper teperet (quod et ipsum retraxit, et omnino repulit a sacris presbyteratus ordinibus suscipiendis, et D. Bonaventuram Francisci spiritus hæredem, et devotionis participem, per multos dies a celebrando continuit; quoadusque, mirandum, per Angelum ad os ejus Synaxis sacra perlata est a manu sacerdotis celebrantis) vel apud clerum aut populum sacrosanctum Domini corpus assiduitate vilesceret. (C. Extr., *De privil.*, cap. 1.) Nam quod rarum est, plus appetitur, et æstimatur, Decreti parte I, distinctio 93, caput *Legimus*, § Namque; et Auth. de *Consulibus*, caput 1, in fine, coll. VIII, tit. 6. Et rarum est omne quod magnum est, Decreti parte II, causa 2, quæst. 7, cap. *In sancta Nicœna*. Atque ita hunc locum intellexit episcopus Silvensis Alvarus Hisp., lib. II, *de Planctu Eccles.*, art. 5. Ejusque hunc esse sensum, colligitur non obscure ex ipsa epistola, in qua nihil aliud quam reverentiam erga hoc Sacramentum suadere conatur; et sacrificandi quando placuerit, supponit penes fratres liberam esse facultatem, dicens: *Quandocumque voluerint missam celebrare, puri et pure faciant cum reverentia*. Unde non tollit libertatem, præceptive prohibet tanquam malum et illicitum, sicut hæretici, consuetudinem celebrandi, sed inducit ad rariorem et puriorem tanti Sacramenti cultum. Nec primus aut solus docuit Franciscus, abstinendum esse multoties ab immolatione Agni immaculati, ut postea majori spiritus fervore perciperetur; sed multos pios et timoratos sacerdotes de facto quosdam et plures dies prætermisisse, quin Sacrum facerent; aliosque consuluisse ita fieri, ob majorem rei sacræ reverentiam, dicunt Franciscus Pitigianis noster I part. suæ *Summæ* in 4 Scoti, dist. 13, quæst. 2,

art. 2, conclus. 4; et Franciscus Suares, tom. III, in 3 part., disp. 80, sect. 2, concl. 3; imo et De consecr., d. 2, cap. Quotidie, referunt hæc verba ex D. Augustino lib. *De Eccles. dogmatib.*, cap. 53 (licet ejus non sit ille liber, sed Gennadii Massiliensis unde seorsim appositus est in Appendice tomi III Operum D. Augustini). Quotidie, inquit (1), Eucharistiæ communionem percipere, nec vitupero. Et ibidem § : Si dixerit, alia habet, quæ Augustini sunt, Januario episcopo sic respondentis : Dixerit aliquis, non quotidie accipiendam Eucharistiam. Quæsieris, quare? Quoniam, inquit, eligendi sunt dies, quibus purius homo continentiusque vivat, quo ad tantum Sacramentum dignius accedat. Qui enim manducaverit indigne, judicium sibi manducat et bibit (2). Alius contra affirmat, quotidie esse sumendum, etc. Faciat unusquisque, quod secundum fidem suam pie credit faciendum; neuter enim horum exhonorat corpus et sanguinem Domini, si saluberrimum sacramentum certatim honorare contendunt. Nec enim litigaverunt inter se, aut quispiam eorum alteri præposuit (3), Zacchæus et ille centurio, cum alter eorum gaudens in domo sua suscipit Dominum, alter dixit (4) : O Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum : ambo Salvatorem honorificantes, quamvis non uno modo; ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti (5). Ad hoc valet quod manna secundum propriam voluntatem in ore cujusque sapiebat; sic in ore cujuscumque christiani sacramentum illud quomodo sumatur, æstimandum. Nam et ille honorando, non audet quotidie sumere; et ille honorando non audet ullo die prætermittere.

Quæ verba ad eamdem rem confirmandam refert D. Antonius Patavinus (6), et Bernardus Senensis (7) qui speciali de hac difficultate, instituta quæstione, docet quando consultius repugnat abstinere a celebrando, vel communicando per aliquantum temporis, rationemque assignat, quare Anachoritæ raro ad altare accedebant : apud quos receptissimus et observatissimus erat mos hic quem Franciscus suis inculcat, unam videlicet missam celebrandi in cœnobiis, ut videre est apud Cassian., lib. III, *de Instit. Monast.*, cap. 11, et Epist. 5 Epiphanii quæ est 60 inter Hieronymianas, tom. II, et colligitur ex cap. : Hinc est, 16, quæst. 1. Videat unusquisque, qua fide accedit, vel quo fine secedit ab altari, ut docte et eleganter suadet Chrysost., Hom. 17, in cap. 10, ad Hebr., tom. IV. Si ex spiritus fervore, et humili confidentia de profectu spirituali assequendo, quotidie offert, laudandus; si ex reverentia tanti Sacramenti, et timore propriæ indignitatis frequenter desistat a celebrando, non est vituperandus. Unde (si judicium in hac re interponere licet) judicarem hujus dubii decisionem relinquendam esse piæ credulitati accedentis. Dicam tamen, apud theologos et doctores, tam noviores quam vetustiores, magis commune et receptum esse quotidie sacrificare, potiusque hoc sacerdotibus con sulendum; nisi aliter juxta varias personarum conditiones, status, conscientias, diversasque Spiritus Sancti gratias, aliud videatur prudentibus viris convenire. Francisco et aliis sanctissimis doctissimisque viris visum est, raram hujus Sacramenti susceptionem majorem in illud causare reverentiam. Aliis econtra non inferioris notæ Patribus et doctoribus commune est, illius frequentiam magnam conciliare devotionem, et non parvum esse incentivum fervoris, et æstimationis sacræ Synaxis. Variæ sunt Sanctorum conditiones, diverseque Spiritus Sancti gratiæ. Pro his videri poterunt Hyppolyt. Mart., *Orat. de Consum. mun.*, Augustin. citatus; Gregor., Hom. 37 in Evang.; Chrysost. Homil. 3, *in Epist. ad Ephes.* et Hom. 61 ad popul. Antioch. *de Sacrorum participatione mysteriorum*, ad medium; Ubertinus de Casali, lib. IV *Arboris vitæ Crucifixi*, c. 5; et Nicolaus Lyranus in cap. 11, I ad Corinth. ex moderniorbus theologis, Pitigianis et Suar. citati, Joan. Steph. Durant., lib. II, *de Rit. Eccles.*, cap. 3; Vazq. in 3, part., quæst. 83, disp. 232, cap. 22 in fine, et alii in eamdem quæst. Ex Summistis, Victor., nu. 95. Roderis, tom. I, *Summ. verbo Communio*, c. 103, num. 10.

(1) August., Epist. 118 ad Janua., c. 3.
(2) I Cor., xi, 29.
(3) Lucæ, xix, 6.
(4) Matt., viii, 8.
(5) Vide August., ii, *Retract.*, cap. 20.

(6) D. Antonius de Padua, Sermon. Domin. 3, post Epiph. ante finem.
(7) Bern. Senens., Serm. 57, art. 2, c. a. 3, quæst. 2.

EPISTOLA XIII (1).

Ad universos clericos.

Quum sacramentum doleret vehementer indigne ministrari, et viliter tractari rem omnium pretiosissimam: dolorem expressit his litteris, et clericis sacratissimarum rerum reverentiam et puriorem cultum indixit.

Reverendis in Christo dominis meis, universis clericis, qui sunt in toto orbe, et vivunt secundum statuta catholicæ fidei, Fr. Franciscus parvulus et minimus servus, salutem cum omni reverentia, et osculo pedum (2).

Quoniam debitor factus sum omnibus, ideo, non valens amplius præsentialiter verbis meis propter meas infirmitates vobis satisfacere, hanc meam recordationem et admonitionem paucis verbis scriptam, cum omni amore et dilectione suscipite. Attendamus omnes clerici magnum peccatum et ignorantiam, quam quidam habent super sanctissimum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, et sacratissima nomina et verba ejus scripta, quæ sanctificant corpus. Scimus, quia non potest esse corpus, nisi prius sanctificetur a verbo. Nihil enim habemus et videmus corporaliter in hoc sæculo de ipso Altissimo, nisi corpus et sanguinem, et realiter nomina et verba, per quæ facti sumus, et redempti de morte ad vitam. Omnes autem illi qui ministrant tam sanctissima mysteria, considerent intra se, maxime hi qui indiscrete ministrant, quam viles sint calices, corporalia, et linteamina, ubi sacrificantur corpus et sanguis Domini nostri, et a multis in locis vilibus relinquitur, miserabiliter portatur, et indigne sumitur, et indiscrete aliis ministratur. Nomina etiam et verba ejus scripta, aliquando pedibus conculcantur; quia animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt. Non movemur de his omnibus pietate, cum ipse pius Dominus in manibus nostris se præbeat, et eum tractemus, et sumamus quotidie per os nostrum? An ignoramus, quia debemus venire in manus ejus? Igitur de his omnibus, et aliis, cito et firmiter emendemus; et ubicumque fuerit sanctissimum corpus Domini nostri Jesu Christi illicite collocatum, et relictum, removeatur de loco illo, et in loco pretioso ponatur, et consignetur. Similiter nomina et verba Domini scripta, ubicumque inveniantur in locis immundis, colligantur, et in loco honesto debeant collocari. Et scimus, quia hæc omnia tenemur super omnia observare secundum præcepta Domini, et Constitutiones sanctæ matris Ecclesiæ. Et qui hoc non fecerit, sciat se coram Domino nostro Jesu Christo in die judicii reddere rationem. Hoc scriptum ut melius debeat observari, sciant se benedictos a Domino Deo, qui ipsum fecerint exemplari. Dominus noster Jesus Christus omnes meos dominos sua sancta gratia repleat, et confortet.

(1) Habet Marianus lib. I, cap. 27, § 8. Uterque Codex MS. Assisian. absque ulla verborum differentia. Sola est in titulo et inscriptione diversitas.

(2) Magnam fuisse Francisci erga sanctam Eucharistiam devotionem, facile constat ex præcedenti Epistola, ex ejus Testamento, aliisque Opusculis, et ex illo Bonaventuræ testimonio, cap. 9 Legendæ. Flagrabat, *inquit*, erga Sacramentum Dominici corporis fervore omnium medullarum, stupore admirans permaximo illam carissimam dignationem, et dignantissimam caritatem, etc.

EPISTOLA XIV.

Ad universos custodes fratrum Minorum (3).

Præmissa divini et humani judicii differentia, fratrum custodibus commendat sanctus vir, ut suas litteras ecclesiasticis et sæcularibus potestatibus porrigant.

Universis custodibus fratrum Minorum ad quos istæ litteræ pervenerint, frater Franciscus minimus servorum Dei, salutem, et sanctam pacem in Domino.

Scitote quod in conspectu Dei sunt quædam res nimis altæ et sublimes, quæ aliquando reputantur inter homines pro vilibus et abjectis; et aliæ sunt caræ et spectabiles inter homines, quæ coram Deo tenentur pro vilissimis et abjectis. Rogo vos coram Domino Deo nostro quantum possum, quod litteras illas, quæ tractant de sanctissimo corpore et sanguine Domini nostri, detis episcopis, et aliis clericis, et memoria retineatis quæ super his vobis

(3) Hujus et sequentis epistolæ meminit Vincentius Blascus tomo ultimo *Hist. eccl. regni Aragonensis*, cap. 5, et clarius alio tomo adhuc non emisso in lucem, sub rege Jaimio. Eas Hispano idiomate transcriptas ad Rever. P. Lucam Wad. detulit ex civitate Cæsaraugustana, in qua a B. Joannis Parentis tempore asservantur, Reverendus Pater Antonius Daza, dum in Rom. curiæ commissarium venit in urbem. Pater Lucas Latinas fecit.

commendavimus. Aliarum litterarum, quas vobis mitto, ut eas detis gubernatoribus, consulibus et rectoribus, et in quibus continetur, ut publicentur per populos et plateas Dei laudes, facite statim multa exemplaria et copias, et cum magna diligentia eas porrigite illis quibus debeant dari. Valete in Domino.

EPISTOLA XV.

Ad populorum rectores (1).

Hortatur judices, et qui præsunt in populis, ut seposita rerum terrenarum sollicitudine, de suis pœniteant reatibus, et populos sibi commissos ad Dei laudem invitent.

Universis potestatibus et consulibus, judicibus, atque rectoribus ubique terrarum, atque omnibus aliis ad quos istæ litteræ pervenerint, frater Franciscus vester in Domino servus, parvulus ac despectus, salutem et pacem omnibus vobis optans.

Considerate et videte, quoniam dies mortis appropinquat. Rogo ergo vos cum reverentia, sicut possum, ne propter curas et sollicitudines hujus sæculi, quas habetis, Dominum oblivioni tradatis, et a mandatis ejus declinetis; quia omnes illi qui eum oblivioni tradunt, et a mandatis ejus declinant, maledicti sunt, et ab eo oblivioni tradentur; et cum venerit dies mortis, omnia, quæ putabant habere, auferentur ab eis; et quanto sapientiores et potentiores fuerint in hoc sæculo, tanto majora tormenta sustinebunt in inferno. Unde firmiter consulo vobis dominis meis, ut omni cura et sollicitudine posthabitis, sanctissimum corpus et sanctissimum sanguinem Domini nostri Jesu Christi in ejus sancta commemoratione benigne recipiatis. Et tantum honorem in populo vobis commisso, Domino conferatis, ut quolibet sero annuncietur per nuntium vel per aliud signum, quo omnipotenti Domino Deo ab universo populo laudes et gratiæ referantur. Et si hoc non feceritis, sciatis vos coram Domino Deo vestro Jesu Christo in die judicii reddere rationem. Hoc scriptum qui apud se retinuerint et observaverint illud, a Domino Deo se noverint benedictos.

EPISTOLA XVI.

Ad fratrem Leonem (2).

Prælatus subditos diligat ut mater filios.

Frater Leo, frater Franciscus tuus salutem et pacem.

Ita dico tibi, fili mi, sicut mater; quia omnia verba, quæ diximus in via, breviter in hoc verbo dispono et consilio. Et si postea oportet propter consilium venire ad me, ita consilio tibi. In quocumque modo videtur tibi placere Domino Deo, et sequi vestigia et paupertatem suam, faciatis [*lege:* facias] cum benedictione Domini Dei, et mea obedientia. Et si tibi est necessarium propter animam tuam, aut aliam consolationem tuam, et vis, Leo mi, venire ad me, veni. Vale in Christo.

EPISTOLA XVII (3).

Ad dominam Jacobam de Septemsoliis.

Paucis diebus antequam extremum clauderet B. pater mortemque jam præ foribus institisse, ex Dei revelatione certo sciens, nobilissimam hanc matronam præmonendam judicavit, et si quæ exequiis erant necessaria, ab eadem postulat.

Dominæ Jacobæ, servæ Altissimi frater Franciscus pauperculus Jesu Christi, salutem et societatem Spiritus Sancti in Domino Jesu Christo.

Scias carissima, quod mihi Christus benedictus per suam gratiam vitæ meæ terminum futurum in proximo revelavit. Quapropter si vis invenire me vivum, visis his litteris, ad Sanctam Mariam de Angelis venire festina. Nam si post diem Sabbati veneris, me vivum invenire non poteris; et porta tecum pannum vel cilicium, in quo

(1) Unum accepit hujus Epistolæ exemplar Hispanum P. Lucas a prædicto religioso viro. Aliud ei occurrit Latinum apud Illust. et reverendissim. D. Franciscum Gonzagam in suo *de Origine Franciscanæ Religionis* libro, in provincia Aragoniæ, in principio. Hoc, quod a primo in nihilo ferme discrepat, subjicit.

(2) Quantum ex hac breviuscula et simplici Epistola potui colligere, Leo, beati viri socius intimior, aliqualem passus est spiritus molestiam. Quem ut suaviter veluti materna teneritudine vir sanctus instruxit, et in religioso aliquo cænobiolo ad animæ quietem reliquit; timens satanæ astutias, et absentis filii periculum, his eum verbis compellavit. Ipsius Francisci manu exarata servantur inter reliquias in sacrario Minorum conventualium Spoleti.

(3) Imperfectam esse Epistolam. Facillime colliges. Eam nobis tradiderunt diversimode, Marc. prima parte, libro secundo, capite 67, et Rebolledo ibidem, capite 28. Ejus facit mentionem Pisanus libro tertio, *Conform.* 4, parte secunda; eam Latinam habet *Speculum Vitæ Francisci*, fol. mihi 138, ex quo eam transcripsi. Italam habet eodem modo Floretum, fol. 105.

corpus meum involvas, et ceram pro sepultura. Rogo etiam, quod portes de illis comestionibus, quas mihi consuevisti dare quando infirmabar Romæ.

VERBA SACRÆ ADMONITIONIS B. PATRIS FRANCISCI AD OMNES FRATRES SUOS.

MONITUM.

In hoc opusculo fratres suos, tanquam sollicitus pater, et diligens pastor, de præcipuis virtutibus et gravioribus vitiis admonet, ne illæ præterlabantur, aut istis incaute se tradant. Opusculum est satis exiguum, sed sententiarum gravitate magnum, rationum et consiliorum pondere refertum. Tractatulus est Auctori non pœnitendus. In eo omnes habent quod addiscant, et plurima satis utilia ad vitam christiane et religiose componendam, Similem edidit Bonaventura libellum, breviusculis capitulis distinctum, de remediis defectuum religiosi, ad fratrem Robertum. Hunc habent Firm., p. 1, fol. 19; *Mon. tract.* 2, a fol. 276; *Biblioth. vet. Pat.* Parisiis excusa, ann. Dom. 1450, tom. V in fine, recensque magna Coloniens., tom. XIII; et vetustus quidam codex, MS. ante ann. 1450, quem in refectorio Minorum in Conventu Divi Antonii de Ficu, provinciæ Portugaliæ, incuriose neglectum offendi; et Pisanus, lib. I *Conformit.*, 12, sparsim per varia capita.

CAPUT I.

De fide erga Deum, de reverentia erga sacramentum altaris, et de digna ejus susceptione.

Dixit Dominus discipulis suis : *Ego sum via, veritas, et vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me. Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis : et amodo cognoscetis eum, et vidistis eum. Dixit ei Philippus : Domine ostende nobis Patrem, sufficit nobis. Dixit ei Jesus : Tanto tempore vobiscum sum et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum* (Joan., XIV, 6). Pater lucem habitat inaccessibilem : Spiritus est Deus, et Deum nemo vidit unquam : ideo nonnisi in spiritu videri potest, quia Spiritus est, qui vivificat ; caro autem non prodest quidquam. Sed nec Filius, in eo quod æqualis est Patri, videtur ab aliquo aliter quam Pater, aliter quam Spiritus Sanctus.

Unde omnes qui viderunt Dominum Jesum Christum secundum humanitatem, et non viderunt neque crediderunt secundum Spiritum et Deitatem, ipsum esse verum Filium Dei, damnati sunt. Ita et modo, quia omnes qui vident Sacramentum, quod sanctificatur per verba Domini super altare per manus sacerdotis in forma panis et vini, et non vident, et non credunt secundum Spiritum et Divinitatem, quod sit veraciter sanctissimum corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi, damnati sunt ; ipso Altissimo attestante, qui ait : *Hoc est corpus meum et sanguis novi Testamenti, et qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum habet vitam æternam.* (Luca, XXII, 15; Joan., VI, 54.) Qui habet spiritum Domini, qui habitat in fidelibus suis, ille est qui recipit sanctissimum corpus et sanguinem Domini : omnes alii, qui non habent de Spiritu eodem, et præsumunt recipere eum, judicium sibi manducant et bibunt. Unde filii hominum, usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Ut quid non cognoscitis veritatem et creditis in filium Domini? Ecce quotidie humiliat se, sicut quando a regalibus sedibus venit in uterum Virginis : quotidie venit ad nos ipse humilis apparens : quotidie descendit de sinu summi Patris super altare in manibus sacerdotis : et sicut sanctis Apostolis apparuit in vera carne, ita et modo se nobis ostendit in sacro pane : et sicut ipsi intuitu carnis suæ tantum ejus carnem videbant, sed ipsum Dominum Deum esse credebant oculis spiritualibus contemplantes ; sic et nos panem et vinum oculis corporeis videmus, et credamus firmiter sanctissimum ejus corpus et sanguinem vivum esse, et verum. Et tali modo semper est Dominus cum fidelibus suis, sicut ipse dixit : *Ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem sæculi.* (Matth. XXVI, vers. ult.)

CAPUT II.

De malo propriæ voluntatis.

Dixit Dominus ad Adam : *De omni ligno paradisi comede : de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas.* (Genes., II, 57.) De omni ligno paradisi comedere poterat Adam : quia dum non venit contra obedientiam, non peccavit. Ille enim comedit de ligno scientiæ boni et mali, qui sibi suam voluntatem appropriat, et se exaltat de bonis quæ Dominus dedit, et operatur in ipso : et sic per suggestionem diaboli, et transgressionem mandati, factum est ei pomum scientiæ mali. Unde oportet quod sustineat pœnam.

CAPUT III.

De perfecta obedientia.

Dixit Dominus in Evangelio : *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (Lucæ, XIV, 33; Matth., XVI, 25). *Et qui voluerit animam suam salvam facere perdet eam.*

Ille homo renuntiat omnibus quæ possidet, et perdit corpus suum, qui se ipsum totum præbet ad obedientiam in manibus sui prælati; et quidquid facit aut dicit, quod ipse sciat quod non sit contra voluntatem ejus (dum bonum sit quod facit) vera obedientia est. Et quando subditus viderit meliora, et utiliora animæ suæ, quam ea quæ suus prælatus præcipiat, suam voluntatem sacrificat Domino; quæ autem sunt prælati opera, studeat adimplere. Nam hæc est charitativa obedientia, quia Deo et proximo sacrificium se ipsum facit. Si vero prælatus præcipiat aliquid subdito contra animam suam, licet ei non obediat, tamen ipsum non dimittat. Et si ab aliquibus persecutionem inde sustinuerit, magis eos diligat propter Dominum. Nam qui potius velit persecutionem sustinere, quam a suis fratribus separari, vere permanet in perfecta obedientia, quia ponit animam suam pro fratribus suis. Sunt enim multi religiosi, qui sub specie videndi meliora qua quæ sui prælati præcipiunt, aspiciunt retro, et ad vomitum propriæ voluntatis redeunt. Hi homicidæ sunt, et propter mala sua multas animas perdere faciunt.

CAPUT IV.

Quod nullus sibi approprie prælationem.

Non veni ministrari, sed ministrare, dicit Dominus (Matth., XX, 28). Illi qui sunt super alios constituti, tantum de illa prælatione glorientur, quantum si essent deputati officio abluendi pedes fratrum : et quanto magis turbarentur de ablata sibi prælatione, quam de ablato eis officio abluendi pedes, tanto magis sibi loculos ad periculum animæ componunt.

CAPUT V.

Quod nemo superbiat, sed glorietur in cruce Domini.

Attende, o homo, in quanta excellentia te posuit Deus, quia creavit et formavit te ad imaginem dilectissimi Filii sui secundum corpus, et ad similitudinem suam secundum spiritum. Et omnes creaturæ, quæ sub cœlo sunt, secundum se serviunt, cognoscunt, et obediunt Creatori suo melius quam tu, et dæmones non crucifixerunt eum, sed tu cum ipsis crucifixisti eum, et adhuc crucifigis delectando te in vitiis et peccatis. Unde ergo potes gloriari? Nam si ita esses subtilis et sapiens, quod omnem scientiam haberes, et scires interpretari omnia genera linguarum, et subtiliter de rebus cœlestibus perscrutari, in omnibus his non potes gloriari, quia unus dæmon scivit de cœlestibus magis, et modo scit de terrenis plusquam omnes homines, licet aliquis fuerit, qui summæ sapientiæ cognitionem a Domino receperit specialem. Similiter si esses pulchrior et ditior omnibus, et etiam si faceres mirabilia, ut dæmones effugares, omnia ista tibi sunt contraria, et nihil ad te pertinent. In his nihil potes gloriari, sed in hoc possumus gloriari, in infirmitatibus nostris, et bajulando quotidie sanctam crucem Domini nostri Jesu Christi.

CAPUT VI.

De imitatione Domini nostri Jesu Christi.

Attendamus, fratres omnes, bonum pastorem, qui pro ovibus suis salvandis crucis sustinuit passionem. Oves Domini secutæ fuerunt eum cum tribulatione et persecutione, verecundia et fame, infirmitate et tentatione, et cæteris aliis, et de his recepe-

runt a Domino vitam sempiternam. Unde magna verecundia est servis Dei, quod Sancti faciant opera, et nos recitando et prædicando ea, volumus inde recipere gloriam et honorem.

CAPUT VII.

Ut bona opera sequantur scientiam.

Dicit autem Apostolus : *Littera occidit, Spiritus autem vivificat* (II Cor., III, 6). Illi sunt mortui ad litteram, qui tantum verba sola cupiunt scire, ut sapientiores teneantur inter alios, ut possint acquirere magnas divitias, dantes consanguineis et amicis. Et illi religiosi mortui sunt ad litteram, qui spiritum nolunt divinæ litteræ sequi, sed sola verba magis cupiunt scire, et aliis interpretari : et illi sunt vivificati a spiritu divinæ litteræ, qui omnem scientiam et litteram, quam sciunt et cupiunt scire (non autem vivunt corpore, sed verbo et exemplo) reddunt eam altissimo Domino, cujus est omne bonum.

CAPUT VIII.

De peccato invidiæ vitando.

Ut ait Apostolus : *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto* (I Cor., XII, 3), et : *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (Psal. LII, 4.) Quicunque ergo invidet fratri suo de bono, quod Deus dicit et facit in ipso, pertinet ad peccatum blasphemiæ, quia ipsi altissimo invidet, qui dicit et facit omne bonum.

CAPUT IX.

De dilectione inimici.

Dicit Dominus in Evangelio : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos et orate pro persequentibus*, etc. (Matth. V, 44). Ille veraciter diligit inimicum suum, qui non dolet de injuria, quam sibi fecit, sed de peccato animæ suæ uritur propter amorem Dei, et ostendit ei ex operibus dilectionem.

CAPUT X.

De castigatione corporis.

Multi sunt, qui dum peccant, vel injurias recipiunt, sæpe inculpant inimicum, vel proximum. Sed non est ita, quia unusquisque habet in potestate sua inimicum suum, videlicet corpus, per quod peccat. Unde beatus ille servus, qui talem inimicum traditum in sua potestate, semper captum tenuerit, et sapienter se ab eo custodierit : quia dum hoc fecerit, nullus alius inimicus visibilis ei nocere potest.

CAPUT XI.

Quod nemo corrumpatur a zelo malo alterius.

Servo Dei nulla res debet displicere, præter peccatum. Et quocumque modo aliqua persona peccaret, et propter hoc servus Dei, nisi in caritate, turbaretur, aut irasceretur, thesaurizat sibi iram, et culpam. Ille est servus Dei, qui non irascitur, neque turbatur; recte vivit, et sine proprio. Et beatus est cui non remanet aliquid, *reddens quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei Deo* (Matth., XXII, 12).

CAPUT XII.

De cognoscendo Spiritum Dei.

Sic potest cognosci servus Dei, si habet Spiritum Domini; cum Dominus operatur per ipsum aliquid boni, si nec caro ejus, neque mens exinde se exaltat, quia semper contraria est omni bono; sed si magis ante oculos suos se habere vellet viliorem, et in omnibus, aliis hominibus se minorem existimaret.

CAPUT XIII.

De patientia in adversis.

Non potest cognosci servus Dei, quantam habeat patientiam, et humilitatem, dum satisfactum est ei secundum voluntatem vel necessitatem suam. Cum autem venerit tempus, in quo illi qui deberent satisfacere ei, faciunt sibi contrarium; quantum habet patientiam ibi et humilitatem, tanta est, et non plus.

CAPUT XIV.

De paupertate spiritus.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (Matth., V, 13). Multi sunt qui orationibus et officiis insistentes, multas abstinentias et afflictiones in suis corporibus faciunt; sed de solo uno verbo, quod viderint injuriam esse suorum corporum, vel de aliqua re, quæ sibi aufertur, scandalizantur statim, et conturban-

tur. Hi non sunt vere pauperes spiritu. Quia qui vere pauper est spiritu, se ipsum odit, et alios diligit, qui ipsum percutiunt in maxillam.

CAPUT XV.

De pace.

Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur (Matth. v, 10). Illi sunt vere pacifici, qui in omnibus, quæ in hoc sæculo patiuntur propter amorem Domini nostri Jesu Christi, in animo et corpore pacem servant.

CAPUT XVI.

De munditia cordis.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (Math., v, 8). Vere mundo corde sunt, qui terrena despiciunt, et cœlestia quærunt; et semper adorare et videre Dominum Deum vivum, et verum, mundo corde et animo non desistunt.

CAPUT XVII.

De humilitate servanda in donis Domini.

Beatus ille servus, qui non magis se exaltat de bono quod Dominus dicit et operatur per ipsum, quam de eo quod dicit et operatur per alium. Peccat enim homo, qui magis vult recipere a proximo suo, quam vult dare de se Domino Deo.

CAPUT XVIII.

De compassione proximi.

Beatus homo, qui sustinet proximum suum secundum suam fragilitatem, in eo quod vellet sustineri ab ipso si in consimili casu esset. Beatus servus, qui omnia bona reddit, et attribuit Domino Deo. Quia qui sibi aliquid retinuerit, abscondit pecuniam Domini Dei sui; et quod putat habere, auferetur ab eo.

CAPUT XIX.

De humili servo Dei.

Beatus ille servus, qui non tenet se meliorem, quando magnificatur et exaltatur ab hominibus, sicut quando tenetur vilis, simplex et despectus. Quia quantus est homo coram Deo, tantus est, et non plus. Væ illi religioso, qui ab aliis positus est in alto, et per suam voluntatem non vult descendere. Et beatus ille servus, qui non per suam voluntatem ponitur in alto, et semper desiderat esse sub pedibus aliorum.

CAPUT XX.

De bono, et vano religioso.

Beatus ille religiosus, qui non habet jucunditatem et lætitiam, nisi in sanctissimis eloquiis et operibus Dei, et cum his perducit homines ad amorem Dei in gaudio et lætitia, et exultatione. Et væ illi religioso, qui delectatur in verbis otiosis et vanis, et cum his perducit homines ad risum.

CAPUT XXI.

De inani et loquaci religioso.

Beatus ille servus, qui non loquitur sub spe mercedis, et omnia sua non manifestat, et non est velox ad loquendum, sed sapienter providet, quæ debet loqui, et respondere. Væ illi religioso, qui bona quæ sibi Dominus ostendit, non retinet in corde suo, et aliis non ostendit per operationem; sed sub spe mercedis magis hominibus verbis cupit ostendere, quam Domino; ipse enim recipit mercedem suam et audientes parvum fructum reportant.

CAPUT XXII.

De correctione patienter suspicienda.

Beatus servus, qui disciplinam, accusationem, et reprehensionem ab aliquo ita patienter sustinet, sicut a semetipso. Beatus servus, qui benigne reprehensus acquiescit, verecunde obtemperat, humiliter confitetur, et libenter satisfacit. Beatus servus, qui non est velox ad se excusandum, et humiliter sustinet verecundiam et reprehensionem de peccato, ubi non commisit culpam.

CAPUT XXIII.

De humilitate.

Beatus servus, qui ita inventus est humilis inter subditos fratres suos, sicut quando esset inter prælatos et dominos suos. Beatus servus, qui semper manet sub virga correctionis. Fidelis servus et prudens est, qui in omnibus suis offensis, non tardat interius puniri per contritionem, et exterius per confessionem, et operis satisfactionem.

CAPUT XXIV.

De vera dilectione.

Beatus servus, qui tantum diligit fratrem suum, quando est infirmus, quod non potest ei satisfacere, quantum quando est sanus, quod potest ei satisfacere. Et beatus ille, qui tantum diligit fratrem suum, cum est longe ab ipso, sicut quando est cum eo : et non diceret aliquid post ipsum, quod cum caritate non posset dicere coram eo.

CAPUT XXV.

Quod servi Dei honorent clericos.

Beatus servus, qui portat fidem in clericis, qui vivunt recte secundum formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et væ illis qui ipsos despiciunt : licet enim sint peccatores, tamen nullus debet eos judicare, quia ipse solus Dominus reservat sibi eos ad judicandum. Nam quanto major est omnibus administratio eorum, quam habent de sanctissimo corpore et sanctissimo sanguine Domini nostri Jesu Christi, quod ipsi recipiunt, et ipsi soli aliis ministrant, tanto majus peccatum habent, qui peccant in ipsos, quam in alios omnes homines istius mundi.

CAPUT XXVI.

De virtute effugante vitium.

Ubi caritas, et sapientia; ibi nec timor, nec ignorantia. Ubi est patientia, et humilitas; ibi nec ira, nec perturbatio. Ubi est paupertas cum lætitia; ibi nec cupiditas, nec avaritia. Ubi est quies, et meditatio; ibi nec sollicitudo, nec vagatio. Ubi est timor Domini ad atrium suum custodiendum, ibi inimicus non potest habere locum ad ingrediendum. Ubi est misericordia, et discretio, ibi nec superfluitas, nec induratio.

CAPUT XXVII.

De abscondendo bonum, ne perdatur.

Beatus servus qui thesaurizat in cœlo bona, quæ sibi Dominus ostendit, et sub spe mercedis non cupit ea manifestare hominibus. Quia ipse Altissimus manifestabit opera ejus quibuscumque placuerit. Beatus servus, qui secreta Domini observat in corde suo. Hæc igitur sunt verba vitæ et salutis : quæ si quis elegerit, et fecerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino. Amen.

QUINQUE ALIA OPUSCULA.

MONITUM.

Plura ex iis, quæ præcedenti Opusculo fratribus commendavit, quasi magis necessaria, et utiliora, his verbis iterum inculcat, eaque sæpissime suis repetebat. Ea nobis obtulere *Firmam.*, I part., fol. 21, col. 4; *Biblioth. vet. Pat.*, tom. V, in fin. Sed *Biblioth. magna*, a Coloniens. edita, t. XIII. Quæ licet ferme omnia in verbis admonitionis per varia capitula dispersa sint, quia tamen iterum seorsim in unum congesta, in utroque hoc libro reperimus, per se etiam huc transferenda duximus.

I. *Verba beati patris nostri Francisci ad humilitatem, obedientiam, devotionem et patientiam inducentia.*

Beatus servus, qui non tenet se meliorem, quando magnificatur et exaltatur ab hominibus, sicuti quando tenetur vilis, simplex, et abjectus, et despectus ; quia quantum est homo coram Deo, tantum est, et non plus. Væ illi religioso, qui ab aliis positus est in alto, et per suam voluntatem non vult descendere : et beatus ille servus, qui non per suam voluntatem ponitur in alto, et semper desiderat subesse pedibus aliorum. Beatus ille religiosus, qui non habet jucunditatem et lætitiam nisi in sanctissimis eloquiis, et in operibus Domini, et cum his perducit homines ad amorem Dei in gaudio et lætitia. Væ illi religioso, qui delectatur in verbis otiosis et vanis, et in his perducit homines ad risum. Beatus servus, qui disciplinam, accusationem, et reprehensionem ita patienter ab aliquo sustinet, sicut a semetipso. Beatus servus, qui reprehensus benigne acquiescit, verecunde obtemperat, humiliter confitetur, libenter satisfacit. Beatus servus, qui non est velox ad se excusandum, et humiliter sustinet verecundiam, et reprehensionem de peccato, ubi non commisit culpam.

II. *De virtutibus quibus decorata fuit S. Virgo et debet esse s. anima* (1).

Regina sapientia, Dominus te salvet, cum tua sorore sancta pura simplicitate. Domina sancta paupertas, Dominus te salvet, cum tua sorore sancta humilitate. Domina sancta caritas, Dominus te salvet, cum tua sorore sancta obedientia. Sanctissimæ virtutes omnes, vos salvet Dominus, a quo venitis, et proceditis. Nullus homo est penitus in toto mundo, qui unam ex vobis possit habere nisi prius moriatur. Qui unam habet, et alias non offendit, omnes habet et qui unam offendit, nullam habet, et omnes offendit; et unaquæque confundit vitia et peccata. Sancta sapientia confundit satan, et omnes malitias ejus. Pura sancta simplicitas confundit omnem sapientiam hujus mundi, et sapientiam corporis. Sancta paupertas confundit cupiditatem, et avaritiam, et curas hujus sæculi. Sancta humilitas confundit superbiam, et omnes homines qui sunt in mundo, similiter omnia quæ in mundo sunt. Sancta caritas confundit omnes diabolicas et carnales tentationes, et omnes carnales timores. Sancta obedientia confundit omnes corporales et carnales voluntates, et habet mortificatum corpus suum ad obedientiam spiritus, et ad obedientiam fratris sui, et est subditus et suppositus omnibus hominibus, qui sunt in mundo; et non tantum solis hominibus, sed etiam omnibus bestiis et feris, ut possint facere de eo quidquid voluerint, quantum fuerit eis datum desuper a Domino. Deo gratias. Amen.

III. *De vera et perfecta lætitia fratrum Minorum* (2).

In hoc opusculo Franciscus veram lætitiæ, et perfectam religiosi gaudii rationem simpliciter et incompositis verbis rudique stylo describit.

Quamvis fratres Minores in omni terra dent bonum exemplum magnæ sanctitatis et ædificationis, ibi tamen non est perfecta lætitia. Et quamvis frater Minor illuminet cæcos, contractos extendat, dæmones pellat, surdis auditum, claudis gressum, mutis verbum restituat, et quod majus est, quatriduanum resuscitet mortuum; ibi non est perfecta lætitia. Et si frater Minor sciret omnium gentium linguas, et omnes scientias, et scripturas, ita ut sciret prophetare, et revelare non solum futura, sed etiam conscientias aliorum; ibi non est perfecta lætitia. Si frater Minor loquatur lingua angelica, et sciat stellarum cursus et virtutes herbarum, et sint ei revelati omnes thesauri terrarum; et si cognosceret virtutes et proprietates avium, piscium, animalium, hominum, radicum, lapidum, arborum et aquarum; ibi non est perfecta lætitia. Et si frater Minor sciret tam solemniter prædicare, quod converteret omnes infideles ad fidem; ibi non est perfecta lætitia. Sed quando venimus ad locum Sanctæ Mariæ de Angelis sic balneati pluvia, et frigore congelati, luto etiam deturpati, et fame afflicti, et ad portam loci pulsabimus, et veniet portarius iratus, dicens: Qui estis vos? Et nos dicemus: Sumus duo ex fratribus vestris. Et ille e contrario diceret: Imo estis duo ribaldi, qui itis circumquaque per mundum, pauperum eleemosynas rapiendo; et non aperiret nobis, sed faceret nos stare ad nivem et aquam in frigore et fame usque ad mortem; tunc si nos tot repulsas et injurias sine turbatione et murmuratione toleravimus patienter, et cogitaverimus humiliter et caritative, quod ille portarius veraciter nos cognoscit, et quod Deus excitat linguam ejus contra nos; scribe, quia ibi est perfecta lætitia. Et si nos in pulsando perseveraverimus, et ille portarius tanquam contra importunos exeat contra nos, et durissime nos afficiat alapis, dicens: Recedite hinc pultrones vilissimi, et ite ad hospitale. Qui enim estis vos? hic penitus non manducabitis. Et si nos patienter hæc portabimus, et injuriati cum amore pepercerimus toto corde; scribe, quia est perfecta lætitia. Et si nos undique afflicti, fame urgente, frigore affligente, nocte insuper appropinquante pulsabimus, clamabimus, et fletu instabimus ut aperiat nobis, et ille inde stimulatus dixerit: Isti sunt homines procacissimi, et protervi; ego pacabo

(1) Opusculum hoc inveni in utroque codice MS. Assisiens., et *Specul. vitæ Franc.*, fol. 116. Idem habent, omissis quatuor prioribus periodis, ab illis verbis: *Nullus homo*, etc. Pisanus libro primo, *Conformit.* 38, et Marc. prima parte, libro secundo, capite 51, sed insertum cap. 26. *Opusc. de verbis Sacræ admonitionis:* Ego cum codicibus manuscriptis, et sua vetustate commendatis, malui seorsim apponere. Argumentum satis clarum est.

(2) Extraximus ex Florato, cap. 7, *Speculo vitæ Francisci*, fol. 89, Pisan., lib. I, *Confor.* 5 et 12, et ex *Firm.*, I part., fol. 21, col. 3.

eos; et exiens cum uno fuste nodoso, et capiens nos per cappucium, ad terram super lutum et nives projiciet, et taliter nos verberabit cum fuste prædicto, quod undique nos plagis implebit : si tot mala, si tot injurias et verbera cum gaudio toleramus, considerantes quod pœnas Christi benedicti tolerare et portare debemus; scribe, et nota diligenter, quod ibi est perfecta lætitia. Et audi conclusionem : Inter omnia carismata Sancti Spiritus, quæ Christus servis suis concessit, et concedet, præcipuum est vincere seipsum, et libenter propter Deum et caritatem Dei opprobria sustinere. Nam in omnibus mirabilibus supradictis nos gloriari non possumus, quia non sunt nostra, sed Dei : *Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* (I Cor., IV, 7.) Sed in cruce tribulationis et afflictionis possumus gloriari, quia illud est nostrum. Et ideo dixit Apostolus : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri.* (Galat., VI, 14.)

IV. *Expositio beati patris super orationem Dominicam* (1).

Pater noster beatissime et sanctissime. Creator noster, Redemptor noster, et Consolator noster. *Quies in cœlis*, in Angelis, in Sanctis, illuminans eos ad tui cognitionem. Quia tu Domine lux es, inflammans eos ad amorem tuum divinum : quia tu Domine amor es inhabitans, et implens eos ad beatitudinem : quia tu, Domine, summum bonum es, et æternum bonum, a quo omnia bona, et sine quo nullum bonum. *Sanctificetur nomen tuum.* Clarificetur in nobis notitia tua, ut cognoscamus, quæ sit latitudo beneficiorum tuorum, longitudo promissorum, sublimitas majestatis, et profundum judiciorum. *Adveniat regnum tuum.* Ut regnes in nobis per gratiam tuam, et facias nos venire ad regnum tuum, ubi est tui visio manifesta, tui dilectio perfecta, tui societas beata, tui fruitio sempiterna. *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra.* Ut amemus te toto corde, te semper cogitando, ex tota anima te semper desiderando, ex tota mente omnes intentiones nostras ad te dirigendo, et honorem tuum in omnibus quærendo, et ex omnibus viribus nostris, omnes vires et sensus animæ et corporis in obsequium tui amoris, et non in aliud expendendo. Et proximos nostros amemus sicut nosmetipsos, omnes ad amorem tuum pro viribus trahendo, de bonis aliorum sicut de nostris gaudendo, in malis compatiendo, et nemini ullam offensam faciendo. *Panem nostrum quotidianum;* scilicet dilectum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, *da nobis hodie*, in memoriam, et intelligentiam, et reverentiam amoris, quem ad nos habuit, et eorum quæ pro nobis dixit, et fecit, et sustulit. *Et dimitte nobis debita nostra;* per tuam misericordiam ineffabilem, et passionis dilecti Filii tui Domini nostri Jesu Christi virtutem; et per beatissimæ Virginis Mariæ, et omnium electorum tuorum merita et intercessionem. *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris :* et quod non plene dimittimus, tu Domine fac nos plene dimittere, ut inimicos nostros propter te veraciter diligamus, et pro eis apud te devote intercedamus, nulli malum pro malo reddamus, et omnibus in te prodesse studeamus. *Et ne nos inducas in tentationem ;* occultam, vel manifestam; subitam, vel importunam. *Sed libera nos a malo*, præterito, præsenti, et futuro. *Amen;* spontanee, et gratis.

V. — *Laus Domini Dei altissimi* (2).

Tu es sanctus Dominus Deus. Tu es Deus deorum, qui solus facis mirabilia. Tu es fortis. Tu es magnus. Tu es altissimus. Tu omnipotens. Tu es pater sanctus, Rex cœli et terræ. Tu es trinus et unus Deus. Tu es bonus, omne bonum, summum bonum, Domine Deus, unus et verus. Tu es amor, et caritas. Tu sapientia. Tu humilitas. Tu es patientia. Tu es pulchritudo. Tu es securitas. Tu es quies. Tu es gaudium.

(1) Eam habent quasi omnes, qui vel aliqua ejus Opuscula collegere, vel de ejus Vita egere. In pluribus tamen discrepant, tum ex errore typographorum, tum ex varietate lectionum.

(2) Illud desumpsimus ex *Firm.*, prima parte, fol. 19. Pisanus libro secundo, fruct. 1, qui est in ordine 23, licet Orationem habeat libro primo, Conf. duodecima, capite quinto, *ex Biblioth. vet. Pat.* tam Laudem quam Orationem; ex Reboll. prima parte, libro primo, cap. 31, Orationem tantum. Hujus Laudis meminit Rodul. libro primo, fol. mihi 119. Francisci caractere scripta asservatur in Conventu Divi Francisci Assisiensi. Eam ipse vidi anno 1619, diligentiusque observavi.

Tu es spes nostra et lætitia. Tu es justitia, et temperantia. Tu es fortitudo, et prudentia. Tu es omnes divitiæ ad sufficiendum. Tu es mansuetudo. Tu es protector. Tu es custos et defensor. Tu es refugium nostrum et virtus. Tu es fides, spes, et caritas nostra. Tu es magna dulcedo nostra. Tu es bonitas infinita, magnus, et admirabilis, Dominus Deus meus omnipotens, pius, misericors, et Salvator.

Oratio. Omnipotens, æterne, juste, et misericors Deus, da nobis miseris propter temetipsum facere, quod scimus te velle; et semper velle, quod tibi placet : ut interius mundati, et illuminati, et igne Sancti Spiritus accensi, possimus sequi vestigia tui dilectissimi Filii Domini nostri Jesu Christi, et ad te Altissimum sola tua gratia pervenire, Qui in Trinitate perfecta, et Unitate simplici vivis, et regnas, et gloriaris Deus omnipotens in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIONES UNDECIM A S. FRANCISCO CONSCRIPTAS.

I. *Oratio B. Francisci in suæ conversionis initio.*

Magne et gloriose Deus, et Domine mi Jesu Christe, illumina, oro te, tenebras mentis meæ. Da mihi fidem rectam, spem certam, et caritatem perfectam. Fac ut cognoscam te, Domine, ita ut ego in omnibus omnia secundum tuam sanctam et veram voluntatem perficiam. Amen.

II. *Oratio præponenda horis canonicis* (1).

Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus, noster omnipotens, qui est, et qui erat, et qui venturus est (Apoc., IV, 8). Laudemus et superexaltemus eum in sæcula. Dignus es Domine Deus noster accipere laudem, gloriam, et honorem, et benedictionem. (Ibidem, 11.) Laudemus et superexaltemus eum in sæcula. Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem; et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem et honorem, et gloriam, et benedictionem. Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Vers. Benedicamus Patrem, et Filium cum Sancto Spiritu. — *Resp.* Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Vers. Laudem dicite Deo omnes servi ejus, et qui timetis Deum, pusilli et magni. — *Resp.* Laudate, et superexaltate eum in sæcula.

Vers. Laudent eum gloriosum cœli et terra. — *Resp.* Et superexaltent et laudent eum in sæcula.

Vers. Et omnis creatura quæ in cœlo est, et super terram, et subtus terram, terra, et mare, et quæ in eis sunt. — *Resp.* Laudent et superexaltent eum in sæcula.

Vers. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. — *Resp.* Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Vers. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. — *Resp.* Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Oratio. Omnipotens, sanctissime, et altissime Deus, omne bonum, et summum bonum, totum bonum, qui solus es bonus; tibi reddamus omnem laudem, omnem honorem, omnem benedictionem, et omnia bona tibi referamus semper. Amen.

III. *Salutatio ad Virginem Mariam* (2).

Ave Domina sancta, Regina sanctissima, Dei genitrix Maria, quæ es perpetua virgo electa a sanctissimo Patre de cœlo, quam consecravit cum sanctissimo Filio et dilecto, ac Spiritu Sancto Paraclito : in qua est et fuit omnis plenitudo gratiæ, et omne bonum. Ave ejus palatium. Ave tabernaculum ejus. Ave mater ejus. Et vos omnes

(1) Qua devotione et mentis attentione Franciscus horas persolvebat canonicas, agnoscet, qui cap. 10, ejus vitæ, et tom. III, Apophtegma 28, legere voluerit. Ut ergo intente, attente, et devote, seu majori cum fervore eas recitaret, hanc sibi composuit orationem, ut per eam se excitaret ad Dei laudes digne personandas. Eam habent Pisanus lib. II, Conf. 11, seu in ordine 23; *Firmam.* prima parte, fol. 18, col. 4; *Specul. vitæ Francis.* fol. 126; *Manuale Minorum,* Cod. MS. Fanens. et Hib.

(2) Quam videre poteris apud Pisanum libro primo, Conformitate duodecima, capite quinto, et Rebolledo prima parte, libro primo, cap. 31; Ms. Hiber. ad med.

sanctæ virtutes, quæ per gratiam, et illuminationem Spiritus Sancti, infundimini in corda fidelium, ut de infidelibus fideles faciatis. Mater sanctissima Domini nostri Jesu Christi, sponsa Spiritus Sancti, ora pro nobis cum sancto Michaele Archangelo, et omnibus virtutibus cœlorum, et omnibus sanctis, tuum dilectissimum Filium Dominum nostrum et Magistrum. Amen.

IV. *Oratio ad Virginem Mariam.*

Sancta Dei genitrix, dulcis et decora, Regem morti traditum, Filium tuum dulcissimum, Dominum nostrum Jesum Christum pro nobis exora, ut per suam piissimam clementiam, et virtutem sanctissimæ incarnationis, et mortis ipsius acerbissimæ, nobis indulgeat peccata nostra. Amen.

V. *Alia oratio ad eamdem B. Virginem Mariam.*

Sancta Maria virgo, non est tibi similis nata in mundo in mulieribus, filia, et ancilla Altissimi Regis Patris cœlestis, mater sanctissima Domini nostri Jesu Christi, sponsa Spiritus Sancti. Ora pro nobis cum sancto Michaele archangelo, et omnibus virtutibus cœlorum, et omnibus sanctis tuum sanctissimum Filium, dilectissimum Dominum nostrum et Magistrum. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper : et in sæcula sæculorum. Amen.

VI. *Oratio B. patris pro obtinenda paupertate* (1).

O Domine Jesu, ostende mihi semitas tuæ dilectissimæ paupertatis. Scio enim, quod Testamentum vetus novi fuit figura. Illis promisisti : *Quia omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit* (Deut., XI, 24; Josue, I, 3) : calcare est contemnere. Paupertas omnia calcat, ergo omnium est regina. Sed, Domine mi, pie Jesu Christe, miserere mei et dominæ paupertatis; nam et ego ejus amore anxior, nec sine ipsa requiescere possum. Domine mi, tu nosti, qui me de ista inamorasti. Sed et ipsa sedet in tristitia, ab omnibus repulsa; *facta est quasi mulier vidua, domina gentium;* vilis, et contemptibilis, dum omnium regina virtutum : et conqueritur sedens in sterquilinio, quod omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ejus inimici, et ipsos probant jamdiu esse adulteros, et non sponsos. Vide Domine Jesu, quia paupertas pro tanto est regina virtutum, pro quanto relictis Angelorum sedibus descendisti ad terras, ut ipsam posses caritate perpetua desponsare, et omnes perfectionis filios in ipsa, et ex ipsa, et per ipsam producere : quæ et tibi cum tanta fidelitate adhæsit, quod et in matris utero inchoavit suum obsequium, dum corpus animatum habuisti omnium minimum. Sed et orientem ex utero in præsepio sancto recepit, et stabulo; et conversantem in mundo sic omnibus te privavit, ut capitis reclinatorio faceret te carere. Sed et fidelissima consortia, dum ad bellum nostræ redemptionis accederes, te est comitata fideliter, et in ipso passionis conflictu individuus armiger astitit, et discipulis recedentibus, et negantibus nomen tuum, ipsa non discessit, sed te tunc cum toto comitatu suorum principum, fideliter sociavit. Imo ipsa matre propter altitudinem crucis (quæ tamen te tunc fideliter coluit; et affectu anxio tuis passionibus juncta fuit) ipsa (inquam) tali matre, te non valente contingere, domina paupertas, cum omnibus suis penuriis tanquam tibi gratissimus domicellus, te plusquam unquam fuit strictius amplexata, et tuo cruciatu præcordialius juncta.

Propter quod nec sibi vacavit crucem polire, nec rusticano more componere, et ipsos clavos (ut creditur) non in sufficienti numero vulneribus fabricavit, nec ipsos exacuit, nec polivit, sed tres rudes, et asperos, et obtusos ad adjuvandum tuum supplicium præparavit. Et dum sitis morereris ardore, ipsa fidelis sponsa sollicite affuit, ut nec modicum aquæ posses habere : sed et per

(1) Qui Bonaventuram, cap. 7 majoris Legendæ, adierit, facile assentietur, firmiusque credet, B. patrem hujus Orationis auctorem esse, utpote quem paupertatis zelus, et eximium ejus adipiscendæ desiderium ad ardua quæque sectanda deduxit. Nec incredibile erit votis et precibus eam a Domino flagitasse, et prece hac aliisque similibus orationibus orasse et exorasse. Verum fateor hanc apud solum Ubertinum, lib. V, *Arboris vitæ Christi*, cap. 3, huc usque latitasse. Hic tamen pro multis habendus est, quippe qui librum illum, cœlitus adjutus (ut ipse in primo et secundo prologo humiliter confitetur) in sacro et mysterioso monte Alvernæ conscripsit; nec parva fide dignus est, quippe ex sui sæculi viris nec doctior nec sanctior credebatur alius.

satellites impios tantæ amaritudinis confecit poculum, quod gustare potius potuisti, quam bibere. In hujus igitur sponsæ strictis amplexibus animam amisisti. Sed nec ipsa fidelis sponsa tuis defuit exequiis sepulturæ; nec tibi aliquid in sepulchro, in unguentis, in linteis habere permisit, nisi ab aliis mutuatum. Nec hæc sanctissima sponsa tuæ resurrectioni defuit, quia in ejus amplexus gloriose resurgens, in sepulchro omne mutuatum et adventitium reliquisti. Hanc tecum asportasti ad cœlos, mundanis relinquens omnia, quæ sunt mundi. Et tunc dominæ paupertati signaculum regni cœlorum, signandum electos volentes incedere per perfectionis semitam, reliquisti. O quis non diligat dominam paupertatem hanc præ omnibus! A te peto hoc privilegio consignari, exopto hoc thesauro ditari; postulo, ut mihi et meis in æternum sit proprium, pauperrime Jesu, propter nomen tuum nihil posse sub cœlo proprium possidere, et alienis rebus semper cum usus penuria, dum vivit caro misera sustentari. Amen.

VII. *Oratio, quam dicere solebat, quando sanctissimum Christi corpus elevabat sacerdos.*

Domine Deus, cœlestis Pater, respice in hanc gloriosam Christi tui faciem, et miserere mei, et cæterorum peccatorum, pro quibus benedictus Filius tuus et Dominus noster dignatus est mori, et pro quorum salute et consolatione in sancto sacramento altaris nobiscum voluit remanere : cum quo tu es, Pater, et Spiritus Sanctus; qui unus es Deus, et vivis cum Filio, et Spiritu Sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

VIII. *Oratio, ad impetrandum divinum amorem* (1).

Absorbeat, quæso, Domine, mentem meam ab omnibus quæ sub cœlo sunt, ignita et melliflua vis amoris tui; ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori : per temetipsum Dei Filium, qui cum Patre, etc. Amen.

IX. *Alia in infirmitate.*

Gratias tibi ago, Domine Deus, de omnibus his doloribus meis, teque, mi Domine, rogo, ut centuplum, si tibi placuerit, addas; quia hoc erit mihi acceptissimum ut affligens me dolore, non parcas, quum tuæ sanctæ voluntatis adimpletio sit mihi consolatio superplena.

X. *Oratio pro commendanda sua familia*(2).

Domine, commendo tibi familiam tuam, quam mihi hactenus commisisti; et nunc propter infirmitates, quas tu nosti, Domine, curam ipsius habere non valens, recommendo eam ministris, qui teneantur in die judicii coram te, Domine, reddere rationem, si quis fratrum propter eorum negligentiam, vel malum exemplum, seu asperam correctionem, perierit.

XI. *Oratio quotidiana beati patris Francisci* (3).

Deus meus; et omnia. Quis es tu dulcissime Domine Deus meus, et quis sum ego vermiculus servus tuus? Sanctissime Domine, vellem te diligere. Dulcissime Domine, vellem te diligere. Domine Deus, ego vobis totum cor meum et corpus meum dedi, et vehementer dedero, si tamen scire possem, pro vestro amore plura facere.

TESTAMENTUM B. PATRIS FRANCISCI (4).

Dominus ita dedit mihi fratri Francisco incipere facere pœnitentiam : quia cum essem in peccatis, nimis mihi videbatur amarum videre leprosos; sed ipse Dominus adduxit me inter illos, et feci misericordiam cum illis. Et recedente me ab ipsis, id quod

(1) Franciscum auctorem hujus Orationis esse, nobis testatur D. Bernardinus, tom. II, serm. 60, art. 2, cap. 2, ad finem, et Ubert., lib. V, *Arb. vitæ Christi*, cap. 4, paululum post initium, quam sine titulo transcripsit.

(2) Orationem hanc refert Pisanus, libro II, Conf. 11, quæ est 23, in ordine, et Floretum folio mihi 102. post medium, edidisseque ait B. patrem junctis manibus, et oculis erectis in cœlum, quando generalatus officium dimisit; familiam, quam in illud usque tempus summa prudentia et sanctitate gubernavit, Dei tutelæ commendans.

(3) Hanc ex variis fragmentis et locis collegimus apud Pisanum, lib. I, Conf. 8; *Tract. de provincia sancti Francisci*, in Vita Bernar. de Quintau, et lib. II, Conf. 11, sparsim, et ex Sedul., in *Histor. Seraph. Comment.*, in c. 13, *Vitæ B. Francisci*, § 2, quam postea integram offendimus in Cod. MS.

(4) Testamentum hoc, ultimamque suam hanc voluntatem, quam non modice extollit Card. Bel-

videbatur mihi amarum, conversum fuit mihi in dulcedinem animæ et corporis. Et postea parum steti, et exivi de sæculo. Et Dominus dedit mihi talem fidem in ecclesiis suis, ut ita simpliciter adorarem, et dicerem: Adoramus te, sanctissime Domine Jesu Christe, hic, et ad omnes ecclesias tuas, quæ sunt in toto mundo, et benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum. Postea dedit mihi Dominus, et dat tantam fidem in sacerdotibus, qui vivunt secundum formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ propter Ordinem ipsorum, quod si facerent mihi persecutionem, volo recurrere ad ipsos. Et si haberem tantam sapientiam, quantam Salomon habuit, et invenirem pauperculos sacerdotes hujus sæculi, in ecclesiis, in quibus morantur, nolo prædicare contra voluntatem ipsorum. Et ipsos, et omnes alios volo timere, amare, et honorare, sicut meos dominos. Et nolo in ipsis considerare peccatum, quia Filium Dei cerno in ipsis et domini mei sunt. Hæc propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc sæculo de ipso altissimo Filio Dei, nisi sanctissimum corpus et sanguinem suum, quod ipsi recipiunt, et ipsi soli aliis administrant. Et hæc sanctissima mysteria volo super omnia honorari, et venerari, et in locis pretiosis collocari. Sanctissima nomina, et verba ejus scripta ubicumque invenero in locis illicitis, volo colligere, et rogo quod colligantur, et in loco honesto collocentur. Et omnes theologos, et qui ministrant nobis sanctissima verba divina, debemus honorare, et venerari, sicut eos qui ministrant nobis spiritum et vitam. Et postquam Dominus dedit mihi curam de fratribus, nemo ostendebat mihi quid deberem facere; sed ipse Altissimus revelavit mihi, quod deberem vivere secundum formam sancti Evangelii. Et ego paucis verbis et simplicibus feci scribi, et dominus Papa confirmavit mihi. Et illi qui veniebant ad recipiendum vitam istam, omnia quæ habere poterant, pauperibus erogabant. Et erant contenti tunica una, intus et foris repeciata (qui volebant) cum cingulo et braccis, et nolebamus plus habere. Officium dicebamus nos clerici secundum alios clericos ; laici dicebant : *Pater noster*. Et satis libenter manebamus in ecclesiis pauperculis et derelictis, et eramus idiotæ, et subditi omnibus. Et ego manibus meis laborabam, et volo laborare, et omnes alii fratres firmiter volo quod laborent de laboritio quod pertinet ad honestatem. Et qui nesciunt, discant, non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, sed propter bonum exemplum, et ad repellendum otiositatem. Et quando non datur nobis pretium laboris, recurramus ad mensam Domini, petendo eleemosynam ostiatim. Salutationem hanc revelavit mihi Dominus, ut diceremus : Dominus det tibi pacem. Caveant sibi fratres, ut ecclesias, et habitacula, et omnia alia quæ pro ipsis construuntur, penitus non recipiant, nisi essent sicut decet sanctam paupertatem, quam in Regula promisimus, semper ibi hospitantes sicut advenæ et peregrini. Præcipio firmiter per obedientiam fratribus universis, quod ubicumque sunt, non audeant petere aliquam litteram in Curia Romana per se, nec per interpositam personam nec pro ecclesia, nec pro alio loco, neque sub specie prædicationis, neque pro persecutione suorum corporum : sed ubicumque non fuerint recepti, fugiant ad aliam terram, ad faciendum pœnitentiam, cum benedictione Dei. Et firmiter volo obedire generali ministro hujus Fraternitatis, et illi guardiano quæ sibi placuerit mihi dare. Et ita volo esse captus in manibus suis, ut non possim ire, vel facere contra voluntatem suam, quia dominus meus est. Et quamvis sim simplex et infirmus, tamen semper volo habere clericum, qui mihi faciat officium, sicut in Regula continetur. Et omnes alii fratres ita teneantur firmiter obedire guardianis suis, et facere officium secundum Regulam. Et si aliqui inventi essent, qui non facerent officium secundum Regulam, et vellent alio modo variare, aut non essent catholici; omnes fratres ubi-

...minus, tom. VI suorum Operum, Serm. de Gloria miraculorum, fratribus circa mortem, vitæque finem, exarasse asserit Ubertinus, lib. V, cap. 3, post med.; clarius Pisanus, lib. III, Conf. 2, ubi summatim et per sententias illud refert, et lib. I, Conf. 2, Alvarusque Pelag., lib. II *de Planctu Ecclesiæ*, per varia capita sparsim, plures particulas ejus recensent. Totum vero, eo ordine quo nos posuimus, *Firm.* I part. fol. 19, col. 4; *Monum. Ord.* utriusque impress.. tractat. 2; *Biblioth. vet. Pat.*, tom. V, in fine; *Biblioth.* novæ excusionis, tom. XIII; *Enchirid. seu Manuale Frat. Min.*, fol. 4, pag. 2; Reboll. I part., lib. 2, c. 28; et Laert. Cherub., tom. I sui *Bullarii* sub Honor. III, Constit. 5, sed in paragraphos 20 distinctum.

cumque sunt, per obedientiam teneantur, quod ubicumque invenerint aliquem ipsorum, proximiori custodi illius loci, ubi ipsum invenerint, debeant præsentare. Et custos teneatur per obedientiam ipsum firmiter custodire, sicut hominem in vinculis die noctuque, ita quod non possit eripi de manibus suis, donec propria sua persona ipsum repræsentet in manibus sui ministri. Et minister teneatur firmiter per obedientiam mittere ipsum per tales fratres, qui die noctuque custodiant ipsum, sicut hominem in vinculis, donec repræsentent ipsum coram domino Ostiensi, qui est dominus protector et corrector istius Fraternitatis.

Et non dicant fratres : Hæc est alia Regula ; quia hæc est recordatio, admonitio, et exhortatio, meum testamentum, quod ego frater Franciscus parvulus vester facio vobis fratribus meis benedictis, propter hoc, ut Regulam, quam Domino promisimus, melius catholice observemus. Et generalis minister, et ommes alii ministri, et custodes per obedientiam teneantur in istis verbis non addere, vel minuere. Et semper hoc scriptum habeant secum juxta Regulam ; et in omnibus capitulis, quæ facient, quando legunt Regulam, legant et ista verba. Et omnibus fratribus meis clericis, et laicis, præcipio firmiter per obedientiam, ut non mittant glosas in Regula, nec in istis verbis, dicendo : Ita volunt intelligi. Sed sicut dedit mihi Dominus pure et simpliciter dicere, et scribere Regulam, et ista verba ; ita simpliciter et pure sine glosa intelligatis, et cum sancta operatione usque in finem observetis. Et quicumque hæc observaverit, in cœlo repleatur benedictione altissimi Patris cœlestis, et in terra repleatur benedictione dilecti Filii sui, cum sanctissimo Spiritu Paracleto, et omnibus Virtutibus cœlorum, et omnibus Sanctis. Et ego frater Franciscus parvulus, et vester servus in Domino, quantumcumque possum, confirmo vobis intus et foris istam sanctissimam benedictionem. Amen.

NOTULA QUÆ INSCRIBITUR :

Laudes testamenti B. patris nostri Francisci (1).

O testamentum pacis, testamentum nulla oblivione delendum ; nulla dedignatione spernendum, nulla superordinatione contraria mutandum ! Testamentum, inquam, non morte testatoris, sed immortalis vitæ condonatione sancitum. Beatus qui non spernit vel abjicit caritatis incorruptibile testamentum, fertile humilitatis feudum, desiderabilem paupertatis thesaurum, tanti patris sibi traditione legatum.

PARS SECUNDA. – REGULÆ.

PRIMA REGULA

QUAM SERAPHICUS PATER SCRIPSIT FRATRIBUS MINORIBUS (2).

MONITUM.

Tres a B. Francisco institutas esse vivendi normas, in quibus utriusque sexus non modica multitudo sancte recteque vitam ageret, nemini prorsus ignotum. Primam fratrum Minorum, secundam Sanctimonialium, tertiam fratrum sororumque de Pœnitentia (vulgo Tertiariorum) suis stabilivit legibus, regulis munivit, sanctisque undique firmavit institutis. Hæc pars hic secunda continet; cætera variorum argumentorum in partem tertiam, et opusculorum dubiorum Appendicem, reservavimus. His nihil aliud præter laudes secundæ Regulæ (quia ab ipso Francisco exaratæ) admiscuimus; nihil ipsis Regularum præceptis addidimus ; nihil, quod Francisci sit, in illis mutavimus. Regula etenim (Seneca teste) est qua rectum probari solet : quam si flectes, quidquid ex illa mutaveris, injuria est recti. Imo tanta cura abstinuimus (ne injuriam hanc rectis vivendi normis inferre diceremur) ab innovandis permutan-

(1) Has nobis tribuere Laudes *Firm.* I, part., fol. 17, col. 3; *Biblioth. vet. Pat.*, tom. V, in finem; et *Biblioth. magna Coloniens.*, tom. XIII. Auctorem non referunt, imo anonymum esse, ait Bibliotheca in margine. Cujuscumque sint, digna judicavimus quæ ipsi testamento subjungerentur.

(2) Primam hanc Minorum Regulam habet *Mon.* primæ excusionis, tractat. 3, et secunda

disve quibuscumque, ut nec stylum, scribendive modum, in aliquibus impolitum et plus satis humilem, variare auderemus. Nec levis me impedìit ratio, dum propensius consideraverim, non stylum, sed rem in Regula esse observandam; nec acquiescendum esse quibusdam sciolis et grammaticastris, qui nihil aliud, præter latinum ornatum, phrasiumque elegantiam, desiderant. Regulæ enim præceptum, seu quod præcipit, non quibus verbis præcipiat, pensandum est. « Navis (1) etenim bona dicitur, non quæ pretiosis coloribus picta est; nec cui argenteum ut aureum rostrum est nec cujus tutela ebore cœlata est, nec quæ fiscis aut opibus regiis pressa est, sed stabilis, et firma, et juncturis aquam excludentibus spissa, ad ferendum incursum maris solida, gubernaculo parens, velox, et consentiens vento. Gladium bonum dices, non cui deauratus est balteus, nec cui vagina gemmis distinguitur : sed cui et ad secandum subtilis acies, et mucro munimentum omne rupturus. Regula, non quam formosa, sed quam recta sit, quæritur. » Has Franciscanas formosas vel elegantes esse, plurimi ibunt inficias; rectas vero, sanctas, beneque institutas (quippe ex ipso Evangelio extractas) nemo, qui christiane sapit, omnino negabit.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Hæc est vita, quam frater Franciscus petiit sibi concedi, et confirmari a domino Papa Innocentio, et concessit, et confirmavit eam sibi et suis fratribus, habitis, et futuris. Frater Franciscus, et quicumque erit caput istius religionis, promittit obedientiam et reverentiam domino Innocentio Papæ, et ejus successoribus obedire.

CAPUT I.

Quod fratres debent vivere in obedientia, sine proprio, et in castitate.

Regula et vita istorum fratrum hæc est, scilicet vivere in obedientia, et in castitate, et sine proprio; et Domini nostri Jesu Christi doctrinam et vestigia sequi, qui dicit : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni et sequere me*, (Matt., XVI, 21.) Et : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* (Lucæ, IX, 23.) Item : *Si quis vult venire post me, et non odit patrem suum, et uxorem, et filios, et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest esse meus discipulus.* (Lucæ, XIV, 26.) *Et omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, fratres, aut sorores, uxorem, aut filios, domos, aut agros, propter me, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.* (Matt., XIX, 29.)

CAPUT II.

De receptione, et vestitu fratrum.

Si quis divina inspiratione volens accipere hanc vitam, venerit ad nostros fratres, benigne recipiatur ab eis : qui si fuerit firmus accipere vitam nostram, multum caveant fratres sibi, ne de suis temporalibus negotiis se intromittant : sed ad suum ministrum, quam citius poterunt, eum repræsentent. Minister vero benigne recipiat ipsum, et confortet, et vitæ nostræ tenorem ei diligenter exponat. Quo facto, prædictus, si vult, et potest spiritualiter, et sine impedimento, vendat omnia sua, et studeat pauperibus erogare. Caveant autem fratres, et ministri fratrum, quod de negotiis suis nullo modo se intromittant. Nec accipiant ali-

tract. 2; *Firm.*, I part., fol. 10; *Speculum Vitæ Francisci et sociorum*, a pagina 189; Mar., I, part. suorum Chron., lib. I, cap. 21, hispano et italico idiomate; ibidem, sed latino, Reboll., cap. 7, et Pisan., lib. I, Conf. 12, sparsim per multa capita. Plura in ea continentur ad vitam satis laudabiliter sancteque componendam : et quæ, si recte observantur, in cœlum manuducant. Hanc dum fratribus traderet, refert Rodulph. (lib. I, fol. 7, pag. 2), dixisse : Magna sunt, fratres, quæ jam diu mente agito, et ad quæ quotidie magis accendor, quia nostris omnibus votis cœleste numen adfuit : ex sententia omnia cedere video, ut minime nobis dubitandum sit, quin ad exitum diu cogitata et optata perducantur. Huc tendunt mei labores, et repetita itinera. Non tamen hanc, sed secundam hujus partis Regulam observant Minores, posthabita ista, ita disponente ipso Francisco, cujus rei causam in argumento secundæ referemus. Hanc scripsisse ait Rodulph., lib. I, fol. 8, anno Domini 1206, die 6 Aprilis. Sed erravit : neque enim adhuc socios habuit, quibus leges ferret Franciscus. Eam autem confirmasse Innocentium anno Domini 1209, ait Miran., cap. 50, in Reg. Minor., alii vero an. 1206 et 1207, Reboll. citat., cap. 8, in fine 1212, pontificatus ejusdem Innocentii III. Cæteris verius et certius asserunt Gonzaga, p. 1, *De orig. Seraph. Relig.*, Roder., tom. I, qq. Reg., quæst. 4, art. 1, et Sedul., *Comment.* in cap. 4 Vitæ D. Francisci, § 11, hoc factum anno Domini, 1211 pontificatus Innocentii III.

(1) Seneca, epist. 76.

quam pecuniam, nec per se, nec per interpositam personam. Si tamen indiguerint, alia necessaria corporis præter pecuniam accipere possunt fratres causa necessitatis, sicut alii pauperes. Et cum reversus fuerit, minister concedat ei pannos probationis usque ad annum, scilicet duas tunicas sine caputio, et cingulum, et braccas, et caparonem usque ad cingulum. Finito vero anno et termino probationis, recipiatur ad obedientiam. Postea non licebit ei ad aliam religionem accedere, nec extra obedientiam evagari, juxta mandatum domini Papæ. Si autem aliquis venerit, quia sua dare non potest sine impedimento, et habet spiritualem voluntatem, relinquat illa, et sufficit ei. Nullus recipiatur contra formam et institutionem sanctæ Ecclesiæ.

Alii vero, qui promiserunt obedientiam, habeant unicam tunicam cum caputio, et aliam sine caputio, si necesse fuerit, et cingulum et braccas. Et omnes fratres vilibus vestibus induantur, et possint eas repeciare de saccis, et aliis peciis, cum benedictione Dei; quia Dominus dicit in Evangelio : *Qui in veste pretiosa sunt, et in deliciis, et qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt* (Matth., XI, 8). Et licet dicantur hypocrytæ, non tamen cessent benefacere. Nec quærant caras vestes in hoc sæculo, ut possint habere vestimentum in regno cœlorum.

CAPUT III.

De divino officio et jejunio.

Dicit Dominus : Hoc genus dæmoniorum non potest exire, nisi in jejunio et oratione. Et iterum : Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Propter hoc omnes fratres, sive clerici, sive laici, faciant divinum officium, laudes, et orationes secundum quod debent facere. Clerici faciant officium, et dicant pro vivis et pro mortuis secundum consuetudinem clericorum. Pro defectu autem et negligentia fratrum omni die dicant, Miserere mei Deus, cum Pater noster; et pro fratribus defunctis dicant : De profundis, cum Pater noster. Et libros necessarios ad implendum eorum officium possint habere. Et laicis scientibus legere Psalterium, liceat illud habere. Aliis vero nescientibus litteras, librum habere non liceat. Laici vero dicant, Credo in Deum, et viginti quatuor Pater noster, cum Gloria Patri. Pro Tertia, Sexta, Nona, pro qualibet istarum septem Pater noster, cum Gloria Patri. Pro Vesperis autem duodecim; pro Completorio septem, et Credo in Deum, cum Gloria Patri. Pro mortuis septem Pater noster, cum Requiem æternam. Et pro defectu et negligentia fratrum, tria Pater noster, qualibet die.

Et similiter omnes fratres jejunent a festo Omnium Sanctorum usque ad Natale, et ab Epiphania, quando Dominus noster Jesus Christus incœpit jejunare, usque ad Pascha. Aliis vero temporibus non teneantur secundum hanc vitam, nisi sexta Feria jejunare. Et liceat eis manducare de omnibus cibis qui apponuntur eis, secundum sanctum Evangelium.

CAPUT IV.

De ministris, et aliis fratribus, qualiter ordinentur.

In nomine Domini : Omnes fratres, qui constituuntur ministri et servi aliorum fratrum, in locis quibus fuerint, collocent suos fratres, quos sæpe visitent, et spiritualiter moneant, et confortent. Et omnes alii fratres mei benedicti diligenter obediant eis in his quæ spectant ad salutem animæ, et non sunt contraria vitæ nostræ. Et faciant inter se, sicut dicit Dominus : *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis* (Matth., VII, 12); et quod tibi non vis fieri, non facias alteri. Et recordentur ministri, et servi, quod dicit Dominus : *Non veni ministrari, sed ministrare* (Matth., XX, 28); et quod commissa est eis cura animarum fratrum, de quibus si aliquid perderetur propter eorum culpam et malum exemplum, in die Judicii oportebit eos reddere rationem coram Domino Jesu Christo.

CAPUT V.

De correctione fratrum in offensione.

Ideoque animas vestras et fratrum vestrorum custodite, quia horrendum est incidere in manus Dei viventis (Hebr., X, 31). Si quis autem ministrorum alicui fratrum aliquid contra vitam nostram præceperit, vel contra animam suam, et non tenetur ei obedire; quia illa obedientia non est, in qua delictum vel peccatum committitur. Verumtamen omnes fratres, qui sunt sub minis-

tris et servis fratrum Minorum, et servorum, considerent rationabiliter et diligenter, si viderint aliquem illorum carnaliter et non spiritualiter ambulare pro rectitudine vitæ nostræ, post tertiam admonitionem, si non se emendaverit, in Capitulo Pentecostes renuntient ministro et servo totius fraternitatis, nulla contradictione impediente. Si vero inter fratres, ubicumque sint, fuerit aliquis frater, volens carnaliter et non spiritualiter ambulare, fratres, cum quibus est, moneant eum, et instruant, et corripiant humiliter, et diligenter. Quod si ille post tertiam admonitionem noluerit se emendare, quam citius possint mittant eum, vel significent suo ministro et servo; qui minister et servus de eo faciat, sicut sibi secundum Deum melius videbitur expedire. Et caveant omnes fratres, tam ministri et servi, quam alii, quod propter peccatum alterius, vel malum exemplum non turbentur, et irascantur; quia diabolus propter delictum unius vult multos corrumpere, sed spiritualiter, sicut possunt, adjuvent eum qui peccavit; *quia non est sanis opus medicus, sed male habentibus* (Matth., IX, 12). Similiter omnes fratres non habeant potestatem vel dominationem, maxime inter se. Sicut enim Dominus dicit in Evangelio, principes gentium dominantur eorum, et qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non sic erit inter fratres, sed quicumque voluerit inter eos major fieri, sit eorum minister et servus; et qui major est inter eos, fiat sicut minor. Nec aliquis fratrum malum faciat vel malum dicat alteri, imo magis per caritatem spiritus voluntarie serviant et obediant invicem. Et hæc est vera et sancta obedientia Domini nostri Jesu Christi. Et omnes fratres quomodocumque declinaverint a mandatis Domini, et extra obedientiam evagaverint, sicut dicit Propheta, sciant se esse maledictos extra obedientiam, quousque steterint in tali peccato scienter. Et quando perseverant in mandatis Domini, quæ promiserunt per sanctum Evangelium et vitam ipsorum, sciant se in vera obedientia stare, et benedicti sint a Domino.

CAPUT VI.

De recursu fratrum ad ministrum, et quod aliquis frater non vocetur prior.

Fratres, in quibuscumque locis sunt, si non possunt vitam nostram observarè, quam citius possunt, recurrant ad suum ministrum, hoc ipsi significantes. Minister vero taliter studeat eis providere, sicut vellet sibi fieri, si in consimili casu esset. Et nullus vocetur prior, sed generaliter omnes vocentur fratres Minores, et alter alterius lavet pedes.

CAPUT VII.

De modo serviendi et laborandi.

Omnes fratres, in quibuscumque locis fuerint apud aliquos ad serviendum, vel ad laborandum, non sint camerarii, nec cellarii, nec præsint in domibus eorum quibus serviunt, nec recipiant aliquod officium quod scandalum generet, vel animæ suæ faciat detrimentum : sed sint Minores, et subditi omnibus qui in eadem domo sunt. Et fratres, qui sciunt laborare, laborent, et eamdem artem exerceant quam noverint, si non sit contra salutem animæ suæ, et honeste poterunt operari. Nam, ait Propheta : *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit.* (Psal., CXXVII, 2.) Et Apostolus : *Qui non vult laborare, non manducet.* (II Thes., III, 11.) Et unusquisque in eadem arte et officio in quo vocatus est, permaneat. Et possint pro labore accipere omnia necessaria, præter pecuniam, et cum necesse fuerit, vadant pro eleemosynis, sicut alii pauperes. Et liceat eis habere ferramenta et instrumenta suis artibus necessaria. Omnes fratres studeant bonis operibus insudare; quia scriptum est : Semper facito aliquid boni, ut te diabolus inveniat occupatum. Et iterum : Otiositas est animæ inimica. Idcirco servi Dei semper orationi vel alicui bonæ operationi insistere debent. Caveant sibi fratres, ubicumque fuerint, in eremis vel in aliis locis, quod nullum locum sibi approprient, nec alicui defendant. Et quicumque ad eos venerint, amicus vel adversarius, fur vel latro, benigne recipiatur. Ubicumque sunt fratres, vel in quocumque loco se invenerint, spiritualiter et diligenter debeant se revidere, et honorare ad invicem sine murmuratione. Et caveant sibi, quod non ostendant se tristes extrinsecus, nubilosos, et hypocritas; sed ostendant se gaudentes in Domino, hilares, et convenienter gratiosos.

CAPUT VIII.

Quod fratres non recipiant pecuniam.

Dominus præcepit in Evangelio : *Videte et cavete ab omni malitia, et avaritia.* (Lucæ, XII, 15.) Et attendite vobis a sollicitudinibus hujus sæculi, et a curis hujus vitæ. Unde nullus fratrum, ubicumque sit, et quocumque vadit, aliquo modo tollat, nec recipiat, nec recipi faciat pecuniam, aut denarios; nec occasione vestimentorum, nec librorum, nec pro pretio alicujus laboris; imo nulla occasione, nisi propter manifestam necessitatem infirmorum fratrum; quia non debemus majorem utilitatem habere, et reputare in pecunia et denariis quam in lapidibus.

Et illos vult diabolus obcæcare, qui eam appetunt, vel reputant lapidibus meliorem. Caveamus ergo, quia omnia reliquimus, ne pro tam modico regnum cœlorum perdamus. Et si in aliquo loco invenerimus denarios, de his non curemus, tamquam de pulvere, quem pedibus calcamus; quia vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Et si forte (quod absit) aliquem fratrem contigerit pecuniam vel denarios colligere, vel habere, excepta solummodo prædicta infirmorum necessitate; omnes fratres teneant eum pro falso fratre, et fure, et latrone, et loculos habente, nisi vere pœnituerit. Et nullo modo fratres recipiant, nec recipi faciant, nec quærant, nec quæri faciant pecuniam, vel eleemosynam, nec denarios pro aliquibus domibus, vel locis, nec cum persona, pro talibus locis pecuniam vel denarios quærente, vadant. Alia autem servitia, quæ non sunt contraria vitæ nostræ, possunt fratres in talibus locis facere cum benedictione Dei. Fratres tamen in manifesta necessitate leprosorum, possunt pro eis quærere eleemosynam. Caveant tamen multum a pecunia. Similiter caveant omnes fratres, ne pro aliquo turpi lucro terras circumeant.

CAPUT IX.

De petenda eleemosyna.

Omnes fratres studeant sequi humilitatem et paupertatem Domini nostri Jesu Christi; et recordentur, quod nihil aliud oportet nos habere de toto mundo; sicut dicit Apostolus : *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.* (I Tim., VI, 8). Et debent gaudere quando conversantur inter viles et despectas personas, inter pauperes et debiles, infirmos et leprosos, et juxta viam mendicantes. Et cum necesse fuerit, vadant pro eleemosynis, et non verecundentur, et magis recordentur, quia Dominus noster Jesus Christus filius Dei vivi omnipotentis, posuit faciem suam, ut petram durissimam, nec verecundatus est, et fuit pauper, et hospes, et vixit de eleemosynis ipse, et beata Virgo, et discipuli ejus. Quando facerent eis homines verecundiam, et nollent eis dare eleemosynam, referant inde gratias Deo, quia de verecundiis recipient magnum honorem ante tribunal Domini nostri Jesu Christi. Et sciant quod verecundia non patientibus, sed inferentibus imputatur. Et eleemosyna est hæreditas, et justitia, quæ debetur pauperibus, quam nobis acquisivit Dominus noster Jesus Christus. Et fratres qui eam acquirendo laborant, magnam mercedem habebunt, et faciunt lucrari, et acquirere tribuentes : quia omnia quæ homines faciunt in hoc mundo, peribunt; sed de caritate, et de eleemosynis quas fecerint, habebunt præmium a Domino. Et secure manifestet unus alteri necessitatem suam, ut sibi necessaria inveniat, et ministret. Et quilibet diligat et nutriat fratrem suum, sicut mater diligit et nutrit filium suum, in quibus Deus eis gratiam largiatur. Et qui non manducat, manducantem non spernat, et qui manducat, non manducantem non judicet. Et quando necessitas supervenerit, liceat universis fratribus, ubicumque fuerint, uti omnibus cibis, quos possunt homines manducare, sicut Dominus noster dicit de David, qui comedit panes propositionis, quos non licebat comedere, nisi sacerdotibus. Et recordentur quod dicit Dominus : *Attendite vobis ne forte graventur corda vestra crapula et ebrietate, et superveniat vobis repentina dies illa, tamquam laqueus* (Luc., XXI, 34); laqueus enim superveniet super omnes, qui sedent super faciem orbis terræ. Similiter tempore manifestæ necessitatis, faciant omnes de eorum necessariis, sicut eis Dominus gratiam largietur, quia necessitas non habet legem.

CAPUT X.

De infirmis fratribus.

Si quis fratrum in infirmitatem inciderit,

ubicumque fuerit, alii fratres non dimittant eum, nisi constituatur unus de fratribus, vel plures, si necesse fuerit, qui serviant ei sicut vellent sibi serviri. Sed in maxima necessitate possunt ipsum dimittere alicui personæ, quæ debeat suæ satisfacere infirmitati. Et rogo fratrem infirmum, ut referat de omnibus gratias Creatori; et qualem vult eum Dominus, talem se esse desideret, sive sanum, sive infirmum; quia omnes quos Deus ad vitam præordinavit æternam, flagellorum atque infirmitatum stimulis, et compunctionis spiritu erudit, sicut dicitur in Apocalypsi : *Ego quos amo, corrigo et castigo.* Si autem turbabitur, sive irascetur contra Deum, sive contra fratres ; vel si forte sollicite postulaverit medicinas, nimis desiderans liberare carnem cito morituram, quæ est animæ inimica; a malo sibi evenit, et carnalis est, et non videtur esse de fratribus, quia plus diligit corpus quam animam.

CAPUT XI.

Quod fratres non blasphement, nec detrahant; sed diligant invicem.

Et omnes fratres caveant sibi ut non calumnientur aliquem, nec contendant verbis, sed studeant retinere silentium, quandocumque eis Dominus gratiam largietur. Nec litigent inter se, nec cum aliis : sed primo curent humiliter respondere dicentes: Servi inutiles sumus. Et non irascantur, quia omnis, qui irascitur fratri suo, racha, reus erit gehennæ ignis. Et diligant se invicem, sicut Dominus dicit : *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* (Joan. XV, 12). Et ostendant ex operibus dilectionem, quam debent ad invicem. sicut dicit Apostolus: *Non diligamus verbo aut lingua, sed opere et veritate* (Joan., III, 18). Neminem blasphement, nec murmurent, nec detrahant aliis ; quia scriptum est: *Susurrones et detractores sunt Deo odibiles* (Eccli., XXVIII, 15, et Rom., I, 29). Et sint modesti omnes, monstrantes mansuetudinem ad omnes homines ; nec judicent, nec condemnent. Et, sicut dicit Dominus, non considerent minima peccata aliorum, immo magis sua recogitent in amaritudine animæ suæ. Et contendant intrare per angustam portam, qui dicit Dominus: *Angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam.* (Matth., VII, 14.)

CAPUT XII.

De malo visu, et frequentia mulierum vitanda.

Omnes fratres, ubicumque sunt, vel vadunt, caveant sibi a malo visu, et frequentia mulierum. Et nullus cum eis consilietur solus. Sacerdos honeste loquatur cum eis, dando pœnitentiam, vel aliud spirituale consilium. Et nulla penitus mulier ab aliquo fratre recipiatur ad obedientiam; sed dando sibi consilium spirituale, ubi voluerit, agat pœnitentiam. Et multum omnes nos custodiamus, et omnia membra nostra teneamus, quia dicit Dominus : *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est cum ea in corde suo.* (Matt., V, 28).

CAPUT XIII.

De præsumptione fornicationis,

Si quis fratrum, diabolo instigante, fornicaretur, habitum, quem ex sua turpitudine amisit, ex toto deponat, et a nostra religione penitus expellatur, et postea pœnitentiam faciat de peccatis.

CAPUT XIV.

Quomodo fratres debeant ire per mundum.

Quando fratres vadunt per mundum, nihil portent per viam, nec sacculum, nec peram, nec panem, nec pecuniam, nec virgam. Et in quamcumque domum intraverint, dicant primum : Pax huic domui. Et in eadem domo manentes, edant et bibant quæ apud illos sunt. Non resistant malo, sed si quis eos in maxillam percusserit, præbeant ei alteram; et qui auferret eis vestimentum, et tunicam, non prohibeant. Omni petenti se tribuant; sed si quis auferret quæ sua sunt, non repetant.

CAPUT XV.

Quod fratres non teneant bestiam, nec equitem.

Injungo omnibus fratribus meis, tam clericis quam laicis, euntibus per mundum, licet morantibus in locis, quod nullo modo apud se, nec apud alium, et aliquo modo bestiam aliquam habeant. Nec eis liceat equitare, nisi infirmitate vel magna necessitate cogantur.

CAPUT XVI.

De euntibus inter Sarracenos et alios infideles.

Dixit Dominus : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luprorum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (Matt., x, 16). Unde quicumque fratrum divina inspiratione voluerint ire inter Sarracenos et alios infideles, vadant de licentia sui ministri et servi. Minister vero det eis licentiam, et non contradicat, si viderit eos esse idoneos ad mittendum. Nam tenebitur Domino reddere rationem, si in hoc vel in aliis processerit indiscrete. Fratres vero qui vadunt, possunt duobus modis spiritualiter inter alios conversari.

Unus modus est, quod non faciant lites, nec contentiones, sed sint subditi omni humanæ creaturæ propter Deum, et confiteantur se esse christianos. Alius modus est, quod cum viderint placere Deo, annuntient verbum Dei, ut credant in Deum omnipotentem Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, creatorem omnium, Redemptorem et Salvatorem Filium, ut baptizentur, et christiani efficiantur : quia *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* (Joan., III, 5.) Hæc, et alia quæ placuerint Domino, ipsis et aliis dicere possunt, quia dicit Dominus in Evangelio : *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis* (Matt., x, 32.) Et qui erubuerit me, et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, et Patris et sanctorum Angelorum. Et omnes fratres, ubicumque sint, recordentur quod dederunt se, et reliquerunt sua corpora Domino nostro Jesu Christo, et pro ejus amore debent se exponere inimicis, tam visibilibus, quam invisibilibus; quia dicit Dominus (Matt., x, 39): *Qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet eam in vitam æternam. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* (Joan., xv, 20.) *Si me persecuti sunt et vos persequentur.* (Ibid., v, 10.) *Si autem persequuntur vos in una civitate, fugite ad aliam.* (Matt., x, 23). *Beati estis, cum vos oderint homines, et maledixerint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tanquam malum, et cum dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me.* (Ibid., v, 11.) *Gaudete in illa die, et exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlis. Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant.* (Lucæ, XII, 4.) *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (Lucæ XXI, 19.) *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (Matt., x, 22).

CAPUT XVII.

De Prædicatoribus.

Nullus fratrum prædicet contra formam et institutionem sanctæ Ecclesiæ, nisi concessum fuerit sibi a suo ministro. Caveat sibi ergo minister, ne alicui indiscrete concedat. Omnes tamen fratres operibus prædicent. Et nullus minister vel prædicator approprietsibi ministerium, vel officium prædicationis; sed quacumque hora ei injunctum fuerit, sine omni contradictione dimittant suum officium. Unde deprecor in caritate, (quæ Deus est) omnes Fratres meos prædicatores, oratores, et laboratores, tam clericos quam laicos, ut studeant se humiliare in omnibus, non gloriari, nec in se gaudere, nec intrinsecus se exaltare de bonis verbis et operibus; imo de nullo bono, quod dicit vel facit Deus, et operatur in eis aliquando, et per ipsos, secundum quod ipse Dominus dicit : Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus subjiciuntur vobis. Et firmiter sciamus, quod non pertinent ad nos nisi vitia et peccata. Et magis debemus gaudere, cum in tentationes varias inciderimus, et sustinemus quascumque animæ vel corporis angustias, aut tribulationes in hoc mundo propter vitam æternam. Omnes ergo, fratres, caveamus ab omni superbia et vana gloria.

Custodiamus nos a sapientia hujus mundi, et a prudentia carnis. Spiritus enim carnis vult et studet multum ad verba habenda, sed parum ad operationem : et quærit non religionem et sanctitatem spiritus, sed vult et desiderat religionem et sanctitatem foris apparentem hominibus; et isti sunt, de quibus dicit Dominus : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* (Matt., VI, 2.) Spiritus autem Domini vult mortificatam et despectam, vilem et abjectam, et oppro-

opprobriosam esse carnem, et studet ad humilitatem, et patientiam, et puram simplicitatem, et veram pacem spiritus. Et super omnia desiderat divinum timorem, et divinam sapientiam, et divinum amorem Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Et omnia bona Deo altissimo et summo reddamus, et omnia bona ipsius esse recognoscamus, et de omnibus ei gratias referamus, a quo bona cuncta procedunt, et ipse altissimus et summus solus et verus Deus habeat, et ei reddantur, et ipse recipiat omnes honores et reverentias, et omnes laudes et benedictiones, et omnes gratias, et omnem gloriam, cujus est omne bonum, qui solus bonus. Et quando videmus vel audimus malum dici vel fieri, vel blasphemari Deum, nos benedicamus, et benefaciamus, et laudemus Deum, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT XVIII.

Qualiter ministri conveniant ad invicem.

Quolibet anno unusquisque minister cum fratribus suis possit convenire, ubicumque placuerit eis, in festo sancti Michaelis archangeli, de his quæ ad Deum pertinent tractaturus. Omnes vero ministri, qui sunt in ultramarinis et ultramontanis partibus, semel in tribus annis, et alii ministri semel in anno veniant ad capitulum in festo Pentecostes apud Sanctam Mariam de Portiuncula, nisi a ministro et servo totius fraternitatis aliter fuerit ordinatum.

CAPUT XIX.

Quod omnes fratres vivant catholice.

Omnes fratres sint catholici, vivant et loquantur catholice. Si quis vero erraverit a fide et vita catholica, in dicto, vel in facto, et non se emendaverit, a nostra fraternitate penitus expellatur. Et omnes clericos, et omnes religiosos, habeamus pro dominis, in his quæ spectant ad laudem animæ, et a nostra religione non deviant, et ordinem, et officium eorum, et administrationem in Domino veneremur.

CAPUT XX.

De confessione fratrum, et perceptione corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi.

Fratres benedicti, tam clerici quam laici, confiteantur peccata sua sacerdotibus nostræ religionis. Et si non possunt, confiteantur aliis discretis et catholicis sacerdotibus, scientes firmiter, et attendentes, quod a quibuscumque sacerdotibus acceperint pœnitentiam et absolutionem, absoluti erunt proculdubio ab illis peccatis, si pœnitentiam sibi injunctam procuraverint humiliter et fideliter observare. Si vero tunc sacerdotem habere non poterunt, confiteantur fratri suo, sicut dicit Apostolus Jacobus : *Confitemini alterutrum peccata vestra* (Jacob., v, 10). Non tamen ob hoc dimittant recurrere ad sacerdotes ; quia potestas ligandi atque solvendi solis sacerdotibus est concessa. Et sic contriti et confessi sumant corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi cum magna humilitate et veneratione, attendentes quod ipse Dominus dicit : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam* (Joan., VI, 55), et : *Hoc facite in meam commemorationem* (Lucæ, XXII, 19).

CAPUT XXI.

De laude et exhortatione, quam possunt facere omnes fratres.

Et hanc talem exhortationem et laudem omnes fratres mei, quandocumque placuerit eis, annuntiare possunt, et inter quoscumque homines, cum benedictione Dei : Timete et honorate, laudate et benedicite. Gratias agite, et adorate Dominum Deum omnipotentem in trinitate et unitate, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, creatorem omnium. Facite pœnitentiam, agite dignos fructus pœnitentiæ, quia scitote quod cito moriemur. Date, et dabitur vobis, dimittite, et dimittetur vobis; et si non dimiseritis, Dominus non dimittet vobis peccata vestra. Beati qui moriuntur in pœnitentia, quia erunt in regno cœlorum. Væ illis, qui non moriuntur in pœnitentia, quia erunt filii diaboli, cujus opera faciunt, et ibunt in ignem æternum. Cavete et abstinete ab omni malo, et perseverate usque in finem in bono.

CAPUT XXII.

De admonitione fratrum.

Attendamus omnes, fratres, quia dicit Dominus : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos* (Matth., v, 44).

Nam et Dominus noster Jesus Christus, cujus vestigia sequi debemus, traditorem suum vocavit amicum, crucifixoribus sponte se obtulit. Amici ergo nostri sunt omnes illi, qui injuste nobis inferunt tribulationes, angustias, verecundias et injurias, dolores et tormenta, martyrium et mortem, quos multum diligere debemus; quia ex hoc quod nobis inferunt, habemus vitam æternam. Et odio habeamus corpus nostrum cum suis vitiis et peccatis, quia carnaliter vivendo vult nobis auferre amorem Domini nostri Jesu Christi, et vitam æternam, et seipsum cum omnibus perdere in infernum. Quia nos propter culpam sumus fœtidi, miseri, et bono contrarii, ad mala autem prompti, et voluntarii, quia sicut dicit Dominus in Evangelio : *De corde hominum procedunt et exeunt cogitationes malæ, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, et avaritia, nequitia, dolus, falsa testimonia, blasphemia*, superbia, stultitia (Matth., xv, 19). Hæc omnia mala ab intus de corde hominis procedunt, et hæc sunt quæ coinquinant animam. Nunc autem postquam dimisimus mundum, nil aliud habemus facere, nisi ut solliciti simus voluntatem Domini sequi, et placere ipsi. Multum caveamus ne simus terra secus viam, vel petrosa, vel spinosa, secundum quod dicit Dominus in Evangelio : Semen est verbum Dei. Quod autem secus viam cecidit, et conculcatum est, hi sunt qui audiunt verbum Dei, et non intelligunt; et confestim venit diabolus, et rapit quod seminatum est in cordibus eorum, ne credentes salvi fiant. Quod autem super terram cecidit, hi sunt fiui cum audierint verbum, statim cum gaudio suscipiunt illud (Lucæ, viii, 13) : facta autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuo scandalizantur, et hi radicem in se non habent, sed temporales sunt, quia ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui verbum Dei audiunt, et sollicitudo, et ærumnæ istius sæculi, et fallacia divitiarum, et circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, et sine fructu afficiuntur. *Quod autem in terram bonam seminatum est, hi sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum intelligunt, et retinent, et fructum afferunt in patientia.* (Luc., viii, 15.) Et propterea nos, fratres, sicut dicit Dominus, *dimittamus mortuos sepelire mortuos suos* (Matth., viii, 22), et multum caveamus a malitia et subtilitate satanæ, qui vult ne homo mentem suam et cor habeat ad Dominum Deum, et circuiens desiderat cor hominis sub specie alicujus mercedis vel adjutorii tollere, et suffocare verbum et præcepta Domini a memoria; et vult cor hominis per sæcularia negotia et curam excæcare, et ibi habitare; sicut dicit Dominus: *Cum immundus spiritus exit ab homine, ambulat per loca arida et inaquosa, quærens requiem, et non inveniens, dicit : Revertar in domum meam unde exivi. Et veniens invenit eam scopis mundatam et ornatam. Tunc vadit, et assumit alios septem spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi, et fiunt novissima hominis, pejora prioribus* (Matth., xii, 43-45). Unde, fratres, custodiamus nos multum, ne sub specie alicujus mercedis, vel adjutorii, vel operis, perdamus, aut tollamus mentem nostram a Domino. Sed in sancta caritate, quæ Deus est, rogo omnes fratres, tam ministros quam alios, ut omni impedimento remoto, et omni cura et sollicitudine postposita, quocumque modo melius possunt, debeant servire, amare, et honorare Dominum Deum mundo corde, et pura mente, quod ipse super omnia quærit. Et semper faciamus in nobis habitaculum et mansionem ipsi, qui est Dominus Deus omnipotens, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus; qui dicit. *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia mala quæ ventura sunt, et stare ante Filium hominis* (Luc., xxi, 36). Et : *cum statis ad orandum, dicite : Pater noster, qui es in cœlis.* Et adoremus eum puro corde : *Oportet enim semper orare, et non deficere* : nam Pater tales quærit adoratores : *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (Joan., iv, 24). Et ad ipsum recurramus, tanquam ad Patrem : et Episcopum animarum nostrarum, qui dicit (Ibid., x, 11 et 15) : *Ego sum Pastor bonus, qui pasco oves meas, et animam meam pono pro ovibus meis.* Omnes enim vos fratres estis : *Patrem nolite vocare vobis super terram : unus enim est Pater vester, qui in cœlis est. Nec vocemini magistri : unus enim est Magister vester, qui in cœlis est* (Matth., xxiii, 8 et 9). *Si manseritis in me* (Joan., xv, 7), *et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis,*

et fiet vobis. Ubicumque sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum (Matth., XVIII, 20). *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (Matth., XXVIII, v. ult.). *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. Ego sum via, veritas, et vita* (Joan., VI, 64).

Teneamus ergo veram viam, vitam, et doctrinam, et sanctum ejus Evangelium, qui dignatus est pro nobis Patrem suum, et nomen ejus nobis manifestare, dicens : *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi, quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis; et ipsi acceperunt, et cognoverunt vere quia a te exivi, et crediderunt quia tu me misisti. Ego pro eis rogo, non pro mundo, sed pro his quos dedisti mihi in nomine tuo, ut sint unum, sicut et nos. Hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium in semetipsis. Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum, et pro eis sanctifico meipsum, ut sint ipsi sanctificati in veritate. Non enim pro eis rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt propter verba eorum in me, ut sint conjuncti in unum, et cognoscat mundus, quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut me dilexisti. Notum faciam eis nomen tuum, ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis* (Joan., XVII, 6-25). Pater quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum, et videant claritatem tuam in regno tuo.

CAPUT XXIII.

Oratio ad Deum, sive gratiarum actio atque ad fratres exhortatio.

Omnipotens, sanctissime, altissime, et summe Deus, Pater sancte, et juste Domine, Rex cœli et terræ, propter temetipsum gratias agimus tibi, quod per sanctam voluntatem tuam, et per unicum Filium tuum, et Spiritum Sanctum, creasti omnia spiritualia et corporalia, et nos ad imaginem tuam in similitudinem factos in paradiso posuisti, et per culpam nostram cecidimus. Et gratias agimus tibi, quia sicut per Filium tuum nos creasti, sic per istam dilectionem tuam, qua dilexisti nos, ipsum verum Deum et verum hominem ex gloriosa semper Virgine beatissima sancta Maria nasci fecisti, et per crucem, et sanguinem, et mortem ipsius nos captivos redimere voluisti. Et gratias agimus tibi, quia ipse Filius tuus iterum venturus est in gloria majestatis suæ mittere maledictos, qui pœnitentiam non egerunt, et te non cognoverunt, in ignem æternum, et dicere omnibus, qui te cognoverunt et adoraverunt, et tibi servierunt in pœnitentia : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* (Matt., XXV, 24). Et quia omnes miseri et peccatores, non sumus digni nominare te, suppliciter exoramus, ut Dominus noster Jesus Christus Filius tuus dilectus, in quo tibi bene complacuit (Matt., XVII, 5), una cum Spiritu Sancto Paraclito gratias agat tibi, sicut tibi et ipsis placet pro omnibus, qui tibi semper sufficit ad omnia, per quem tanta nobis fecisti. Alleluia. Et gloriosam Matrem beatissimam Mariam semper Virginem, beatum Michaelem, Gabrielem, Raphaelem, et omnes choros beatorum Spirituum, Seraphim, Cherubim, Thronorum, Dominationum, Principatuum, et Potestatum, Virtutum, Angelorum, Archangelorum, B. Joannem Baptistam, Joannem Evangelistam, Petrum, Paulum, et beatos patriarchas, et prophetas, Innocentes, Apostolos, Evangelistas, Discipulos, Martyres, Confessores, Virgines, beatos Eliam et Enoch; et omnes Sanctos, qui fuerunt, erunt, et sunt, propter tuum amorem humiliter deprecamur, ut sicut tibi placet, pro his tibi gratias referant summo Deo, vero, æterno, et vivo, cum Filio tuo beatissimo Domino Jesu Christo, et Spiritu Sancto Paraclito in sæcula sæculorum. Amen. Alleluia.

Et Domino Deo, universos intra sanctam Ecclesiam catholicam et apostolicam servire volentes, et omnes sequentes ordines, sacerdotes, diaconos, subdiaconos, acolythos, et exorcistas, lectores, et ostiarios, et omnes clericos, universos religiosos, universas religiosas; omnes pueros et parvulos, pauperes et egenos, reges et principes, laboratores et agricolas, servos et dominos; omnes virgines, continentes et maritatos, laicos masculos et feminas; omnes infantes, adolescentes, juvenes et senes, sanos et infirmos, omnes pusillos et magnos,

et omnes populos, tribus et linguas, et omnes nationes, et omnes homines ubique terrarum, qui sunt et erunt, humiliter rogamus et supplicamus nos omnes fratres Minores, servi inutiles, ut omnes in vera fide et pœnitentia perseveremus; quia aliter nullus salvari potest. Omnes diligamus ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, et fortitudine, ex toto intellectu, et ex omnibus viribus, toto nisu, toto affectu, totis visceribus, totis desideriis et voluntatibus Dominum Deum, qui totum corpus, totam animam, totam vitam dedit, et dat omnibus nobis : qui nos creavit, et redemit, et sola sua misericordia salvavit : qui nobis miserabilibus et miseris, putridis et fœtidis, ingratis, ignaris, et malis omnia bona fecit, et facit. Nihil ergo aliud desideremus, nihil aliud velimus, nihil aliud placeat, et delectet nos, nisi Creator, et Redemptor, et Salvator noster, solus et verus Deus, qui est plenum bonum, omne bonum, totum bonum, verum et summum bonum, qui solus est bonus, pius et mitis, suavis et dulcis, qui solus est sanctus, justus, verus, et rectus, qui solus est benignus, innocens, mundus : a quo, per quem, et in quo est omnis venia, omnis gratia, omnis gloria omnium pœnitentium, et justorum, omnium beatorum in cœlis congaudentium. Nihil ergo impediat, nihil separet, nihil interpellet. Utique nos omnes, omni loco, omni hora, et omni tempore, quotidie et continue credamus veraciter et humiliter, et in corde teneamus, amemus, honoremus, adoremus, serviamus, laudemus, et benedicamus, glorificemus, et superexaltemus, magnificemus, et gratias agamus altissimo et summo Deo æterno, et Trinitati et Unitati, Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, Creatori omnium, in se credentium et sperantium, et diligentium eum, qui sine initio, et sine fine, immutabilis, et invisibilis, inenarrabilis, ineffabilis, incomprehensibilis, investigabilis, benedictus, laudabilis, gloriosus, superexaltatus, sublimis, excelsus, suavis, amabilis, delectabilis, et totus semper super omnia desiderabilis in sæcula sæculorum.

Exhortatio ad fratres.

In nomine Dei omnipotentis, rogo omnes fratres, ut addiscant tenorem et sensum eorum quæ in ista vita ad salutem animæ nostræ scripta sunt, et ista frequenter ad memoriam reducant. Et exoro Deum, ut ipse, qui est omnipotens, trinus et unus, benedicat omnes docentes, addiscentes, recordantes, et operantes ista, quoties repetunt quæ ibi ad salutem nostram scripta sunt. Et deprecor omnes cum osculo pedum, ut multum diligant, custodiant, et reponant, et ex parte Dei omnipotentis, et domini Papæ, et per obedientiam, ego Franciscus firmiter præcipio et injungo, ut ex his quæ in ista vita scripta snnt, nullus minuat, vel in ipsa scriptum aliquod desuper addat, nec aliam Regulam fratres habeant. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto : sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SECUNDA REGULA B. PATRIS FRANCISCI PRO FRATRIBUS MINORIBUS.

MONITUM.

Jam supra in Argumento præcedentis Regulæ monuimus, ea posthabita, hanc a fratribus Minoribus observari, rationemque in hunc locum reservavimus, quam ex cap. 4 Vitæ nostri Auctoris non pigebit tædebitve hic referre. Cum dilatato jam ordine, ait D. Bonaventura (1), vivendi formam per D. Innocentium approbatam disponeret per successorem ipsius Honorium, in perpetuum facere roborari, hujusmodi fuit a Deo revelatione commonitus. Videbatur quidem sibi de terra micas panum subtilissimas collegisse, multisque famelicis fratribus ipsum circumstantibus, debere tribuere; cumque micas tam tenues distribuere formidaret, ne forte inter manus exciderent, vox ei desuper ait : Francisce, unam de micis omnibus hostiam facito, et manducare volentibus tribue. Quo id agente, quicumque illud devote non recipiebant, aut receptum contemnebant donum, mox lepra infecti notabiles apparebant. Recitat

(1) Bonav., cap. 4, *Legendæ majoris*, in fine.

mane vir sanctus hæc omnia sociis, dolens se non percipere mysterium visionis. Sequenti vero die cum vigil in oratione persisteret, hujusmodi vocem de cœlo delapsam audivit : Francisce, micæ præteritæ noctis, verba Evangelica sunt : hostia, Regula; lepra, iniquitas. Volens igitur confirmandam Regulam ex verborum Evangelii aggregatione profusius traditam, ad compendiosiorem formam, juxta quod dictabat visio monstrata, redigere; in montem quemdam cum duobus sociis, Spiritu Sancto ducente, conscendit : ubi pane tantum contentus et aqua, jejunans conscribi eam fecit, secundum quod oranti sibi divinus Spiritus suggerebat. Quam, cum de monte descendens, servandam suo Vicario commisisset, ille elapsis paucis diebus assereret per incuriam deperditam; iterato vir sanctus ad locum solitudinis rediit, eamque instar prioris, ac si ex ore Dei verba susciperet, illico reparavit, et per supradictum D. Papam Honorium, octavo pontificatus illius anno, sicut optaverat, obtinuit confirmari. Ad cujus observantiam fratres ferventer inducens, dicebat, se nihil ibi posuisse secundum industriam propriam; sed omnia sic scribi fecisse, sicut fuerant sibi divinitus revelata. Hujus visionis plerique meminerunt, præsertim Reboll., I part., lib. II, cap. 4; Mar., ibidem, cap. 7; et Platus lib. I, *De Bono Status Relig.*, c. 25. Regulam autem ipsam ad Spiritus Sancti instinctum et interiorem motionem scriptam esse, imo ab eodem revelatam, constanter asserit episcopus comes Senogall. Rodulph. (1) variis in locis suæ *Historiæ Seraphicæ;* et ante hunc asseruere Bernardin. Senens., tom. III, Disp. de Obed., art. 3, limite 3, beati Leo et Bonizius Francisci comites, quibus præsentibus post quadraginta jejunii dies scripta est, in monte Rainerio, sive Columbæ, sive Palumbæ, Ratinæ diœcesis, intra ruptiones quasdam, et lapidosas cavernas, quæ spectantibus metum et admirationem incutiunt. Huic assertioni adstipulantur plurima Summorum Pontificum sacra testimonia. Gregorius IX, in Reg. Min., cap. 1; Nicolaus III, cap. *Exiit, de verb. signif.* in 6; Julius II, *in litteris de facultate card. protectoris;* B. Brigitta lib. VII, *Revelat.*, cap. 20; Hier. Platus citatus; Pisan. plurimis in locis suarum Conformitatum; Reboll. cit.; Alvarus Pelag., t. II, *de Planctu Ecclesiæ*, art. 61; Ambros. Cathar. in controv. exorta inter Prædicat., et Senens. c, 4. Ante med. confirmationis bullam Pontificio signatam plumbo, in hanc usque diem servari testatur Rodulph., lib. I, *Hist. Seraph. Rel.* in Conventu S. Francisci Assisio, quam et ego ibidem vidi anno 1619, imo quod et magis animum recreavit, in sacrario præter cæteras egregias, quæ ibidem servantur, reliquias, vidi hanc ipsam Regulam ipsius Francisci manu exaratam. Confirmatam illam ab Honorio asserit D. Antonin. 3 part. Hist., tit. 24, cap. 7, § 6, anno (ut diximus) octavo pontificatus Honorii, et nostræ salutis 1223. Cui subscribit Sedul., *Comment.* in cap. 4, *Vitæ B. Francisci*, num. 11; et Matth. Palmerius, in sua Chronol., ad eumdem annum. Confirmationem ipsam omittendam duxi, dum quod solum Francisci est opusculum, curavi transcribendum. Illius autem hoc esse, nullus est qui dubitare possit, nisi et Minorum fundatorem esse negare velit. Quid in illa, qualiterve eam observare teneantur ejus professores, consulat, qui voluerit, D. Bonav., t. VII, suorum Operum ; Antonii Cordubæ, Ludovici Mirandæ, et Servatii Myricani præ cæteris, expositiones in eamdem. Plures qui omnium manibus teruntur, ne citationibus lectorem obruamus, missos facimus.

(1) Rodul., lib. I, *Hist. seraph.*

In nomine Domini incipit Regula et vita fratrum Minorum.

CAPUT I.

Regula et vita fratrum Minorum hæc est, scilicet Domini nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia sine proprio, et in castitate. Frater Franciscus promittit obedientiam et reverentiam D. Papæ Honorio, ac successoribus ejus canonice intrantibus, et Ecclesiæ Romanæ. Et alii fratres teneantur fratri Francisco et ejus successoribus obedire.

De his qui volunt vitam istam accipere, et qualiter recipi debeant.

CAPUT II.

Si qui voluerint hanc vitam accipere, et

venerint ad fratres nostros, mittant eos ad suos ministros provinciales : quibus solummodo, et non aliis, recipiendi fratres licentia concedatur. Ministri vero diligenter examinent eos de fide catholica, et de ecclesiasticis sacramentis. Et si hæc omnia credant, et velint ea fideliter confiteri, et usque in finem firmiter observare; et uxores non habent, vel si habent, et jam monasterium intraverint uxores, vel licentiam eis dederint auctoritate diœcesani episcopi, voto continentiæ jam emisso, et illius sint ætatis uxores, quod non possit de eis oriri suspicio; dicant illis verbum sancti Evangelii, quod vadant et vendant omnia sua, et ea studeant pauperibus erogare quod si facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas. Et caveant fratres, et eorum ministri, ne solliciti sint de rebus suis temporalibus, ut libere faciant de rebus suis, quidquid Dominus inspiraverit eis. Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant ministri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur. Postea concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas sine caputio, et cingulum, et braccas, et caparonem usque ad cingulum nisi eisdem ministris aliud secundum Deum aliquando videatur. Finito vero anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes, vitam istam semper et Regulam observare. Et nullo modo licebit eis de ista Religione exire, juxta mandatum domini Papæ; quia secundum sanctum Evangelium, nemo mittens manum ad aratrum, et aspiciens retro, aptus est regno Dei. Et illi qui jam promiserunt obedientiam, habeant unam tunicam cum caputio, et aliam sine caputio, qui voluerint habere. Et qui necessitate coguntur, possunt portare calceamenta. Et fratres omnes vestimentis vilibus induantur, et possint ea repeciare de saccis et aliis peciis, cum benedictione Dei. Quos moneo, et exhortor ne despiciant, neque judicent homines, quos viderint molibus vestimentis et coloratis indutos, uti cibis et potibus delicatis; sed magis unusquisque judicet et despiciat semetipsum.

De divino officio, et jejunio; et quomodo fratres ire debeant per mundum.

CAPUT III.

Clerici faciant divinum Officium secundum ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ excepto psalterio, ex quo habere poterunt breviaria. Laici vero dicant viginti quatuor *Pater noster*, pro Matutino, pro Laudibus quinque, pro Prima, Tertia, Sexta, Nona, pro qualibet istarum, septem, pro Vesperis autem duodecim, pro Completorio septem, et orent pro defunctis. Et jejunent a festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini. Sanctam vero Quadragesimam, quæ incipit ab Epiphania usque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto jejunio consecravit, qui voluntarie eam jejunant, benedicti sint a Domino; et qui nolunt, non sint astricti, sed aliam usque ad Resurrectionem Domini jejunent. Aliis autem temporibus non teneantur nisi sexta Feria jejunare. Tempore vero manifestæ necessitatis non teneantur fratres jejunio corporali. Consulo vero, moneo, et exhortor fratres meos in Domino Jesu Christo, ut quando vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios judicent; sed sint mites, pacifici, et modesti, mansueti, et humiles, honeste loquentes omnibus, sicut decet. Et non debeant equitare, nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur. In quamcumque domum intraverint, primum dicant : Pax huic domui. Et secundum sanctum Evangelium, *de omnibus cibis, qui apponuntur eis, liceat manducare* (Lucæ, x, 8).

Quod fratres non recipiant pecuniam.

CAPUT IV.

Præcipio firmiter fratribus universis, ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant, per se, vel per interpositam personam. Tamen pro necessitatibus infirmorum, et aliis fratribus induendis, per amicos spirituales ministri tantum et custodes sollicitam curam gerant, secundum loca, et tempora et frigidas regiones, sicut necessitati viderint expedire. Eo semper salvo, ut, sicut dictum est, denarios vel pecuniam non recipiant.

De modo laborandi.

CAPUT V.

Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter et devote; ita quod excluso otio animæ inimico, sanctæ

orationis et devotionis spiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia deservire. De mercede vero laboris, pro se et suis fratribus, corporis necessaria recipiant, præter denarios vel pecuniam. Et hoc humiliter, sicut decet servos Dei, et paupertatis sanctissimæ sectatores.

Quod nihil sibi approprient Fratres, et de eleemosyna petenda, et de Fratribus infirmis.

CAPUT VI.

Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem. Sed tamquam peregrini et advenæ in hoc sæculo, in paupertate et humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter. Nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos carissimos fratres meos hæredes et reges regni cœlorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Hæc sit portio vestra, quæ perducit in terram viventium. Cui, dilectissimi fratres, totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Jesu Christi in perpetuum sub cœlo habere velitis. Et ubicumque sunt, et se invenerint fratres, ostendant se domesticos invicem inter se, et secure manifestet unus alteri necessitatem suam : quia si mater nutrit et diligit filium suum carnalem, quanto diligentius debet quis diligere et nutrire fratrem suum spiritualem? Et si quis eorum in infirmitatem ceciderit, alii fratres debent ei servire, sicut vellent sibi serviri.

De pœnitentia fratribus peccantibus imponenda.

CAPUT VII.

Si qui fratrum, instigante inimico, mortaliter peccaverint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres, ut recurratur ad solos ministros provinciales, teneantur prædicti fratres ad eos recurrere, quam citius poterunt sine mora. Ipsi vero ministri, si presbyteri sunt, cum misericordia injungant illis pœnitentiam; si vero presbyteri non sunt, injungi faciant per alios sacerdotes Ordinis, sicut eis secundum Deum, melius videbitur expedire. Et cavere debent, ne irascantur et conturbentur propter peccatum alicujus : quia ira et conturbatio, in se et in aliis impediunt caritatem.

De electione generalis ministri hujus fraternitatis, et de capitulo Pentecostes.

CAPUT VIII.

Universi fratres unum de fratribus istius religionis teneantur semper habere generalem ministrum servum totius fraternitatis, et ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente, electio successoris fiat a ministris provincialibus et custodibus in capitulo Pentecostes, in quo provinciales ministri teneantur semper insimul convenire, ubicumque a generali ministro fuerit constitutum. Et hoc semel in tribus annis, vel ad alium terminum majorem vel minorem, sicut a prædicto ministro fuerit ordinatum Et si aliquo tempore appareret universitati ministrorum provincialium et custodum prædictum ministrum non esse sufficientem ad servitium et communem utilitatem fratrum, teneantur prædicti fratres, quibus electio data est, in nomine Domini alium sibi eligere in custodem. Post capitulum vero Pentecostes ministri et custodes possint singuli, si voluerint, et eis expedire videbitur, eodem anno in suis custodiis semel fratres suos ad capitulum convocare.

De prædicatoribus.

CAPUT IX.

Fratres non prædicent in episcopatu alicujus episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum. Et nullus fratrum populo penitus audeat prædicare, nisi a ministro generali hujus fraternitatis fuerit examinatus, et approbatus, et ab eo officium sibi prædicationis concessum. Moneo quoque et exhortor eosdem fratres, ut in prædicatione, quam faciunt, sint examinata et casta eorum eloquia ad utilitatem et ædificationem populi, annuntiando eis vitia et virtutes, pœnam et gloriam, cum brevitate sermonis; quia verbum abbreviatum fecit Dominus super terram.

De admonitione et correctione fratrum.

CAPUT X.

Fratres, qui sunt ministri et servi aliorum fratrum, visitent et moneant fratres

suos et humiliter et caritative corrigant eos, non præcipientes eis aliquid quod sit contra animam suam, et Regulam nostram. Fratres vero qui sunt subditi, recordentur quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. Unde firmiter præcipio, ut obediant suis ministris, in omnibus quæ promiserunt Domino observare, et non sunt contraria animæ suæ, et Regulæ nostræ. Et ubicumque sunt fratres, qui scirent, et cognoscerent se non posse Regulam spiritualiter observare, ad suos ministros debeant et possint recurrere. Ministri vero caritative et benigne eos recipiant, et tantam familiaritatem habeant circa ipsos, ut dicere possint eis et facere sicut domini servis suis. Nam ita debet esse, quod ministri sint servi omnium fratrum. Moneo vero et exhortor in Domino Jesu Christo, ut caveant fratres ab omni superbia, vana gloria, invidia, avaritia, cura et sollicitudine hujus sæculi, detractione et murmuratione. Et non curent nescientes litteras, litteras discere, sed attendant quod super omnia desiderare debent, habere spiritum Domini, et sanctam ejus operationem, orare semper ad eum puro corde, et habere humilitatem et patientiam in persecutione et in infirmitate, et diligere eos, qui nos persequuntur, reprehendunt, et arguunt; quia dicit Dominus: *Diligite inimicos vestros, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (Matt. v, 44). *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (Ibid., 10). *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (Matt., x, 22).

Quod fratres non ingrediantur monasteria monacharum.

CAPUT XI.

Præcipio firmiter fratribus universis ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum, et ne ingrediantur monasteria monacharum, præter illos, quibus a Sede Apostolica concessa est licentia specialis. Nec fiant compatres virorum vel mulierum, ne hac occasione inter fratres vel de fratribus scandalum oriatur.

De euntibus inter Sarracenos et alios infideles.

CAPUT XII.

Quicumque fratrum divina inspiratione voluerint ire inter Sarracenos, et alios infideles, petant inde licentiam a suis ministris provincialibus, ministri vero nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis, quos viderint esse idoneos ad mittendum. Ad hæc per obedientiam injungo ministris, ut petant a domino Papa unum de sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, qui sit gubernator, protector, et corrector hujus fraternitatis, ut semper subditi et subjecti pedibus ejusdem sanctæ Ecclesiæ, stabiles in fide catholica, paupertatem, et humilitatem, et sanctum Evangelium Domini nostri Jesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus.

Laudes secundæ regulæ fratrum Minorum a B. Patre prolatæ (1).

Fratres mei, et filii carissimi, præclare nobiscum actum est in concessione hujus Regulæ. Hæc enim, quæ nobis proponitur, liber est vitæ, spes salutis, arrha gloriæ, medulla Evangelii, via Crucis, status perfectionis, clavis paradisi, pactum æterni fœderis. Nemo vestrum est qui ignoret quantum emolumenti conferat nobis sacra religio, cum colluctator et adversarius noster ad omnes dolos vel cogitandos vel explicandos mirus sit artifex, atque omnia quæ nocere possunt, pro laqueis habeat. Unde quamplures, nisi religionis beneficio muniti essent, in summum discrimen adduxisset. Hanc ergo vestram Regulam scitote omnes, et in alleviatione tædii et memoria præstiti juramenti, cum interiori homine de ea confabulamini, cum intentione eam adimplendi semper præ oculis portate; imo et cum ipsa debetis mori.

(1) Has præcedentis Regulæ laudes præ ceteris nobis obtulere Pisanus libro primo Conform. 9, partitione 6, in fine; *Manuale Minorum;* Alvar. Pelag., libro secundo *de Planct. Eccl.*, art. 61, in princ.; Rodulph., lib. II, partitione 5 et 6; *Firm. trium Ordin.*, tractat. I; Sedul., lib. II, *Apolog.*, cap. 3, num. 6 et 7; communiterque a Minoritis circumferuntur, et apud antiquos quosque passim inveniuntur, ita ut omnis dubitandi scrupulus circa auctorem facillime tolli possit. Breves sunt, compendiosæ, et mysteriosæ satis.

PRIMA REGULA SANCTIMONIALIUM S. CLARÆ

A BEATO FRANCISCO PRO EISDEM CONSCRIPTA.

MONITUM.

Idem est hujus Regulæ argumentum, eadem materia, totidem capita, non dissimilia præcepta, simillima omnino verba, ac præcedentia. Nec immerito, ut quos idem genuit pater, diversa non discriminarent instituta. Eamdem etiam, paucis mutatis, dedit fœminis Regulam Augustinus, epist. 109, quam pro servis Dei conscripserat, et habetur, tom. I, in fine. Sed quosdam vidi, etiam ex nostris, qui dubitent de auctore hujus quam offerimus Regulæ, Franciscus ne sit, an alius. Inter hos non infimæ notæ est Rodulph., lib. I, suæ *Hist. Seraph.*, fol. 132, qui ab Innocentio III exaratam, et sororibus traditam indicat. Cui, sui immemor, consentit Pisan., libro I, Conform. 8, part. II, in *Vita B. Claræ,* dicens : « A Domino Innocentio III Regulam pauperum dominarum Clara petiit, et obtinuit; cujus principium ipse Pontifex plorando ex devotione conscripsit manu sua. » Sed jam supra, Conform. 6, et postea Conform. 9, in princ., et in fine, non semel sed multoties, ait, asseveratque a Francisco scriptam, exaratam, et Sanctimonialibus ab eodem traditam anno 6 suæ conversionis. Idem tamquam indubitatum supponit *Firmam. trium Ord.* 5, et ult. parte, Tract. I, fol. 2, col. 2, in indice eorum quæ continentur in dicta parte, ubi sic recenset : « Prima Regula sororum pauperum mendicantium Sanctæ Claræ a B. Francisco edita, et ab Innocentio IV confirmata. » Idem ibidem, col. 3, repetit in princip. Regulæ, et ad finem ejusdem, fol. 28, col. 1, modum professionis Clarissarum primæ Regulæ apponit ita : « Ego soror N. voveo, et promitto Deo, B. Mariæ Virgini, etc., toto tempore vitæ meæ servare formam vitæ sororum pauperum Sanctæ Claræ, per eumdem B. Franciscum eidem Sanctæ Claræ traditam, et per dominum Innocentium Papam IV approbatam, vivendo, etc. » Idem clare habet ipse Innoc. IV, in proœmio Bullæ confirmationis ejusdem Regulæ; quod et in titulo eidem Bullæ superposito asserit Laërtius Cherubin., tom. I, sui Bull., constit. 12, sub Innoc. IV. Et pro omnibus ejusdem B. Claræ testimonium sufficiat, quæ expresse in suo testamento, quod ex vetusto memoriali extractum, invenies apud Marcum Portuensem episcopum I p., lib. VIII, c. 35. Idem etiam sentiunt, doctus pater Miranda in *Expositione* ejusdem Regulæ, I p., cap. 6 et 7, et II p., cap. 1, et communiter alii. Quare nullum video sufficiens dubitandi fundamentum. Regulam hanc strictissime et ad unguem pleræque B. Claræ sequaces in pluribus cœnobiis per Europam dispersæ, regulariter observant, licet alia quam pluria monasteria, sub Clarissarum etiam nomine, laxiores observant regulas; quædam Innocentii IV, aliæ vero Urbani etiam IV. Ex quo fit quod plures, appellationem sortitæ ab Urbano summo Pontifice, dictæ sint Urbanistæ. In principio præmonere necessarium duximus, quædam a cardinale Protectore, et Innocentio Papa, imo et ab ipsa Virgine Clara, interposita fuisse pro temporum ratione : advertitque Firm., in princ. ejusdem Regulæ. Cujus Originale authenticum sub confirmatione et bulla plumbea in conventu sanctimonialium Chamberiaci provinciæ sancti Bonaventuræ diligenter custodiri tradit Frmam. et alii.

REGULA ET VITA SORORUM PAUPERUM.

CAPITULUM I.

In nomine Domini. Amen. Incipit Regula et forma vitæ Ordinis Sororum pauperum, quæ quidem est sanctum Evangelium Domini nostri Jesu Christi observare, vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate. Clara indigna ancilla Christi promittit obedientiam et reverentiam domino Papæ Innocentio, ac successoribus ejus canonice intrantibus, et Ecclesiæ Romanæ. Et sicut in principio conversionis suæ, una cum sororibus suis, promisit obedientiam Fratri Francisco, ita eamdem promittit inviolabiliter observare successoribus suis. Et aliæ sorores teneantur semper successoribus fratris Francisci et sorori Claræ, et aliis abbatissis canonice electis ei succedentibus obedire.

CAPITULUM II.

Qualiter recipi debeant.

Si qua, divina inspiratione, venerit ad sorores, volens vitam istam accipere, abbatissa sororum omnium consensum requirere teneatur. Et si major pars consenserit, habita licentia domini cardinalis protectoris, possit eam recipere. Et si recipiendam viderit, diligenter examinet eam, vel examinari faciat de fide catholica et ecclesiasticis sacramentis. Et si hæc omnia credat, et velit ea fideliter confiteri, et usque in finem firmiter observare, et virum non habeat, vel si habet, et jam religionem intravit auctoritate diœcesani episcopi, voto continentiæ jam emisso, ætate autem longeva, vel infirmitate aliqua seu fatuitate ab hujusmodi observantia non impediente, diligenter exponat ei tenorem hujusmodi vitæ. Et si idonea fuerit, dicatur ei verbum sancti Evangelii, quod vadat, et vendat omnia sua, et ea studeat pauperibus erogare. Quod si facere non poterit, sufficit ei bona voluntas. Et caveant abbatissa et ejus sorores, ne sollicitæ sint de rebus suis temporalibus, ut libere faciat de rebus suis, quidquid Dominus inspiraverit ei. Si tamen consilium requiratur, mittant eam ad aliquos discretos et Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur. Postea capillis tonsis in rotundum, et deposito habitu sæculari, concedant ei tres tunicas, et mantellum. Deinceps extra monasterium, sine utili, manifesta, et probabili causa, eidem exire non liceat. Finito vero anno probationis, recipiatur ad obedientiam, promittens vitam et formam hujus paupertatis in perpetuum observare. Nulla infra tempus probationis veletur. Mantella etiam possint sorores habere pro alleviatione et honestate servitii et laboris. Abbatissa vero de vestimentis discrete eis provideat secundum qualitates personarum, et loca, et tempora, et frigidas regiones, sicut necessitati viderit expedire. Juvenculæ, in monasterio receptæ infra tempus ætatis legitimæ, tondeantur in rotundum, et deposito habitu sæculari, induantur panno religioso, sicut visum fuerit abbatissæ. Cum vero ad ætatem legitimam pervenerint, indutæ juxta formam aliarum, faciant professionem suam; et tam ipsis, quam aliis novitiis abbatissa sollicite magistram provideat de discretioribus totius monasterii, quæ in sancta conversatione et honestis moribus, juxta formam professionis sororum, eas diligenter informet. In examinatione et receptione sororum servientium extra monasterium, servetur forma prædicta; quæ possunt portare calceamenta. Nulla cum sororibus residentiam faciat in monasterio, nisi recepta fuerit secundum formam hujus professionis. Et amore sanctissimi et dilectissimi pueri Jesu pauperculis pannis involuti in præsepio reclinati, et sanctissimæ Matris ejus moneo, deprecor, et exhortor sorores meas, ut vestimentis semper vilibus induantur.

CAPITULUM III.

De divino officio, et jejunio, et quoties communicent.

Sorores litteratæ faciant divinum Officium secundum consuetudinem Fratrum Minorum, ex quo potuerint habere Breviaria, legendo sine cantu. Et quæ occasione rationabili non possint aliquando legendo dicere Horas suas, liceat eis, sicut aliæ sorores recitant, dicere *Pater noster*. Quæ vero litteras nesciunt, dicant viginti quatuor *Pater noster* pro Matutino, pro Laudibus quinque; pro Prima vero, Tertia, Sexta, Nona, pro qualibet istarum septem, pro Vesperis autem duodecim, pro Completorio septem. Pro Defunctis dicant etiam in Vesperis septem *Pater noster* et *Requiem æternam*, pro Matutino duodecim. Sorores litteratæ teneantur dicere officium Defunctorum. Quando vero aliqua ex sororibus migraverit, dicant quinquaginta *Pater noster*. Omni tempore sorores jejunent, in Nativitate Domini, quacumque die venerit, bis refici possint. Cum adolescentibus, debilibus, et servientibus extra monasterium, sicut videbitur abbatissæ, possit misericorditer dispensari. Tempore vero manifestæ necessitatis non teneantur sorores jejunio corporali. Duodecim vicibus, ad minus, de abbatissæ licentia confiteantur in anno. Et cavere debent, ne alia verba tunc inserant, nisi quæ ad confessionem, et salutem pertinent animarum. Sex vicibus communicent, videlicet in Nativitate Domini, in quinta Feria Majoris hebdomadæ, in Resurrectione Domini, in Pentecoste, in Assumptione beatæ Virginis, et in Festo omnium Sanctorum. Pro communicandis infirmis sororibus, capellanis intus liceat intrare.

CAPITULUM IV.

De electione abbatissæ.

In electione abbatissæ teneantur formam canonicam observare. Procurent ipsæ habere generalem ministrum, vel provincialem Ordinis fratrum Minorum, qui verbo Dei eas informet ad omnimodam concordiam, communem utilitatem in electione facienda; et nulla eligatur nisi professa. Et si non professa eligeretur, vel aliter daretur, ei non obediant, nisi primo profiteatur formam hujus paupertatis. Qua decedente, electio alterius fiat abbatissæ. Et si aliquo tempore appareret universitati sororum, prædictam non esse sufficientem ad servitium, et communem utilitatem ipsarum, teneantur prædictæ sorores juxta formam prædictam, quam citius poterunt, aliam sibi in abbatissam et matrem eligere. Electa vero cogitet quale onus in se susceperit, et cui redditura est rationem de grege sibi commisso. Studeat etiam aliis magis præesse virtutibus, et sanctis moribus, quam ex officio; ut ejus exemplo provocatæ sorores, potius ex amore obediant, quam timore. De privatis amoribus caveat, ne dum in parte plus diligit, in toto scandalum generet. Consoletur afflictas. Sit etiam ultimatum refugium tribulatis, ne si apud eam remedia defuerint sanitatum, desperationis morbus prævaleat in infirmis. Communitatem servet in omnibus, præcipue autem in ecclesia, dormitorio, refectorio, infirmaria, et vestimentis. Quod simili modo servare ejus vicaria teneatur. Semel in hebdomada, ad minus, abbatissa sorores suas teneatur ad capitulum convocare. Ubi tam ipsa quam sorores de omnibus et publicis offensis et negligentiis debeant humiliter confiteri. Et quæ tractanda sunt pro utilitate et honestate monasterii, ibidem conferat cum omnibus sororibus. Sæpe enim Dominus, quod melius est minori revelat. Nullum debitum grave fiat, nisi de communi consensu sororum, et manifesta necessitate, et hoc per procuratorem. Caveat autem abbatissa cum sororibus suis, ne depositum aliquod recipiat in monasterio; sæpe enim de his turbationes et scandala oriuntur. Ad conservandam autem unitatem mutuæ dilectionis et pacis, de communi consensu omnium sororum omnes officiales monasterii eligantur. Et eodem modo octo ad minus sorores de discretioribus eligantur, quarum in his quæ forma vitæ sororum requirit, abbatissa semper uti consilio teneatur. Possint etiam sorores et debeant, si eis utile et expediens videatur, officiales et discretas aliquando removere, et alias loco ipsarum eligere.

CAPITULUM V.

De silentio et modo loquendi ad locutorium et ad cratem.

Ab hora completorii usque ad Tertiam, sorores silentium teneant, exceptis servientibus extra monasterium. Sileant etiam continue in ecclesia, dormitorio, et in refectorio tantum dum comedunt, præterquam in infirmaria, in qua pro recreatione et servitio infirmarum loqui discrete semper sororibus liceat. Possint etiam semper et ubique breviter submissa voce, quod necesse fuerit, insinuare. Non liceat sororibus loqui ad locutorium vel ad cratem sine licentia abbatissæ, vel ejus vicariæ. Et licentiatæ ad locutorium loqui non audeant, nisi præsentibus et audientibus duabus sororibus. Ad cratem vero non præsumant accedere, nisi præsentibus, ad minus, tribus per abbatissam vel ejus vicariam assignatis de illis discretis, quæ sunt electæ ab omnibus sororibus pro consilio abbatissæ. Hanc formam loquendi teneantur, pro posse, abbatissa et ejus vicaria observare. Et hoc de crate rarissime. Ad portam vero nullatenus fiat. Ad cratem vero pannus interius apponatur, qui non removeatur, nisi cum proponitur verbum Dei, vel aliqua alicui loquatur. Habeant etiam ostium ligneum diversis vel duabus seris ferreis, valvis et vectibus optime conjunctum, ut nocte maxime duabus clavibus obseretur, quarum unam habeat abbatissa, aliam vero sacrista. Et maneat semper obseratum, nisi cum auditur divinum officium, et pro causis superius memoratis. Nulla ante solis ortum, vel post solis occasum loqui ad cratem ullatenus debeat. Ad locutorium vero semper pannus, qui non removeatur, interius maneat. In Quadragesima Sancti Martini, et Quadragesima majori, nulla loquatur ad locutorium, nisi sacerdoti, causa confessionis, vel alterius manifestæ necessitatis, quod reservetur in prudentia abbatissæ, vel ejus vicariæ.

CAPITULUM VI.

Qualiter sorores non recipiant possessionem aliquam vel proprietatem, per se, vel interpositam personam.

Abbatissa, cum omnibus sororibus, sollicitæ sint sanctam paupertatem, quam Domino Deo promiserunt, custodire, et eamdem teneantur abbatissæ futuræ, et sorores omnes usque in finem inviolabiliter observare; videlicet in non recipiendo, seu habendo possessionem vel proprietatem, per se, nec per interpositam personam, seu etiam aliquid quod rationabiliter proprietatis dici potest; nisi quantum terræ, pro honestate et renovatione monasterii, necessitas requirit. Et illa terra non laboretur, nisi pro horto ad necessitatem ipsarum.

CAPITULUM VII.

De modo laborandi.

Sorores, quibus dedit Dominus gratiam laborandi, post horam tertiam laborent de laboritio, quod pertinet ad honestatem, et communem utilitatem, fideliter, et devote; ita quod excluso otio animæ inimico, sanctæ orationis et devotionis spiritum non extinguant cui debent cetera temporalia deservire. Et id quod manibus suis operantur, assignare in capitulo abbatissæ vel ejus vicariæ coram omnibus teneantur. Item fiat de eleemosyna aliqua missa pro sororum necessitatibus ab aliquibus, ut in communi pro eisdem recommendatio fiat. Et hæc omnia pro communi utilitate distribuantur per abbatissam, vel ejus vicariam, de consilio discretarum.

CAPITULUM VIII.

Qualiter sorores nihil sibi approprient, et de infirmis sororibus.

Sorores nihil approprient sibi, nec domum, nec locum, nec aliquam rem; sed tamquam peregrinæ et advenæ in hoc sæculo, in paupertate et humilitate Domino famulantes, mittant pro eleemosyna confidenter. Nec oportet eas verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos carissimas sorores meas hæredes et reginas regni cœlorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Hæc sit portio vestra, quæ perducit in terram viventium. Cui, dilectissimæ sorores, totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini Jesu Christi in perpetuum sub cœlo habere velitis. Non liceat alicui sorori litteras mittere, vel aliquid recipere, aut extra monasterium dare sine licentia abbatissæ. Nec quidquam liceat habere, quod abbatissa non dederit aut permiserit. Et si a parentibus suis vel ab aliis aliquid mitteretur abbatissa faciat illi dari; ipsa autem, si indigeat, uti possit. Sin autem, sorori indigenti caritative communicet. Si vero aliqua pecunia transmissa fuerit, abbatissa de consilio discretarum in illis, quorum indigeat, illi faciat provideri.

De infirmis sororibus, tam in consiliis, quam in cibariis, et aliis necessariis, quæ earum requirit infirmitas, teneatur firmiter abbatissa sollicite per se vel per alias inquirere, et juxta possibilitatem loci, caritative et misericorditer providere. Quia omnes tenentur providere et servire sororibus suis infirmis, sicut vellent sibi deserviri, si ab aliqua infirmitate tenerentur. Et secure manifestet una alteri necessitatem suam. Quia si vera mater diligit et nutrit filiam suam carnalem, quanto diligentius debet quælibet soror diligere et nutrire sororem suam spiritualem? Quæ infirmæ sunt, in saccis et paleis jaceant, et habeant ad caput capitalia cum pluma. Et quæ indigent pediolis laneis et culcitris, uti possint. Infirmæ vero prædictæ, cum ab introeuntibus monasterium visitantur, possint singulæ aliqua bona verba sibi loquentibus breviter respondere. Aliæ vero sorores licentiatæ, monasterium intrantibus loqui non audeant, nisi præsentibus et audientibus duabus discretis sororibus, per abbatissam et ejus vicariam assignatis. Hanc formam loquendi teneantur per se abbatissa et ejus vicaria observare.

CAPITULUM IX.

De pœnitentia sororibus imponenda.

Si quæ sororum contra formam professionis nostræ mortaliter, inimico instigante, peccaverit, per abbatissam, vel alias sorores, bis aut ter admonita, si non se emendaverit; quot diebus contumax fuerit, in terra panem et aquam coram sororibus omnibus in refectorio comedat, et graviori pœnæ subjaceat, si visum fuerit abbatissæ. Interim

dum contumax fuerit, oretur ut Dominus ad pœnitentiam cor illius illuminet. Abbatissa vero, et ejus sorores cavere debent ne irascantur propter peccatum alicujus : quia ira et conturbatio in se et in aliis impediunt caritatem. Si contigerit, quod absit, inter sororem et sororem, verbo vel signo, occasionem turbationis vel scandali aliquando suboriri; quæ turbationis causam dederit, statim antequam offerat munus orationis suæ coram Deo, non solum humiliter prosternet se ad pedes alterius, veniam petens, verum etiam suppliciter roget, ut pro se intercedat ad Dominum, quod sibi indulgeat. Illa vero memor illius verbi Domini, Nisi ex corde dimiseritis, *nec Pater cœlestis dimittet vobis* (Matth., VI, 15), liberáliter sorori suæ omnem injuriam sibi illatam dimittat. Sorores servientes extra monasterium longam moram non faciant, nisi causa manifestæ necessitatis requirat. Et honeste debeant ambulare, et parum loqui, ut ædificare valeant semper intuentes. Et firmiter caveant ne habeant suspecta consortia vel consilia aliquorum; ne fiant commatres virorum aut mulierum, ne hac occasione murmuratio vel turbatio oriatur. Nec præsumant rumores de sæculo referre in monasterio : et firmiter teneantur, de his quæ intus dicuntur vel aguntur, extra monasterium aliquid non referre, quod possit aliquod scandalum generare. Et si aliqua simpliciter in his duobus offenderit, sit in prudentia abbatissæ misericorditer sibi pœnitentiam injungere. Si autem ex consuetudine vitiosa laberetur, juxta qualitatem culpæ, abbatissa de consilio discretarum illi pœnitentiam injungat.

CAPITULUM X.

De visitatione sororum ab abbatissa.

Abbatissa moneat et visitet sorores suas, et humiliter et caritative corrigat eas, non præcipiens eis aliquid quod sit contra animam suam, et hujus professionis formam. Sorores vero subjectæ recordentur, quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. Unde firmiter suis abbatissis obedire teneantur in omnibus quæ observare promiserunt, et non sunt animæ contraria, et suæ professioni. Abbatissæ vero tantam familiaritatem habeant circa ipsas, ut dicere possint eis et facere sicut dominæ ancillis suis; nam ita debet esse, quod abbatissa sit omnium sororum ancilla. Moneo vero et exhortor in Domino Jesu Christo, ut caveant sorores ab omni superbia, vana gloria, invidia, avaritia, cura et sollicitudine hujus sæculi, detractione et murmuratione, dissensione et divisione. Sint vero sollicitæ semper ad invicem servare mutuæ dilectionis unitatem, quæ est vinculum perfectionis. Et nescientes litteras, non curent litteras discere, sed attendant quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini, et sanctam ejus operationem, orare semper ad eum puro corde, et habere humilitatem, et patientiam in tribulatione et in infirmitate, et diligere eos qui nos reprehendunt et arguunt; quia dicit Dominus: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum : qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* (Matth., v, 10; x, 22.)

CAPITULUM XI.

De ostiaria.

Ostiaria sit matura moribus, et discreta, sitque convenientis ætatis, quæ ibidem in cella aperta sine ostio in die resideat. Sit ei et aliqua socia idonea assignata, quæ cum necesse fuerit, vicem ejus in omnibus exsequatur. Sit autem ostium duabus seris, et diversis ferreis valvis et vectibus optime conjunctum, et in nocte maxime duabus clavibus obseretur, quarum unam habeat portaria, aliamque abbatissa. In die sine custodia minime dimittatur, et una clave firmiter obseretur. Caveant autem studiosissime, et procurent ne unquam ostium sit apertum, ubi minus fieri poterit congruenter. Nec omnino aperiatur alicui intrare volenti, nisi concessum fuerit a summo Pontifice, vel a domino cardinali. Nec ante solis ortum monasterium ingredi liceat, nec post solis occasum sorores intus aliquem remanere permittant, nisi exigente manifesta rationabili et inevitabili causa. Si pro benedictione abbatissæ, vel pro aliqua in monialem consecranda, vel alio etiam modo concessum fuerit episcopo alicui missam interius celebrare, quam paucioribus et honestioribus poterit, sit contentus sociis et ministris. Cum autem intra monasterium, ad opus faciendum, necesse fuerit aliquos introire, statuat tunc abbatissa sol-

licite personam convenientem ad portam, quatenus illis et non aliis ad opus deputatis, aperiat. Caveant studiose omnes sorores ne tunc ab ingredientibus videantur.

CAPITULUM XII.

De visitatione.

Visitator sororum semper semper sit Ordine fratrum Minorum secundum voluntatem et mandatum domini cardinalis. Et sit talis, de cujus honestate et moribus plena notitia habeatur. Cujus officium erit, tam in capite quam in membris corrigere excessus commissos contra formam professionis. Qui stans in publico loco, ut videri ab aliis possit, cum pluribus et singulis loqui liceat, quæ ad officium visitationis pertinent, secundum quod melius viderit expedire. Cappellanum etiam cum uno socio clerico bonæ famæ, discretionis providæ, et duos fratres laicos sanctæ conversationis et honestatis amatores, in subsidium paupertatis, sicut hactenus ab Ordine Minorum misericorditer habuerunt, ab eodem Ordine postulent. Nec liceat cappellano sine socio monasterium ingredi. Et intrantes in loco sint publico, ut se possit alterutrum, et ab aliis intueri.

Pro confessione infirmarum quæ ad Locutorium ire non possunt, pro communicandis eisdem, et pro extrema unctione, et pro animæ recommendatione, liceat eisdem introire. Pro exequiis vero, et missarum solemniis defunctarum, vel ad fodiendam vel operiendam sepulturam, seu etiam coaptandam, possint sufficientes idoneæ personæ abbatissæ providentia introire. Ad hæc sorores teneantur semper habere illum de sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus pro gubernatore, protectore, et correctore, qui fuerit a domino Papa fratribus Minoribus deputatus, ut semper subditæ et subjectæ pedibus ejusdem sanctæ Ecclesiæ, stabiles in fide catholica, paupertatem et humilitatem Domini nostri Jesu Christi, et ejus sanctissimæ Matris, in perpetuum observemus.

REGULA TERTIARIORUM SIVE FRATRUM DE PŒNITENTIA.

MONITUM.

Ad initium hujus libri, admonui tres Ordines instituisse B. Franciscum, et unicuique suas præscripsisse vivendi normas. Qui tertiam profitentur, a numero vel ordine ejus, et relatione ad alios duos, Tertiarii communiter dicuntur. A D. Antonino, tertia parte, *Histor.*, titul. 23, cap. 2, in princip. : *Pinzocgori*, ab aliis *Pinzochory* et *Mantellati* vocantur. Propriato et honesto imposito nomine (sub quo Ordo a Nicolao IV et aliis Pontificibus fuit approbatus, et quo eos vocari jussit Clem. VII, *Ad uberes fructus*) ab ipso D. Francisco institutore æquius et rectius appellantur *Fratres* vel *Sorores de pœnitentia.* Quam dum cœlesti fervore, et cumulato fructu in multis Italiæ locis beatus hic legislator noster prædicaret, sed præcipue in oppido Canarii, quod in Umbria in Valle Spoletana per quatuor millia passuum ab Assisio distat, oppidani omnes, et ex aliis pagis et civitatibus turmatim ad virum Dei, ejus prædicationis igne succensi, undique confluebant, nullo pavore suspensi, nulla cura distracti, et se novis pœnitentiæ legibus vincire velle significabant. Qui ne imbecilles mulieres, et periculis facile expositas, consortium præsidio orbaret, nec homines uxorum licita et optata societate privaret, et loca urbesque penitus depopulare videretur, nec hos in religiosorum sodalitium recipere, nec illas infra sanctimonialium claustra recludere, consultum judicavit. Unde commune utrisque hoc Institutum præscripsit ad 14 suæ plenæ conversionis annum, et Virginei partus 1221, in quo utriusque sexus omne genus, tam sæcularium quam ecclesiasticorum, facillime, et sub suavi jugo, sub propriis tectis, propria gaudens hæreditate, Deo inserviret. Ordinem suis statutis firmavit, legibus munivit, et propria Regula corroboravit.

Sunt vero qui contrarium putent, et omnino negent Regulam concinnatam Tertiariis dedisse, et hanc quæ sequitur ejus esse, sed Nicolai IV (non III, ut habet Sedulius in principio adnotationum ad *Vitam divæ Elisabethæ*) licet Franciscus eis quædam

præscripsisset statuta. Inter hos sunt, non ignoti nominis Alphonsus de Casarubios, collector *Compend.*, verbo *fratres Tertiarii*, num. 24; insuper circa Tertiarios, Miranda et Carrillo illum secuti, ad initium suarum *Expositionum* in hanc Regulam, denuo Miran., tomo primo sui *Manual.*, quæstio 36, artic. I; Roderic., t. III, QQ., Reg. quæst. 72, artic. I; Sedulius citatus; et Gonzaga, cum aliis.

Ego vero hanc ab eo editam, et inter ejus genuina Opera referendam putavi, innixus non infirmo testimonio Hieronymi a Serbo, qui, in suis *Adnot.* ad præfatum locum *Compendii*, ita ait: « Quoad hanc materiam Tertiariorum est primo notandum, quod eorum duæ reperiuntur Regulæ: una facta a seraphico patre Francisco, a Nicolao IV approbata, et altera Leonis X, pro iis Tertiariis, qui regularem profitentur vitam in monasteriis »; et Bernardi de Busto, part. II, *Rosar.*, Serm. 26, part. II, Serm. § *Quoad primum;* ubi pro conclusione, loquens de hac Regula, ita statuit: « Dico quod hujus Regulæ inventores non fuerunt fratres Minores, non aliquis episcopus, non doctor, non congregatio aliqua; sed seraphicus Franciscus, Spiritu Sancto prædocente, eam instituit. » Petrus Rodulph., lib. II, fol. mihi 152, pagin. 1, titulo: *De Tertiariis*, eos sub Regula B. Francisci militare asserit. Eamdem confecisse tenet noster Joannes Pineda, III part. suæ *Monarch. Eccles.*, lib. XXII, cap. 20, § 6; Joan. a Capistrano sæpius in *Defensorio tertii Ordinis;* Joannes Amicius, in *Dedicatoria* ejusdem Defensorii; Raph. Volat., l. XXI suæ *Anthrop.*, c. 6; Codex quidam MS. *de Rebus Hisp.*, in Biblioth. conventus S. Franc. Assis.; Dionys. Carthus., in *Exposit.* ad eamdem, in Prologo, et alibi; Anton. de Sillis, l. de *Orig. et provectu tertii Ord.* per multa loca; imo et Miranda in *Exposit.* ejusdem Regulæ, c. 5, quam sæpissime, c. 9, in princ., et in Forma Professionis, quam ibidem assignat, pluribusque aliis in locis, a Francisco datam hanc Regulam, et a Nicolao approbatam asserit, parum conformiter ad ea quæ in locis superius citatis dixit. Plures sunt mihi hujus rei testes, quibus modo supersedeo, sola contentus comprobatione Firmam. trium Ordinum, in cujus, V par., tract. 2, fol. mihi 4, col. 3, hæc habetur forma Professionis Tertiarorum: « Ego frater N. vel soror N. voveo, etc., servare mandata Dei toto tempore vitæ meæ, et satisfacere, ut convenit, transgressionibus contra Regulam et vivendi modum tertii Ordinis de pœnitentia institutam per B. Franciscum, et per Dom. Nicolaum IV, confirmatam, etc. » Eademque profitendi forma ibidem subnectitur idiomate Gallico his verbis: « Je Frere N. ou Sœur N. promets et vouē à Dieu, etc., de garder tous les commandements de Dieu, tout le temps de ma vie, et de satisfaire, comme sera convenable, des trangressions que j'aurai commises contre ceste Règle et manière de vivre, de l'Ordre de Pénitents, instituée par saint François, et confirmée par le Seigneur Pape Nicolas, etc. » Ubi in ipsa Professionis solemnitate quis fatetur B. Franciscum auctorem esse Regulæ quam profitetur, approbatorem vel confirmatorem tantum Nicolaum, imo et expresse hoc habet Leo X, in Constitutione vel Bulla *Inter cætera*, pro Tertiariis in congregatione viventibus; et pluries ait illam a Francisco editam, et a Nicolao confirmatam et approbatam, quod et asserit Laert. Cherub. ad Const. secundam Nicolai IV, et quadragesimam secundam Leonis X. Idem cæteris clarius sæpius affirmat Clem. VII, Const. *Ad uberes fructus.* Facile tamen crediderim, Nicolaum quædam ex suis inseruisse, aliquidve pro temporis et ipsius Ordinis ratione immutasse, quorum utrumque ipse Nicolaus insinuavit non obscure in Bulla *Unigenitus*, quam refert Sillin. præcitatus, tom. II, p. 7.

Magna sunt hujus Ordinis privilegia et indulta, egregia encomia, innumeri Sancti et Sanctæ, quorum multi Divorum albo sunt adscripti. Horum Vitas habes partim apud Sedul., in sua *Hist. Seraph.*, partim in Chronicis Minorum, et apud supra citatos auctores. Regulæ argumentum hoc uno comprehenditur, ut ejus professores sancte et catholice vitam componant, Dei præcepta aliaque leviuscula observent. Sub ea, hac nostra ætate plurimi militant principes, cardinales et prælati, ita ut solum in Carpentana Hispaniæ Mantua, seu Madrito, Curia regis Catholici, sexagesimum excedant numerum Domini titulares et magni principes sub hoc instituto degentes. De eo plura prædixit abbas Joachimus; et magni scripserunt auctores. Regulam hanc nobis obtulere Firmam. citatum, *Speculum Minorum* Rotomagi impressum anno 1509, apud Marti-

num Morin., fol. mihi 53, pag. 2 et seq.; Laert. Cherub., tomo primo sui *Bullarii* sub Nicolai IV, Const. 2; Codex quidam MS. Bibliothecæ fratrum Minorum Conventualium Assisiatum; Sorbo ad finem *Compendii*, et plures ejus expositores.

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

De modo examinandi volentes intrare Ordinem.

CAPITULUM I.

Si qui voluerint hanc vitam observare, et illos ad eam observandam assumi contigerit, ante assumptionem seu receptionem ipsorum de fide catholica, et obedientia erga præfatam ecclesiam, diligenti examinationi subdantur. Et si eas professi firmiter fuerint, vereque crediderint, admitti, seu recipi tute poterunt ad eamdem. Præcavendum est tamen sollicite, ne quis hæreticus, vel suspectus de hæresi, aut etiam infamatus, ad vitæ observationem istius qùomodolibet admittatur. Et si talem inveniri contigerit extitisse receptum, assignetur ille quantocius inquisitoribus pravitatis hæreticæ puniendus.

De forma recipiendi volentes intrare Ordinem.

CAPITULUM II.

Cum autem fraternitatem hujusmodi quis intrare voluerit, ministri, ad receptionem talium deputati, ejus officium, statum, et conditionem solerter explorent, sibi fraternitatis ejusdem onera, præcipue alienorum restitutionem, apertius exponentes. Quibus præmissis, si eidem placuerit, juxta modum hujusmodi induatur; et de alienis, si qua fuerint apud eum, satisfacere studeat in pecunia numerata, vel secundum exhibitam pignoris cautionem, seque nihilominus proximis reconciliare procuret. Quibus omnibus ad effectum perductis, post unius anni spatium, cum aiiquorum discretorum fratrum consilio, si is videbitur ipsis idoneus, recipiatur hoc modo: videlicet ut promittat se divina præcepta omnia servaturum, ac etiam satisfacturum, ut convenit, de transgressionibus, quas contra hunc vivendi modum commiserit; cum interpellatus ad visitatoris extiterit voluntatem. Et hujusmodi ab eo facta promissio per manum publicam in scriptis inibi redigatur. Alio autem modo nullus a ministris recipiatur eisdem, nisi visum eis aliter fuerit, conditione personæ, ac ipsius instantia, sollicita consideratione discussis. Ordinamus præterea statuentes, ut nullus post ipsius fraternitalis ingressum, eamdem egredi valeat ad sæculum reversurus. Possit tamen habere liberum transitum ad religionem aliam approbatam. Mulieribus vero viros habentibus, nisi de ipsorum licentia et consensu, non pateat ad consortium dictæ fraternitatis ingressus.

De forma habitus, et qualitate indumentorum.

CAPITULUM III.

Fratres insuper ipsius Fraternitatis de humili panno in pretio, et colore non prorsus albo vel nigro communiter vestiantur; nisi fuerit ad tempus in pretio, per visitatores, de consilio ministrorum, ob causam legitimam et apertam cum aliquo dispensatum. Chlamydes quoque ac pelles absque scolatura scissas, vel integras, affibulatas tamen, non patulas ut congruit honestati, clausasque manicas fratres habeant supradicti. Sorores etiam chlamyde induantur et tunica de hujusmodi humili panno factis, vel saltem cum chlamyde habeant guarnellum seu placentinum coloris albi vel nigri, aut paludellum amplum de canabo sive lino absque ulla crispatura consutum. Circa humilitatem vero panni, et pellitiones sororum ipsarum juxta conditionem cujuslibet earumdem ac loci consuetudinem poterit dispensari. Bindis et ligaturis sericis non utantur, pelles dumtaxat agninas, bursas de corio, et corigas simpliciter absque serico ullo factas, et non alias tam fratres habeant quam sorores, depositis ceteris, juxta beati Petri, Apostolorum Principis salubre consilium, vanis hujus sæculi ornamentis.

Quod non vadant ad inhonesta convivia, et spectacula, et quod histrionibus non dent.

CAPITULUM IV.

Sit eis ad inhonesta convivia, vel spectacula, sive curias seu choreas, accessus penitus interdictus. Histrionibus, seu vani-

tatis nihil dent; et ne quidquam illis donetur a propria familia, prohibere procurent.

De abstinentia et jejunio.

CAPITULUM V.

Ab esu autem carnium, secunda, quarta, et sexta feria, dieque sabbati abstineant universi, nisi aliud infirmitatis vel debilitatis instantia suaderet. Minutis vero per triduum carnes dentur; nec subtrahantur in itinere constitutis. Sit quoque ipsarum comestio licita singulis, cum solemnitatem præcipuam intervenire contigerit in qua cæteri christiani ab antiquo epulis carneis vesci solent. Aliis autem diebus, in quibus jejunium non servatur, ova et caseus non negentur, sed cum religiosis ceteris in eorum conventualibus domibus, licite sumere valeant de appositis ab eisdem, sintque prandii cœnæque refectione contenti, exceptis languidis, et viatoribus, ac infirmis. Sit sanis cibus moderatus et potus, cum textus evangelicus habeat : Attendite ne corda vestra crapula et ebrietate graventur. Prandium autem, vel cœna, non nisi præmissa semel Dominica oratione sumatur, post sumptionem cuilibet cum Deo gratias iteranda. Quod si omitti contigerit, dicatur tribus vicibus *Pater noster*. Qualibet vero sexta feria totius anni jejunium celebrent, nisi forte infirmitate aut alia causa legitima excusentur, vel nisi festum Natalis Domini Feria ipsa occurreret observandum. Sed a festo Omnium Sanctorum usque ad Pascha quarta et sexta feria jejunabunt, alia quæ ab Ecclesia sunt statuta vel ordinata, ex causa communiter indicta jejunia servaturi. In Quadragesima vero B. Martini usque ad diem Nativitatis Domini, et a Dominica Quinquagesimæ usque ad Pascha, diebus singulis, exceptis Dominicis, jejunare procurent; nisi aliud fortassis infirmitas, vel necessitas alia suaderet. Sorores gravidæ, usque ad suæ purificationis diem, ab exercitatione qualibet corporali, orationibus dumtaxat exceptis, poterunt, si voluerint, abstinere. Laborantes autem, propter fatigationis afficientis instantiam, a Dominicæ Resurrectionis festo usque ad festivitatem B. Michaelis prædicti, ter in die, qua exercitio laboris incumbent, licite sumere cibum possunt. Cum vero illos contigerit aliorum imminere laboribus, de cunctis appositis die quolibet sumere licebit eisdem, nisi sexta feria, vel dies sit alia in qua generaliter ab Ecclesia jejunium noscitur institutum.

Quoties debent confiteri per annum et sumere corpus Christi.

CAPITULUM VI.

Singuli autem fratrum et sororum ter in anno, videlicet in Natali Domini, in Resurrectionis ipsius et Pentecostes festivitatibus, peccata propria confiteri, et Eucharistiam devote suscipere non postponant, reconciliando se proximis, et restituendo etiam aliena.

Quod non ferant arma impugnationis.

CAPUT VII.

Impugnationis arma secum fratres non deferant, nisi pro defensione Romanæ Ecclesiæ, christianæ fidei, vel etiam terræ ipsorum, aut de suorum licentia ministrorum.

De dicendis Horis Canonicis.

CAPITULUM VIII.

Dicant universi quotidie septem Horas Canonicas, videlicet Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, et Completorium; Clerici, videlicet scientes Psalterium, pro prima, *Deus in nomine tuo*, etc. *Beati immaculati*, usque ad *Legem*, *Gloria Patri* dicant. Cum vero ad ecclesiam non accedent, pro Matutino Psalmos dicere studeant, quos dicunt clerici, vel ecclesia cathedralis, vel saltem ut illiterati alii pro Matutino duodecim, et pro qualibet alia hora septem vicibus *Pater noster* cum *Gloria Patri* dicere non omittant; in quibus videlicet Primæ ac Completorii horis minorem Symbolum, et *Miserere mei Deus*, adjiciant, qui noverint. Sed si horis non dixerint constitutis, dicant tribus vicibus *Pater noster*. Infirmi autem horas hujusmodi non teneantur dicere, nisi velint. In Quadragesima vero Sancti Martini, et etiam in majori, ecclesias, in quarum parochiis habitant, matutinalibus horis personaliter adire procurent, nisi causa rationabili excusentur.

Quod omnes, qui de jure possunt faciant testamentum.

CAPITULUM IX.

Omnes præterea, quibus de jure facultas affuerit, condant seu faciant testamentum, et de bonis suis infra tres menses post eorum ingressum immediate sequentes ordinent et disponant, ne quemquam illorum contingat decedere intestatum.

De pace reformanda inter fratres et alios extraneos.

CAPITULUM X.

De pace vero inter fratres et sorores, aut etiam exteros in discordia positos, facienda, sicut ministris videbitur, ita fiat, adhibito, si facultas affuerit, episcopi diœcesani consilio in hac parte.

Quando molestantur contra jus aut eorum privilegia.

CAPITULUM XI.

Si vero fratres aut sorores contra jus vel eorum privilegia, per potestates seu rectores locorum, ubi domicilium obtinent, vexationibus impetantur; ministri loci ad eos episcopos, et alios locorum ordinarios, studeant habere recursum juxta consilium et ordinationem ipsorum in talibus processuri.

Quod caveant, in quantum possunt, a juramentis solemnibus.

CAPITULUM XII.

A juramentis autem solemnibus omnes abstineant, nisi necessitate cogente in casibus per indulgentiam Apostolicæ Sedis exceptis, videlicet pro pace, fide, calumnia, et testimonio perhibendo, ac etiam in contractu emptionis, venditionis, et donationis, ubi videbitur expedire. In communi quoque loquela vitent, ut poterunt, juramenta. Et qui die aliquo minus caute juraverit lapsu linguæ, prout contingere in multiloquio consuevit, die ipso in sero, cum debet recogitare quid fecerit, dicat tribus vicibus Orationem Dominicam, propter incaute facta hujusmodi juramenta. Memor autem sit quilibet, ut ad divina obsequia familiam propriam exhortetur.

De audienda missa, et congregatione facienda.

CAPITULUM XIII.

Universi sane fratres et sorores, cujuscumque civitatis aut loci, diebus singulis, si commode poterunt, missæ officium audiant. Et mense quolibet ad ecclesiam, sive loca, ad quam vel quæ ministri curaverint intimare, conveniant, missarum solemnia inibi audituri. Unusquisque autem usualis monetæ denarium massario tribuat, qui pecuniam hujusmodi colligat, et eam de consilio ministrorum inter fratres et sorores paupertate gravatos, et præcipue infirmantes, ac eos qui funeris carere dignoscuntur exsequiis, et deinde inter pauperes alios dividant congruenter. Offerant insuper de dicta pecunia ecclesiæ memoratæ, tuncque, si commode poterunt, virum religiosum, et in verbo Dei competenter instructum habere procurent, qui eos ad pœnitentiam et misericordiæ opera exercenda hortetur, sollicite moneat et inducat. Studeat quilibet, dum missæ celebratur officium, et prædicationis verbum proponitur, servare silentium, orationi et officio sit intentus, nisi eum communis utilitas fraternitatis impediat.

De Fratribus infirmis, et Defunctis.

CAPITULUM XIV.

Cum autem quemquam ex fratribus infirmari contigerit, ministri per se, vel per alium, seu alios, si hoc eis infirmus fecerit intimari, semel in hebdomada visitare teneantur ægrotum, ipsum sollicite ad recipiendum pœnitentiam, prout melius et efficacius expedire putaverint, inducentes, necessaria illi de bonis communibus ministrando. Et si prafatus infirmus de præsenti luce migraverit, fratribus et sororibus tunc in civitate vel loco ubi eum contigerit mori, præsentibus nuntietur, ut defuncti exequiis procurent personaliter interesse, a quibus, donec Missarum fuerint celebrata solemnia, et corpus tumulo conditum, non recedant. Hac quoque circa sorores infirmas, et decedentes, volumus observari. Præterea infra octo dies post ipsius sepulti obitum immediate sequentes, quilibet fratrum et sororum ipsarum dicat pro animâ ejus, sacerdos videlicet missam unam; sciens

Psalterium, quinquaginta Psalmos; et illiterati totidem *Pater noster*, et in fine cujuslibet *Requiem æternam*, adjiciat. Et post hæc infra annum, pro fratrum et sororum tam virorum quam Defunctorum salute tres missas faciant celebrari. Qui vero psalterium sciverint, illud dicant, et cæteri Orationem Dominicam centies dicere non omittant, *Requiem æternam* in fine cujuslibet additari.

De ministris.

CAPITULUM XV.

Ministeria quoque ac alia officia, quæ præsentis formulæ series exprimit, posita quisque sibi devote suscipiat, curetque fideliter exercere. Officium autem cujuslibet, certi temporis spatio limitetur. Nullus minister instituatur ad vitam, et ejus ministerium certum tempus comprehendat.

De visitatione et correctione delinquentium.

CAPITULUM XVI.

Ad hæc ministri, et fratres ac sorores, civitatis et loci cujuslibet, ad visitationem communem, in aliquo loco religioso, vel ecclesia, ubi locum hujusmodi contigerit deesse, conveniant, et visitatorem habeant sacerdotem, qui alicujus approbatæ religionis existat, quique illis de commissis excessibus injungat pœnitentiam salutarem, nec quivis alius possit eis hujusmodi visitationis officium exhibere. Hujusmodi autem visitationis officium semel exerceatur in anno, nisi necessitate aliqua suadente fuerit pluries facienda. Incorrigibiles vero ac inobedientes monitio trina præveniat. Qui si se corrigere non curaverint, de ipsius congregationis consortio expellantur omnino de consilio discretorum.

De vitandis litigiis inter se, et cum aliis.

CAPITULUM XVII.

Vitent insuper fratres et sorores, juxta posse, litigia inter se; illa, si suscitari contigerit, sollicite dirimendo : alioquin de jure coram illo respondeant, apud quem potestas residet judicandi.

Qualiter, et per quos in abstinentiis possit dispensari.

CAPITULUM XVIII.

Ordinarii autem locorum, vel visitator cum fratribus et sororibus universis in abstinentiis, jejuniis, et austeritatibus aliis ex causa legitima, cum expedire viderint, poterunt dispensare.

Quod ministri eorum manifestas culpas denuntient visitatori.

CAPITULUM XIX.

Ministri vero manifestas fratrum et sororum culpas visitatori denuntient puniendas. Et si quisquam incorrigibilis fuerit, post trinæ admonitionis instantiam a ministris de discretorum fratrum aliquorum consilio visitatori nuntietur eidem, de fraternitatis consortio abjicendus ab ipso, et in congregatione postmodum publicandus.

Qualiter in prædictis nemo obligetur ad culpam mortalem.

CAPITULUM XX.

Cæterum in præmissis omnibus, ad quæ fratres et sorores hujus Ordinis non ex divinis præceptis, vel statutis tenentur ecclesiæ, nullum ipsorum ad mortalem culpam volumus obligari; sed impositam sibi pœnitentiam pro transgressionis excessu prompta humilitate recipiat, et efficaciter studeat adimplere.

PARS TERTIA. — COLLATIONES MONASTICÆ.

COLLATIONES MONASTICÆ SIVE AD FRATRES, B. P. FRANCISCI.

PRÆFATIUNCULA (1).

Tertia hac parte sancti Francisci Opuscula claudo. Diversa habet argumenta, nullum contemnendum. Pro suo genio et ingenio invenient multi multa quæ placeant, plurima quæ apprehendant, nihil quod rejiciant. Monachi in monasticis collationibus videbunt quid domi curent, quid foris agant. In eisdem perspicient monachorum magistri, boni notas regiminis; subditi, quomodo ad suas regulas suas vitas componant. Qui amore non insano ducuntur, sinceras legant amoris blanditias, et amatoria carmina, quibus Franciscus Christo colludebat amico. Qui devote Salvatoris passionem recolunt, pias habent et doctas precum formulas suis horis distributas, quibus ad salutarem hanc contemplationem frequentius et ferventius excitentur. Qui faceta, sed modesta, acuta, sed salutaria, velit in promptu habere responsa, ad plerasque christianæ et religiosæ conversationis materias hic inveniet apophthegmata. Nullius ferme erit conditionis, modo christianæ, vir, qui in tam uberi sententiarum delectu non probet multa ad solatium, plurima ad profectum. Sicut guttur escas gustu dijudicat (2), ita et hominum sors mentis propensione doctrinas discernit. Ex multiplici instructione, quæ sibi accomoda seligit religiosæ vitæ sectator, illa eadem minus laudabit sæculi solatio addictus; et quæ supernarum rerum contemplator affectat, hæc terreni lucri vilis meditator abhorret. Sed vel uno eruditus in verbo reperiet bona (3), in tot bonis Francisci verbis quid non bonum inveniet? Certe quæsivit verba utilia (4) et conscripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos. Raro, vel numquam frustra aperuit os suum (5), nec absque scientia verba multiplicavit. Non, ut perperam onerosus consolator Heliu Jobo improperavit, stulte locutus est (6) sed verba illius sonant disciplinam. Indigna proinde judicavi quæ perirent; ex multis locis omnia quæ potui in unum collegi: quæ dum legeris, quam meo, vel majori digna sint labore, judicabis.

(1) A. P. La Haye conscripta.
(2) Job, XXXIV, 3.
(3) Prov., XVI, 20.
(4) Eccl., XII, 10.
(5) Job, XXXV, 16.
(6) Job, XXXIV, 35.

COLLATIONES MONASTICÆ.

Franciscum frequentem cum suis habuisse sermonem de Regula, quam susceperant, servanda, de vitæ perfectione sectanda, de vitiis cavendis, et de quibusvis aliis, in quibus novi tyrones ad evangelicæ doctrinæ culmen aspirantes, erant instruendi, ipsa, qua ad hoc tenebatur, Magistri ratio facile persuadebit, docetque Bonaventura sæpius in ejus Vita, Bartholomæns Pisanus passim in suis *Conformitatibus*, Marianus Florentibus, lib. I, cap. 18. Marcus Ulissippon. I p., *Chron.*, lib. I, c. 10, 19, 20, et sæpe alibi, et ipse Franciscus clarius expressit Collat. 25. Pauca ex frequentibus et salutaribus consiliis, quibus discipulos erudivit, diversi signaverunt auctores. Pisanus; *Speculum Vitæ Francisci*, et Codiculus quidam vetustus MS. italico idiomate exaratus, mihi a Fano Piceni urbe, ad Metaurum amnem extructa, transmissus, plus cæteris præstiterunt. Quam ab unoquoque collationem accepi, ad singulas notabo. Placuit ea sub collationum monasticarum titulo offerre, tum quia accommodum hoc nomen, tum quia eodem insignierunt Bonav., c. 4, *Leg.*, Marianus citat., et Floretum fol. mihi 554, sanctas ac salutares Francisci exhortationes ad socios. Ad sui patris exemptum ipse Bonaventura, præter illas 91,

quas in Joannis Evangelium edidit, octo habuit Collationes breviores ad fratres conventus Tolosani, bis Francisci persimiles : quas Bonaventuræ esse docte defendit Constantinus Cajetanus contra Herberitum Rosweydum in Concertatione, præfixo libello de *Imitatione Christi Domini*, a se noviter excuso.

COLLATIO PRIMA CONSOLATORIA.

De pusillo grege multiplicando.

Confortamini carissimi, et gaudete in Domino : nec quia pauci estis, efficiamini tistes, nec vos terreat mea vel vestra simplicitas : quoniam sicut a Domino mihi in veritate ostensum est, in magnam multitudinem faciet vos crescere Deus, suæque benedictionis gratia multipliciter dilatabit. Multi convertentur ad Dominum, et per universum mundum multiplicabit Deus familiam suam et augebit. Ad vestrum quoque profectum cogor dicere quod vidi; quod utique magis silere liberet, si caritas me non cogeret vobis referre. Vidi multitudinem magnam hominum ad nos venientium, et in habitu sanctæ conversationis nobiscum volentium conversari. Et ecce adhuc sonitus eorum in auribus meis euntium et redeuntium secundum obedientiæ sanctæ mandatum. Vidi quasi vias ipsorum multitudine plenas ex omni fere natione in his partibus convenire. Veniunt Francigenæ, festinant Hispani, Teutonici et Anglici currunt, et aliarum diversarum linguarum accelerat maxima multitudo.

COLLATIO SECUNDA.

De vocatione fratrum Minorum, et de prædicando verbo Dei.

Consideremus, fratres carissimi, vocationem nostram, qua vocavit nos misericorditer Deus, non tantum pro nostra, sed pro multorum etiam salute, ut eamus per mundum exhortando omnes plus exemplo quam verbo, ad agendum pœnitentiam de peccatis suis, et ad habendam memoriam mandatorum Dei. Nolite timere, quia pusilli et insipientes videmur, sed securi annuntiate simpliciter pœnitentiam, confidentes in Domino, qui vicit mundum, quod Spiritu suo loquetur per vos in vobis, ad exhortandum omnes, ut convertantur ad ipsum, et ejus mandata observent. Caveamus, qui reliquimus omnia, ne pro modico regnum cœlorum perdamus, et si pecuniam in aliquo loco inveniamus, non curemus de illa plusquam de pulvere quem calcamus. Non judicemus neque despiciamus illos qui delicate vivunt, et curiose ac superflue induuntur. Deus est noster, ac ipsorum Dominus, potens illos ad se vocare, et vocatos justificare. Tales ergo revereamur, ut fratres et dominos uostros. Fratres enim sunt, in quantum ab uno Creatore creati; Domini vero sunt, in quantum bonos adjuvant ad pœnitentiam faciendam, eis necessaria corporis ministrantes. Ite ergo annuntiantes hominibus pacem, prædicantes pœnitentiam in remissionem peccatorum. Invenietis quosdam homines fideles, mansuetos et benignos, qui cum gaudio vos et verba vestra recipient; at per oppositum alios infideles, superbos, blasphemos, qui exprobrantes resistent vobis, et his quæ dicetis. Ponite ergo in cordibus vestris patienter et humiliter omnia tolerare. Nolite tamen timere; quoniam non post multum tempus venient ad vos multi sapientes et nobiles, eruntque vobiscum prædicantes regibus, et principibus, et populis multis. Estote ergo in tribulationibus patientes, in orationibus vigiles, in laboribus strenui, in sermonibus modesti, in moribus graves, et in beneficiis grati : quia pro his omnibus vobis regnum Dei præparatur æternum : quod nobis concedat ille, qui vivit et regnat trinus et unus; et absque dubio concedet, si emissa servaverimus vota nostra, quæ illi voluntarie spopondimus.

COLLATIO TERTIA.

De religiosa habitatione in eremitoriis.

Illi qui religiose volunt stare in eremitoriis, sint tres aut quatuor ad plus. Duo ex ipsis sint matres, et habeant duos filios, vel unum ad minus. Illi duo teneant vitam Marthæ, et alii duo vitam Mariæ Magdalenæ. Illi autem, qui tenent vitam Mariæ, habeant unum claustrum, et quilibet habeat locum suum, ita quod neque habitent simul, neque cubent. Et semper dicant Completorium de die, quando sol revertitur ad occasum. Studeant tenere silentium, et dicant Horas suas. Surgant ad Matutinum, et primum quærant regnum Dei, et justitiam ejus

(Matt., VI, 33). Hora congrua dicant Primam, et Tertiam, et post horam tertiam solvant silentium, et possint loqui, et ire ad matres suas, et quando placuerit, possint petere eis eleemosynam propter amorem Domini Dei, sicut pauperes pauperculi. Postea dicant Sextam, Nonam, et Vesperas tempore debito. In claustro, ubi morantur non permittant ad quam personam introire, sed neque ullus ibi comedat. Illi fratres, qui sunt matres, studeant manere remote ab omni persona, ut nemo possit eis loqui. Et isti filii non loquantur cum aliqua persona, nisi cum matribus suis, et custode suo, quando placebit ei visitare ipsos cum benedictione Dei; filii vero quandoque officium matrum assumant, sicut vicissitudinaliter pro tempore visum fuerit eis disponendum. Qui omnia supradicta studiose et sollicite studeant observare.

COLLATIO QUARTA.

De vera obedientia.

Fratres carissimi, verbum primo præceptum implete; nec expectetis iterari, quod dicitur vobis. Nihil etiam impossibilitatis causemini sive judicetis esse in præcepto; quia etsi supra vires ego vobis mandarem, sancta obedientia viribus non carebit. Nec considerare debetis quis vel qualis sit qui vobis facienda præcipit, sed solum quod sit prælatus. Inter alia quæ dignanter divina pietas mihi concessit, hanc gratiam contulit, quod ita diligenter novitio unius horæ obedirem, si mihi guardianus daretur, sicut antiquissimo et discretissimo fratri: Subditus prælatum suum non hominem considerare debet, sed illum, pro cujus amore est subjectus. Quanto enim contemptibilior præsidet, tanto magis humilitas obedientis placet.

COLLATIO QUINTA.

De sancta paupertate.

Paupertatem noveritis, fratres carissimi, virtutum esse reginam : quia in Rege regum, et in regina matre ipsius tam præstanter effulsit. Paupertatem scitote, fratres, specialem viam esse salutis, tamquam humilitatis fomentum, perfectionisque radicem, cujus est fructus multiplex, sed occultus. Hæc enim est evangelici agri thesaurus absconditus, pro quo emendo vendenda sunt omnia; et quæ vendi non possunt, illius comparatione spernenda. Ad hujus culmen qui cupit attingere, non solum mundanæ prudentiæ, verum etiam litterarum peritiæ, renuntiare quodammodo debet, ut tali expropriatus possessione, introeat in potentias Domini, et nudum se offerat brachiis Crucifixi. Nequaquam enim sæculo perfecte renuntiat, qui proprii sensus loculos intra cordis arcana reservat. In omnibus ergo reluceat inter vos sancta paupertas, et præcipue in domibus quas ædificaveritis, considerantes illud Evangelicum, quod *vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habuit ubi caput suum reclinaret* (Matth., VIII, 20). Propter quod pauperum more pauperculas casulas erigite, quas non habitare debetis ut proprias, sed sicut peregrini et advenæ alienas. Leges namque peregrinorum sunt, sub alieno colligi tecto, sitire ad patriam, pacifice pertransire. Evangelica hæc paupertas nostri Ordinis est fundamentum; cui substrato primarie, sic omnis structura religionis innititur, ut ipsius firmitate firmetur, et eversione funditus evertatur. Quantum itaque fratres declinabunt a paupertate, tantum mundus declinabit ab eis, et quærent, et non invenient. Si dominam meam paupertatem complexi fuerint, mundus eos nutriet, quia mundo dati sunt ad salutem. Commercium est inter mundum et fratres. Debent enim ipsi mundo bonum exemplum, debet eis mundus provisionem necessitatum, quando autem ipsi retraxerint bonum exemplum fide mentita, retrahet mundus manum a justa censura.

COLLATIO SEXTA.

De vitando mulierum aspectu et conversatione.

Mulierum familiaritates, colloquia, et aspectus, quæ multis occasio sunt ruinæ, eo sollicitius evitare debemus, fratres carissimi, quo sæpius per hujusmodi videmus debilem frangi, et fortem spiritum infirmari. Harum contagionem evadere conversantem cum eis, nisi probatissimum virum, tam facile judico, quam, juxta Scripturam, in igne ambulare, et non comburere plantas. Non enim securum puto, earum formarum introrsus haurire imagines, quæ possunt, aut edomitæ carnis ressuscitare igniculum, aut

pudicæ mentis maculare nitorem. Frivolum profecto est quodcumque mulieris colloquium, excepta sola confessione, vel instructione brevissima, juxta quod saluti expedit, vel congruit honestati. Quæ sunt, quæso, cum muliere religioso tractanda negotia, nisi cum sanctam pœnitentiam, vel melioris vitæ consilium religiosa petitione deposcit? Ex nimia securitate minus cavetur hostis, et diabolus, si de suo capillum potest habere in homine, cito excrescere facit in trabem. Nec enim solum mortificari debent vitia carnis, aut ejus incentiva frænari; verum etiam exteriores sensus, per quos mors intrat ad animam, summa vigilantia decet custodiri.

COLLATIO VII.

De petenda eleemosyna cum fiducia.

Carissimi fratres, et filioli mei, nolite verecundari ire pro eleemosyna, quia Dominus se pro nobis fecit pauperem in hoc mundo, cujus exemplo elegimus viam verissimæ paupertatis elegimus, non debemus confundi pro eleemosynis irc. Arrbam cælestis hæreditatis erubescere nequaquam convenit regni cælorum heredibus. Hæc est enim hereditas nostra, quam acquisivit et reliquit nobis Dominus Jesus Christus, et omnibus (qui suo exemplo vivere uolunt in sanctissima paupertate. In veritate dico vobis, quod multi ex nobilioribus et sapientioribus hujus sæculi venient ad istam congregationem, et pro magno honore et gratia habebunt ire pro eleemosyna. Vos ergo, qui estis illorum primitiæ, latamini et gaudete, nec renuatis facere, quæ sanctis illis facienda transmittitis. Ite ergo confidenter, et animo gaudenti, pro eleemosyna cum benedictione Dei, Et mngis libere et gaudenter ire debetis pro eleemosyna, quam ille, qui divina numata offerret centum denarios, quoniam offertis eis amorem Dei, a quibus eleemosynam petitis, dicentes : Amore Domini Dei faciatis nobis eleemosynam, cujus comparatione nihil est cælum et terra.

COLLATIO VIII.

De discretione in corpore alendo.

Fratri corpori cum discretione providendum est, fratres charissimi, ne ab eo tempestas acediæ commoveatur. Servus enim Dei in comedendo, et bibendo, et dormiendo, et alias corporis necessitates sumendo, debet cum discretione suo corpori satisfacere, unde non tædeat ipsum vigilare, et reverenter in oratione persistere, ita quod frater corpus non valeat murmurare, dicens : Fame deficio, tui exercitii sarcinam ferre non valeo, non possum stare rectum, et insistere orationi, nec in tribulationibus meis lætari, nec alia bona operari, quia non satisfacis indigentiæ meæ. Si enim servus Dei cum discıetione, et satis bono modo et honesto, suo corpori satisfaceret, et frater corpus, si postquam sufficientem vorasset annonam, alias mussitaret, essetque negligens et pigrum, vel somnolentum in orationibus et vigiliis, et aliis bonis operibus, scito pigrum jumentum calcaribus indigere, et inhærentem asellum stimulum expetere, tunc debet ipsum castigare tamquam malum et pigrum jumentum, qui vult comedere, et non lucrari, et onus non portare. Si vero propter inopiam et paupertatem frater corpus necessitates suas in sanitate et infirmitate habere non potest; dum honeste petierit et humiliter a prælato suo amore Dei, et sibi non datur, sustineat amore Domini patienter, qui etiam sustinuit quærens qui eum consolaretur, et non invenit. Et hæc necessitas sibi a Domino imputatur pro martyrio. Et quia fecit quod suum est, id est, quod pctiit humiliter suam necessitatem, exsusatur a peccato, etiamsi corpus inde gravius infirmetur.

COLLATIO IX.

De indiscreta æmulatione in abstinentia fugienda.

Fratres mei, unusquisque consideret naturam suam : quia licet aliquis ex vobis valeat sustentari pauciori cibo quam alius, nolo tamen quod abundantiori cibo indigens, illum in hoc imitari nitatur. Sed naturam suam considerans exhibeat corpori suo necessitatem suam. Sicut enim nobis a superfluitate comestionis, quæ obest corpori et animæ, tenemur nobis cavere, ita a nimia abstinentia, imo magis ; quoniam Deus misericordiam vult, et non sacrificium.

COLLATIO X.

De tolerandis quantisper necessitatibus.

Necessitas, fratres carissimi, quam non

ratio postulat, sed voluptas ostentat, extincti spiritus signum est manifestum. Spiritu tepido et paulatim a gratia frigescente, necesse est carnem, et sanguinem quæ sua sunt quærere. Quid enim restat, quando anima caret spiritualibus deliciis, ut caro convertatur ad suas? Et tunc animalis appetitus necessitatis articulum palliat, tunc sensus carnis conscientiam format. Si adest fratri meo vera necessitas, et statim satisfacere properat, quid mercedis accipiet? Accidit enim occasio meriti, sed displicuisse sibi studiose probavit : ipsas namque indigentias non patienter ferre, nihil aliud est nisi Ægyptum repetere.

COLLATIO XI.

De lætando spiritualiter in Domino.

Sanctam, fratres carissimi, interius et exterius lætitiam Dei habete. Si enim servus Dei studuerit habere et conservare lætitiam spiritualem, quæ provenit ex munditia cordis, et acquiritur per devotionem orationis, dæmones nihil possunt ei nocere, dicentes ; Ex quo in tribulatione et prosperitate lætitiam habet servus Dei, non possumus invenire aditum intrandi ad ipsum, nec sibi nocere. Sed tunc exultant dæmones, quando devotionem et lætitiam, quæ provenit ex munda oratione, et ex aliis operibus virtuosis, possunt extinguere, vel aliqualiter impedire. Nam si diabolus in servo Dei potest aliquid habere de suo, nisi fuerit sapiens et sollicitus delere et destruere illud quam citius poterit, per virtutem sanctæ orationis, contritionis, confessionis, et satisfactionis, in brevi tempore de uno capillo facit unam trabem, semper aliquid illi adjiciendo. Quia ergo, fratres carissimi, ex munditia cordis, et puritate orationis continuæ hæc lætitia spiritualis oritur, circa illa duo acquirenda principaliter est studendum, ut ipsam lætitiam, quam in me et in vobis cupio summo affectu, et diligo cernere et sentire, possitis habere interius et exterius ad ædificationem proximi, et vituperium inimici. Ad ipsum enim, et ad membra ejus oportet contristari, ad nos autem lætari semper in Domino, et gaudere.

COLLATIO XII.

De humilitate et pace erga clericos servanda.

In adjutorium clericorum missi sumus, fratres carissimi, ad animarum salutem; ut quod in illis invenitur minus, suppleatur a nobis. Quilibet recipiet mercedem, non secundum auctoritatem, sed secundum laborem. Scitote, fratres, quod Deo est gratissimum animarum lucrum. Hoc consequi melius possumus cum pace clericorum, quam cum discordia. Si autem ipsi salutem impediunt, Dei est ultio, et ipse retribuet eis in tempore. Ideoque estote subjecti prælatis, ne, quantum ex vobis est, malus zelus consurgat. Si filii pacis fueritis, clerum et populum lucrabimini : et hoc acceptabilius Deo erit, quam populum solum, clero scandalizato, lucrari. Tegite eorum lapsus, multiplices eorum supplete defectus, et cum hæc feceritis, humiliores estote.

COLLATIO XIII.

De cognoscendo servo Dei.

Heu ! quam bonum est, fratres, Deo servire. Melior est Dei servitus, quam mundi principatus. Sed quis est, qui certo cognoscit se esse servum Dei? Nihil melius est, quam esse servum Dei, nihil tamen difficilius est homini certo cognoscere, quam si est Dei servus, vel amicus. Ego vobis confiteor, quod rogavi Dominum, ut mihi dignaretur ostendere quando sum servus Dei, et quando non. Ipse autem Dominus benignissimus sua dignatione respondit mihi : Servum meum veraciter te esse cognosce, cum sancta cogitas, loqueris, et operaris. Ideo vobis prædicta insinuavi, ut vos etiam sciatis quando Dei servi estis, et ei placetis : et ut ego coram vobis possim verecundari, quando videbitis me deficere in his omnibus, vel aliquo prædictorum.

COLLATIO XIV.

Quid Deo magis placeat, orare vel prædicare?

Magnum mihi dubium contigit, fratres carissimi, vobis proponendum, et a vobis Dei adjutorio dissolvendum. Quid fratres consulitis? quid laudatis? an quod orationi vacem, an quod prædicando discurram? Si-

quidem ego parvulus, simplex, et imperitus sermone, majorem orandi accepi gratiam, quam loquendi. Videtur etiam in oratione lucrum, et cumulatio gratiarum, in prædicatione distributio quædam donorum cœlitus acceptorum. In oratione etiam purificatio interiorum affectuum, et unitio ad unum verum et summum bonum cum vigoratione virtutis; in prædicatione spiritualium pulverizatio pedum, distractio circa multa, et relaxatio disciplinæ. Tandem in oratione Deum alloquimur, et audimus, et quasi angelicam vitam agentes, inter angelos conversamur; in prædicatione multa oportet condescensione uti ad homines, et humane inter eos vivendo, humana cogitare, videre, dicere, et audire. Sed unum est in contrarium, quod videtur præponderare his omnibus ante Deum, quod videlicet unigenitus Dei Filius, qui est Sapientia summa, propter animarum salutem de sinu Patris descendit, ut suo mundum informans exemplo, verbum salutis hominibus loqueretur. quos sacri sanguinis pretio redimeret, et emundaret lavacro, et poculo sustentaret, nihil sibi omnino reservans, quod non in salutem nostram liberaliter erogaret. Et quia debemus omnia facere secundum exemplar eorum quæ videmus in ipso, tamquam in monte sublimi, videtur Deo magis placitum, quod intermissa quiete foras egrediamur ad laborem. Quid in hac re vobis videatur, consulite.

COLLATIO XV.

De litteris incumbentibus, et doctoribus.

Fratres, qui scientiæ curiositate ducuntur, in die tribulationis invenient manus suas vacuas. Ideo vellem eos magis roborari virtutibus, ut cum tempus tribulationis venerit, secum haberent Dominum in angustia. Ventura est enim tribulatio, quando libri ad nihilum utiles in fenestris et latebris projicientur. Nolo fratres meos cupidos esse scientiæ, et librorum, sed volo eos fundari super sanctam humilitatem, et imitari puram simplicitatem, sanctam orationem, et dominam paupertatem. Hæc via sola est secura ad salutem propriam, et aliorum ædificationem, quoniam Christus, ad cujus imitationem vocati sunt fratres, hanc solam nobis ostendit, et docuit verbo pariter et exemplo. Multi fratres, occasione ædificandi alios, dimittent vocationem suam, videlicet sanctam humilitatem, puram simplicitatem, orationem, et devotionem, atque dominam nostram paupertatem. Et continget illis, quod unde putabunt magis imbui seu impleri devotione, et accendi amore, et illuminari Dei cognitione propter intellectum Scripturæ, inde occasionaliter remanebunt intus frigidi et vacui, et sic ad pristinam vocationem redire non poterunt, quia tempus vivendi secundum vocationem suam, in vano et falso studio amiserunt.

COLLATIO XVI.

De vanis et tumidis prædicatoribus.

Multi sunt fratres, qui totum suum studium et totam suam sollicitudinem ponunt in acquirendo scientiam, dimittentes vocationem suam sanctam, extra viam humilitatis et sanctæ orationis mente et corpore evagando: qui cum populo prædicaverint, et noverint aliquos inde ædificari, vel ad pœnitentiam converti, inflantur, et extollunt se de opere et lucro alieno, cum tamen magis in condemnationem et in præjudicium suum prædicaverint, et nihil ibi secundum veritatem operati fuerint, nisi tanquam instrumenta illorum, per quos vere Dominus fructum hujusmodi acquisivit. Nam quos credunt propter scientiam et prædicationem suam ædificari, et ad pœnitentiam converti, Dominus orationibus et lacrymis sanctorum pauperum, humilium, et simplicium fratrum ædificat et convertit, licet ipsi sancti fratres ut plurimum ignorent. Sic enim est voluntas Dei, ut illud nesciant, ne inde valeant superbire.

Isti sunt, fratres mei, milites tabulæ rotundæ, qui latitant in desertis, et in locis remotis, ut diligentius vacent orationi et meditationi, sua et aliorum peccata plorantes, viventes simpliciter, et humiliter conversantes, quorum sanctitas a Deo cognoscitur, et aliquando fratribus et hominibus est ignota. Horum animæ ab angelis Deo præsentabuntur: tunc Dominus ostendet illis fructum et mercedem laborum suorum, videlicet, multas animas, quæ suis exemplis, orationibus, et lacrymis sunt salvatæ. Et dicet illis: Filii mei dilecti, ecce tot et tales animæ salvatæ sunt vestris orationibus, lacrymis, et exemplis. Et quia

super pauca fuistis fideles (1), supra multa vos constituam. Alii enim prædicaverunt et laboraverunt sermonibus sapientiæ et scientiæ suæ, et ego meritis vestris fructum salutis operatus sum. Ideo suscipite laborum eorum mercedem, et fructum meritorum vestrorum, qui est regnum æternum, quod humilitatis et simplicitatis vestræ, atque orationum et lacrymarum vestrarum violentia rapuistis (2). Sicque isti portantes manipulos suos, id est, fructus et merita sanctæ humilitatis et simplicitatis suæ, intrabunt in gaudium Domini lætantes et exultantes. Illi vero, qui non curaverunt nisi scire, et aliis viam salutis ostendere, nihil operantes pro se, ante Christi tribunal astabunt nudi et vacui, et solius confusionis, et verecundiæ, et doloris manipulos deferentes. Tunc veritas sanctæ humilitatis et simplicitatis, sanctæque orationis et paupertatis, quæ est vocatio nostra, exaltabitur, glorificabitur, et magnificabitur : cui veritati ipsi inflati vento scientiæ, detraxerunt vita, et vanis sermonibus scientiæ suæ, dicentes, ipsam veritatem esse falsitatem, et tamquam cæci eos qui ambulaverunt in veritate, persequentes. Tunc error et falsitas opinionum suarum, per quas ambulaverunt, quas esse veritatem prædicaverunt, per quas in cæcitatis foveam multos præcipitaverunt, in dolore et confusione et verecundia terminabitur, et ipsi cum suis tenebrosis opinionibus in tenebras exteriores cum tenebrarum spiritibus demergentur.

COLLATIO XVII.

De conditionibus et laude boni prædicatoris.

Volo, fratres carissimi, ministros verbi Dei tales esse, ut studiis intendentes spiritualibus, nullis aliis officiis impediantur. Hi enim a magno illo rege electi sunt ad edicta, quæ ex ejus ore procedunt, populis demandanda. Prius ergo prædicator haurire debet secretis orationibus, quod postea sacris ostendat sermonibus, prius intus calescere, quam extra verba proferre. Reverendum certe est hoc officium, et qui illud administrant, ab omnibus reverendi. Isti vita sunt corporis, impugnatores dæmonum, mundi lucerna.

Laudandi sunt prædicatores illi, qui pro tempore sibi sapiunt, sibique gustant, illi vero male sciunt dividere, qui prædicationi totum, devotioni vero nihil impendunt. Alii etiam plangendi sunt, qui vendunt sæpe quod faciunt, oleo vanæ laudis. Officium prædicationis, fratres, Patri misericordiarum omni sacrificio est acceptius, maxime si studio fuerit caritatis impensum, ut ad id laboret prædicator magis exemplo quam verbo, magis lacrymosa prece, quam loquaci sermone. Plangendus proinde prædicator tamquam vera pietate privatus, qui in prædicationem non animarum salutem, sed propriam laudem quærit, sive qui pravitate destruit vitæ, quod ædificat veritate doctrinæ. Præferendus huic est frater simplex et elinguis, qui bono exemplo alios provocat ad bonum. Donec sterilis peperit plurimos, inquit Prophetissa (I Reg., II, 5), et quæ multos habebat filios, infirmata est. Sterilis est pauperculus frater, qui generandi in Ecclesia filios non habet officium. Hic pariet in judicio multos, quia quos nunc privatis orationibus convertit ad Christum, suæ gloriæ tunc Judex adscribet. Quæ multos habet filios infirmabitur, quia prædicator vanus et loquax, qui multis nunc, quasi sua virtute genitus, gaudet, cognoscet tunc se nihil proprii habere in eis.

COLLATIO XVIII.

De murmuratione et detractione.

Detractionis vitium, fratres, inimicum est fonti pietatis et gratiæ, et piissimo Deo abominabile, pro eo quod detractor animarum sanguine pascitur, quas gladio linguæ necat. Tanto major est detractorum impietas quam latronum, quanto lex Christi, quæ in observantia pietatis impletur, magis animarum quam corporum nos astringit optare salutem. Præterea religiosus, qui murmurat contra fratres vel prælatos suos, quid aliud facit, quam implere propriam matrem suam, id est religionem, felle vituperii, et traditionum? Detractores sunt de generatione Cham, qui veranda patris non operuit, sed discooperuit, ita isti detegunt et exagerant defectus prælatorum et religionis suæ, propter quod Dei maledictionem merebuntur. Hi veluti porci in immunditiis volutantur, et spurcitiis, vel forte falso se inve-

(1) Matt., XXV, 21.

(2) Matt., XI, 12.

nisse aut vidisse affirmant, se ingurgitant, et aluntur immundorum more animalium, in conscientiis suis immundiores et rabidorum more canum queruntur de disciplina regulari, de correctione religionis, de ipso Ordine et prælatis, adversus eos latrantes, et quantum possunt mordentes. Detrahentium enim vox hæc est : Vitæ mihi perfectio deest, scientiæ vel peculiaris gratiæ facultas non suppetit, ac per hoc nec apud Deum locum invenio, nec apud homines. Scio quid faciam : Ponam maculam in electis, et apud majores gratiam promerebor. Scio prælatum meum hominem esse, eodemque mecum quandoque uti officio, quo succisis cedris, solus videatur ramus in via. Eia miser, humanis corporibus vescere, et quia vivere aliter non potes, fratrum viscera corrode. Tales boni student videri, non fieri, accusantes vitia, nec vitia deponentes, solos eos laudant, quorum cupiunt auctoritate foveri, silentes a laudibus, quas ad laudatum non æstimant reportari. Jejunæ faciei pallorem perniciosis laudibus vendunt, ut spirituales videantur, qui dijudicent omnia, et ipsi a nemine judicentur. Gaudent sanctitatis opinione, non opere; angelico nomine, non virtute.

COLLATIO XIX.

Quod fratres non vocentur magistri.

Ne appetatis, fratres, vocari magistri, scientes nomen magisterii soli ipsi Christo convenire, per quem omnia facta sunt opera. Ego vellem libenter scire facere omnia, sed nollem esse magister, nec magistri nomine insigniri, ne ex tali nomine contra verbum Christi in Evangelio prohibentis facere viderer. Quia melius est esse humilem cum paupercula sua scientia, quam, si esset possibile, scire facere omnia (1) mirabilia, et magnalia, et præsumere contra gloriosi magistri humilia documenta. Nam nomen magisterii nemini convenit nisi Domino Jesu Christo, cujus perfecta sunt opera, et mandavit ut nullus super terram magister vocaretur, nec vocari præsumeret, quia unus solus et verus absque defectu in cælis est Magister benedictus Christus, qui est Deus homo, et vita, conditor mundi, laudabilis, et gloriosus in sæcula. Amen.

(1) Matt., XXIII, 10.

COLLATIO XX.

Quæ bona proveniant Ordini ex subjectione ad Ecclesiam?

Mater omnium ecclesiarum, fratres, est Romana, et domina omnium est religionum. Vadam, et recommendabo fratres meos sanctæ Ecclesiæ, cujus potentiæ virga percellantur malevoli, et filii Dei in æternæ salutis augmentum ubique plena gaudeant libertate. Recognoscant ex hoc filii dulcia beneficia matris, et speciali devotione semper ipsius reverenda vestigia complectantur. Non erit, ipsa protegente, in ordine malus occursus, nec filius Belial per vineam Domini transibit impunis (2). Paupertatis nostræ ipsa sancta Ecclesia æmulabitur gloriam, et humilitatis præconia per superbia nubilum offuscari non sinet. Caritatis et pacis vincula in nobis servabit illæsa, censura strictissima percutiens dissidentes. Evangelicæ puritatis observantia sacra continue ejus aspectu florebit, nec odorem vitæ vel ad horam elabi patietur.

COLLATIO XXI.

De tribulationibus religionis, et Regulæ sectatorum.

Veniet tempus, fratres mei, cum malis exemplis malorum fratrum hæc Deo dilecta religio diffamabitur, ita ut pudeat exire in publicum. Qui vero tunc temporis ad suscipiendum habitum Ordinis venerint, sola sancti Spiritus operatione ducentur, et nullam in eis maculam caro impinget et sanguis, eruntque vere a Domino benedicti. Et licet in eis fuerint operationes meritoriæ, tamen frigescente charitate, quæ facit sanctos operari ferventer, venturæ sunt illis tentationes immensæ : et qui in tempore illo fuerint inventi probati, erunt suis prædecessoribus meliores. Væ qui de sola specie et apparentia conversationis religiosæ sibi plaudentes, et in sua sapientia et scientia confidentes, inventi fuerint otiosi, id est, non exercitantes se in operibus virtuosis, et in via crucis et pœnitentiæ, in pura observantia Evangelii, quod ex professione tenentur pure et simpliciter observare. Isti enim non resistent constanter tentationibus, quæ ad probationem electorum a Deo

(2) Nahum I, 13.

permittentur. Qui vero probati, fuerint et approbati, accipient coronam vitæ (1), ad quam exercitat eos interim malitia perfidorum et reproborum.

COLLATIO XXII.

De sancta conversatione inter fideles.

In nomine Domini ite bini et bini per viam humiliter et honeste, et maxime cum stricto silentio a mane usque post tertiam, orantes Dominun in cordibus vestris. Verba otiosa et inutilia non nominentur in vobis, licet enim ambuletis, tamen conversatio vestra sit ita humilis et honesta, sicut si in eremitorio aut in cella essetis. Nam ubicumque sumus et ambulamus, habemus semper cellam nobiscum. Frater enim corpus est cella uostra, et anima est eremita, quæ moratur in cella ad orandum Dominum, et meditandum de ipso. Unde si anima non manserit in quiete in cella sua, parum prodest religioso cella manufacta. Talis sit vestra conversatio inter gentes, ut quicumque vos audiet vel videbit, gloriosum Patrem cælestem et Deum laudet devote. Pacem annuntiate omnibus, dicentes; Dominus det tibi pacem. Sed sicut pacem annuntiatis ore, sic in cordibus vestris pacem et amplius habeatis. Nullus per vos provocetur ad iram vel scandalum; sed omnes per mansuetudinem vestram ad pacem, benignitatem, et concordiam provocentur. Nam ad hoc vocati sumus, ut vulneratos curemus, alligemus confractos, et erroneos revocemus. Multi enim vobis videntur esse membra diaboli, qui adhuc discipuli Christi erunt.

COLLATIO XXIII.

Quomodo procedendum sit ad infideles.

Filioli mei, Deus mihi mandavit, quod mittam vos ad terram Saracenorum ad prædicandum, et confitendum ejus fidem, et legem Mahometicam impugnandam. Et ego etiam ibo per aliam partem ad infideles, et fratres alios mittam per universum mundum. Idcirco filii paretis vos ad implendum Domini voluntatem. Et, carissimi filii, ut melius Dei præceptum possitis adimplere pro salute animarum vestrarum, videatis, quod inter vos sit pax et concordia, et nodus indissolubilis charitatis. Fugite invidiam, quæ principium fuit nostræ perditionis. Sitis in tribulationibus patientes, et in prosperis humiles, et sic eritis in omni pugna victores. Imitatores Christi estote in paupertate, obedientia, et castitate. Dominus enim Jesus Christus pauper natus est, pauper vixit, paupertatem docuit, et cum paupertate decessit. Et ut ostenderet se diligere castitatem, de Virgine nasci voluit.

Virgines milites innocentes præmisit, virginitatem consuluit, et servavit, inter virgines ex hac vita migravit. Obedientiam etiam a suo ortu tenuit usque ad mortem crucis (Philip., II, 8). Spes vestra tantum sit in Deo, qui vos diriget et juvabit. Portetis vobiscum Regulam, et breviarium, ut divinum officium perfectissime recitetis, et sitis majori vestro fratri Vitali omnes obedientes. Filii mei, quamvis de vestra bona voluntate gaudeam, cor meum tamen pro vestro recessu, et separatione a me, sentit quamdam amaritudinem amorosam, sed oportet quod Dei præceptum præferamus propriæ voluntati. Rogo vos quod ante oculos vestros semper habeatis Dominicam passionem, quæ vos roborabit, et ad patiendum pro ipso fortius animabit.

COLLATIO XXIV.

De meditanda assidue Christi passione.

Semper ante oculos habete, fratres carissimi, viam humilitatis, et paupertatis sanctæ Crucis, per quam nos minavit Salvator noster Jesus Christus; considerantes quod si ipsius sanctam majestatem oportuit pati, et ita intrare in gloriam suam, quod multo magis oportebit nos peccatores adeo enormes per viam crucis et passionis incedere. Et certe si ad tollendam crucem suam quilibet obligatur christianus, potiori jure ad hoc tenemur nos, qui Crucis vexillum sequi profitemur : quam non solum vult Dominus ut nos ipsi tollamus, verum et alios incitemus nostro exemplo et doctrina ad eamdem tollendam, et nobiscum trahamus, ut simul cum ipsis Christum ducem nostrum sequamur; præsertim cum bona voluntas et desiderium imitandi passionem nostri Salvatoris sit peculiare donum, quod concedit Spiritus san tus animæ, quæ vere Deum amat, et eidem inservit. Quia anima, quæ propriis solum inhæret affectionibus, et se

(1) Jac. I, 12.

tantum diligit, non amat, imo abhorret hanc Spiritus sancti doctrinam; nec ad perfectionem consequendam necessarium putat participem fieri Christi passionis. Imo majorem sibi promittens profectum per alias vias, quæ veræ viæ non sunt, sed occulta præcipitia, et fugiens a felle tribulationis per cogitationes varias, humanas et voluntarias, infixum et obcæcatum habet cor suum in propriis affectibus, asseverans quod in hujusmodi libertate vitæ melius poterit inservire Deo. Nec aliquantulum curat de innumeris delectationibus, quas interius recipit anima, quæ tota absorpta est in hac contemplatione et compassione Domini sui; neque enim hæc perfecte gustantur, nisi perpessa aliqua tribulatione pro Christo. Sed anima defecata, et exspoliata propriis affectibus, se a Spiritu sancto duci humiliter permittit, et ut ad suum beneplacitum in eadem operetur tanquam optimus Magister singularis doctrinæ, quam Dominus scriptam reliquit in libris suæ humilitatis, patientiæ, et passionis, quæ securæ sunt viæ ad perfectionem christianam. Unde illa anima, quæ purificari obtinuit a Deo, vehementer cupit transformari in illos dolores, comparans omnes alias vias et consolationes cibis mortalibus qui pereunt, et hanc unicam salutari pharmaco, cujus gustus acerbus, sed fructus suavissimus; quod in gustu amarum est, sed in operatione dulcissimum. Quare postponens gustum sanitati, probat quam admirabilis sit dulcedo vitæ permanentis, quæ despicit consolationem momentaneam et mortalem, et plane probat in nulla alia re perfectius requiescere amorem suum, quam in compassione caritativa Christi: et quod quanto magis illa transformatur in Christum crucifixum, eo magis transformatur in Deum excelsum et gloriosum. Non enim separatur humanitas a divinitate; et ipse Christus Patrem rogavit, dicens: *Volo ut ubi ego sum, et mei sint* (Joan., XVII, 24). Atque ita anima contemplatur utrumque Domini statum, ad hoc ut numquam separetur ab illo. Nam si fugiat in passione, ab illo separabitur in gloria, juxta Pauli Apostoli verba: *Si tamen compatimur, ut et conglorificemur* (Rom., VIII, 17). Contemplatur ergo anima Christum mortalem et immortalem; et horum statuum alter est eorum qui adhuc currunt, alter eorum qui jam acceperunt bravium. Unde sicut non datur bravium nisi currentibus, ita non datur cœlum nisi tollentibus crucem; quia non debet esse servus potior Domino, nec discipulus super Magistrum. Proinde videmus Deum communicare gratiam suam iis, qui hoc modo eum sequuntur; et e contrario auferre eam ab illis præsumptuosis, qui per alias chimæras dicunt se velle ei uniri nec tamen a semetipsis umquam recedunt, verum tandem misere abeunt in præcipitium.

COLLATIO XXV.

Quare, postquam generalis officium deposuit, toleravit fratrum defectus.

Quidam ex vobis, fratres, admirantur, et me interrogant, quare non corrigo defectus qui in Ordine fiunt. Quibus indulgeat Dominus, quoniam mihi contrarii sunt et adversarii, et me implicare volunt in his quæ non pertinent ad officium meum. Quousque enim habui prælationis officium super fratres, et ipsi permanserunt in vocatione et professione sua, licet a principio mea conversionis semper infirmus fuerim, cum parva mea sollicitudine satisfaciebam eis exemplis et prædicationibus. Sed postquam consideravi, quod Dominus multiplicavit numerum fratrum, et ipsi propter tepiditatem et inopiam spiritus incipiebant declinare a via recta et secura, per quam consueverant ambulare, et per ampliorem viam, quæ ducit ad mortem, incedentes, non attendebant vocationem et professionem suam, et bonum exemplum, nec volebant dimittere iter periculosum et mortiferum, quod ceperant propter prædicationem et admonitionem meam, et exemplum meum, quod illis continue ostendebam; ideo recommendavi Ordinis prælationem et regimen Domino et ministris. Unde licet tempore quo renuntiavi officio fratrum, excusarem me coram fratribus in Capitulo generali, quod propter infirmitates meas curam de ipsis habere non poteram; tamen si secundum voluntatem meam fratres vellent ambulare nunc, propter ipsorum consolationem et utilitatem, nollem quod alium ministrum haberent nisi me usque ad diem mortis meæ. Si enim bonus et fidelis subditus voluntatem prælati sui cognoscit et observat, parvam sollicitudinem oportet prælatum habere de ipso.

Imo tantum gauderem de bonitate fratrum propter lucrum ipsorum et meum: quod si jacerem in lecto infirmus, non me pigeret satisfacere eis: quia officium meum, id est prælationis, est spirituale tantum, videlicet dominari vitiis, et ipsa spiritualiter corrigere et emendare. Postquam autem ipsa emendare et corrigere prædicatione, admonitione, et exemplo non possum, nolo carnifex fieri ad puniendum et flagellandum, sicut potestates hujus sæculi. Sed confido in Domino quod adhuc inimici invisibiles, qui sunt castaldi Domini ad puniendum in sæculo et in futuro eos qui transgrediuntur mandata Dei, sument de ipsis vindictam; facientes illos corrigi ab hominibus hujus sæculi in opprobrium, et verecundiam ipsorum, et revertentur ad professionem et vocationem suam. Verumtamen usque ad diem mortis meæ non cessabo exemplo et operatione docere fratres ambulàre per viam, quam mihi Dominus ostendit, quam et ego jam docui et ostendi eis verbo et exemplo, ut sint inexcusabiles coram Domino; et ego non teneor de ipsis ulterius coram Domino reddere rationem.

COLLATIO XXVI.

De conditionibus quibus insigniri debet minister generalis.

Tam magni et multimodi exercitus Ducem, tam magni et dilatati gregis Pastorem, filii mei, nullum sufficientem intueor; sed unum in quo reluceat, qualis debeat esse istius familiæ Dux et Pastor, vobis depingam. Homo iste debet esse vitæ gravissimæ, discretionis magnæ, famæ laudabilis, privatis affectionibus carens, ne dum in parte plus diligit, in toto scandalum generet. Homo qui sanctæ orationis sit amicus, ita tamen quod certas horas animæ suæ, certas gregi sibi commisso distribuat. Nam primo mane debet sanctissimum sacrificium missæ præmittere, et ibidem longa devotione seipsum et gregem divinæ protectioni affectuosius commendare. Post orationem vero seipsum statuat ab omnibus depilandum, omnibus responsurum, omnibus cum caritate, patientia et mansuetudine provisurum. Non debet esse acceptator personarum, ita quod non minus curet de simplicibus et idiotis, quam de scientibus et sapientibus. Cui si donum scientiæ est concessum, tamen plus in moribus pietatis et simplicitatis, patientiæ et humilitatis imaginem ferat. Foveatque virtutes in se et aliis, atque in practicando eas continue se exerceat, ad hæc alios plus exemplo quam sermonibus incitando. Sit execrator pecuniæ, quæ nostræ professionis et perfectionis est præcipua corruptela: et tamquam caput et exemplar imitandum ab omnibus, nullis umquam loculis abutatur. Sufficiant autem sibi pro se habitus et libellus, pro aliis vero scriptorium et sigillum: non sit aggregator librorum, nec lectioni multum intentus; ne forte detrahat officio, quod prærogat studio. Consoletur pie afflictos, cum sit ultimum remedium tribulatis; ne si apud eum defuerint remedia sanitatis, desperationis morbus prævaleat in infirmis. Ut protervos flectat ad mansuetudinem; seipsum prosternat, et aliquid sui juris relaxet, ut animas Christo lucrifaciat. Ad refugas Ordinis, velut ad oves quæ perierunt, viscera pietatis expandat et numquam misericordiam neget illis, sciens tentationes illas pervalidas, quæ ad tantum casum possunt impellere animam; quas si ipsum permitteret Dominus experiri, forte in majus præcipitium laberetur. Vellem ipsum tamquam Christi Vicarium ab omnibus cum devotione et reverentia honorari, atque sibi in omnibus et ab omnibus cum omni benevolentia, juxta ejus necessitatem, et status nostri condecentiam, provideri. Verum tamen oportet eum non arridere honoribus, neque favoribus plus quam injuriis delectari; ita quod propter honores non mutentur ejus mores nisi in melius. Si quando vero propensiori et meliori cibo indigeret, non in absconso, sed in publico loco assumat, ut aliis tollatur verecundia providendi sibi in infirmitatibus et debilitatibus suis. Ad eum maxime pertinet latentes conscientias distinguere, et ex occultis venis eruere veritatem. Omnes accusationes in principio habeat suspectas, donec veritas ex diligenti examinatione incipiat apparere. Aures etiam non præbeat multiloquiis et multiloquos in accusationibus specialiter habeat suspectos, nec faciliter credat eis. Talis denique debet esse quod propter cupiditatem retinendi honorem, virilem formam justitiæ et æquitatis nullatenus inficiat vel relaxet. Ita tamen quod ex nimio rigore nullius anima occidatur et ex superflua mansuetudine non nascatur tor-

por, atque ex laxa indulgentia non proveniat dissolutio disciplinæ; sicque ab omnibus timeatur, ut ab ipsis timentibus diligatur. Officium autem prælationis semper putet et sentiat sibi fore potius oneri quam honori. Vellem etiam eum habere socios præditos honestate, rigidos adversus voluptates', fortes in angustiis, et compassivos delinquentibus; habentes æqualem affectionem ad omnes; nihil de labore suo recipientes nisi puram corporis necessitatem: nihil appetentes nisi laudem Dei, Ordinis profectum, animæ propriæ meritum, et fratrum omnium perfectam salutem, omnibus convenienter affabiles, et omnes convenientes ad eos cum sancta jucunditate recipientes, atque formam et exemplum observantiæ Evangelii juxta professionem Regulæ in semetipsis pure et simpliciter omnibus ostendentes. Ecce talis esse debet generalis minister, et tales debet habere socios.

COLLATIO XXVII.

De conditionibus ministrorum provincialium.

Vellem, fratres, provinciales Ministros affabiles esse minoribus, et tanta benevolentia præditos, ut eorum affectui non vereantur se committere delinquentes. Vellem eos moderatos esse in præceptis, propitios in offensis; ferre magis peccatores, quam inferre injurias. Hostes vitiis, medicos vitiosis. Tales denique esse vellem quorum vita ceteris esset spectaculum disciplinæ. Hos tamen vellem omni honore venerari, et diligi, sicut qui pondus portant sollicitudinis et laboris. Summis eos præmiis apud Deum reputarem esse dignos qui tali forma talique lege traditas sibi animas gubernarent.

COLLATIO XXVIII.

Qualiter conversandum si in monasterio sanctæ Mariæ de Angelis, et quod nulla tenus a fratribus dimittatur.

Volo, quod iste locus, fratres carissimi, sit semper immediate sub potestate generalis ministri et servi, et inde ille majorem sollicitudinem et curam habeat providendi ibidem de bona et sancta familia. Clerici eligantur de melioribus et sanctioribus et magis honestis fratribus, et qui sciant melius dicere officium ex illis qui sint in tota religione; ut non solum sæculares, sed etiam alii fratres libenter, et cum magna devotione, videant et audiant eos. De fratribus etiam laicis, sanctis hominibus, discretis, humilibus, et honestis, eligantur qui serviant illis. Volo etiam quod nulla persona, et nullus frater intret in illum locum, nisi generalis minister, et fratres qui serviunt illis et ipsi non loquantur cum aliqua persona, nisi cum fratribus qui serviunt illis, et cum ministro quando visitaverit eos. Volo similiter, quod fratres laici, qui serivunt eis, teneantur numquam dicere eis verba otiosa, vel nova hujus sæculi, vel quæcumque alia, quæ non essent utilia animabus eorum. Et propterea specialiter volo, quod nullus intret in illum locum, ut ipsi melius conservent puritatem et sanctitatem suam; et quod in illo loco nihil penitus fiat vel dicatur inutiliter, sed ipse locus teneatur purus et sanctus in hymnis et laudibus Domini. Et cum aliquis ipsorum fratrum migraverit ad Dominum, volo quod loco ipsius mittatur illuc alius sanctus frater a generali ministro. Nam si alii fratres declinaverint aliquando a puritate, et honestate, et sanctitate vitæ, volo quod iste locus benedictus sit, et permaneat semper speculum et bonum exemplum totius religionis et quoddam candelabrum ante thronum Dei et beatam Virginem semper ardens et lucens, per quod Dominus propitietur defectibus et culpis omnium fratrum, atque conservet semper et protegat hanc religionis et plantulam suam. Videte, filii, ne umquam hunc locum relinquatis. Si ab una parte foras expellemini, per aliam reintrate. Nam locus iste sanctus est, et habitatio Christi, et Virginis Mariæ matris ejus. Hic, cum pauci essemus, augmentavit nos Dominus altissimus. Hic luce sapientiæ suæ illuminavit animas pauperum suorum. Hic igne sui amoris nostras voluntates accendit. Hic qui oraverit corde devoto, quod petierit, obtinebit; offendens, gravius punietur. Propter quod, o filii, habete hunc locum omni reverentia et honore dignissimum, tamquam vere Dei habitaculum, ab ipso et ejus matre singulariter prædilectum. Atque ibidem toto corde vestro in voce exultationis et confessionis confitemini Deo Patri, et ejus Filio Domino Jesu Christo, in Spiritus sancti unitate, Amen.

PARS QUARTA. — OFFICIUM ET CANTICA.

OFFICIUM PASSIONIS DOMINICÆ.

Hæc pars quarta, quam non sub hoc titulo P. de La Haye edidit, ea continet quæ S. Franciscus composuit ut cantarentur. Ad melos et numerum hæc pars pertinebit.

Sed alia sunt quæ sincerum Francisci opus dicuntur, uti Canticum Solis, alia quæ Franciscana tantum appellantur. Neque unanimes sunt auctores.

Quidquid sit de illa controversia in particulari, certum est S. Franciscum fuisse poetam, qui lingua vulgari utebatur. Et poetam quidem recentiores auctores laudaverunt omnes pariter, etsi de sancto et viro religioso plures nunquam voluissent audire; tantum pollet inter homines ornatius dicendi genus.

MONITUM.

Quanta teneritudine ferebatur Franciscus in Christum in carne passum, et quam mira compassionis dulcedine ejus jugiter recolebat passionem, scripsit Bonav., cap. 9 et 13 suæ *Legendæ*, et in principio Opusculi *de Miraculis* a B. patre patratis, quod ad ejus Vitam subtexuit. Ut ergo haberet sanctus vir per quod mentem ad majorem sacratissimæ Passionis reverentiam religiosius excitaret, concinnavit sibi quasdam precandi formulas, ad rem compositis Psalmis, tam religiosa structura, ut nihil aliunde quam ex Davidico Psalterio, aliisve sacræ Scripturæ libris, admiscuerit. Hujus officii meminit auctor *Vitæ sanctæ Claræ*, quam ad Alexandri IV imperium scripsit, et quam Surius transcripsit cap. 20, his verbis : Officium Crucis, prout Crucis amator Franciscus instituerat, didicit beata Virgo, et affectu simili frequentavit. Primum hujus officii exemplar mihi occurrit in primo Cod. MS. Assisiensi, sæpius a me citato. Secundum mihi ex civitate Bononiensi transmisit reverendissimus pater Benignus Genuensis, supremus nostri instituti rector, anno Domini 1619. Tertium obtulit Bartholomæus Cimarelli provinciæ Picenæ vir doctus, et pater emeritus, mihi familiaris, in primo volumine *Annalium* nuper a se editorum, lib. I, cap. 8. Aliud se vidisse penes augustæ memoriæ imperatorem Maximilianum juniorem, magnaque devotione ab eodem quotidie frequentatum, mihi retulit vir æque pius ac doctus R. P. Henricus Sedulius in æde nostra Salmantina, anno 1618, dum illuc cum cæteris Belgicis et Germanis electoribus, celebrandorum comitiorum generalium gratia, longa confectus ætate convenit. Non eadem horum exemplarium series in disponendo hoc officio pro statutis anni temporibus. Parvi tamen est momenti discrepantia; nec ulla est ferme in verbis officii. Clariorem sequor Codicis Assisiatis dispositionem.

OFFICIUM PASSIONIS DOMINICÆ.

Ordo recitandi officium Dominicæ Passionis ab hora Completorii feriæ quintæ majoris hebdomadæ, quando Christus Dominus traditus est, usque ad Completorium sabbati sancti, et omnibus diebus ferialibus per annum.

Rubrica. Incipiendum est officium ab oratione Dominica, sed eo modo, quo supra posita est cum glossa sancti viri : deinde subnectendæ illæ Laudes Dominicæ, Sanctus, Sanctus, Sanctus, etc., quas ibidem invenies cum suis versiculis et oratione, quæ ad omnes Horas præponuntur : tunc absolute dicenda est Antiphona et Psalmi, eo modo quo hic disponuntur.

AD COMPLETORIUM.

Ant. Sancta Maria Virgo.

Psalmus.

Deus vitam meam annuntiavi tibi : posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. (Psal. 55, 9.)

Omnes inimici mei adversum me cogitaverunt mala mihi (Psal. 40, 8) : consilium fecerunt in unum. (Psal. 70, 10.)

Et posuerunt adversum me mala pro bonis : et odium pro dilectione mea. (Psal. 108, 5.)

Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi : ego autem orabam. (Ibid., 4.)

Mi Pater sancte, Rex cœli et terræ, ne discesseris a me : quoniam tribulatio proxima est, et non est qui adjuvet. (Psal. 21, 12.)

Convertentur inimici mei retrorsum, in quacumque die invocavero te : ecce cognovi quoniam Deus meus es. (Psal. 55, 10.)

Amici mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt : et proximi mei de longe steterunt. (Psalm. 37, 12.)

Longe fecisti notos meos a me, posuerunt me abominationem sibi : traditus sum, et non egrediebar. (Psal. 87, 9.)

Pater sancte, ne elongaveris auxilium tuum a me : Deus meus ad auxilium meum respice. (Psal. 21, 20.)

Intende in adjutorium meum : Domine Deus salutis meæ. (Psal. 37, 23.)

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Ant. Sancta Maria Virgo, non est tibi similis nata in mundo in mulieribus, filia et ancilla altissimi Regis, Patris cœlestis, mater sanctissima Domini nostri Jesu Christi, sponsa Spiritus Sancti : ora pro nobis cum sancto Michaele archangelo, et omnibus Virtutibus cœlorum, et omnibus Sanctis, tuum sanctissimum Filium dilectissimum Dominum nostrum, et Magistrum. Amen.

Gloria Patri, etc,

AD MATUTINUM.

Ant. Sancta Maria Virgo.

Psalmus.

Domine Deus salutis meæ : in die clamavi et nocte coram te. (Psal. 87, 1.)

Intret in conspectu tuo oratio mea : inclina autem tuam ad precem meam. (Psal. 87, 2.)

Intende animæ meæ, et libera eam propter inimicos super me. (Psal. 68, 19.)

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meæ : in te projectus sum ex utero. (Psal. 21, 10.)

De ventre matris meæ Deus meus es tu : ne discesseris a me. (Ibidem, 11.)

Tu scis improperium meum, et confusionem meam et reverentiam meam. (Psal. 68, 20.)

In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me : improperium expectavit cor meum, et miseriam.

Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit : et qui consolaretur, et non inveni. (Ibid. 21.)

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quæsierunt animam meam : et non proposuerunt te in conspectu suo. (Psal. 85, 14.)

Æstimatus sum cum descendentibus in lacum : factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber. (Psal. 87, 5.)

Tu es sanctissimus Pater meus : et Deus meus.

Intende in adjutorium meum : Domine Deus salutis meæ. (Psal. 37, 23.)

Gloria Patri, etc.

Ant. Sancta Maria Virgo non est tibi similis nata in mundo, etc.

Gloria Patri, etc.

AD PRIMAM.

Ant. Sancta Maria Virgo.

Psalmus.

Miserere mei Deus, miserere mei : quoniam in te confidit anima mea.

Et in umbra alarum tuarum sperabo : donec transeat iniquitas. (Psal. 56, 2.)

Clamabo ad sanctissimum Patrem meum altissimum : Deum qui benefecit mihi.

Misit de cœlo et liberavit me : dedit in opprobrium conculcantes me. (Ibid. 3, 4.)

Misit Deus manum suam, et veritatem suam, animam meam eripuit de inimicis meis fortissimis, et ab his qui oderunt me, quoniam confortati sunt super me. (Psal. 17, 18)

Laqueum paraverunt pedibus meis : et incurvaverunt animam meam.

Foderunt ante faciem meam foveam : et inciderunt in eam.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum : cantabo, et psalmum dicam.

Exurge gloria mea, exurge psalterium et cithara : exurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis, Domine : et psalmum dicam tibi in gentibus.

Quoniam magnificata est usque ad cœlos misericordia tua : et usque ad nubes veritas tua.

Exaltare super cœlos Deus : et super omnem terram gloria tua. (Psal. 56, 7-12.)

Ant. Sancta Maria Virgo, non est tibi similis nata in mundo, etc.

Gloria Patri, etc.

AD TERTIAM.

Ant. Sancta Maria Virgo.

Psalmus.

Misere mei Deus, quoniam conculcavit me homo : tota die impugnans tribulavit me. (Psal. 55, 2.)

Conculcaverunt me inimici mei tota die : quoniam multi bellantes adversum me. (Ibidem, 3.)

Omnes inimici mei adversum cogitabant mala mihi : verbum iniquum constituerunt adversum me. (Psal. 40, 8, 9.)

Qui custodiebant animam meam : consilium fecerunt in unum. (Psal. 70, 10.)

Egrediebantur foras : et loquebantur in idipsum. (Psal. 40, 8.)

Omnes videntes me deriserunt me : locuti sunt labiis, et moverunt caput. (Psal. 21, 8.)

Ego autem sum vermis, et non homo : opprobrium hominum, et abjectio plebis. (Ibid. 7.)

Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valde : et timor notis meis. (Psal. 30, 12.)

Pater sancte ne elongaveris auxilium tuum a me : et ad defensionem meam conspice. (Psal. 21, 20.)

Intende in adjutorium meum : Domine Deus salutis meæ. (Psal. 37, 23.) Gloria Patri, etc.

Ant. Sancta Maria Virgo, non est tibi similis nata in mundo, etc.

Gloria Patri, etc.

AD SEXTAM.

Ant. Sancta Maria Virgo.

Psalmus.

Voce mea ad Dominum clamavi : voce mea ad Dominum deprecatus sum.

Effundo in conspectu ejus orationem meam : et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

In deficiendo ex me spiritum meum : et tu cognovisti semitas meas.

In via hac qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram, et videbam : et non erat, qui cognosceret me.

Periit fuga a me : et non est qui requirat animam meam. (Psal. 141, 2-5.)

Quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam. (Psal. 68, 8.)

Extraneus factus sum fratribus meis : et peregrinus filiis matris meæ.

Pater sancte, zelus domus tuæ comedit me : et opprobria exprobrantium tibi me ceciderunt super me.

Et adversum me lætati sunt, et convenerunt : et congregata sunt super flagella, et ignoravi. (Psal. 34, 15.)

Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. (Psal. 37, 20.)

Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei injuste : quæ non rapui, tunc exsolvebam. (Psal. 68, 5.)

Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me. (Psal. 34, 11.)

Retribuebant mihi mala pro bonis, et detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem. (Ibidem, 12.)

Tu es sanctissimus Pater meus, Rex meus, et Deus meus.

Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ. (Psal. 37, 23.) Gloria Patri, etc.

Ant. Sancta Maria Virgo, non est tibi similis nata in mundo, etc.

Gloria Patri, etc.

AD NONAM.

Ant. Sancta Maria Virgo.

Psalmus.

O vos omnes, qui transitis per viam : attendit et videte si est dolor sicut dolor meus. (Thren , 1, 12.)

Quoniam circumdederunt me canes multi, consilium malignantium obsedit me.

Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me : diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Foderunt manus meas, et pedes meos : et dinumeraverunt omnia ossa mea.

Aperuerunt super me os suum : sicut leo rapiens et rugiens.

Sicut aqua effusus sum : et dispersa sunt omnia ossa mea.

Et factum est cor meum tamquam cera liquescens, in medio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea : et lingua mea adhæsit faucibus meis. (Psal. 21, 14-17.)

Et dederunt in escam meam fel : et in siti mea potaverunt me aceto. (Psal. 68, 22.)

Et in pulverem mortis deduxerunt me : et (Psal. 21, 16), super dolorem vulnerum meorum addiderunt. (Psal. 68, 27.)

Ego dormivi et resurrexi : et Pater meus sanctissimus cum gloria suscepit me. (Psal. 3, 6.)

Pater sancte, tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria assumpsisti me. (Psal. 72, 24.)

Quid enim mihi est in cœlo : et a te quid volui super terram ? (Ibidem, 25.)

Videte, videte, quoniam ego sum Deus, dicit Dominus : exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra. (Psal. 45, 11.)

Benedictus Dominus Deus Israel qui redemit animas servorum suorum de proprio sanctissimo sanguine suo : et non delinquent omnes qui sperant in eo. (Psal. 33, 23.)

Et scimus quoniam venit : quoniam veniet justitiam judicare. (Psal. 95, 13.)

Gloria Patri, etc.

Ant. Sancta Maria Virgo, non est tibi similis nata in mundo, etc.

Gloria Patri, etc.

AD VESPERAS.

Ant. Sancta Maria Virgo.

Psalmus.

Omnes gentes plaudite manibus : jubilate Deo in voce exultationis. (Psal. 46, 2.)

Quoniam Dominus excelsus, terribilis : Rex magnus super omnem terram. (Ibid., 3.)

Quia sanctissimus Pater de cœlo, Rex noster ante sæcula : misit dilectum Filium suum de alto, et operatus est salutem in medio terræ. (Psal. 73, 12.)

Lætentur cœli, et exultet terra, commoveatur mare et plenitudo ejus : gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt. (Psal. 95, 11 et 12.)

Cantate ei canticum novum : cantate Domino omnis terra. (Ibidem, 1.)

Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis : terribilis est super omnes Deos. (Ibidem, 4.)

Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem : afferte Domino gloriam nomini ejus. (Ibidem, 7 et 8.)

Tollite corpora vestra, et bajulate crucem ejus : et sequimini usque in finem sanctissima præcepta ejus. (Luc., 14, 27.)

Commoveatur a facie ejus universa terra; dicite in gentibus : Quia Dominus regnavit. (Psal. 95, 10.)

Gloria Patri, etc.

Ant. Sancta Maria Virgo, non est tibi similis nata in mundo, etc.

Gloria Patri, etc.

Rubrica. Quandocumque terminatur officium, dicuntur sequentia verba :

Benedicamus Domino Deo vivo et vero; laudemus eum; gloriam, honorem, benedictionem, et omnia bona referamus ei semper. Amen, amen. Fiat, fiat.

Rubrica. A Completorio sabbati sancti, usque ad octavam Pentecostes inclusive, dicitur officium ut sequitur.

Pater noster, etc., et Sanctus, Sanctus, etc. *ut supra.*

AD COMPLETORIUM.

Ant. Sancta Maria Virgo.

Psalmus.

Deus in adjutorium meum intende : Domine ad adjuvandum me festina. (Psal. 69.)

Confundantur et revereantur : qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorsum, et erubescant : qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exultent, et lætentur in te omnes qui quærunt te : et dicant semper, Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus et pauper sum : Deus adjuva me.

Adjutor meus et liberator meus es tu : Domine ne moreris.

Gloria Patri, etc.

Ant. Sancta Maria Virgo, non est tibi similis nata in mundo, etc.

Gloria Patri, etc.

AD MATUTINUM
DOMINICÆ RESURRECTIONIS.

Ant. Sancta Maria Virgo.

Psalmus.

Cantate Domino canticum novum : quia mirabila fecit. (Psal. 97, 1).

Sacrificavit (1) filium suum dextera ejus, et brachium sanctum ejus.

Notum (2) fecit Dominus salutare suum : in conspectu gentium revelavit justitiam suam.

In illa die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus. (Psal. 41, 9.)

Hæc est dies quam fecit Dominus : exultemus, et lætemur in ea. (Psal. 117, 24.)

Benedictus qui venit in nomine Domini : Deus Dominus, et illuxit nobis. (Ibid., 26.)

Lætentur cœli, et exultet terra ; commoveatur mare et plenitudo ejus : gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt. (Psal. 95, 11, 12.)

Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem : afferte Domino gloriam nomini ejus. (Ibidem, 7, 8.)

Gloria Patri, etc.

Ant. Sancta Maria Virgo, non est tibi similis nata in mundo, etc.

Gloria Patri, etc.

AD PRIMAM.

Ant. Sancta Maria Virgo.

Psal. Miserere mei Deus, miserere mei, etc., *ut supra ad primam in officio de tempore.*

AD TERTIAM, SEXTAM ET NONAM.

Ant. Sancta Maria Virgo.

Psal. Cantate Domino canticum novum, etc., *ut supra ad Matutinum in hoc officio Paschali.*

AD VESPERAS.

Ant. Sancta Maria Virgo.

Psal. Omnes gentes plaudite manibus, etc., *ut supra ad Vesperas in officio de tempore.*

Rubrica. Notandum, quod in die Ascensionis adduntur ad Psalmum *Cantate*, tam in Matutino, quam ad Tertiam, Sextam et Nonam, sequentes versiculi :

Regna terræ cantate Deo, psallite Domino : psallite Deo qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem. (Psal. 67, 33, 34.)

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israel : magnificentia ejus et virtus ejus in nubibus. (Ibid., 35.)

Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ : benedictus Deus. (Ibidem., 36.)

Gloria Patri, etc.

Ant. Sancta Maria Virgo non est tibi similis nata in mundo, etc.

Gloria Patri, etc.

Rubrica. Ad Vesperas etiam Ascensionis quotidie usque ad Adventum, ad Psalmum, *Omnes Gentes*, adjunguntur hi versus :

Et ascendit ad cœlos : et sedet ad dexteram sanctissimi Patris in cœlis. (Ex Symb. Apostol.)

Exaltare super cœlos Deus : et super omnem terram gloria tua. (Psal. 56, 6.)

Et scimus quoniam venit, quoniam veniet justitiam judicare. (Psal. 95, 13.)

Gloria Patri, etc.

Ant. Sancta Maria Virgo, non est tibi similis nata in mundo, etc.

Gloria Patri, etc.

Rubrica. Ordo dicendi officium in omnibus Festivitatibus principalibus et Dominicis diebus, ab octava Pentecostes usque ad Adventum, et ab octava Epiphaniæ usque ad Completorium feriæ quintæ in Cœna Domini.

AD COMPLETORIUM.

Ant. Sancta Maria Virgo.

Psal. Deus in adjutorium meum intende, etc., *ut supra in Completorio tempore Paschali.*

AD MATUTINUM.

Ant. Sancta Maria Virgo.

Psal. Cantate Domino canticum novum, etc., *ut supra in Matutino Resurrectionis.*

AD PRIMAM.

Ant. Sancta Maria Virgo.

Psal. Miserere mei Deus, miserere mei, etc., *ut supra ad Primam in officio de Tempore.*

AD TERTIAM.

Ant. Sancta Maria Virgo.

Psalmum.

Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus : date gloriam laudi ejus.

Dicite Deo, quam terribilia sunt opera tua, Domine : in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

(1) Alias sanctificavit.

(2) Alias sanctum.

Omnis terra adoret te, et psallat tibi : psalmum dicat nomini tuo. (Psal. 65, 2-4.)

Venite, et audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum : quanta facit animæ meæ. (Ibidem, 16.)

Ad ipsum ore meo clamavi : et exaltavi sub lingua mea. (Ibidem, 17.)

Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam : et clamor meus in conspectu ejus. (Psal. 17, 7.)

Benedicite gentes Dominum nostrum : et auditam facite vocem laudi ejus. (Psal. 65,8.)

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ : omnes gentes magnificabunt eum. (Psal. 71, 17.)

Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum, et replebitur majestate ejus omnis terra : fiat, fiat. (Ibidem, 19.)

AD SEXTAM.

Ant. Sancta Maria Virgo.

Psalmus.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis : protegat te nomen Dei Jcob. (Psal. 19, 2.)

Mittat tibi auxilium de sancto : et de Sion tueatur te. (Ibidem, 3.)

Tribuat tibi secundum cor tuum : et omne consilium tuum confirmet. (Ibidem 5.)

Lætentur in salutari tuo : et in nomine Domini Dei nostri magnificabuntur. (Ib., 6.)

Impleat Dominus omnes petitiones tuas (Ibidem, 6) : nunc cognovi quoniam misit Dominus Jesum Christum filium, et (Psal. 9, 9) judicabit populos in justitia.

Et factus est Dominus refugium pauperis, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione : et sperent in te qui noverunt nomen tuum. (Ibidem, 10 et 11.)

Benedictus Dominus Deus meus : quia factus est susceptor meus et refugium meum in die tribulationis meæ. (Psal. 58, 17)

Adjutor meus tibi psallam : quia Deus meus, misericordia mea. (Ibidem 18.)

Gtoria Patri, etc.

Ant. Sancta Maria Virgo, non est tibi similis nata in mundo, etc.

Gloria Patri, etc.

AD NONAM.

Ant. Sancta Maria Virgo.

Psalmus.

In te Domine speravi, non confundar in æternum : in justitia tua libera me, et eripe me. (Psal. 70, 2.)

Inclina ad me aurem tuam : et salva me.

Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum : ut salvum me facias.

Quoniam tu es patientia mea Domine : Domine spes mea a juventute mea. (Ibid., 5.)

In te confirmatus sum ex utero, de ventre matris meæ tu es protector meus : in te cantatio mea semper. (Ibid., 6.)

Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam : tota die magnitudinem tuam. (Ibidem, 8.)

Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua : secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me. (Psal. 68, 17.)

Et ne avertas faciem tuam a puero tuo : quoniam tribulor, velociter exaudi me. (Ibidem, 18.)

Benedictus Dominus Deus meus, quia factus est susceptor meus : et refugium meum in die tribulationis meæ. (Psal. 58, 17.)

Adjutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es : Deus meus misericordia mea. (Ibidem, 18.)

Gloria Patri, etc.

Ant. Sancta Maria Virgo, non est tibi similis nata in mundo, etc.

AD VESPERAS.

Ant. Sancta Maria Virgo.

Psal. Omnes gentes plaudite manibus, etc., *supra ad Vesperas in Officio feriali.*

Rubrica. Ordo recitandi Officium a prima Dominica Adventus usque ad Vigiliam Nativitatis Domini.

AD COMPLETORIUM.

Ant. Sancta Maria Virgo.

Psalmus.

Usquequo Domine oblivisceris mei in finem : usquequo avertis faciem tuam a me? (Psal. 12.)

Quamdiu ponam consilia in anima mea : dolorem in corde meo per diem?

Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? respice, et exaudi me Domine Deus meus.

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte : nequando dicat inimicus meus : Prævalui adversus eum.

Qui tribulant me, exultabunt si motus

fuero : ego autem in misericordia tua speravi.

Exultabit cor meum in salutari tuo : cantabo Domino, qui bona tribuit mihi : et psallam nomini Domini Altissimi.

Gloria Patri, etc.

Ant. Sancta Maria Virgo, non est tibi similis nata in mundo, etc. Gloria Patri, etc.

AD MATUTINUM.

Ant. Sancta Maria Virgo.

Psalmus.

Confitebor tibi Domine sanctissime Pater, Rex cœli et terræ : quoniam consolatus es me. (Isa., 12, 1.)

Tu es Deus Salvator meus : fiducialiter agam, et non timebo. (Ibid., 2.)

Fortitudo mea, et laus mea Dominus : et factus est mihi in salutem. (Exod. 15, 2.)

Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine, dextera tua Domine percussit inimicum : et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios meos. (Ibid., 6, 7.)

Videant pauperes et lætentur : quærite Deum, et vivet anima vestra. (Psal. 68, 33.)

Laudent illum cœli et terra : mare, et omnia reptilia in eis. (Ibid., 35 et seq.)

Quoniam Deus salvam faciet Sion : et ædificabuntur civitates Judæ.

Et inhabitabunt ibi : et hæreditate acquirent eam.

Et semen servorum ejus possidebit eam : et qui diligunt nomen ejus, habitabunt in ea.

Gloria Patri, etc.

Ant. Sancta Maria Virgo, non est tibi similis nata in mundo, etc.

Gloria Patri, etc.

AD PRIMAN.

Ant. Sancta Maria Virgo.

Psal. Miserere mei Deus, miserere mei, etc., *ut supra in officio feriali.*

AD TERTIAM.

Ant. Sancta Maria Virgo.

Psal. Jubilate Deo omnis terra, etc., *ut supra in officio festivo, et Dominicali.*

AD SEXTAM.

Ant. Sancta Maria Virgo.

Psal. Exaudiat te Dominus, etc., *ut supra ibidem.*

AD NONAM.

Ant. Sancta Maria virgo.

Psal. In te Domine speravi, etc., *ut supra ibid.*

AD VESPERAS.

Ant. Sancta Maria Virgo.

Psal. Omnes gentes plaudite manibus, etc. *Ut supra ad Vesperas in feriali Officio, omisso solum ultimo versu,* Commoveatur a facie, etc.

Rubrica. Similiter celebratur officium a die Nativitatis Domini usque ad octavam Epiphaniæ, excepto quod ad omnes Horas, incipiendo a Vesperis diei, dicatur sequens Psalmus.

Exultate Deo adjutori nostro : jubilate Domino Deo vivo et vero in voce exultationis. (Psal. 80, 2.)

Quoniam Dominus excelsus, terribilis : Rex magnus super omnem terram. (Psal. 46, 3.)

Quia sanctissimus Pater de cœlo Rex noster ante sæcula, misit Filium suum de alto : et (ex Symbol. Apost.) natus fuit de beata Virgine Maria.

Ipse invocabit me, Pater meus es tu : et ego primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ. (Psal. 88, 27, 28.)

In illa die mandavit Dominus Deus misericordiam suam : et nocte canticum ejus. (Psal. 39, 9.)

Hæc est dies quam fecit Dominus : exultemus, et lætemur in ea. (Psal. 117, 24.)

Quia sanctissimus puer dilectus datus est nobis, et natus fuit pro nobis in via, et (Isa., 9, 6) positus in præsepio : quia non habebat locum in diversorio. (Lucæ, 2, 7.)

Gloria in Altissimis Domino Deo : et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. (Ibidem, 14.)

Lætentur cœli et exultet terra, commoveatur mare et plenitudo ejus : gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt. (Psal. 95, 11 et 12.)

Cantate ei canticum novum : cantate Domino omnis terra. (Ibid., 1.)

Quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis : terribilis est super omnes Deos. (Ibid., 4.)

Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem : afferte gloriam nomini ejus. (Ibid., 7.)

Tollite corpora vestra, et bajulate sanc-

tam crucem ejus: et sequimini usque in finem præcepta ejus. (Luc., 14, 27.)
Gloria Patri, etc.

Ant. Sancta Maria Virgo, non est tibi similis, nata in mundo, etc.
Gloria Patri, etc.

CANTICA B. FRANCISCI (1).

CANTICUM PRIMUM.

ARGUMENTUM.

Paucis ante obitum annis, Deus dignanter eum certum reddidit de beatitudinis gloria assequenda. Statim prorupit in has laudes, quibus Deum in suis extulit creaturis. Inter omnes potior est sol tam perbello splendore, et productiva virtute, quam Dei digniori similitudine, quippe qui et Sol justitiæ nuncupatur : propterea Solis Canticum inscripsit (2).

CANTICO DE LE CREATURE
comunemente detto
DE LO FRATE SOLE.

Altissimo, omnipotente, bon Signore:
Tue son le laude : la gloria et l'onore,
Et ogni benedictione:
A te solo se confano :
Et nullo homo è degno di nominar te.

Laudato sia Dio mio signore
Cum tutte le tue creature,
Specialmente messer lo frate Sole :
Lo quale giorna, et illumina nui per lui,
E ello è bello, e radiante cum grande splen-
[dore :
De te signore porta significatione.

Laudato sia mio signore per sor luna, e per le
[stelle:
In celo le hai formate clare e belle.

Laudato sia mio signore per frate vento
Et per l'aire, et nuvolo et sereno et omne
[tempo:
Per le quale dai a le tue creature sustenta-
[mento.

Laudato sia mio signore per sor aqua :
La quale è molto utile et humile et pretiosa
[et casta.
Laudato sia mio signore
Per frate foco, per lo quale tu allumini la
[nocte :
Et ello è bello, et jucundo et robustissimo
[et forte.

Laudato sia mio signore per nostra matre
[terra :
La quale ne sostenta et guberna,
Et produce diversi fructi et coloriti fiori et
[herbe.
Laudato sia mio signore (3)
Per quelli que perdonano per lo tuo amore
Et sosteneno infirmitate, et tribulatione :
Beati queli que sostenerano in pace:
Che da ti altissimo serano incoronati.

Laudato sia mio signore per sor nostra morte
[corporale :
Da la quale nullo homo vivente po scampare.
Guai a queli que more in peccato mortale.
Beati queli que se trovano ne le toe sanctis-
[sime voluntate;
Che la morte secunda non li pora far male.

Laudate e benedicite mio signore et regra-
[tiate:
Et servite a lui cum grande humilitate (4).

(1) Inter cætera Opuscula, quædam metro ordinasse, suisque numeris absolvisse sanctum virum, testantur Henricus Willot, Antonius Possevinus, Petrus Rodulphus, Marianus Florentinus, Operibus his præfixi; Bartholomæus Pisanus, lib. II, *Conform.* II; Marcus Olyssiponen. I p., l. 1, c. 92, et alii. Tria dumtaxat, quæ sequuntur, mihi occurrerunt; ubi vero, ad ipsorum dicam initia. Præter Marianum, sunt qui meminerint aliorum Canticorum, quæ ad beatæ Claræ ejusque sectatricium solamen vir sanctus modulatus est. Periere hæc, et alia hujus generis, temporis injuria, vel verius fratrum incuria.

(2) Illud cum duobus sequentibus materno cecinit idiomate. Totum, non uno composuit tempore. Quare quosdam postea addiderit versiculos, in ipso Cantico afferuntur causæ. Rationem metri non observarunt, sed et confuderunt antiqui exscriptores. Italico, quia hoc scripta sunt idiomate, et latino, ut communis fiant juris, tria hæc offero Lectori. Primum hoc habent Pisanus et Marcus citati, Rebolledo I, p., l. I, c. 31, et alii. Veterem, quam habet Pisanus, loquelam transcripsi : politam noviorem, quam in interpretatione italica Chronicorum observavit Horatius Diola Bononiensis, sciens neglexi.

(3) Hunc versiculum addidit Franciscus præcedentibus, quando coram episcopo Assisii et potestate fecit præfatas laudes decantari, ut ad concordiam venirent : quod et mirabiliter factum est.

(4) Hoc canticum præ aliis psallebat Franciscus, et in *Chronica* legitur : « Il s'esjouissoit fort, quand il le voyoit chanter avec grâce et ferveur, car l'oyant il eslevoit merveilleusement son es-

(*Versio latina.*)

Altissime, Omnipotens, bone Domine, tuæ sunt laudes, gloria, honor, et omnis benedictio. Tibi soli referendæ sunt, et nullus homo dignus est te nominare. Lauderis, Domine Deus meus, propter omnes creaturas tuas, et specialiter propter honorabilem fratrem nostrum solem, qui diescere facit, et nos illuminat per lucem; pulcher est, et radians, et magni splendoris, et tui, Domine, symbolum præfert. Laudetur Dominus meus propter sororem lunam, et stellas, quas in cœlo creavit claras et bellas. Laudetur Dominus meus propter fratrem ventum, aerem, nubes, serenitatem, et propter omnia tempora, per quæ omnibus creaturis ministrat alimentum. Laudetur Dominus meus propter sororem aquam, quæ est multum utilis, humilis, pretiosa, et casta. Laudetur Dominus meus propter fratrem ignem, per quem noctem illuminat; ille roseus est, rutilus, invictus, et acer. Laudetur Dominus meus propter nostram matrem terram, quæ nos sustentat, et alit, et producit varios fructus, et varicolores flores, et herbas.

Lauderis, mi Domine, propter illos qui pro tuo amore offensas dimittunt, et patienter sustinent tribulationem et infirmitatem. Beati illi, qui in pace sustinuerunt, quia a te, Altissime, coronabuntur.

Lauderis, mi Domine, propter sororem nostram mortem, quam nullus vivens potest evadere. Væ illis, qui moriuntur in peccato mortali! Beati illi, qui in hora mortis suæ inveniunt se conformes tuæ sanctissimæ voluntati, mors enim secunda non poterit eis nocere. Laudate, et benedicite Dominum meum, gratificamini, et servite illi omnes creaturæ cum magna humilitate.

CANTICUM SECUNDUM.

ARGUMENTUM.

Parabolicis et obscuris verbis expressit hoc Cantico vir Dei, amoris modulamine, quos cœlestis Cupido ictus inflixit, et quos vicissim habuit cum Christo acriores, sed dulciores congressus; habet enim et amor christianus sua prælia, suas admittit et emittit sagittas quibus hinc inde amoris faces incendebantur.

Amori condonanda est præsumptio cum Christo ineundi duellum, et ad pugnam velle lacescere, quem honori vel timori debuit habere : « Nam amor reverentiam nescit (1); non horret, non stupet, non timet, non miratur; vacant hæc omnia penes amantem; cæteros in se omnes traducit (2) et captivat affectus. Quæ amat, amat, et aliud novit nihil. Profecto calix inebrians est amor Christi, et extra se rapit amantem, donec plene potiatur amato » (3).

In foco l'amor mi mise,
In foco l'amor mi mise.
In foco d'amor mi mise
Il mio Sposo novello,
Quando l'anel mi mise
L'Agnello amorosello.
Poiche in prigion mi mise,
Ferimmi d'un coltello,
Tutto il cor mi divise.
In foco l'amor.

Divisemi lo core,
E'l corpo cadè in terra.
Quel quadrello del amore,
Che balestra disserra,
Percosse con ardore
Di pace fece guerra.
Moromi di dolciore.
In foco.

Moromi di dolciore.
Ne ven' maravigliate,
Che tai colpi mi son date
Da lancie innamorate;
E'l ferre è lungo e lato
Cento braccia sappiate,
Che m'ha tutto passato.
In foco.

Poi si fer le lancie spesse,
Che tutto m'agnonizaro :

prit en Dieu. » Quum ergo illuxissent dies mali, in civitate Assisiensi, in quibus ex una parte episcopus, ex altera potestas et magistratus, unus adversus alium concitati erant, neque pax ulla inter cives existeret, ipse Franciscus non tantum, pacificus erga omnes remansit, sed fratres suos misit qui cantarent hæc ultima verba : *Laudato sia mio Signore* ante fores palatii episcopalis, ante fores domorum potestatis. Et molliti sunt adversarii, iram deponentes, firmaque et bona pax stabilita fuit inter eos. Cæterum, hic cantus fuit, brevi tempore, in tota Italia notissimus. (Edit.)

(1) Bern., LXXXIII, in Cant.
(2) Idem, Serm. 44.

(3) Descriptionem hanc poeticam præcipue referendam judicarim cum Senensi, statim citando, ad ineffabiles illos in monte Alvernæ conflictus, quibus amoris pugil, Franciscus ab ipso amore, quino sauciatus vulnere, totus amor evasit, intus ardens, et exterius suum amorem repræsentans. Illam habes tomo IV Operum Bernard. Senens., Serm. 4, extra ord. in fine, ubi expresse Francisco tribuitur; et qui auctor est Indicis ejusdem tomi illam ita indicavit : Francisci Canticum. Latinum fecit Henricus Chifellius Antuerpiensis, qui erudito et plane heroico carmine bellum Granatense descripsit.

All' hor presi un pavese,
Ei colpi più spessaro
Che niente mi difese;
Tutto mi fracassaro
Con tal forza le stese.
In foco.

Diste sele si forte,
Ch'io diffidais contarle
Onde campai da morte.
Ti movi contra ragione,
Gridando molto forte,
Un' trabucco rizzoe,
Che mi diede nuove sorte.
In foco.

Le sorti che mandava,
Eran pietre piombate,
Che ciasche duna gravava
Mille libre pesate :
Si spesse li gittava,
Non le harei mai numerate,
Nulla mai mi fallava.
In foco.

Non m'harebbe mai fallato,
Si ben tirrare sapeva :
In terra ero io sternato,
Aita non mi poteva;
Tutto ero fracassato,
Niente più mi sentiva,
Com' huomo ch'era passato.
In foco.

Passato non per morte,
Ma dà diletto ornato :
Poi rimessimi si forte
Dentro il corpo tornato.
Che seguí quelle scorte,
Che haveano guidato
Nella superna Corte.
In foco.

Poi che tornato fui,
Tosto armato mi fui,
E à Christo feci guerra,
Cavalcai in sua terra
Scontrandomi con lui,
Tostamente l'afferro,
Mi vendico di lui.
In foco.

Poi che fui vendicato,
Io feci con lui patto;
Perche prima era stato
L'amor molto verace
Di Christo innamorato :
Or' son fatto capace,
Sempre lo cor formato
Di Christo consolato
Infra l'amor mi mise.
In foco.

(*Versio latina.*)

Ussit ardenti mea corda flamma,
Ussit ardenti mea corda flamma,
Ignis amoris.

Ussit ardenti mea corda flamma
Gratior Sponsi species novelli,
Annulum quando dedit Agnus insons:
Ast ubi me carcere clausit arcto,
Ilicet ferro feriens acuto,
Rupit impresso mea corda telo.
Ussit ardenti mea corda flamma,
Ignis amoris.

Rupit impresso mea corda telo,
Corpus ingenti cecidit sub ictu :
Lectus è pulchra calamus pharetra,
Viribus missus validis, quiete
Pacis excussa, tulit arma belli :
Torreor dulci exanimatus æstu.
Ussit ardenti mea corda flamma,
Ignis amoris.

Torreor dulci exanimatus, æstu :
Mitte mirari, fuit hic amantis
Impetus teli, quod acuta ferro
Cuspis oblongo tegit atque lato;
Percutit pectus, pedibusque centum
Extat infixo gravis hasta ligno.
Ussit ardenti mea corda flamma
Ignis amoris.

Inde telorum subiere nimbi,
Et procellosæ furit ira pugnæ :
Munior velox rutilante parma;
At magis crebro feriente ferro,
Lucido incassum tego pectus ære,
Me nimis forti lacerante dextra.
Ussit ardenti mea corda flamma
Ignis amoris.

Tam potenti ardore vibrabat ictus,
Duxerim ut vanum excipere ingruentes,
Fugerim et certæ occubuisse morti.
Bella non æqua ratione tentas,
Clamo; at is fortes iterando pugnas,
Movit invicta nova bella dextra.
Ussit ardenti mea corda flamma
Ignis amoris.

Saxa plumbato jacit acta missu,
Saxa quæ pondo graviora mille,
Sicut æstivæ rabies procellæ,
Densa non ullo numeranda sensu

Undique expotum petiere pectus,
Irrito nunquam recidente nisu.
Ussit ardenti mea corda flamma
Ignis amoris.

Irrito nunquam cecidere nisu
Missa tam docta jaculantis arte.
Jamque prostratos vigor omnis artus
Liquit, et corpus lacerum refracti
Fugerant sensus, jacui supinus,
Pallida, exsanguis velut umbra mortis,
Ussit ardenti mea corda flamma
Ignis amoris.

Non tamen dulci fugiente vita,
Gaudio at cunctos inhibente sensus,
Fortis hinc vires revoco priores,
Et citus vestigia sector alma,
Quæ viam celsi referant Olympi.
Ussit ardenti mea corda flamma
Ignis amoris.

Pristinæ postquam rediere vires,
Armor, et Christo pia bella porto,
Fertiles ejus peragrando campos :
Obvium amplectens avidis lacertis,
Implico numquam pereunte nexu,
Impetus tanti generosus ultor.
Ussit ardenti mea corda flamma
Ignis amoris.

Vindice at postquam pia bella dextra
Rite confeci, propero citatus
Pacis immotæ stabilire leges,
Namque sinceri meus igne amoris
Arserat Christus : placida en quiete
Jam fruor, solamine jam perenni
Roborat mea corda Christus.
Ussit ardenti mea corda flamma,
Ussit ardenti mea corda flamma
Ignis amoris.

CANTICUM TERTIUM.

ARGUMENTUM.

Hoc Cantico describit eleganter amoris vehementiam, quæ desiderio fertur, non ratione (1); quæ nec judicium præstolatur, nec consilio temperatur; nec pudore frænatur, nec rationi subjicitur. Dulcique inito colloquio cum Christo, ostendit nullas esse amoris metas, nullam mensuram; seque totum, disruptis rationis repagulis, in amoris potestatem redactum. Post stigmatum receptionem modulatum hoc carmen judico, ex eo quod sæpius se percussum meminerit, et clarius sibi jam ostia aperta esse recenseat; quod ad vulnerum hiatus retulisse videtur (2).

Amor de caritate
Perche m'ha si ferito?
Lo cor tutto partito,
Et arde per amore.
Arde, et incende,
Nullo trova loco :
Non po fugir, perche l'eligato;
Si se consuma, come la cera al foco,
Vivendo more languisce stemperato,
Domanda poter fugire un poco.
Et infornace trovase locato :
Oime eo o sun menato.
A si forte languire,
Vivendo cosi morire,
Tanto monta l'ardore.

Inanzi ch'io provasse, domandava
Amor à Christo pensando pur dolzura;
In pace di dolzezza star pensava,
For d'ogni pena, et poi sede in altura,
Provo tormento, qual non cogitava,
Chel cor me se fende per calura;
Non posso dar figura,
De que sostegno semblanza,
Ch'io moro in dolcetanza,
Et vivo senza core.

Ho perduto core e senno tutto,
Voglia e placere, e tutto sentimento :
Ogni bellezza mi par fango brutto,
Delicie e richezze perdimento;
Un arbore d'amor cum gran frutto
In cor plantato me dà pascimento :

(1) Bernard., Serm., in Cant. post princ.

(2) Acceptum refero secundo Codici MS. Assis., et Bernardino Senensi, dum tom. IV ejus Operum, Serm. 16 extraordinario, qui est de divo Francisco, ante finem habeatur principium ejusdem sub ejus nomine, et pro reliqua parte remittatur Lector ad Sermonem Feriæ 6, Parasceves, ubi integrum habetur. Non me latet, in aliquibus editionibus a quibusdam repositum hoc Canticum inter cætera beati Jacoponi; sed multa habet de inflictis vulneribus, de apertis sibi ostiis, aliaque hujus generis, quæ magis propria Francisci videntur. Illud vario carminis genere Latinum reddidit ex suo in Franciscum affectu Jacobus Lampugnanus Italus ex Societate Jesu, ita ut verba ipsa secutus sit in plurimis; aliquando tamen institerit soli sententiæ, et pauca quædam contraxerit, vel dilatarit, stylumque aliquando demiserit, prout ad sensa viri amantissimi explicanda visum est commodius. Cæterum obscurissima quædam interpretatus est ex ingenio, cum nesciret quæ vis et notio subesset vocabulis illis antiquis.

Che fe tal mutamento,
In mi senza demora,
Jettando tutto fora,
Voglia, e senno, e vigore.

Per comperar l'amore, tutto ho dato;
Lo mondo, e mi ho tutto perbaratto:
Se tutto fosse mio quel ch'e creato,
Darialo per amor sanza ogni patto;
Et trovome d'amor tutto ingannato
Che tutto ho dato, e non so o io son tratto:
Per amor son desfatto,
Pazzo si sun creduto:
Mà perche io sun venduto:
De mi non ho valore.

Credevame la gente revocare,
Amici che sono for de questa via;
Mà chi e dato, plù non se po dare,
Ne servo fare, che fuga Signoria,
Inanzi la petra porriase mollare,
Che l'amore, che me ten in soa balia
Tutta la voglia mia
D'amor si e infocata,
Unita, transformata,
Che li torrà l'amore.

Foco ne ferro non la po partire;
Non si divide cosa tanto unita:
Pena ne morte iam non po salire
A quella altezza, dove stà rapita;
Sotto si vede tutte cose zire,
Et ella sopra tutte stà grandita.
Anima com'ei salita,
A posseder tal bene,
Christo da cui te venne,
Abbrazal cun dolzore.

Io non posso veder creatura,
Al Creator grida tutta mente,
Celo ne terra non me dà dolzura,
Per Christo amore, tutto m'e fetente
Luce de Sole si me par oscura,
Veggendo quella fazza resplendente,
Cherubin son niente
Belli per ensegnare,
Seraphin per amare,
Chi vede lo Signore.

'Nullo donca mai me reprenda,
Se tal amore mi fà pazzo zire:
Iam non e core, che plù se defenda
D'amor si preso che posla fuggire:
Pensi zascun como cor non si fenda,
Cotalfornace como possa soffrire:
S'eo potesse invenire
Anima che me intendesse,
De mi pietade havesse,
Che me se stuzze'l core.

Che celo e terra grida, et semper clama,
Et tutte cose ch'io dibbia amara,
Zascuna dice: Cun tutto core ama,
L'amore che n'ha fatto briga d'ebbrazzare;
Che quel amore perzo che te brama,
Tutte nui hà fatte per ti à se trare,
Vogo tanto abundare,
Bontade et cortesia,
Da quella luce pia,
Che se splande fore.

Amor voglio plù, podesse;
Mà como plù à mi lo cor iam non trova,
Plù che me dare con cio che volesse,
Non posso, questo e certo senza prova:
Tutto l'ho dato, perch'io possedesse.
Quel amatore, che tanto me renova.
Bellezza antiqua, et novo,
Dapoi che t'ho trovata.
O luce smesurata
De si dolce splendore.

Vegando tal bellezza, si sum tratto
For de mi, non so o sun portato:
Lo torse strugge como ceta desfatto,
De Christo se retrova figurato;
Jam non se trovo mai tal baratto,
Per vestir Christo tutto, o spoliato,
Lo cor si transformato,
Amor grida, che sente,
Anegata e la mente,
Tanto sente dolzore.

Ligata e la mente cum dolceza,
Tutta se destende ad abbrazzare;
E quanto plù resguarda à la beleza,
Tanto for de se plu fa zetare;
In Christo tutta posa cum riccheza,
De si memoria nulla po servare:
Ormai ad si plù dare,
Altra cosa non cura,
Ne po perder valura,
De si omne sentore.

In Christo transformata quasi e Christo,
Cum Dio unita tutta stà divina,
Sopra ogn'altura e si gran acquisto,
De Christo e tutto 'lsuo, stà Regina.
Or dunca io potesse star plù tristo,
De colpa domandando medicina:
Nulla ce plù sentina,
Dove trovi peccato;
Lo vecchio ne mozato,
Purgato ogni fetore.

In Christo e nata nova creatura,
Spogliata homo vecchio, e fato novello;
Mà tanto l'amore monta cum ardura,
Lo cor par che se fenda cum coltello,
Mente cum senno tolle tal calura :
Christo se me tra tutto tanto bello,
Abrazo me cum ello,
Et per amor si clamo,
Amor che tanto bramo,
Fà me morir d'amore.

Perti amor me consumo laguendo,
Et vo stridendo per ti abrazare :
Quando te parti, si moro vivendo,
Sospiro, et plango per ti ritrovare,
Et retornando el cor se va stendendo
Che in ti si possa tutto transformare :
Donca più non tardare,
Amor or me soveni,
Ligato si me tiene.
Consumame lo core.

Resguarda dolce amore la pene mia,
Tanto calor non posso soffrire :
L'amor m'a præso, non so o io me sia,
Que faza, o dica, non posso sentire,
Còmo smarito si vo per la via,
Spesso strangosso per forte languire,
Non so como sostegnere
Possa tal tormento,
Lo qual cum passamento
Da me fura lo core.

Cor me furato non posso vedere
Que diba fare, e que spesso faza,
Et chi me vede, dice vol sapere,
Se amor senza acto à ti Christo plaza:
Se non te place, que posso valere?
De tal mensura la mente malaccia :
L'amor che si m'abraccia,
Tolme l'operare,
Voler, et operare,
Perdo tutto sentore.

Sappi parlare or sun fatto muto :
Vedeva, e mo son ceco deventato :
Si grande abisso non fù mai veduto,
Tacendo parlo, fugo et son ligato,
Scendendo falgo, tengo e son tenuto,
De fora sun dentro, caccio et son cacciato:
Amor smesurato
Perche mi fai impazzire,
Et in fornace morire
De si forte calore Christo.

* Ordena questo amore, tu che m'ami,
Non e virtù senza ordene trovata:
Poiche trovare tanto ma brami,
Sia la mente cum virtù renovata,
Ad mi amare, voglio che tu chiami,
La caritate qual sia ordenata;
L'arbore si è provata,
Per l'ordene del frutto,
Lo qual demonstra tutto,
Doni cosa el valore.

Tutte le cose che aio create,
Sun fatte cun numero et mensura,
Et al lor fin son tutte ordenate, *
Conservase per orden tal valura,
E molto più ancora caritate,
E ordenata in la sua natura :
Donca com per calura,
Anima tu se impazzita?
Fora d'ordene tu se uscita.
Non te infreno el fervore.
Anima o Francesco.

* Christo lo cor tu m'hai furato,
Et dici che adamare ordin la mente,
Como da poi che in ti sum mutato,
De mi po esser ramaso convenente?
Si come ferro, che tutto è infocato,
Et aere dal sol fatto relucente,
De lor forma perdente,
Son per altra figura,
Cosi la mente pura
De ti e vestita amore.

Mà da che perde la sua qualitate,
Non po la cosa da si oprare,
Como è formata si ha potestate,
Opera cum frutto si puote fare:
Donca si e transformata in veritate,
In te sol Christo che se dolce amare,
A ti si po imputare,
Non à mi, quel ch'io fazo :
Pero seo non te plazo,
Tu n'à te non placi amore.

Io so ben questo che seo sum impazzito,
Tu summa sapienza mel' hai fatto,
Et questo fo da ch'io fuit ferito,
Et quando cum l'amor feci bararto,
Che mi spogliando fui da te vestito,
A nova vita non so como fui tratto,
De mi tutto disfatto;
Or sun per amor forte,
Rotte son le porte,
Et iazo teco amore.

A tal fornace perche me menavi,
Se tu volevi che havesse temperanza,
Quando si smesurato me te davi,

Tollevi da me tutta mesuranza,
Poiche picciolello tu me bastavi,
Tenerti grande non aggio possanza :
Onde ne ce fallanza,
Amor l'e tua non mia,
Pero che questa via,
Tu la facesti amore.

Tu dall' amor non te defendesti,
De celo in terra el te venire,
Amore à tal bassezza descendesti,
Com homo despetto per lo mondo zire,
Ne casa ne terre non volesti,
Tal povertate per nui arricchire :
In vita, et in morte,
Mostrastri per certanza,
Amor desmesuranza,
Che ardeva in lo to core.

'Com' ebrio per lo mondo spesso andavi,
Amor te menava com' homo venduto,
In tutte cose amor sempre mostravi.
De ti quasi niente perceputo.
Che stando in lo templo si gridavi,
A bever vegna chi hà sostegnuto,
Sete d'amor havuto,
Chel gli sera donato,
Amor smesurato,
Che pasce con dolzore.

Con sapienza non te contenesti,
Che el tuo amore spesso non versasse :
D'amor, non de carne tu nascesti
Humanato amor, che ne salvasse :
Per abbracciarne en croce si corresti,
Io credo, che pero tu non parlasti,
Ne te amor scusasti,
Davanti à Pilato,
Per compir tal mercato,
In croce dell' amore.

La spienza vego, che se celava,
Et solo amor si podea vedere,
Et la potenza iam non si monstrava,
Che l'era la virtute in dispiacere.
Grande era quell'amore che se versava,
Altro che amore non potendo havere,
'Nel viso ne il volere,
Amor sempre legando,
Et in croce abbracciando,
L'homo cum tanto amore.

Donca Jesu sio son si innamorato,
Inebriato per si gran dolcezza,
Che me reprende, sio vo impazzato,
Et in mi perdo senno, et ogni fortezza ?
Poiche l'amore t'hà si ligato,
Quasi privato d'ogni tuà grandezza,
Come saria mai fortezza,
In me di contradire,
Ch'io non voglio impazzire
Per abbracciar te amore?

Et quel' amor, chi mi fa impazzire,
Pari che à ti tolessi sapientia,
E quell' amor che si me fa languire,
A te per me si tolse la potentia.
Non voglio ormai, ne posso sofferire,
D'amor son preso, non fazzo retinentia ;
Datame la sentia,
Che d'amor io sia morto.
Iam non volgo conforto,
Se non morir d'amore.

Amor amore, che si m'hai ferito,
Altro ch'amor non posso cridare :
Amor amore si forte m'hai rapito,
Lo core sempre spande per amore,
Per te voglio sparmare.
Amor che co reconoscera,
Amor per cortesia
Fame me morir d'amore.

Amor amore Jesu son zonto a parto
Amor amore Jesu dammi conforto :
Amor amore Jesu si m'ha inflammato,
Amor amore Jesu io son morto :
Fami star amor sempre abbrazato,
Cum teco transformato
In caritate, et in somma veritate.
Amor, amor, amor,
Ogni cosa clama Amore :
Amor tanto ei profundo,
Che più t' abbraccia,
Tanto più ti brama.

Amor, amor, tu ei cerchio rotundo
Con tutto el core, che tencia sempre t' ama,
Che tu sei strame, e trama per vestire,
E cosi dolce, che sempre crida amor, amor,
Quanto tu mi fai amor, nol posso fare : [amor.
Amor, amor, tanto amo de ti,
Amor, amore, ben credo morire;
Amor tanto preso m'hai,
Amor, amor, fammi in te transire.
Amor dolze languire,
Amor mio desioso,
Morir si dilettoso,
Amor mio dilectoso,
Anegami in amor.

Amor, amor, lo cor mio se spezza;
Amor, amor, tal sente ferita :
Amor, Jesu, tramme a la tua belezza :

Amor, amor, per te sonto rapita :
Amor, amor viva, non me despreggia :
Amor, amor, l'anima teco unita,
Amor, tu sei sua vita;
Jam non se po partire.
Perche la fai languire,
Tanto strugendo amor.

Amor, amor, de Jesu desideroso,
Amor, voglio morire.

Te abrazando,
Amor, dolce Jesu meo sposo :
Amor, amor, la morte te domando,
Amor, amor, Jesu si pietoso;
Tu me te dai in te transformato,
Pensa che eo vo spasemando :
Non so o io me sia,
Jesu speranza mia,
Ormai và, dormi in amore.

(Iambici trimetri.)

Quid vulneratum perdis o amans amor?
Mihi cor revulsum facibus æternis flagrat,
Facibus amoris. Nuspiam tutum male
Reperit quietem : vincla præcidunt fugam :
Uritur, et ardet; qualiter ceræ solet
Populante flamma mollis absumi globus.
Et vita mors est : moritur, et vivens perit,
Languetque moriens : dumque meditatur fugam;
Fornace media conditum sese videt.
Quo rapior eheu, qui dolores me manent?
Tanti est amoris ignis : o amor, o amor!
Nescius amorem, nempe inexpertum mihi,
Olim expetebam, melleum credens bonum,
Dulcedinisque pace poscebam frui.
At pœna, quæ me torquet insontem, inscium?
Tantos dolores egone speravi miser?
Diræ perusta corda discindunt faces.
Aperire nequeo voce, quod patior malum.
Amore morior, cordis et viduus gemo.

(Anacreontici.)

Mihi corda vulsa nuper
Abiere, passa vulnus
Manibus superni amoris.
Et vivo mentis expers,
Expersque sentiendi.
Jam forma sordet omnis,
Et pulchritudo sordet.
Dites valete campi,
Lautæ valete mensæ,
Luxusque delicati.
Posthac valete gemmæ,
Aurique fulgurantis
Et fulminantis orbes.

Me sola amoris arbor,
Plantata corde summo,
Fructu beat beato.
Hic me repente totum
In alterum novavit,
Rejecit et priorem
Mentem, vigorem, amorem.

Mercarer ut tenellum
Nihil mihi reliqui.
Quin et creata cuncta,
Gazas, opes, et aurum
(Si gazam, opes, et aurum,
Et quidquid est bonorum
Rex ipse possiderem)
Darem volens libensque,
Mercarer ut tenellum.
Sed me fefellit ille
Amore sauciatum.

Quid stulte, quid querelas,
Quid vana verba fundis?
Emancipatum amori,
Divenditumque jam me
Pretium reliquit omne.

(Elegiaci.)

Dulcis amicitiæ juncti mihi fœdere quondam
Insanis dudum vocibus usque sonant:
Ah gresum revoca, infelix, quo pergis amice?
Nescia turba Dei est, turbaque amoris inops,
Parcite clamosi me divexare sodales;
Nam quid ego Domini servus amoris agam?
Montani ante rigor poterit mollescere saxi,
Quam rex e nostro corde recedat amor.
Urit amor, me torquet amor, sum factus amori
Alter amor : nostri est victor amoris amor.
Hunc mihi non undæ, non flamma, nec auferet [ensis;
Non dolor hunc nexum dissoluisse queat.
Quo rapior? via nulla patet, mortique dolorique,
Et subtus celso e vertice cuncta jacent.
O anime, ad culmen qui te vexere bonorum?
Christus amor, Christi pectora dulce tene.

(Anapæstici.)

Omnia sordent, quidquid et æther
Magno circum ligat amplexu,
Et quidquid humus fecunda parit
Divite vena. Dulcis Jesu
Propter amorem nil dulce mihi est.
Aurea Phœbi lampas, amœnæ
Regia lucis, jubare exuta
Pene videtur. Facit hoc Christi
Nitidus multo lumine vultus.

Arguat ergo nullus amantem,
Si videt inopem mentis amantem :
Jam nulla valent vulnus amoris,
Nulla catenas pellere corda.
Quin age quisquis miserum incusas,
Reputa tecum, quid cor possit
Divina pati tela, vel ignes.
O si quisquam conscius esset
Vulneris hujus! sique doleret
Miserans nostros pectoris æstus!

(Sapphici.)

Clamat æternum polus atque tellus;
Omnia et clamant : Amor. O amorem,
Quisquis es, pleno bibe cordis haustu.
Plura donarem, modo plura possem
Omnium nudus, tibi blandienti,
O vetus semper nova pulchritudo
Pulcher Jesu.

Tu rapis mentem mihi : cor liquescit.
Instar et ceræ fluit innocenter.
Mercium quale est genus hoc? Jesu
Induant ut se mea corda, semet
Exuunt? nosco genus : est Amoris
Aurea merces.

(Iambici dimitri.)

Dulcedo mentem colligat
Et mens in amplexus ruit.
Quantoque pulchritudinem
Magis intuetur, uritur,
Christoque semet induit
Oblita semet; omnia
Exuta, sed non indiga.

Induta Christum, numini
Conjuncta, pæne numen est,
Omnemque supra verticem
Ditata Christi gratiis
Regina sceptra possidet.

Nunc ergo mœror diffuge,
Sentina namque est criminum
Exhausta : priscus occidit
Homo : recessit pestilens
Fœtor : medela constitit.

Christo innovatus exui
Antiqua vitæ nomina
Sed nempe tanti flammeus
Amoris ignis est mihi;
Corpus ne cultro finditur,
Dum mens calore absumitur.
Me Christe pulcher attrahis,
Amplector illum, et clamito,
Amore da da ut occidam.

Amore victus langueo,
Et semivivus ardeo.
Tu si recedis, o Amor,
Non lacrymis, non fletibus
Suspiriis, singultibus
Cor inquietum temperat,
Donec redibis, o amor.

Quid ergo, quid moraberis
Ah vulneratum respice.
Tantos dolores perpeti
Mens sauciata pernegat.
Qui sim, vel ubi, vel quid loquar,
Mediterque, agamque, nescio.
Ut mentis expers compita
Pererro, sæpe spiritum
Languore fractus vix traho.

Imparque jam doloribus
Mihi cor meum furantibus,
Quæ sint agenda, nescio.
Quin et rogatus audio,
Num Christe amorem comprobes
Non actuosum? si improbas,
Esse actuosus non queo.

(Asclepiadei.)

Jam facundus eram : nunc taciturnitas
Vocem surripuit. Quin vigiles modo
Connivent oculi. Dum taceo, loquor,
Evinctus fugio. Desilio simul,
Atque una salio. Deprimor, opprimo.
Pro rerum facies, monstraque maxima,
Nullis visa locis! Quid patior miser?
Divinis pereunt corda caloribus.

AD HÆC ITA CHRISTUS RESPONDET.

(Hexametri.)

Pone modum tu quisquis amas malesanus amoris
Ordine gaudet amor, nam gaudet et ordine virtus.
Quæstum invenias qua me ratione, docebo.
Carpe viam virtutis amans. Comes addita virtus
Dux erit una viæ : veterem obliviscere cultum,
Virtutisque sacram generosior indue vestem.
Me mulcet moderatus amor : compesce furentem.
Sic decus arboribus præbent sua pendula poma;
Et pretium sobolis, frondosæ est gloria matris.

Aspice cuncta manu et verbo fabricata petenti
Ponderibus dimensa suis, numeroque modoque,
Et finem sortita suum. Sic vertitur ordo
Legibus his, atque hunc servat Natura tenorem.
Hunc mage servat amor. Nimiis cur ignibus ergo
Desipis, aut quæ te dementia cepit amantem :
Comprime vesanos malesani pectoris æstus.

SUBJICIT ANIMA, VEL SANCTUS FRANCISCUS.

(Pentametri.)

Cor mihi furatus cogis habere modum?
In te mutato quid superesse potest?
Sic igne in medio ferrea massa calet;
Aere sic vestit sole micante jubar.
Sic perit ipse aer, sic perit ipse chalybs.
Haud aliter mentem Christe resolvis amor.

Quid mens, quid faciat non potis ipsa sui?
Si te Christe refert mens mea, facta tua,
Culpa tua est, quidquid victus amore gero.
Desipio? per te sum rationis egens,
Mentis inops? Amor est, qui facit esse inopem.

(Anacreontici.)

In igne curlocabas,
Si temperantem amabas?
Tenelle me coquebas,
Quid grandior patrabas?
Hanc semitam parasti
Amor mihi. Quod errem
Tua omnis ergo culpa.

Tu vulneratus ipse
Amoris es sagittis.
Te devocavit æthra,
Terrisque collocavit
Nudumque, pauperemque;
Non tecta, non agelli
Novere possidentem;
Ut divites egestas
Tua, Christe, nos bearet.
Ardes amore vivens,
Et occidens amore.

Ibas amore victus
Ceu ebrius per orbem:
Prædaque te triumphans
Amor superbiebat.
Amore nil vacabat,
Tuque ipse te vacabas.
Et templa cum subisses,
Sic voce personabas:
O qui sitis, adesto,
Ades huc; sitim levabo:
Mercede qua bibendi?
Amore, amore, amore.

(Horatiani.)

Non sempiternæ vis sapientiæ
Celavit ignes pectoris aureos,
Quin sæpe versares Amoris
Largus opes, gravidumque cornu.

Te lapsum Olympo Virginis in sinum
Amor puellum non caro vestiit.
Amore captus tu subisti
Quadrifidæ mala signa quercus.

Hæsere voces, verbaque faucibus
Amoris ergo; cum taciturnior
Causam tueri denegasti
Judicio expositam profano.

Tu nempe amoris victima nobilis
Esse expetebas. Insuperabilis
Sic robur immortale dextræ
Vinxit amor, latebrisque clausit.

(Glyconici.)

Ergo si facit ebrium,
Si mentis facit impotem,
Si vires amor eripit;
Amor te quoque perdidit,
Injecit tibi vincula,
Ademitque potentiam.
Contra queis ego viribus
Nitar? Quid mihi roboris,
Has ut sustineam faces?
Qui me desipere impulit,
Hic mentem eripuit tibi.
Qui me languidulum facit.
Te imbellem quoque reddidit.
Nolo, nec queo perpeti.
Amoris fera prælia.
Vicisti, Pater optime.
Do manus Amor, accipe.
Jam sententia constitit,
Amore ut peream brevi.
Jam solamina respuo,
Amore at cupio mori.

(Iambici trimetri.)

Amoris unum nomen os et cor sonat.
Amore cor liquescit. O amor, mori
Amore me permitte. Jesu amor, o amor!
Jam teneo portus, æquoris vici minas.
O amor Jesus, o amor, quantas faces!
O amor Jesus, o amor, vita aufugit.
Da, da beatos ducis amplexus amor.
Muter in amorem: deseram memet, mihi
Mortuus, amorivivus, atque amor novus.
Amor, o amor, amor, omnia exclamant, amor:
Magis expetitus, quo magis amantem reples.
O circulus
Tu cordis es,
Tu vestis es,
Et dulcis es.
O amor, amor,
O amor, amor!

(Iambici.)

Moriar amore, moriar. O languor meus,
Beata mors, æquorque dulcitudinis,
Immerge memet, ingrue, profundo obrue.
Cor dissipatur, o amor, amor, o amor!
Tu vita cordis hujus, o amor! animæ
Sponsus es Jesu dulcis. Amplexu in tuo
Moriar, amor mi. Si pius, si dulcis es,
Fac muter in te. Moriar : o felix dolor!
Ubi sum? Quid hoc est? spes mea, o Jesus [amor.
Quiesce amor,
Et dormi amor.

Nota. Post Canticum Solis quod omnes S. Francisco pariter tribuunt, duo alia tantum P. de la Haye tradit, quæ nos retulimus. Sed majorem numerum canticorum procul dubio Franciscus composuit. Quum autem sancti viri discipuli, ad instar magistri, cantus varios dictaverint, agnoscunt critici poesim esse, quam *Franciscanam* vocant, a pluribus traditam, quos inter se nominatim discernere satis difficile erit.

Tria tamen Symon de Latreiche, in opere laudato supr., *Légende de S. François, par les trois compagnons, Mss. du* XIIIe *siècle,* S. Francisco, nihil hæsitans, refert, quæ locum in editione P. de La Haye non invenere, scilicet : *Cantique* où l'âme éprise de J.-C. se plaint doucement à lui; *cantique* dans lequel l'Époux céleste répond aux plaintes de l'âme éprise de son amour; *cantique* où l'âme demande pardon au Seigneur des plaintes qu'elle lui a faites. Una eademque materia est, et non inconveniens cum genuinis operibus S. Francisci, quanquam nullam rationem pro genuitate S. de Latreiche nobis porrigat. Jam omissa omni controversia, lectorem remittimus ad opus Ozanam, cui titulus : *Poètes franciscains.* Qui ducem sequitur tam excellentem, errare nequit. Hujus verba sequuntur :

« Un cœur si passionné ne se déchargeait pas assez par la prédication. L'amour ne se contente pas si facilement; il faut qu'il reproduise les beautés dont il est touché dans un langage qui émeuve et qui ravisse. Il ajoute à la parole; il lui donne l'essor poétique, il lui prête le rythme et le chant comme deux ailes. » (*Poètes franciscains*, ch. 2.)

Canticum Solis tradit Ozanam, sed ad rationem metri reducit. Nam antiqui hanc rationem non observarunt, ut ait P. de La Haye, supr., col. 353, sed et confuderunt. Sub hac forma canticum damus, qui et dedimus loc. cit. sub forma a priscis auctoribus servata.

« Les délicats, dit Ozanam, auront quelque peine à reconnaître ici les conditions régulières d'une composition lyrique. Ce n'est qu'un cri, mais c'est le cri d'une poésie naissante, qui grandira, et qui saura se faire entendre de toute la terre. »

Idem citat canticum illud : *In fuoco,* dicens illud esse qui Francisco tribuunt. Neque rem judicat, sed dicit quod in eo reperitur « *le tour habituel de son esprit et les riches couleurs* de son imagination.

De tertio cantico, hæc habet : « S. Bernardin de Sienne cite un dernier cantique, bien plus considérable, et composé de 362 vers, mais qui se divise en strophes de dix vers chacune, avec des rimes industrieusement combinées. Ce sont déjà les indices d'une origine plus moderne, et je trouve, en effet, le même cantique attribué au bienheureux Jacopone de Todi, mort en 1306. D'ailleurs, je ne remarque plus ici la brièveté et la simplicité qui font le cachet des œuvres de S. François. Seulement, pour concilier toutes les traditions, on peut admettre que le bienheureux pénitent de Todi paraphrase, avec son abondance naturelle et la subtilité de son temps, une pensée simple et grande qu'il empruntait à quelque vieux cantique de saint François. En poussant plus loin cette conjecture, on pourrait retrouver le thème primitif dans un dialogue entre Jésus et l'âme... »

Hunc dialogum Ozanam videt in his versibus quos, in textu supra, per astericum notavimus: « Nullo donca, Ordena questo, Christo lo cor, Com' ebrio. » Non ergo abjicit tertium canticum, ut apocryphum, sed reputat accommodatum.

De aliis canticis, sic in sua Præfatione : « Il faut étudier S. François comme poète; il faut discuter l'authenticité des compositions qu'on lui attribue, en retrouver la place entre ses extases où il ravissait le feu du ciel et ses prédications où il le communiquait aux hommes. » Sed, eo teste, adhuc sub judice lis est.

PARS QUINTA. — ORACULA.

I

APOPHTHEGMATA B. PATRIS FRANCISCI.

MONITUM IN PARTEM QUINTAM.

Sanctus Franciscus, ut nemo nescit, ad bene agendum, recte et pie vivendum totum se dedit. Neque unquam laudes in docendo concupivit viri subtiliter disputantis, aut elegantiam in scribendo adhibentis. Ad animos audientium permovendos et corda inflammanda divini amoris igne, vi magna præditus fuit, quæ solertia quidem non caruit. Sed vir simplex et humilis, qui se idiotam profitebatur sæpissime, libros condere non est agressus. Fuit potens in sermone, fuit potens et in opere. At, nihil ad ejus gloriam proficit si inter scriptores ei locum assignaverimus. Socrates quidem non scripsit. Qui discipulos sibi formavit, et usque ad nostra tempora ab omnibus agnosci debet ut magister eorum qui philosophiæ operam dederunt. Quod Xenophon et Plato fecerunt, hoc et discipuli S. Francisci conati sunt efficere, videlicet colligendo verba, apophtegmata, colloquia, sermones, parabolas, et alia hujusmodi. Nec mirum est. Quanquam non sit illud vocandum opus, vel opusculum S. Francisci proprie dictum. In his quasi reliquiis colligendis, tota est pars quinta, quæ hic ponitur.

In illa parte Opusculorum, pro more suo, P. de La Haye omnia miscet, omnia sine ordine ponit. Quæ nos ad meliorem modum ordinavimus, sic dividenda :

In primo loco erunt *Apophthegmata;* in secundo, *Oracula,* sive verba vivæ vocis quæ testes omni fide digni retulere; in tertio, *Colloquia familiaria;* in quarto, *Parabolæ* et *Exempla,* quibus in sermocinando usus est; in quinto, *Prophetiæ;* in sexto denique *Benedictiones.* (Edit.)

MONITUM IN APOPHTHEGMATA.

Compendiosa et seria magnorum hominum dicta, et graves eruditæque sanctorum virorum sententiæ, magni sunt facienda, ut pote quæ sub paucis verbis magna et sana comprehendunt consilia. Etenim salutaria monita, gratiæ sale condita, probis præbent hominibus, ut aperte verum sit illud Ecclesiastæ : *Verba oris sapientis gratia;* quia, ut inquit Lyranus, eum reddunt Deo et hominibus gratiosum, Improbis vero et putridis eorum moribus salem infundunt, eosque non leviter fricant et pungunt. *Verba,* inquit idem Præco (Eccl. XII, 11). *sapientum sicut stimuli* qui acriter (explicat Glos. interlin.) pungentes pigros, et excitantes somnolentos, non palpantes, eos a vitiis retrahunt et reducnut. Talia autem Francisci fuisse verba et sententias, docet D. Bonaventura (1), dicens : Nesciebat aliquorum culpas palpare, sed pungere; nec vitam fovere peccantium, sed aspera increpatione berire. Nec ullum ex ore ejus verbum prodibat insipidum aut insulsum, sed sententiosum, et Spiritus sancti gratiæ et virtute respersum (2). « Erant, inquit Bonaventura, ipsius eloquia non inania, nec risu digna, sed virtute Spiritus Sancti plena medullas cordis penetrantia, ita ut in vehementem stuporem audientes converterent. Ut non incommode ei accommodem illa Jobi modesta de se encomia : *Auris audiens beatificat me. Qui me audiebant, expectabant senientiam, et intenti tacebant ad consilium meum. Verbis meis nihil addere audebant, et super illos stillabat eloquium meum. Expectabant me sicut pluviam, et os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum.* » (Job, XXIX, 11, 21, 23.) Ita ex ore ejus pendebant socii, et verba ejus attente audiebant suæ ætatis homines, ut nullum sine observatione præterirent. Quod et nos movit, ad aliorum exemplar, qui Philosophorum antiquorum dicteria et sententias collegerunt, sollicitius ista Francisci perquirere dicta, eaque per varia Capita ordinare. Quædam etenim sunt breviora, lepidioraque, quæ sub Apophthegmatum titulo : alia largiores confabulationes, quæ sub Colloquiorum nomine disposuimus. Alia sunt prophetiæ, alia exempla; alia parabolæ, alia breviores et graviores sententiæ : quæ suis appositis nu-

(1) Bonav. in Leg. majori, c. 12.

(2) Idem., c. 3.

meris facilius invenientur, et commodius possunt citari. Ad finem uniuscujusque illorum qui ejus mentionem faciant, vel varie referant, non tamen eorum servato stylo, et nomina et loca subjunxi.

APOPHTHEGMA I.

Se Dei esse præconem.

Paulo post conversionem, per silvam iter faciente viro Dei, latronibus ex abditis in eum irruentibus, et quis esset interrogantibus, intrepida et prophetica voce respondit : « Præco sum magni Regis. » (Bon. c. 2, *Legendæ majoris;* Rodul., lib. II, fol. 174, pag. 2 ; Pisan., lib. II, *Conform.* 6 ; *Reboll.*, I p. l. II, c. 16, in fine ; Anton. Florent. III part. *Hist.*, tit. 23, cap. 2, § 1 ; Cornel. a Lapide, in I ad Timoth., cap. 2, num. 70.)

APOPHTHEGMA II.

Laborum præmium majus et certius esse apud Deum, quam apud homines.

Fratri uterino e regione nuditatem et pauperiem ejus irridenti, et magni algoris tempore per socium suum aliquantulum sudoris sibi vendi petenti, se nolle respondit : « Sudorem meum inquit, carius Domino vendam. » (Pisanus libro primo, *Confor.* 5 et 12 ; Rodulph. et Reboll., supra citati ; Sebastian. Barrad., in Exod., libro primo, cap. tert., num. sept. ; Joan. Lorin., in cap. 2, Eccl., 11.)

APOPHTHEGMA III.

Passionem Christi deflendam.

Juxta ecclesiam Sanctæ Mariæ de Angelis, non multum a conversione sua, magno ejulatu et gemitu flebat ; et interrogatus a viro quodam spirituali, cur tam tenero affectu et tam aperte ploraret, ait : « Passionem Christi defleo, pro qua non deberem verecundari, sed alta voce per totum orbem lacrymari. » (Pisan., lib. I, *Conf.* 12 in princ. ; Rod. et Reboll. ubi supra ; D. Bernardinus, tom. II, Serm. 60, art. 2, cap. 2, tract. de *Octo apparit ; Specul. Vitæ Franc.*, fol. 118 ; Marianus, lib. I ; *Chronic.*, cap. 3.)

APOPHTHEGMA IV.

Internum Dei calorem externum depellere algorem.

Interrogatus quomodo vestitu tam tenui posset se ab hiemalis algoris asperitate tueri, respondit : « Si supernæ patriæ flamma contegeremur interius, frigus istud exterius facile portaremus. » (Bon., cap. 5, parum post init. ; Pisan., lib. I, *Conf.* 12, cap. 40, et lib. II, *Conf.* 4 ; Rodul., ubi supra ; Franc. Fevardent, lib. III ; Theomach., cap. 14, nº 17 ; Cornel. a Lapide, in cap. 27, Exod., vers. 11.)

APOPHTHEGMA V.

Deo militaturis nihil mundanum reservandum.

Propter querimonias paternas, suadente Assisii Antistite, ut pecunias clam ablatas (quas vilipendens per fenestram ecclesiæ Sancti Damiani projecit, vel ad ejusdem templi, ruinæ proximi, structuram abscondit) patri redderet, animo intrepido, et a terrenis absoluto respondit : « Domine, non tantum pecuniam, quæ de rebus suis est, ei volo reddere libenti animo, verum et, quæ mea sunt, vestimenta. » (Pisan., lib. I, *Conf.* 12, in princ. ; et Rod., ubi supra.)

APOPHTHEGMA VI.

Parentes, et terrena omnia, propter Deum despicienda.

Coram eodem episcopo patre præsente, omnibus se vestibus spoliavit, et juri paternæ cessit hæreditatis, dicens ad patrem : « Hactenus te vocavi patrem in terris, deinceps secure et liberius dicam : *Pater noster qui es in cœlis* (Matt., IV, 9), apud quem omnem thesaurum reposui, et omnem spei fiduciam collocavi. » (Bon., cap. 2, ad med. ; Pisan., lib. I, *Conf.* 6 et 12, in princ. ; Marian., Reboll., ubi supra.)

APOPHTHEGMA VII.

Dei pauperes non assuefaciendos instructis conviviis.

Eremita sancti Damiani, cum vir Dei in Ecclesia reparanda toto conatu et magno cum labore inhiaret, mensam, et mensæ super imponenda sollicite præparabat. Quod ut B. pater, et novus Dei athleta, post aliquot dies secum consideravit, se ita reprehendit : « Invenies tu, peregrine in mundo, quocumque ieris, sacerdotem hunc, qui tantam tibi præstet humanitatem ? Non est hæc vita pauperis, quam elegisti. Modo ergo sicut pauperem decet, vade, et porta paropsidem in manu, et ostiatim quæ tibi cibaria pro Dei amore fideles dederint, in ea coaduna. Ita voluntarie vivere oportet, pro amore illius, qui pauper natus, pauperrimus in sæculo vixit, nudus et pauper mansit, in patibulo, sepultusque est in alieno sepulcro. » (Pisanus, lib. I, *Conformit.* 6, Marianus citatus.)

APOPHTHEGMA VIII.

In Dei obsequio maledictiones sæculi non esse curandas.

Patre, adhuc post conversionem, sancto viro, ubicumque ei occurrebat, maledicente, hominem quemdam pauperculum, et despectum in patrem sibi adoptavit, et in comitem assumpsit, rogavitque ut quoties a patre suo malediceretur, ille e regione sibi benediceret, signoque crucis muniret. Dum ergo a patre malediceretur, a paupere vero benediceretur, ad patrem inquit : « Credo,

PARS QUINTA. – ORACULA.

I

APOPHTHEGMATA B. PATRIS FRANCISCI.

MONITUM IN PARTEM QUINTAM.

Sanctus Franciscus, ut nemo nescit, ad bene agendum, recte et pie vivendum totum se dedit. Neque unquam laudes in docendo concupivit viri subtiliter disputantis, aut elegantiam in scribendo adhibentis. Ad animos audientium permovendos et corda inflammanda divini amoris igne, vi magna præditus fuit, quæ solertia quidem non caruit. Sed vir simplex et humilis, qui se idiotam profitebatur sæpissime, libros condere non est agressus. Fuit potens in sermone, fuit potens et in opere. At, nihil ad ejus gloriam proficit si inter scriptores ei locum assignaverimus. Socrates quidem non scripsit. Qui discipulos sibi formavit, et usque ad nostra tempora ab omnibus agnosci debet ut magister eorum qui philosophiæ operam dederunt. Quod Xenophon et Plato fecerunt, hoc et discipuli S. Francisci conati sunt efficere, videlicet colligendo verba, apophtegmata, colloquia, sermones, parabolas, et alia hujusmodi. Nec mirum est. Quanquam non sit illud vocandum opus, vel opusculum S. Francisci proprie dictum. In his quasi reliquiis colligendis, tota est pars quinta, quæ hic ponitur.

In illa parte Opusculorum, pro more suo, P. de La Haye omnia miscet, omnia sine ordine ponit. Quæ nos ad meliorem modum ordinavimus, sic dividenda :

In primo loco erunt *Apophthegmata;* in secundo, *Oracula,* sive verba vivæ vocis quæ testes omni fide digni retulere; in tertio, *Colloquia familiaria;* in quarto, *Parabolæ* et *Exempla,* quibus in sermocinando usus est; in quinto, *Prophetiæ;* in sexto denique *Benedictiones.* (Edit.)

MONITUM IN APOPHTHEGMATA.

Compendiosa et seria magnorum hominum dicta, et graves eruditæque sanctorum virorum sententiæ, magni sunt facienda, ut pote quæ sub paucis verbis magna et sana comprehendunt consilia. Etenim salutaria monita, gratiæ sale condita, probis præbent hominibus, ut aperte verum sit illud Ecclesiastæ : *Verba oris sapientis gratia;* quia, ut inquit Lyranus, eum reddunt Deo et hominibus gratiosum, Improbis vero et putridis eorum moribus salem infundunt, eosque non leviter fricant et pungunt. *Verba,* inquit idem Præco (Eccl. XII, 11). *sapientum sicut stimuli* qui acriter (explicat Glos. interlin.) pungentes pigros, et excitantes somnolentos, non palpantes, eos a vitiis retrahunt et reducnut. Talia autem Francisci fuisse verba et sententias, docet D. Bonaventura (1), dicens : Nesciebat aliquorum culpas palpare, sed pungere; nec vitam fovere peccantium, sed aspera increpatione berire. Nec ullum ex ore ejus verbum prodibat insipidum aut insulsum, sed sententiosum, et Spiritus sancti gratiæ et virtute respersum (2). « Erant, inquit Bonaventura, ipsius eloquia non inania, nec risu digna, sed virtute Spiritus Sancti plena medullas cordis penetrantia, ita ut in vehementem stuporem audientes converterent. Ut non incommode ei accommodem illa Jobi modesta de se encomia : *Auris audiens beatificat me. Qui me audiebant, expectabant senientiam, et intenti tacebant ad consilium meum. Verbis meis nihil addere audebant, et super illos stillabat eloquium meum. Expectabant me sicut pluviam, et os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum.* » (Job, XXIX, 11, 21, 23.) Ita ex ore ejus pendebant socii, et verba ejus attente audiebant suæ ætatis homines, ut nullum sine observatione præterirent. Quod et nos movit, ad aliorum exemplar, qui Philosophorum antiquorum dicteria et sententias collegerunt, sollicitius ista Francisci perquirere dicta, eaque per varia Capita ordinare. Quædam etenim sunt breviora, lepidioraque, quæ sub Apophthegmatum titulo : alia largiores confabulationes, quæ sub Colloquiorum nomine disposuimus. Alia sunt prophetiæ, alia exempla; alia parabolæ, alia breviores et graviores sententiæ : quæ suis appositis nu-

(1) Bonav. in Leg. majori, c. 12.

(2) Idem., c. 3.

meris facilius invenientur, et commodius possunt citari. Ad finem uniuscujusque illorum qui ejus mentionem faciant, vel varie referant, non tamen eorum servato stylo, et nomina et loca subjunxi.

APOPHTHEGMA I.

Se Dei esse præconem.

Paulo post conversionem, per silvam iter faciente viro Dei, latronibus ex abditis in eum irruentibus, et quis esset interrogantibus, intrepida et prophetica voce respondit : « Præco sum magni Regis. » (Bon. c. 2, *Legendæ majoris;* Rodul., lib. II, fol. 174, pag. 2 ; Pisan., lib. II, *Conform.* 6; *Reboll.*, I p. l. II, c. 16, in fine; Anton. Florent. III part. *Hist.*, tit. 23, cap. 2, § 1; Cornel. a Lapide, in I ad Timoth., cap. 2, num. 70.)

APOPHTHEGMA II.

Laborum præmium majus et certius esse apud Deum, quam apud homines.

Fratri uterino e regione nuditatem et pauperiem ejus irridenti, et magni algoris tempore per socium suum aliquantulum sudoris sibi vendi petenti, se nolle respondit : « Sudorem meum inquit, carius Domino vendam. » (Pisanus libro primo, *Confor.* 5 et 12; Rodulph. et Reboll., supra citati; Sebastian. Barrad., in Exod., libro primo, cap. tert., num. sept. ; Joan. Lorin., in cap. 2, Eccl., 11.)

APOPHTHEGMA III.

Passionem Christi deflendam.

Juxta ecclesiam Sanctæ Mariæ de Angelis, non multum a conversione sua, magno ejulatu et gemitu flebat; et interrogatus a viro quodam spirituali, cur tam tenero affectu et tam aperte ploraret, ait : « Passionem Christi defleo, pro qua non deberem verecundari, sed alta voce per totum orbem lacrymari. » (Pisan., lib. I, *Conf.* 12 in princ.; Rod. et Reboll. ubi supra; D. Bernardinus, tom. II, Serm. 60, art. 2, cap. 2, tract. de *Octo apparit; Specul. Vitæ Franc.*, fol. 118; Marianus, lib. I; *Chronic.*, cap. 3.)

APOPHTHEGMA IV.

Internum Dei calorem externum depellere algorem.

Interrogatus quomodo vestitu tam tenui posset se ab hiemalis algoris asperitate tueri, respondit : « Si supernæ patriæ flamma contegeremur interius, frigus istud exterius facile portaremus. » (Bon., cap. 5, parum post init.; Pisan., lib. I, *Conf.* 12, cap. 40, et lib. II, *Conf.* 4; Rodul., ubi supra; Franc. Fevardent, lib. III; Theomach., cap. 14, nº 17; Cornel. a Lapide, in cap. 27, Exod., vers. 11.)

APOPHTHEGMA V.

Deo militaturis nihil mundanum reservandum.

Propter querimonias paternas, suadente Assisii Antistite, ut pecunias clam ablatas (quas vilipendens per fenestram ecclesiæ Sancti Damiani projecit, vel ad ejusdem templi, ruinæ proximi, structuram abscondit) patri redderet, animo intrepido, et a terrenis absoluto respondit : « Domine, non tantum pecuniam, quæ de rebus suis est, ei volo reddere libenti animo, verum et, quæ mea sunt, vestimenta. » (Pisan., lib. I, *Conf.* 12, in princ.; et Rod., ubi supra.)

APOPHTHEGMA VI.

Parentes, et terrena omnia, propter Deum despicienda.

Coram eodem episcopo patre præsente, omnibus se vestibus spoliavit, et juri paternæ cessit hæreditatis, dicens ad patrem : « Hactenus te vocavi patrem in terris, deinceps secure et liberius dicam : *Pater noster qui es in cœlis* (Matt., IV, 9), apud quem omnem thesaurum reposui, et omnem spei fiduciam collocavi. » (Bon., cap. 2, ad med.; Pisan., lib. I, *Conf.* 6 et 12, in princ.; Marian., Reboll., ubi supra.)

APOPHTHEGMA VII.

Dei pauperes non assuefaciendos instructis conviviis.

Eremita sancti Damiani, cum vir Dei in Ecclesia reparanda toto conatu et magno cum labore inhiaret, mensam, et mensæ super imponenda sollicite præparabat. Quod ut B. pater, et novus Dei athleta, post aliquot dies secum consideravit, se ita reprehendit : « Invenies tu, peregrine in mundo, quocumque ieris, sacerdotem hunc, qui tantam tibi præstet humanitatem? Non est hæc vita pauperis, quam elegisti. Modo ergo sicut pauperem decet, vade, et porta paropsidem in manu, et ostiatim quæ tibi cibaria pro Dei amore fideles dederint, in ea coaduna. Ita voluntarie vivere oportet, pro amore illius, qui pauper natus, pauperrimus in sæculo vixit, nudus et pauper mansit, in patibulo, sepultusque est in alieno sepulcro. » (Pisanus, lib. I, *Conformit.* 6, Marianus citatus.)

APOPHTHEGMA VIII.

In Dei obsequio maledictiones sæculi non esse curandas.

Patre, adhuc post conversionem, sancto viro, ubicumque ei occurrebat, maledicente, hominem quemdam pauperculum, et despectum in patrem sibi adoptavit, et in comitem assumpsit, rogavitque ut quoties a patre suo malediceretur, ille e regione sibi benediceret, signoque crucis muniret. Dum ergo a patre malediceretur, a paupere vero benediceretur, ad patrem inquit : « Credo,

pater, quod Deus potest mihi dare et dedit patrem, benedictiones pro tuis maledictionibus elargientem. » (Pisan., lib. I, *Conform.* 5; *Speculum Vitæ Franc.*, fol. 188.)

APOPHTHEGMA IX.

Bona quæcumque dominis restituenda.

Bernardus de Quintavalle, inter Assisiates proceres non ultimus, et inter socios beati viri primus, admiranda ejus sanctitate commotus, ut mundum relinqueret, et Dei virum sequeretur, interrogavit, Si quis, Pater, a Domino suo pauca vel multa in plures annos reciperet, nolletque eis amplius uti, quid de hujusmodi bonis tibi melius faciendum videtur? « Domino suo, inquit, a quo eadem recepit, reddenda. » Quibus innuit, mundum relicturum, quæ a Deo accepit bona, pauperibus debuisse largiri. (Pisanus, lib. I, *Conform.* 8 et 12; Rodulph., lib. I, tract. *de Moribus et vita sociorum B. Francisci*, fol. 58, p. 1.)

APOPHTHEGMA X.

Sanctorum simplicitatem magni faciendam.

Sanctitatem et simplicitatem B. Juniperi, qui unus ex sancti Patris discipulis fuit, quantopere admirans, et ad discipuli nomen alludens, adstantibus dicebat: « Utinam, Fratres, de hujusmodi Juniperis magnam silvam haberemus! et dico vobis, quod ille est bonus frater Minor, qui pervenit ad simplicitatem fratris Juniperi. » (Pisan., lib. I, *Conf.* 8, tract. de Prov. Romæ; Rodul., l. I. tract. *de Beatis viris Ordinis Min.*, fol. 118, p. 2.)

APOPHTHEGMA XI.

Abstinentiæ rigore sensuales motus esse reprimendos.

Interrogatus, cur tanta disciplinæ rigiditate sensuales appetitus arcebat, ut vix necessaria sumeret sustentationi naturæ: « Difficile est, inquit, necessitati corporis satisfacere, et pronitati sensuum non parere. » (Bon., c. 5, in princ.; Rodul., l. II, tract. *de Oraculis* B. Franc., fol. 174, p. 2; Vinc. Belvac., 2 p. *Histor.*, l. XXXI, c. 101.)

APOPHTHEGMA XII.

Viro spirituali carnis tentationem statim abigendam.

Circa conversionis suæ primordia tempore hiemali in foveam plenam glacie seipsum plerumque mergebat, ut et domesticum sibi hostem perfecte subjiceret, et candidum vestimentum pudoris a voluptatis incendio præservaret. Cujus veluti rationem reddens sociis, dixit : « Tolerabilius viro spirituali est, incomparabiliter magnum sustinere frigus in carne, quam ardorem carnalis libidinis vel modicum sentire in mente. » (Bon., cap. 5 ante med.)

APOPHTHEGMA XIII.

Carnis rebellionem matura in illam animadversione subjugandam.

Ex dæmonis fallaci colloquio, et callida suggestione gravem carnis tentationem præsentiens, deposita veste, chordaque se fortissime verberans, corpori dicebat : « Eia frater asine, sic te decet manere, subire flagellum. Tunica Religioni deservit, sanctitatis signaculum præfert, furari eam libidinoso non licet : si quo vis sic nudus pergere, perge. » (Bonav. ubi supra ad med.; Rodul. ubi supra; Pisan., l. I, *Conf.* 12, in princ.; Anton. Patavin., Serm. 3; Dom., I, in 2, Quadrag. Quædam his similia refert B. Hier. de S. Hilar. in ejus *Vita.*)

APOPHTHEGMA XIV.

Religiosis paupertatem pro dignitate et hæreditate reputandam.

Ad comedendum invitantibus aiebat : « Nolo dimittere regalem meam dignitatem, et hæreditatem, ac professionem meam et Fratrum meorum, ire scilicet pro eleemosyna ostiatim. » (Pisan., lib. I, *Conf.* 6.)

APOPHTHEGMA XV.

Muscis similes esse Religiosos otio vacantes.

Fratrem quemdam otiosum, huc illucque vagantem, aliorumque labores manducantem, a consortio Fratrum expulit, dicens : « Vade viam tuam, frater musca; quoniam vis comedere laborem fratrum tuorum, et otiari in operibus Dei, sicut fucus, apis otiosa et sterilis, quæ non operatur nec laborat, sed comedit laborem et lucrum bonarum apum. » (Pisan., lib. I, *Conform.* 12, in princ., et c. 22 et lib. II, *Conform.* 4; Bon. et ubi supra, ad med.; Rodulph., lib. II, tract. *de Orac.* S. Franc., fol. 175, p. 1.)

APOPHTHEGMA XVI.

Taciturnitatem Religiosis colendam.

Comperiens quemdam verbis assuetum inanibus, acriter redarguit dicens : « Taciturnitas modesta, et puri cordis est firma custodia, et inter virtutes magnas non modica : mors enim et vita sunt in manu linguæ (*Prov.*, XVIII, 21), non tam ratione gustus, quam ratione loquelæ. » (Bon. ubi supra.)

APOPHTHEGMA XVII.

Religionibus perniciosum, et cunctis abominabile, detractionis vitium.

Audiens quemdam Fratris famam denigrantem, Vicario suo dixit : « Surge, surge, discute diligenter, et si accusatum fratrem innocentem repereris, accusantem dura correctione cunctis redde notabilem. Instant Religioni discrimina, nisi detractoribus obvietur; cito multorum sua-

vissimus odor fœtebit, nisi fœtidorum ora claudantur. Summa volo cures providentia, ne pestifer iste morbus latius se diffundat. Frater qui alium fratrem famæ gloria spoliaverit, habitu est spoliandus nec oculos ad Deum elevare poterit, nisi prius quod abstulerat, reddiderit. » (Bon., c. 8, ante med.; Thomas Celan. in *Legen.* S. Franc., cap. De charitat.; Pisanus, lib. I, *Conform.* 12, cap. 26.)

APOPHTHEGMA XVIII.

Dei servum, licet interius de peccatis doleat, exterius tamen spiritualem debere præ se ferre lætitiam.

Ex sociis quemdam vultu demisso et facie tristi incedentem corripuit, dicens : « De peccatis licet te pœniteat, frater, cur ostendis exterius de tuis offensis dolorem? Inter te et Deum habeas hanc tristitiam, et ora ipsum, ut per suam misericordiam tibi parcat, et reddat animæ tuæ lætitiam salutaris sui (*Psal.* L, 14), qua per peccatum est privata. Coram me vero et aliis ostendas te semper habere lætitiam ; servo enim Dei non convenit exterius tristitiam ostendere, aut faciem habere turbulentam. » (*Legen. antiq.*, c. 8; de Zelo B. Franc., et Pisan., lib. I, *Conf.* 12, cap. 31.)

APOPHTHEGMA XIX.

Dei gratiæ tribuendum, hominem quemcumque peccata cavisse.

Mandato ipsius beati viri, et invitus, ejus individuus comes beatus Leo, multis eum convitiis affecit, furem, blasphemum, adulterum, homicidam, aliaque id genus appellans. Quibus auditis, patientissime tulit beatus Pater, ac semetipsum ob hæc omnia deploravit. Socio vero deinde perquirente, cur illum, tot tantaque mendacia dicere in virum innocentem, cui nihil horum conveniret, compulerit, respondit : « Nihil mentitus es, quoniam sum peccatorum maximus, et hæc omnia eram, et multo pejor futurus, nisi me divina misericordia ab iis malis per suam gratiam servasset immunem. Qui si maximo latroni illam gratiam fecisset, quam mihi, is multo melius ea usus fuisset sanctiorque quam ego evasisset. » (Rodulph., libro primo, *in Vita B. Leonis;* Sabellic., libro decimo, *Exempl.*, cap. 1 ; Cornel. a Lapide in I, ad Timoth., cap. 1, num. 35.)

APOPHTHEGMA XX.

In spirituali paupertate, non in mundana opulentia lætandum.

Iter faciente in Provinciam Franciæ cum B. Fratre Massæo, in quadam solitudine invenientes fontem limpidissimum, ad cujus oram erat lapis magnus, et latus ad modum mensæ, cui superimponentes frustula panis, quæ in quodam pago ostiatim pro eleemosynis accepere, spiritu perquam hilari in tanta paupertate lætabundus, inquit B. Pater ad socium : « Non sumus digni tanto thesauro. Quæ verba multoties repetenti ait socius : Quomodo potest dici magnus thesaurus, ubi tanta urget paupertas? ubi famuli? ubi ancillæ? ubi cyathi? ubi phialæ? ubi vina pretiosa? ubi lautæ dapes? ubi mensa huic lapideæ superimponenda? Hoc, inquit Pater, magnum reputo thesaurum, hanc pretiosam judico mensam, ubi nihil est humana industria elaboratum, nihil mundano effictum ingenio, sed quidquid adest, totum est divina providentia ministratum. » (Pisan., lib. I, *Conformit.*, 8; tractat. *de Loco Assisii*, in Vita B. Massæi ; Rodulph., lib. I, tract. *de Beatis viris Ord. Min.* in *Vita* ejusdem; Floretum, c. 12; Platus, *de Bono Relig.*, lib. III, cap. 8.)

APOPHTHEGMA XXI.

Molestum et turbulentum, mundanas habere possessiones.

Episcopo Assisiati durum et asperum sibi videri affirmanti, Religionem Minorum nullas habere nec admittere possessiones, respondit : « Imo molestum et asperum mihi videtur eas admittere, pro quibus defendendis et conservandis multa sollicitudine opus est, imo et ad sedandas quæstiones et lites, quæ ex eis oriuntur, arma oportet in promptu habere. » (Pisan., lib. II, *Conf.* 4, quæ est 16, in ord.; Rodulph., ib. II, fol. 169, pag. 2; Mar., I p., lib. I, cap. 33. Lege, sit placet, similia apud August. in *Enarr.* ad Psal. 131, modicum post princip., et apud Auctorem *Sermonum ad fratres in eremo.* Sermon. 2, parum ante finem, in Append.)

APOPHTHEGMA XXII.

Deo militaturos omnibus se mundanis debere expropriare.

Cuidam Ordinis habitum petenti præcepit, ut sua pauperibus erogaret : quæ cum cognatis et consanguineis distribuisset, rediissetque ad beatum Patrem, et quæ fecerit narrasset, eum repulit, dicens : « Vade frater musca, nondum existi de cogitatione tua, et de domo patris tui. Non est dignus jungi pauperibus Christi, qui pauperes defraudavit. Incœpisti a carne, ruinosum fundamentum spirituali fabricæ posuisti : vade viam tuam. » (Bonavent., cap. sept., post princip.; Pisanus, libro primo, *Conformitate* sexta et duodecima princip.; Rodulph., libro secundo, tract. *de Oraculis* B. Franc., fol. 175, pag. 1.)

APOPHTHEGMA XXIII.

Prælatum laborum et virtutum subditis debere exempla præbere.

Cum in Galliam prædicandi gratia pergeret, interrogatus a Cardinali Ostiensi Hugolino (qui postea in Summum Pontificem evectus est) cur non apud se (quod maximopere optabat) in Romana Curia remanebat : « Domine, maximam, inquit, mihi compararem confusionem et vere-

cundiam, si postquam fratres et filios meos miserim ad ultimas terræ provincias, in hisce tecum remanerem : me oportet illarum tribulationum participem fieri, quas ipsi propter Deum sunt passuri. » (Pisan., l. I, *Conf.* 12, in princ.; Mar., I p., l. I, c. 50.)

APOPHTHEGMA XXIV.

Carnales non percipere spiritualia.

Brevia et sancta quædam verba, scilicet, Dominus det tibi pacem, ad salutandum populos fratres suos docuit de quibus cum aliqui turbarentur, et fratres timerent : « Dimitte, inquit eos dicere de his verbis sanctis quæ voluerint, quia non percipiunt quæ Dei sunt. Sed et vos nolite de his verecundari, quia adhuc modicum, multi Heroes et Principes de hac salutatione magnam vobis reverentiam exhibebunt. » (Pisan., lib. I, *Conf.* 12, in princ., et l. II, *Conf.* 6.)

APOPHTHEGMA XXV.

Christi pauperibus nullatenus Deum victum aut vestitum negaturum.

Honorio III, Pontifici Maximo, beatum Patrem, ut possessiones et hæreditates acciperet suadenti, multasque ærumnas passurum, si solum de eleemosynis viveret, prædicenti, ait : « Confido in Domino Jesu, quod qui nobis in cœlo promisit, et dabit vitam et gloriam sempiternam, non subtrahet nobis in terra illa modica, quæ corporis victui et vestitui sunt omnino necessaria. » (Pisan., l. II, *Conf.* 4.)

APOPHTHEGMA XXVI.

Solum Deum esse timendum, et ad ejus arbitrium omnia perferenda.

In oratione vir Dei multoties horribiles, dæmonum pugnas sustinuit, sed armis munitus cœlestibus, quanto vehementius impetebatur ab hostibus, tanto fortior in virtute, et ferventior in oratione reddebatur ab hostibus, confidenter dicens ad Christum : *Sub umbra alarum tuarum protege me* (Psal. XVI, 8), a facie impiorum, qui me afflixerunt. Ad dæmones autem : « Facite in me quidquid valetis maligni spiritus et fallaces; non enim potestis, nisi quantum vos manus superna relaxat. Et ego ad perferendum omnia, quæ ille decreverit infligenda, cum omni jucunditate paratus assisto. » (Bon., c. 10, post princ.; Pisan., l. I, *Conf.* 7.)

APOPHTHEGMA XXVII.

Corpus maximum esse hominis adversarium.

In Ecclesia sancti Petri de Bonario prope Trevium, cum peractis orationibus vellet tantisper requiescere, non potuit, imo spiritus ejus timere, et caro immundas sentire cœpit suggestiones. Quo periculoso bello tantisper turbatus, Ecclesiam exivit, et magna clamans voce, ait : « Ex parte omnipotentis Dei dico vobis dæmones, ut exerceatis circa corpus meum, quod vobis datum et permissum fuerit à Domino Jesu Christo : ita enim me vindicabitis de crudeli inimico, et adversario pessimo, quo nullum sentio majorem. » (Pisan., lib. I, *Conf.* 7 et 12, in princ.; Anton., Floren., 3 p., *Hist.*, tit. 23, c. 2, § 1.

APOPHTHEGMA XXVIII.

Non propalandum Dei secretum.

Divinæ sapientiæ secreta, quæ sibi misericorditer pandebantur, nullatenus exterius vulganda judicabat, nisi quantum Christi caritas urgebat, aut proximorum utilitas exigebat. Dicebat enim : « Levi mercede vanæ gloriæ aut honoris, rem impretiabilem contingit amitti; et illum qui dedit, ad non dandum iterum, facile provocari. » (Bon., c. 10, ante med.; Rodul., l. II, tract. de *Orac.* B. Franc.)

APOPHTHEGMA XXIX.

Horas Canonicas cum magna devotione dicendas.

Fecerat quondam ligneum vasculum, ut minutias temporis, ne omnino exciderent, occuparet. Quod cum Horas Canonicas recitanti venisset in mentem, ipsiusque animum paululum distraxisset, motus fervore spiritus, vasculum igni tradidit, dicens : « Sacrificabo illud Domino, cujus sacrificium impedivit. » (Bon., ibid., post. med.)

APOPHTHEGMA XXX.

Religiosos nec cellulas debere habere proprias.

Fratrem quemdam e cellula, in qua beatus Pater habitare solebat, venientem interrogavit, unde veniret. Cui respondenti, e cella tua, Pater, extemplo ait : « Meam dixisti, quam non meam judicavi, alienam deinceps habitare debeo, qui nihil meum habere promisi. » (Pisan., l. II, *Conf.* 4; *Specul. Vitæ Francisci*, c. 9.)

APOPHTHEGMA XXXI.

Mentale lumen corporeo præponendum.

Medico suadenti ut abstineret a lacrymis, si corporei visus cæcitatem vellet evadere, respondit : « Non est, frater Medice, ob amorem luminis, quod commune habemus cum muscis, visio lucis æternæ vel modicum amovenda; quia non spiritus propter carnem, sed caro propter spiritum, beneficium lucis accepit. » (Bon., c. 5, post med.; Pisan., l. I, *Conf.* 12, in princ., et c. 40; Rodul., l. II, tract. *de Orac. B. Franc.*, fol. 175, p. 1.)

APOPHTHEGMA XXXII.

Contemplationem curioso studio præferendam.

Interrogatus a quodam fratre, quem librum,

ad majorem sui profectum et utilitatem, sibi legendum judicaret: « In libro, inquit, crucis lege: mundanæ et curiosæ scientiæ ne vacaveris; beatus erit, qui ab hac se abstinuerit propter Deum. » (Alv. Pelag., l. II, *de Planctu Ecclesiæ*, cap. 69, ante med.)

APOPHTHEGMA XXXIII.

Mulierum aspectum omnino cavendum.

Percontanti socio, cur non respexerit virginem quamdam nobilem, ægrotum charitative visitantem, et humiliter in infirmitate ministrantem; respondit: « Quis non debet timere sponsam Christi? quæ si oculis pudicis prædicatur, magis in sua castitate confirmatur. Me in facie illa viderit, non ego illam. » (Idem ibidem, c. 73.)

APOPHTHEGMA XXXIV.

Religiosos contra sui status perfectionem non debere privilegia desiderare.

Admonentibus et orantibus quibusdam fratribus, ut ad majorem Religionis immunitatem et auctoritatem, a Summo Pontifice privilegia impetraret, dixit: « Hoc meum et Fratrum meorum est privilegium, nullum habere privilegium super terram, sed omnibus obedire, et inferiores nos omnibus reputare. » (Id., ibid., cap. 66, ad finem.)

APOPHTHEGMA XXXV.

Abstinentiam in Religiosis non nisi necessitate compellente relaxandam, et hypocrisis vitium fugiendum.

Infirmitate gravatus, abstinentiæ rigorem paululum, carnem concedendo, relaxavit, quod postea in se reprehendens, ait: « Non decet ut populus abstinentem me credat in publico, et ego carnaliter reficiar in occulto. » Resumptis ergo viribus, et fervore magis admirabili quam imitabili, nudus, et fune ad collum alligato, ad forum processit, ubi populo catervatim accedenti dixit: « Carnem in occulto comedi: non me ergo deinceps, fratres, spiritualem dicite, sed tamquam carnalem et glutonem contemnite. » (Bon., c. 6, post princ.; D. Antonin., II p., *Hist.*, tit. 23, c. 2, § 4; Vinc. Belvac., III p. *Hist.*, l. XXXI, c. 101; Jul. Nigronius *Comment.* in Reg. 6, num. 4 et 7.)

APOPHTHEGMA XXXVI.

In hac vita neminem esse laudandum.

Quibusdam eum beatificantibus et sanctum proclamantibus, dixit: « Filios et filias adhuc habere possum, nolite laudare, quem non judicatis securum. Nemo laudandus, cujus incertus est exitus. Quacumque hora Deus thesauros suæ gratiæ mihi auferret, quos nunc mihi accommodavit, quid aliud apud me remaneret nisi corpus et anima, fidelibus et infidelibus communia. » (Bon., ubi supra, ante med.; Pisan., l. I, *Conf.* 6, et l. II, *Conf.* 5, et Rodul., lib. II, tract. de *Orac. B. Franc.*)

APOPHTHEGMA XXXVII.

Prælatum subditis virtutum exempla dare debere.

Licet innocens ejus caro, quæ post magnam et longam pœnitentiam jam se sponte subdebat spiritui, nullo egeret flagello propter offensas, tamen quotidie renovabat illi pœnas et onera. Quod reprehendentibus quibusdam ait: « Propter alios custodio vias duras, multis namque datus sum in exemplum. Si linguis enim hominum loquar et Angelorum, caritatem autem in me ipso non habeam (1), et proximis virtutum exempla non monstrem, parum prosum aliis, mihi nihil. » (Bon., c. 9, ante med.; Mar., I part., l. I, c. 42.)

APOPHTHEGMA XXXVIII.

Pecuniam Dei servis non appetendam.

Transeunte viro Dei per Apuliam juxta Barium, socius crumenam, seu, illius Provinciæ usitato vocabulo, fundam, quasi denariis refertam, veluti tumescentem offendit, quam flocci pendendam, et ibi relinquendam beatus Pater consuluit. Sed socio, contra illius consilium e terra illam elevante, protinus ex ea serpens non modicus exiliens, simul cum ipsa evanuit. Quam diabolicam deceptionem, quæ beatum Patrem antea non latuit, ut socius reipsa comprobavit, ait vir Dei: « Pecunia servis Dei, o frater, nihil aliud est quam diabolus et coluber venenosus. » (Bon., c. 7, ad med.; Rod. ubi supra; Mar., I p., l. I, c. 32; Anton. Florent., III p., *Hist.*, tit. 23, c. 2, § 2; Jul. Nigr., in *Reg.* 7, num. 10.)

APOPHTHEGMA XXXIX.

De vestitu et suppellectili superflua Religiosis verecundandum.

Pauperculum quemdam obvium habuit in via, cujus cum nuditatem aspiceret, compunctus corde, lamentabili voce dixit ad socium: « Magnam verecundiam intulit nobis hujus pauperis inopia, quia nos pro magnis divitiis paupertatem elegimus, et ecce magis relucet in isto. » (Bon., ibidem; Pisan., l. II, *Conf.* 4; Mar., I p., l. I, c. 33; Plat., l. II, de *Statu Relig.*, c. 3; Anton. Floren., III p., *Hist.*, tit. 23, c. 1, § 1, et c. 2; § 2; *Specul. Vitæ Francisci*, c. 16.)

APOPHTHEGMA XL.

Christi pauperes se pauperioribus subvenire debere.

E Senis redeunti cum pauper quidam seminudus occurreret, ad socium conversus, dixit:

(1) Cor., XIII, 2.

« Oportet, frater, ut mantellum hoc, quod super habitum porto, reddamus pauperculo isti, nam ipsius est. Mutuo enim illud accepimus, donec pauperiorem invenire contingeret. » Socio autem propter sancti Patris necessitatem resistenti, iterum ait : « Pro furto mihi reputo a magno eleemosynario reputandum, si hoc quod fero, non dedero magis egenti. » (Bon., c. 8, *ad med.*; Mar., I p. *Chron.*, l. I, c. 36; *Anton.* citatus.)

APOPHTHEGMA XLI.

Religiosis mendicantibus superfluum quæstum fugiendum.

Fratres quantoties hortabatur, ut inanes discursus, et nimias sollicitudines in acquirendis vel colligendis eleemosynis vitarent, et omnino quæstus superfluos abhorrerent, dicens : « Fratres, petite tantum victui et vestitui necessaria. Ego de me fateor, et gratias ago Deo, quod nunquam fui fur aut latro eleemosynarum; semper enim minus accepi, quam me contingeret, ne alii pauperes sua sorte fraudarentur; quia contrarium facere, semper furtum reputavi. » (Pisan., II, *Conf.* 4; Pelag., lib. II, cap. 64; Rodul., I, fol. 9, pag. 2; *Specul. Vitæ Francisci*, cap. 11.)

APOPHTHEGMA XLII.

Eleemosynam aliquando oratione magis meritoriam.

Fratrem Petrum Cathaneum, tunc Fratrum primicerium, rogavit ut anui cuidam, duorum fratrum Minorum matri, eleemosynam petenti, aliquid erogaret. Quo respondente, nihil domui fuisse quod elargiri potuisset, solumque in ecclesia habuisse Testamentum novum, in quo fratres lectiones nocturnas recitabant : « Da, inquit, huic nostræ matri (ita enim fratrum genitrices appellabat) librum illum, ut illum vendat pro sua necessitate relevanda; credo enim firmiter, plus Deo et beatæ Virgini placiturum, librum hunc huic pauperi erogare, quam, ut in eo legamus, illum nobis reservare. » (Pisan., ibidem; Mar., ubi supra, cap. 37.)

APOPHTHEGMA XLIII.

Propter Deum potius quam propter mundum bona opera facienda.

In suæ conversionis initio, non deposito adhuc habitu sæculari, seipsum accusans quod erga homines propter mundi gloriam liberalissimus fuerit, et firmiter proponens, si quæ sibi remanebant, in pauperum usus deinceps dispensurum, ait : « Qui hucusque non pepercit sumptui, et curialis fuit erga amicos propter mundi inanem gloriam, et favorem transitorium, æquum est ut modo propter Deum, qui liberalissimus est retributor, eadem erga pauperes utatur liberalitate. » (Pisan., lib. I, *Conf.* 6.)

APOPHTHEGMA XLIV.

Sanctorum festivitates non conviviis, sed eorum imitatione celebrandas.

Ad adventum cujusdam provincialis ministri, fratres in conventu Reatino solito melius mensas parantes, et cibos aliquanto abundantiores in die Nativitatis Christi apponentes, acriter reprehendit, dicens : « In die pauperis Christi, a paupertate deviatis? Mementote quod hodie beata Virgo vix habuit panem ad manducandum, et mundi Dominus pro incunabilis, animalium habuit præsepe. Pauperem Patrem imitamini, vagientis Infantuli recordamini. » (Pisan., lib. II, *Conf.* 4 et 7; *Specul. Vitæ Francisci*, cap. 19.)

APOPHTHEGMA XLV.

Magnum esse Sanctorum imperium, religiosis populi tumultum esse sollicite vitandum.

Mortuo beato Petro Cathaneo, cum propter ejus sanctitatem et crebra miracula catervatim in ecclesia Sanctæ Mariæ de Angelis ad ejus sepulchrum, non sine Fratrum incommodo, et quietis silentiique monastici detrimento, undique populi confluerent, ad ejus tumulum accedens beatus Pater, et super illum stans, ait : « Frater Petre, qui mihi in vita promptissimam præstitisti obedientiam, in morte humile non denegabis obsequium. Propter te fratrum tuorum religiosa quies perturbatur, dum a tot tantisque populis debitus honor tuo corpori exhibetur. Per sanctam tibi injungo obedientiam, ne plura deinceps perpetres miracula, ne quod in Dei et sanctorum ordinatur honorem, in hujus religiosæ ædiculæ manifestius vergat detrimentum. » Mirabile dictu! Nullum postea defunctus fecit miraculum, nec populi tumultus amplius venit ad sepulchrum. (Pisan., lib. I, *Conf.* 8, tract. de *Provincia* S. Franc. de loco Assisii; Gonzaga, de *Orig.* et *propagat. Seraphicæ Relig.*, part. II, in tract. de eadem Provincia, et de eodem Conventu.)

APOPHTHEGMA XLVI.

De intolerabilitate et fœditate dæmonis.

Beato fratri Ægidio, tertio B. Patris socio, interroganti an aliquid in mundo adeo terribile esset, quod ejus aspectum ferre non posset aliquis tanto temporis intervallo, quanto Dominicam Orationem posset recitare, respondit : « Adeo intolerabilis est dæmonis aspectus (quo nihil terribilius aut infestius in mundo excogitari potest) quod nec tantillum temporis eum sustinere quispiam valebit, nisi divino fuerit illustratus præsidio. » (Pisan., l. I; *Conf.* 7, et 12, in princ.; Rodul. lib. II, tract. de *Orac. B. Franc.*)

APOPHTHEGMA XLVII.

Magis in Dei benignitate quam pecuniæ thesauris confidendum.

Proceres, et solemnes nuntios Assisinates B. Patrem gravi et ultima infirmitate laborantem, e Noceria, ne alibi quam apud ipsos moreretur, reducentes Assisium, et apud Dei virum conquerentes, quod in villa Sarthiani, in qua ad prandii tempus moram protraxerunt, nihil venale reperiebant, reprehendit, dicens : « Nihil comedendum invenitis, quia plus in muscis vestris (*hoc nomine vocabat denarios*) quam in Domino confiditis. Sed revertimini per domos, quos circuistis, et amorem Dei offerentes pro pretio, humiliter eleemosynam postulate. » Quod ad sancti Patris mandatum humiliter facientes, evenit, ut inopiam, quam illorum pecunia relevare non poterat, Francisci pauperies opulenta suppleret. (Bon., cap. 7, post med.; Pisan., lib. I, *Conf.* 12, in princ., et l. III, *Conf.* 4.)

APOPHTHEGMA XLVIII.

Sanctos mortem non timere, et æqualiter in morte ac vita lætari.

Paucis diebus ante ejus obitum medicum percontatus est, quid sibi de infirmitate, qua laborabat, videretur. Cui timide respondenti : Bene tibi erit per Dei misericordiam. Hilari ac intrepido animo inquit beatus Pater : « Dic mihi, inquam, clare, quid tibi videtur, noli timere, quoniam, per Dei gratiam, corculus non sum ut mortem timeam; cooperante enim Spiritus Sancti gratia, ita Domino meo unitus adhæreo, ut nec de morte mœstus tristabor, nec de longiori vita magis gaudebo ; æqualis mihi erit in morte ac in vita lætitia. » (Pisan., lib. I, *Conf.* 12, in princ., et lib. III, *Conf.* 4.)

APOPHTHEGMA XLIX.

Sanctos in tribulationibus Dei voluntati conformari.

Cum in eadem infirmitate, ad finem vitæ gravius solito dolorum multorum urgeretur aculeis, compatiens ei quidam simplex ac devotus frater ait : Ora Deum, Frater, ut mitius tecum agat, manum enim suam plus debito super te gravare videtur. Quo audito, vir sanctus cum ejulatu exclamans, ait : « Nisi jamdudum simplicem in te cognovissem puritatem, tuum ex nunc utique abhorrerem consortium, qui divina circa me ausus fueris reprehensibilia judicare judicia. Majora mereor tormenta, plura ad Dei nutum libentissime patiar flagella. » (Bon., cap. 14 in princ.; Pisan., lib. I, *Conf.* 5, et lib. III, *Conf.* 4.)

APOPHTHEGMA L.

Magna perfectis viris consolatio ex meditatione Dominicæ passionis.

Cum diuturnis gravaretur languoribus, interrogatus a quodam, quare, ut suos relevaret dolores, quod non jubebat aliquando quidquam sibi legi, quod languentem recrearet animum, respondit : « Nihil mihi tam delectabile quam vitæ et passionis Dominicæ memoria, quæ mihi frequens est et quotidiana ; nec ad finem usque mundi si vixissem, alia indigerem lectione. » (Marc., I p., lib. I, cap. 86, Ital. excus.)

APOPHTHEGMA LI.

Plus esse lucri in vituperiis perpessis, quam in oblatis honoribus.

Dum in quodam castro multi sancto viro exhiberentur honores, dixit socio : « Abeamus hinc, nihil enim hic lucramur dum honoramur ; ibi est nostrum lucrum, ubi vituperamur et vilipendimur. » (*Leg. antiq.*, cap. *De humilit.*; Bonav., lib. de *Luminarib. Eccl.*, Serm. 18.)

APOPHTHEGMA LII.

Tentationibus Dei servos reddi fortiores.

Dixit ei quidam ex fratribus, dæmoniacam puellam revelasse, licet invitam, multa dæmonum agmina contra eum conspirasse, ut suo gradu et virtute dejicerent, quem infensum sibi dicebant hostem. Respondit intrepidus : « Modo fortior sum. » Leg. et Bonav. citati.)

APOPHTHEGMA LIII.

Non facile disputari posse de fide cum ethnicis.

Cum in Ægypto prædicaret, dixit ei soldanus ut disputaret de fide cum sacerdotibus suis. Respondit : « Quod secundum rationem naturalem de fide disputari non poterat, quia supra rationem est; nec per Scripturam, quia illam non recipiebant sacerdotes. Fiat autem, inquit, rogus, et ego in fidei nostræ testimonium me ardentibus tradam flammis, ut dum non lædar, fidei veritas appareat. » (Bonavent. cit., Serm. 19.)

APOPHTHEGMA LIV.

Fugienda hypocrisis.

Infirmum stomachum dolenti suasit Guardianus, ut sub lacera tunica permitteret consui pellem vulpinam. Respondit : « Se ea conditione id permissurum, dummodo exterius in omnium conspectu supersueretur alia ejusdem mensuræ pellis, quæ latentem indicaret. Ut omnibus innotesceret aliquantula illa, quam admisit, mollities, et sub hispida veste blandam scirent latuisse pelliculam. » (Marian., lib. I, cap. 8, § 7.)

APOPHTHEGMA LV.

Aliquando neganda etiam justa, ut injustorum supprimatur desiderium.

Cuidam imperito tironi petenti facultatem retinendi apud se Psalterium, sæpius negando, repu-

lit a se, subdens hæc verba in postrema repulsa : « Fili, Psalterii utendi facultate obtenta, concupisces etiam Breviarium et alios libros ad discendum; et ubi didiceris aliquid, voles in cathedra sedere tanquam magnus theologus aut prælatus, et jubebis fratrem tuum ad te deferre Breviarium. Quibus dictis magno cum spiritus fervore, caput sibi aspersit sæpius cinere, dicens : Ego Breviarium? Ego Breviarium? » (Marc., I part., lib. II, c. 62; Julius Nigron., in *Comment.* ad Regul. 14, num. 11.)

APOPHTHEGMA LVI.

Perferenda patienter peccatorum supplicia in hoc sæculo.

Vapulavit aliquando a dæmonibus, variasque pertulit molestias; quibus nihil fractus spiritu, vehementi dixit fervore : « O Domine, tibi gratias habeo ob immensum tuum erga me amorem et caritatem, quam et nunc clarius manifestas. Punis namque peccata in hac vita, ut condones in futura. Ego, quod ad me attinet, prompto animo adsum, ut alacriter sustineam quamcumque tribulationem et pœnam, quam divinæ tuæ majestati mihi placuerit infligere propter mea peccata. » (Floretum, tractatu de *Stigmat.*, Consid. prim.)

APOPHTHEGMA LVII.

Ex spe gloriæ suavis tolerantia passionum.

Interrogatus, quomodo tam magnos oculorum et totius corporis cruciatus adeo hilari et constanti animo perferebat, respondit : « Tanta est gloria quam expecto, ut omnis me pœna delectet, omnis morbus, humiliatio omnis, persecutio omnis, mortificatio omnis. » (*Specul. Vitæ Franc.*, pag. 127.)

N. Plura erant sancti Patris Apophthegmata, quæ temporis diuturnitate, et humanæ memoriæ fragilitate, vel penitus exciderunt, vel apud ignotos et mihi inconsultos latent auctores : quæ apud eos, quos pro manibus habui, invenire licuit collegi.

II

ORACULA ET SENTENTIÆ, COMMUNES B. P. FRANCISCI.

BREVE MONITUM.

Multas etiam hujus sancti viri sententias salutari refertas doctrina, plerique signarunt Scriptores. Quas potui, coadunavi, et suis numeris, præfixis titulis, distinxi, auctoresque quibus acceptas fero, subjunxi. Fucum non habent eloquentiæ sæcularis, sed salutarem manifestant sub sancta simplicitate veritatem. Simplici corde sermones illius (Job., XXXIII, 3), et sententiam puram labia illius loquebantur. Qui sincere et pure secum has examinaverit, judicabit nihilo inferiores esse vetustorum philosophorum sententiosis argutiis.

ORACULUM PRIMUM.

Carnem contra spiritum plura moliri.

Maximus hominis inimicus est caro : nihil recogitare novit malorum ut doleat, nihil ut timeat prævidere; studium ejus est abuti præsentibus : quod autem pejus est, bona cuncta sibi usurpat, ipsa in suam gloriam transfert; et quod non illi, sed animæ datum est, sibi impudenter arrogat. Illa de virtutibus laudem, de vigiliis et orationibus favorem carpit extrinsecum, nihil animæ relinquens, quærit et de lacrymis obolum (1).

ORACULUM II.

Impretiabile esse eleemosynæ pretium.

Amorem Dei pro eleemosynis offerre, nobilis est prodigalitas; et qui minus ipsum quam denarios reputant, judicarem ego esse stultissimos : nam solius divini amoris impretiabilile pretium ad regnum cœlorum comparandum sufficit; et ejus, qui nos multum amavit, amor est multum amandus (2).

ORACULUM III.

Orationem viris religiosis necessariam.

Orationis gratia viro religioso firmiter desideranda, sine qua nihil in Dei servitio prosperabitur, nec aliquid ab ipso consequetur (3).

ORACULUM IV.

Encomia Evangelicæ paupertatis.

Thesaurus beatificæ paupertatis adeo excellens est et divinus, quod nos indigni sumus in vasis nostris vilissimis illum possidere. Hæc enim est illa virtus, per quam omnes obices tolluntur e medio, dum per illam æterno Domino mens humana conglutinatur. Hæc est, quæ animam in terris positam, facit cum angelis in cœlo conver-

(1) *Legen. antiq.*, et Pisan., lib. I, *Conf.* 12, c. 10; Rodul., lib. II, tract. *de Orac. B. Francisci.*

(2) Bonav., cap. 9, in princ.; Pisan., lib. I, *Conf.* 12, cap. 3.

(3) Bon., c. 10, in princ.; Pisan., ubi sup., c. 5; Rodul., tract. *de Orac. B. Francisci*, lib. II; Franc. Fevard., lib. VIII, Theomach., cap. 14, num. 17.

sari. Hæc est, quæ Christum in cruce sociat, cum Christo in tumulo absconditur, cum Christo de sepulchro resurgit, et Christum comitatur in cœlum. Hæc est, quæ dotem agilitatis super cœlos volandi animabus ipsam amantibus, etiam in hac vita, concedit, cum veræ humilitatis et charitatis arma custodiat (1).

ORACULUM V.

Humilitas sectanda, vana gloria fugienda.

Filius Dei de altitudine sinus paterni ad nostra despicabilia descendit, ut tam exemplo quam verbo Dominus et Magister humilitatem doceret. Stultum ergo est humanis extolli favoribus, aut de terrenis superbire. Quod altum namque est apud homines, abominatio est apud Deum; et quantum homo est in oculis Dei, tantum est in se, et non plus (2).

ORACULUM VI.

Prælati subditos, et prædicatores populos exemplo doceant, non verbo.

Propter præfecturæ officium et prædicandi sollicitudinem, fratres non debent dimittere sanctam et devotam orationem, ire pro eleemosyna, operari aliquando manibus suis, et alia humilitatis opera exercere, non minus quam alii fratres, propter bonum exemplum, et tantarum lucrum animarum. Ad ministrorum namque et prædicatorum exempla subditi et populi ædificantur, vacant libenter orationi, et humiliter inclinant se ad humilitatis opera et obsequia vilitatis. Si enim et hæc illi facere nolunt, non poterunt absque sui confusione, præjudicio, et condemnatione, de illis alios admonere : oportet namque, exemplo Christi, prius facere quam docere, ac simul facere et docere (3).

ORACULUM VII.

Quod opera verba comitentur.

Tantum habet homo scientiæ, quantum operatur; et tantum est religiosus bonus orator, quantum ipse operatur : arbor namque ex fructu cognoscitur (4).

ORACULUM VIII.

Festivitates Sanctorum quomodo celebrandæ.

Festivitates Domini, et aliorum Sanctorum, magis honorantur inopia et paupertate, per quam ipsi cœlum ingressi sunt; quam curiositate et superfluitate, per quam anima elongatur a cœlo (5).

(1) Pisan., lib. I, *Conf.* 12, cap. 15, et lib. II, *Conf.* 4.
(2) Bon., cap. 6, in princ., et Pisan., lib. I, *Conf.* 12, cap. 19, proxime citatus.
(3) Pisan., ibid., cap. 31, *Legen. antiqua*, c. *De perfect. humilit.; Specul. Vitæ Francisci*, cap. 72.
(4) *Legen. antiq.*, c. *De perfect. paupert.;* Pisan., l. I, *Conf.* 12, c. 40.

ORACULUM IX.

Curialitate homines Deo assimilari.

Curialitas est una de proprietatibus Domini, qui solem suum et pluviam, omniaque sua ad vitam necessaria super justos et injustos curialiter administrat. Est enim curialitas soror caritatis, extinctrix odii, et servatrix amoris (6).

ORACULUM X.

De alienis non esse gratas eleemosynas.

Non licet alienum auferre, et pauperibus erogare. Peccati pœna, non meriti gloria est, aliena donare (7).

ORACULUM XI.

Cum intentione et mentis quiete orandum.

Pudere debet quemquam in vagationes nugatorias distrahi, cum tempore orationis magnum Regem alloquitur (8).

ORACULUM XII.

Humili cognitione sui hominem pervenire in Dei cognitionem.

Scientia sui ad Dei cognitionem facile perducit eum, qui sacræ Scripturæ intendens, Dei mysteria humiliter, non præsumptuose scrutatur (9).

ORACULUM XIII.

De aliquo spiritualiter contristatus ad orationem recurrat.

Servus Dei pro aliquo conturbatus, illico ad orationem debet confugere, et tamdiu coram summo Patre persistere, donec reddat ei sui salutaris lætitiam. Si enim in mœstitia moram fecerit, adolescet Babylonicum illud; quod tandem, nisi per lacrymas expurgetur, maximam in corde generabit rubiginem (10).

ORACULUM XIV.

Virtutes et Dei secreta non detegenda.

Famæ pretium est conscientiæ secretum minuere, longeque damnosius et periculosius est abuti, quam carere virtutibus. Nec major est virtus bona quærere, quam parta tueri (11).

ORACULUM XV.

In quo differant licentia et obedientia.

Quæcumque prælati condescensiones, aut facultates post petitionem subditi acquisitæ, proprie

(5) *Leg. antiq.* et Pisan. ib.
(6) *Leg. antiq.* et Pisan. ibid.
(7) *Legen.* Celan., cap. *De paupert.;* Pisan., l. I, *Conf.* 12, c. 40.
(8) *Leg.* Celan. c. *De oratione;* Pisan. ibid.
(9) *Leg. ant.*, c. *De orat.;* Pisan. ibid.
(10) *Leg.* Celan. c. *De orat.;* Pisan. ibid.
(11) *Leg.* Celan.; et Pisan. ibid.

licentiæ sunt. Quod vero prælatus injungit, et subditus non postulat, sacras obedientias censeo nominandas. Obedientiam igitur tutiorem et meliorem (*Eccl.*, IV, 17) judico licentia; quia in ista aliquid propriæ voluntatis regnat, in illa solum superioris præceptum impletur. Summa obedientia est, in qua cortina cortinam trahit, superioris voluntas inferioris voluntatem gubernat; et nihil quod suum sit, aut appareat, habeat caro vel sanguis. Nec obedientia summa et pura desinit esse postulata licentia infideles adeundi ob proximorum lucrum, vel martyrii desiderium, modo a divina inspiratione hoc provenerit desiderium : nam tunc cortina cortinam trahit, divina voluntas humanam; unde et hoc petere, Deo erit acceptum, et a puræ obedientiæ merito non erit alienum (1).

ORACULUM XVI.

Officium divinum cum intentione recitandum.

Si quiete corpus cibum suum, futurum cum ipso vermium esca, accipit; cum quanta pace et tranquillitate anima accipere debet cibum vitæ, qui est Deus, qui per orationem, ac divini Officii solutionem debitam, familiariter nobis exhibetur (2)?

ORACULUM XVII.

Otium omnino vitandum.

Otium omnium malarum cogitationum sentina est : laborandum ergo, et cuique exercitandum in opere, ne otio deditus, per illicita corde aut lingua vagetur (3).

ORACULUM XVIII.

Dei gratiæ et favores non publicandi.

Quando servus Dei in oratione visitatur divinitus, dicere debet : Istam consolationem mihi peccatori et indigno de cælo misisti, Domine, et ego illam tuæ committo custodiæ, quia thesauri tui me sentio esse latronem. Cum autem ab oratione revertitur, sic debet se pauperculum et peccatorem ostendere, ac si nullam sit novam gratiam consecutus (4).

ORACULUM XIX.

Prælatus raro per obedientiam præcipiat, subditus semper obediat.

Raro per obedientiam præcipiendum est prælatis, nec primo fulminandum est jaculum, quod debet esse extremum. Ad ensem non statim manus est mittenda. Qui vero ensem non timet, aut subditus qui obedientiæ præcepto non obedire festinat, nec Deum timet, nec homines reveretur, si omnino non habet causam in obediendo retardandi. Prælatus ergo non debet esse temerarius in præcipiendo : nam quid in temerario præceptore auctoritas imperandi, nisi gladius in manu furiosi? Quid vero desperatius, quam obedientiæ neglector aut contemptor (5)?

ORACULUM XX.

Magnum esse obedientiæ emolumentum.

Tam uberem judico sanctæ obedientiæ fructum, ut eis, qui jugo ejus colla subjiciunt, nullum abire possit tempus iners, nec sine emolumento hora aliqua inaniter pertransire (6).

ORACULUM XXI.

In quo gloriari possit servus Dei.

De omni eo, quod peccator potest, nemo sibi debet iniquo applausu blandiri. Peccator jejunare potest, orare, plangere, carnemque suam macerare; hoc solum non potest, Domino scilicet suo esse fidelis. In hoc itaque gloriandum, si suam Domino gloriam reddimus, si fideliter servientes, ipsi, quidquid donat, adscribimus (7).

ORACULUM XXII.

Magnum deberi reverentiam Sacerdotibus.

Omni reverentia et honore prosequendi sunt Dei sacerdotes, qui omnibus sunt superiores et digniores. Christianorum sunt patres spirituales, et hujus mundi spiritus et vita. Ego si viderem venientem per viam presbyterum, et angelum, ad sacerdotis manus deosculandas citius me conferrem, et angelo dicerem : Expecta me, Angele, quia manus hujusmodi Verbum vitæ contrectant, et ultra humanum aliquid possident (8).

ORACULUM XXIII.

Qualiter gaudere quis possit de alterius bono plus ipso possessore.

Plus, inquit, gaudeo de regno Franciæ, quam ipse Franciæ rex; quia ego gaudeo, quod gaudeat rex de regno suo. Sed hanc habeo ego præ rege prærogativam in gaudio meo, quod rex habet labores et expensas regni, et ego habeo gaudia sine labore et sine expensis (9).

(1) Alvar. Pelag., l II, c. 70, longe post medium; *Leg. antiq.*, c. *De perf. obedien.*; Pisan., lib. I, *Conf.* 12.
(2) Bon., cap. 10, ante fin.; Pisan., ibi. c. 3; *Specul. Vitæ Franc.*, fol. 119.
(3) Bon., c. 5 ad med.; Pisan., l. I, *Conf.* 12, c. 22; Rodul., l. II, tr. de *Orac.* B. Fr.
(4) Bonav., cap. 10, ad med.; Pisan., l. I, *Conf.* 12, in princ.
(5) Pelag., lib. II, c. 69, ante fin.; Pisan., l. II, *Conf.* 5; Rodulph., l. II, tract. *de Orac. B. Franc.*; Sedul. in *Hist.*, *Seraph. comment.* ad c. 6, Vitæ B. Francis., n. 5; *Specul. Vitæ Franc.*, c. 48.
(6) Pelag., ubi supra; Rodulph., tract. *de Orac. B. Franc.*
(7) Bonav., c. 6, post init.; Pisan., lib. II, *Conf.* 6.
(8) Pelag., lib. II, cap. 52, in 3 errore Begardorum; Antonius Florent., III part. *Hist.*, tit. 23, c. 2, § 2; Bern. Senen., tom. I, 20, art. 2, c. 5.
(9) Bern. Senens., t. IV, Ser. 3, in 2 part. post med.

ORACULUM XXIV.

Quæ præcipue curanda Regularium prælatis.

Prælati Regularium hoc potissimum curent mores non mutare, nisi in melius; favores non quærere, potestatem non exercere, sed implere officium (1).

ORACULUM XXV.

Quæ sit vera sapientia.

Summa sapientia est, bona opera facere, et bene se custodire, et judicia Dei considerare (2).

ORACULUM XXVI.

Quanta virtus paupertas.

Vera paupertas radix est obedientiæ, mater renuntiationis, mors propriæ complacentiæ, extirpatrix vanitatis et cupiditatis (3).

ORACULUM XXVII.

Vere obedientiæ commendatio.

Obedientia est fidei opus, probatio veræ spei, argumentum caritatis, mater humilitatis, et genitrix pacis Dei, quæ exsuperat omnem sensum (4).

ORACULUM XXVIII.

De usu librorum.

In libris Fratres quærere debent testimonium Domini, non pretium, aut pulchritudinem. Paucos etiam habere debent, hosque in communi, et ad Fratrum indigentium necessitatem paratos (5).

ORACULUM XXIX.

In quibus acceptatur voluntas pro facto.

Pauper magis potest esse largus quam dives, quia dives si dat quidquid habet, deficiet, et confusus est : si vero non dat cum habeat, licet vellet dare, si sibi non deficeret; voluntas bona est, sed non reputatur pro facto sibi, quia adhuc habet substantiam. Sed pauper qui nihil habet, qui vellet dare pauperi, et nihil habet quod det, et vellet ædificare Hospitalia, non tamen habet unde; in hoc voluntas pro facto reputatur (6).

ORACULUM XXX.

Dei dilectio dulcis, mundi amara.

Gustanti Deum, omnis delectatio mundi videtur amaritudo. Gustate ergo, et videte, quia suavis et dulcis est Dominus, et nunquam te pœnitebit de gustu Dei. Secus est in amando mundum, quia latet hamus in esca illius amoris; quia ille amor mundanorum semper producit multos fructus dolorum : quia si amas uxorem, filios, possessiones, domos, vel honores, cum moriuntur, et deperduntur, tanto majores dolores tibi inferunt, quanto majorem affectionem et amorem habeas illis bonis et rebus (7).

N. In secundo Cod. MS. Assisiano habentur sub nomine Francisci sequentes sententiæ; quarum aliquæ ipsius Sancti propriæ sunt, aliæ vel expresse inveniuntur apud quosdam ex sanctis doctoribus, vel ex eorum sunt doctrina compactæ. Iis familiariter utebatur Franciscus ad suorum instructionem.

1. Hæc sunt arma, quibus dirumpitur anima casta, visus, alloquium, contactus, oscula.

2. Qui vadit in desertum, tribus prœliis caret, visu, auditu, et detractione. (Vide Aug. in Psal. 54, ad illa verba : Quis dabit mihi pennas, etc. et in Psal. 121).

3. Charissimi, in hac valle miseriæ nihil tam pulchrum, tam delectabile possideatis, quo animus vester omnino occupetur. (Vide eumdem trac. 2, in c. 1, Epist. 2, Joan).

4. Fuge creaturas, si vis habere creaturas.

5. Fuge mundum, si vis esse mundus. Si tu es mundus, jam non delectat te mundus.

6. Fuge, tace, et quiesce.

7. Si te excusas, Deus te accusat, et si te accusas, Deus te excusat.

8. Non perfecte bonus est, qui cum malis bonus esse non potest.

9. Tentatio cui non consentitur, est materia exercendæ virtutis.

10. Amor omnia gravia facit levia, et omnia amara facit dulcia.

11. Amor Dei nunquam est otiosus. (Est Greg. Homil. 30, in Evang.)

12. Vestis pulchra, locus, potus, cibus, otia, somnus, Enervant mentem, luxuriamque fovent.

13. Cum dico, *Ave Maria*, cœli rident, Angeli gaudent, mundus exultat, infernus contremiscit, dæmones fugiunt.

14. Sicut cera fluit a facie ignis, et pulvis ante faciem venti dispergitur, sic ad invocationem nominis Mariæ totus malignorum spirituum exercitus separatur.

15. In periculo, in angustiis, in rebus dubiis Mariam invoca, Mariam cogita : non recedat a corde, non recedat ab ore, et ut impetres ejus suffragium, non deseras conversationis exemplum. (Est Bern. Homil. 2, *in Missus* est ad fin).

16. Omnis creatura vilescat, ut Creator in corde dulcescat.

(1) *Specul. Vitæ Francisci*, c. 10, *De spiritu prophet.*, fol. 130.
(2) Marian., lib. I, c. 15.
(3) Jacobus Oddo de Perusio in *Prolog.* 2; *Specul. perfectionis.*
(4) Ibidem.
(5) Marian., lib. I, cap. 15.
(6) Bonav., lib. *de Luminarib. Eccles.*, Serm. 5.
(7) Bernard. Senens., Serm. 17, Extraordinario, 3 part. princip.

III

FAMILIARIA COLLOQUIA BEATI FRANCISCI.

COLLOQUIUM PRIMUM.

Mansuetudine et patientia magnorum emolliendam duritiam.

Perveniens quondam B. Pater ad civitatem Imolensem, urbis episcopum adiit, humiliterque poposcit ut cum illius beneplacito posset populum ad audiendum Dei verbum convocare. Cui episcopus dure respondens, ait : « Sufficit, Frater, quod ego prædicem populo meo. Inclinavit caput verus humilis, et foras egressus, post modicum tempus denuo regressus, episcopum convenit. A quo cum episcopus quasi turbatus requireret, quid iterato petere vellet, humili tam corde quam voce respondit : « Domine, si pater filium uno pepulerit ostio, alio sibi reintrandum est. » Qua humilitate victus, episcopus, alacri vultu eum amplexus est, dicens : Tu et omnes fratres tui de cætero in episcopatu meo, generali mea licentia, prædicate, quia illud humilitas tua sancta promeruit (1).

COLLOQUIUM II.

Minores nihil ex bonis Novitiorum debere sibi reservare.

Cum in loco S. Mariæ de Portiuncula tanta esset inopia, quod non posset hospitibus supervenientibus secundum necessitatis exigentiam provideri, adiit virum Dei vicarius suus, allegans penuriam fratrum, et petens ut intrantium Novitiorum res aliquas reservare liceret, ad quas expendendas recurrere possent fratres tempore opportuno. Ad quem vir sanctus, superni consilii non ignarus, « Absit, inquit, a nobis, frater charissime, ut pro quovis homine impie agamus in Regulam. Malo te altare Virginis gloriosæ nudare, cum necessitas id postulaverit, quam contra paupertatis votum, et Regulæ observantiam, vel Evangelii professionem, aliquid vel modicum attentare. Gratius enim habebit beata Virgo, sancti Evangelii, observato perfecte consilio, suum altare detegi, quam altari suo ornato, Filii sui promissum consilium prætermitti » (2).

COLLOQUIUM III.

Superflua ædificia non decere Fratres Minores.

Idem sancti Patris vicarius frater Petrus Cathaneus domunculam quamdam construi fecit ad commodiorem divini officii psalmodiam, et Fratrum hospitum, in magna multitudine quotidie adventantium, majorem tranquillitatem et quietem. Cui beatus Pater veluti aliquantulum succensens, ait : « Frater, locus iste forma est et exemplum totius Religionis. Mallem ergo quod incolæ hujus ædiculæ pro Dei amore tribulationes tolerent et incommoda, ut alii qui huc veniunt, reportent bonum exemplum paupertatis, quam quod plura construerent ædificia, ne hospites ad monasteria sua redeuntes, magnas ædificent domos, dicentes : « In loco B. Mariæ de Portiuncula, qui primus totius Ordinis est et caput, plura sunt ædificia, quare ad illius exemplum nulla erit prævaricatio paupertatis, si talia etiam et in nostris construamus » (3).

COLLOQUIUM IV.

Bonorum omnium laudem in Deum referendam.

In civitate Interamnensi concionem, episcopo præsente, habuit ad populum, quæ tanti eloquii, tantæ doctrinæ et mysteriorum antistiti visa est, ut postquam e suggesto descenderit humilis prædicator, ad populum surrexit episcopus, dicens : Laudate non modicum Dominum, qui tanta bona per os despecti pauperis vos docuerit, sua mysteria revelaverit, præmium virtutum proposuerit, et pœnas peccatis dignas statuerit. Cavere vobis et a peccatis ; facienda et fugienda per hunc pauperem ipse Dominus hodie ostendit. Ad cujus pedes procidens beatus Pater, ait : « In veritate dico vobis, Domine episcope, nullum tantum mihi concessisse honorem, sicut tu hodie. Alii sanctum, alii beatum me in Dei operibus proclamant, mihi, non Deo, honorem et gloriam tribuentes ; sed tu hodie pro tua sapientia vere me honorasti : Deo, quæ sua sunt, laudem et gloriam tribuens, pretiosum a vili separasti, Deo sapientiam et virtutem, mihi inscitiam et vilitatem appropriasti » (6).

COLLOQUIUM V.

Dei fatuos potiores mundi sapientibus.

Propter suggestionem quorumdam fratrum, laxioris vitæ habenas desiderantium, Hugolinus cardinalis Ostiensis beatum Patrem rogavit, ut

(1) Bon., c. 6, ad med.; Pisan., lib. I, *Conf.* 10, memb. 2, et *Conf.* 12, in princ. ; Rodul., lib. II, tract. de *Orac. B. Franc.*

(2) Bon., cap. 7, ante med. ; Pisan., lib. I ; *Conf.* 8, *in Vita B. Petri Cathanei*, et *Conf.* 12, in princ., cap. 13 ; Rodul., lib. I, in *Vita* ejusdem.

(3) *Speculum perfectionis paupertatis*, cap. 3 ; Pis., l. I, *Conf.* 12, in princ., et l. II, *Conf.* 4.

(4) Pisan., l. I, *Conf.* 6 et 12, in princip. ; Marian., l. I, c. 7.

doctiorum et prudentium quorumdam sui Ordinis patrum consiliis, in Regulæ præceptis mitigandis, acquiesceret, vel unam ex antiquis Augustini, Benedicti, vel Basilii institutis pro se et fratribus suis servandam eligeret. Ad quem nulla verba habuit Evangelici status zelator, sed fratribus ad Capitulum convocatis, coram ipso cardinale, magno spiritus fervore, ait: « Fratres mei, fratres mei, Dominus vocavit me per viam simplicitatis et humilitatis, et hanc mihi pro me, et pro illis qui mihi volunt adhærere et imitari, in virtute ostendit. Nolo igitur quod mihi nominetis servandam Regulam beati Benedicti, Basilii, aut alius cujusvis, præter illam, quam mihi divina misericordia donavit, et ostendit. Ipse Dominus dixit mihi, se velle me suum fatuellum esse in hoc mundo, et me meosque nolle per aliam viam ducere ad cælestem patriam, quam per istam, quæ licet hominibus stultitia videatur, apud Deum tamen pro magna reputatur sapientia. Timeo, ne vestra sapientia et scientia posthac vobis convertatur in ignorantiam et confusionem. » Quæ verba tam magnum cardinali et fratribus timorem incusserunt; ut ad ejus pedes projecti, de petitione sua veniam humiliter imploraverint (1).

COLLOQUIUM VI.

Eleemosynas pauperibus Christi præferendas dominorum conviviis.

Invitatus ab eodem Hugolino ad prandium, acquievit; sed dum mensa sterneretur, clam exiens, aliqua frustella panis petiit ostiatim. Quæ, ut rediit, et ad mensam cum cardinali sedit; in convivio apposuit, et inter assidentes et assistentes, tamquam si lautum aliquod ferculum offerret, divisit. Ex quibus ipse libentius, quam de opiparis dapibus comedit. Ad hæc omnia nobilis hospes modesto rubore perfusus, propter discumbentes, et invitatos, conticuit. Sed ut mensa ablata est, seorsim vocans, quem palam reprehendere erubuit, clam ita familiariter alloqui non timuit : Quare, amabo, hujusmodi rem perpetrasti? magnam mihi injuriam irrogasti; mensam, ad quam te invitavi, micis panis hinc inde asportatis inhonorasti; me ita te fecisse certe pudet. Cui beatus Pater : « Imo, Domine, magno te honore affeci, dum majorem Dominum honoravi. Me fratrum meorum formam et exemplum esse decet et eo magis, quo certius scio quod in hac Religione sunt, et erunt multi fratres Minores nomine et opere, qui propter amorem Domini Dei, et ex Spiritus Sancti unctione, quæ docebit eos, in omnibus humiliabuntur ad plenam humilitatem, subjectionem, et servitium Fratrum suorum. E contrario alii sunt, et erunt, qui aut propter verecundiam aut malam consuetudinem dedignantur et nolunt se humiilare, aut declinare ad eleemosynas petendum, et hujusmodi opera facere servilia. Propter quod oportet me docere eos, qui sunt, et erunt in religione, ut in hoc sæculo, et in futuro inexcusabiles sint coram Deo. Invitatus itaque apud vos, aut alios quoscumque dominos, nolo verecundari ire pro eleemosynis, imo magnam hoc reputo nobilitatem, et regalem judico esse dignitatem, et in honorem vergere illius, qui cum omnium Dominus esset pro nobis fieri voluit omnium servus; et cum in gloriosa majestate sua omnibus abundaret, in nostra humanitate despectus et pauper cunctis indigebat. Volo ergo quod fratres omnes præsentes et futuri aperte sciant, quod pro magna corporis et animæ consolatione habeo, quando ad pauperum mensam sedeo, et majori circumdor gaudio, quando ante me video positas in mensa pauperculas eleemosynas, quæ acquiruntur pro amore Dei ostiatim, quam cum ad vestram vel aliorum mensam lautis dapibus et opiparis ferculis præparatam invitatus, et quasi invitus discumbo. Panis enim eleemosynæ panis est sanctus et benedictus, quem sanctificat laus et amor Omnipotentis. Cum enim frater eleemosynam petit, prius dicit : Laudatus et benedictus sit Dominus Deus, postea addit : Facite nobis eleemosynam pro amore Domini Dei. Laus panem sanctificat, et amor Domini benedicit. » Quibus verbis in lacrymas, ex devotione ortas, prorumpens cardinalis, Fili, inquit, fili mi, fac quod bonum est in oculis tuis, Dominus enim tecum est, et tu cum ipso (2).

COLLOQUIUM VII.

Minores in sua vocatione humili debere manere.

Eidem requirenti, num beato Patri placeret, quod fratres Minores promoverentur ad ecclesiasticas dignitates, magnam universæ Ecclesiæ promittenti utilitatem, si homines tanta sanctitate decoros, et virtutum decore conspicuos, ad præcipua sua gubernacula eveheret, « Domine, ait vir Dei, Minores ideo vocati sunt fratres mei, ut majores fieri non præsumant. Si vultis ut faciant fructum in Ecclesia Dei, tenete illos, et conservate in statu suæ vocationis, et ad prælationes ecclesiasticas nullatenus ascendere faciatis » (3).

COLLOQUIUM VIII.

Prælatos dedecere ventri indulgere, aut lautis uti cibis.

Unus ex sociis eum interrogavit, cur non mitius secum ageret, et corpus tenellum, et pœnitentiæ rigore pene mortuum, tanta rigiditate et abstinentia affligebat, rogavitque ut deinceps permit-

(1) Pisan., lib. I, *Conf.* 6, et 12, in princ.; Ubert., l. V, cap. 7, parum post init.

(2) Pisan., lib. I, *Conf.* 6 et 12, in princ., et lib. II, *Conf.* 4; Plat., de *Bono stat. Relig.*, lib. II, cap. 3; *Specul. Vitæ Franc.*, cap. 22.

(3) Bon., c. 6, post med.; Pisan., lib. I, *Conf.* 6 et 12, cap. 17; Ubert., lib. V, *Arboris Vitæ Christi*, cap. 3.

teret meliora cibaria sibi præparari. Ad quem vere pœnitens, et prælatorum exemplum, ait: « Bene fateor, frater, quod corpori meo plura necessaria sunt, nec omnia quibus indiget, semper illi ministro. Memini namque me positum a Domino in multorum formam et exemplum. Nolo ergo lautioribus nec abundantioribus cibis uti, sed paucis et pauperculis vesci: et in omnibus quæ ad vitam opus sunt, iis solummodo gaudeo et delector, quæ sanctam redolent paupertatem; alia vero quæcumque sumptuosa et delicata penitus abhorreo » (1).

COLLOQUIUM IX.

Regulam Minorum non a B. Francisco compositam, sed a Deo desuper esse concessam.

Honorio Tertio Summo Pontifici, qui Regulam Minorum octavo sui Pontificatus anno sub Bulla confirmavit, aliqua ejusdem Instituti præcepta dura nimis et humanæ infirmitatem graviora visa sunt. Beatum ergo Patrem hortatus est, ut quædam mitigaret, quædam mutaret, alia vero omnino tolleret. Cui beatus Legislator: « Ego, beatissime Pater, præcepta aut verba illa in Regula non posui, sed Christus, qui omnia utilia et necessaria saluti animarum ac fratrum, et bono statui et conservationi Religionis, melius omnibus novit, cuique omnia, quæ ventura sunt in Ecclesia et Religione nostra, præsentia sunt et patent. Non ergo debeo nec possum Christi verba mutare, aut omnino abolere » (2).

COLLOQUIUM X.

Ad magnum Ecclesiæ profectum varias in ea florere, Religiones.

Obviam se habuere in Urbe vir Dei, et beatus Pater noster Dominicus Prædicatorum patriarcha et fundator inclytus: quibus seria quædam ad animarum salutem, et plurima ad Ecclesiæ catholicæ emolumentum et pacem secum proponentibus et disponentibus, ait prædicatorum magnus ille decor ad socium et amicum suum Franciscum: « Frater carissime, propter magnam meam tecum necessitudinem, præcordialem erga filios tuos amorem, et pacis fraternitatisque inter tuos et meos stabilitatem, utrosque gauderem sub una Religione militare; ut quos Patrum firmus amor ita conjunxit, Religionis aut vitæ disparitas non dissolvat. » Cui summa humilitate Franciscus: « Divinæ est voluntatis, amantissime Frater, quod factum est, ab eaque ordinatum est diversas a nobis fundari Religiones, ut in utriusque varietate, præceptorum diversitate, illorum rigore, et horum lenitate, varietati subveniatur humanæ infirmitatis, et quibus hæc non placent, illa non displiceant, quibus una dura videtur, altera lenior appareat, et sic non unius Religionis angustiis Deus animas perdat, sed alterius capacitate lucretur » (3).

COLLOQUIUM XI.

Dei servos quo sanctiores eo humiliores.

Beatus frater Pacificus, cum in comitatu viri Dei esset, et una cum ipso in ecclesia S. Petri de Bonario prope Trevium ferventi oraret affectu, in eetasi factus, vidit inter multas in cœlo sedes, unam ceteris digniorem, pretiosis ornatam lapidibus, et omni gloria refulgentem. Miratus intra se præcelsi throni refulgentiam, anxia cœpit cogitatione perquirere, quis ad illum deberet assumi. Ita stupefactus audivit vocem dicentem sibi: Sedes ista unius de ruentibus fuit, et nunc humili servatur Francisco. Reversus demum frater ad se ab orationis excessu, virum beatum ecclesia exeuntem solito fuit more secutus. Cumque incedentes per viam de Deo invicem colloquerentur, frater ille visionis suæ non immemor, solerter ab eo quæsivit, quid de seipso sentiret. Ad quem humiliter Christi servus. Videor, ait, mihi maximus peccatorum. Cui cum frater diceret ex adverso. Hoc non potes, Pater, sana conscientia dicere, nec sentire; subjunxit: « Si quantumcumque sceleratum hominem tanta fuisset Christus misericordia prosecutus, arbitror sane quod multo, quam ego, Deo gratior esset » (4).

COLLOQUIUM XII.

Omnia bona Sanctorum a Deo provenire, in eumque esse referenda.

Beatus frater Massæus, unus ex beati patris discipulis, secum hæsitans et fluctuans, an ex honore, quo virum Dei cuncti populi et principes prosequebantur, aliquantisper superbiret, et humilitatis paternæ experientiam faciens, exeuntem e silva quadam, in qua per aliquot dies oravit, magna hominum multitudine comitatum, magna voce veluti admirabundus interrogavit: Unde hoc tibi? unde hoc tibi? unde hoc tibi? Respondit pater: Quid? Cui ille: Quod totus mundus te venerari, te sectari, imitari, et sequi videatur: omnes te audire desiderant, te videre cupiunt, tibi obedire festinant. Unde hoc? Tu, non es pulcher aut decorus, satis modica lucet in te sapientia aut scientia, tenui viges nobilitate. Unde ergo quod totus mundus ad te veniat, et post te vadat? Quæ ut audivit humillimus Dei servus, erectis per modicum tempus

(1) Pisan., lib. II, *Conf.* 7.
(2) Pisan., lib. I, *Conf.* 9, memb. 2.
(3) Pisan., lib. I, *Conf.* 12, in princ.; Pelbar. a Themes. *Serm.* de B. Francisco, Cod. MS. Fan., c. 2.
(4) Bon., c. 6, post med.; Pisan., lib. I, *Conf.* 6, et lib. II, *Conf.* 5; *Legen. antiqua*, cap. *De perfectione humil.*, ad med.; Rod., lib. II, tract. de *Orac.* B. Franc., post med.; Sedul., lib. I, *Apol.*, cap. ult., num. 2; Ant., III part. *Hist.*, tit. 24, § 2; Mayron., *Serm. de B. Franc.*; Bern. de Bust., Serm. 2, *de eodem*.

oculis in cœlum, et mente elevata in Deum, et veluti ex raptu quodam in se reversus, utroque poplite in terram defixo, et oculis iterum ad cœlum elevatis, liberalissimo bonorum omnium largitori gratias agens, impetuoso spiritus fervore ait ad discipulum : « Vis scire unde hoc mihi? vis scire unde hoc mihi? et certo scire unde hoc mihi? Hoc mihi ex oculis illis sanctissimis Dei omnipotentis, qui æque pellucide bonos contemplantur et malos, provenire cognoscas. Sanctissimi namque illi Dei oculi nullum viderunt me majorem peccatorem in terris, inter homines insipientiorem, aut in creaturis viliorem, et ideo me tanquam instrumentum assumpsit, et præ cæteris elegit ad aggrediendum et consummandum mirabile opus in terris. Stulta namque mundi semper elegit Deus, ut confundat sapientes, et ignobilia et contemptibilia, et infirma mundi, ut firma destrueret, nobiles et magnates confundat, ut sublimitas virtutis sit ex Deo, non ex creatura : sed qui gloriatur, in Domino glorietur, ut soli Deo sit gloria sempiterna. » (I Cor., I, 27-31.) Quibus auditis, ad magistri pedes discipulus procidit, et ex verborum humilitate, animi submissionem certo comperiit (1).

COLLOQUIUM XIII.

Prælatos superiores ab inferioribus in suo regimine debere adjuvari.

Postquam B. pater generalatus officio renuntiavit, frater quidam devotus et simplex, mœrens et sentiens se aliosque fratres a tanti patris cura absolvi, et protectione destitui, lugubri voce illum affatus est, dicens : Quantum mihi et confratribus meis insit mœroris et tristitiæ, tu, bone pater, si patrem fas sit vocare, qui filios a sua cura repulerit, ipse judicare poteris. Unde hoc oro te, ut quos Deo sollicito amore pepereris, modo tanquam alienos alteri nutriendos commiseris? Tuorum iterum suscipe curam natorum, et perfice in eis sanctæ religionis studium, ne sub aliorum remissione tepescat, quod sub tua sollicitudine tantopere fervebat. Cui B. pater respondit : « Fili mi, ego fratres meos quantum possum diligo, quos ut meos proprios natos in dies magis diligerem, si illi patris, non aliena sibi proponerent imitanda vestigia; nec alienos potero judicare, dum illis placuerit me pro patre suo reputare. Sed sunt quidam de numero prælatorum, qui dum antiquorum eis exempla proponunt, alia consulunt, et alio ducunt et trahunt, mea præcepta flocci pendunt, et salutaria monita contemnunt. Quæ vero modo faciunt, si bene, si perperam consulant, ipsarum rerum exitus et temporis decursus comprobabunt. Væ tamen illis, prælatis qui mihi sunt contrarii, quos Dei voluntati repugnare liquido mihi constat licet invitus, quibusdam condescendam. Dolor mihi est, et afflictio magna, frater, quod ea quæ per magnum orationis et meditationis laborem a Domino per suam misericordiam obtinui, et quæ in magnam totius religionis et fratrum præsentium et futurorum utilitatem redundant, quidam ex superioribus auctoritate sua, et mundanæ scientiæ providentia evertere conantur, dicentes : Ista sunt tenenda, quæ ego contemnenda puto; et quæ servare jubeo, tanquam inania et negligenda despiciunt » (2).

COLLOQUIUM XIV.

Religiosos humilitate magis quam potentia, prælatorum sibi animos conciliare, et exemplo sanctimoniæ magis quam immunitatis privilegiis in Ecclesia proficere.

Ex fratribus, quos binos in omnem terræ regionem ex comitiis generalibus Assisii, ubi supra quinque millia ex omnibus provinciis convenere, ad disseminandum Dei verbum transmisit, quidam cum mœrore redeuntes, apud eum conquesti sunt, quod ab aliquibus episcopis repulsi, in eorum diœcesibus prædicare non potuerint, dicentes : Pater, ad terras, quas assignasti, transivimus, mandatis tuis obedivimus, votis tamen non satisfecimus, nec pro voto populis profecimus. Plures enim pontifices e diœcesibus suis nos pepulerunt, et quidem, ut pauperibus sæpe contingit, tanquam ignotos et suspectos non modicis injuriis affecerunt. Impetra ergo, Pater, a summo omnium pontifice licentiam et privilegium, ut ubique terrarum, licet episcopi contradicant, prædicare valeamus. Quos beatus pater pie increpans, ait :

« O fratres mei, Dei voluntatem ignoratis, et mihi insipienter auferre vultis mundi victoriam. Vult etenim Dominus Jesus Christus, ut mundum in profunda subjectione et humilitate vincam, et magno opere omnes animas ad ipsum traham per humilitatis exemplum. Fratres mei, omnes verbo convertetis, si omnibus facti, vos humiliatis. Qui vos impie persequuntur, vestra probata patientia convertentur ad Christum, et vestrorum satagent pedum vestigia osculari. Nec tantum debeo desiderare, sub spe salutis aliorum, libertatem habere, quod ego velim profundam humilitatem, quæ statui meo competit, e medio tollere : quia in hoc et ego in virtute proficio, et populus in virtute firmatur. Decet ergo prius per sanctam humilitatem et reverentiam, populorum convertere prælatos, ut conversi videant et ament vitam vestram laudabilem, et reverentiam ipsis exhibitam. Ipsi tunc rogabunt vos, ut populo prædicetis, et omnes vestris interesse jubebunt concionibus. Plura præstabit humilitas, quam possit elargiri privilegium. Si vos vero humiles viderint, et omnino ab avaritia alienos judicaverint ecclesiarum prælati, popu-

(1) Pisan., lib. I, *Conf.* 8, *Tract. de Provincia S. Franc.*, in *Vita B. Massæi*, et lib. II, *Conf.* 5; *Spec. Vitæ Franc.*, fol. 103; Floretum, c. 9; Marianus, lib. I, cap. 5.

(2) Ubert., lib. III, *Arboris Vitæ Christi*, cap. 3; Pisan., lib. III, *Conf.* 12, in princ.

lumque induxeritis, ut ecclesiis jura sua reddant, ipsi vos rogabunt ut saluti populi provideatis, et omnium confessiones audiatis, licet de hoc parum vos curare desiderem : nam qui ad Dominum convertentur, et sua piacula deplorant, multos invenient, quibus sua peccata revelent. Hoc modo episcopos et prælatos facile vincetis (1).

COLLOQUIUM XV.

Quales deceat esse, qui litteris et studio incumbunt.

Audientes quidam ex sociis, Lutetiæ Parisiorum doctores quamplures, aliosque multos in Germaniæ, Italiæ et Galliarum plagis Minorum habitum, sumpsisse, interrogaverunt beatum Patrem, an sibi placeret quod fratres sacræ Scripturæ studio intenderent. Quibus ait : « Mihi quidem placet, dum tamen Christi exemplo, qui magis orasse legitur quam legisse, orationis studium non omittant. Nec tantum studeant, ut sciant qualiter debeant loqui, sed ut audita faciant, et cum fecerint, aliis facienda proponant. Vel enim fratres meos discipulos evangelicos esse, sicque in notitia veritatis proficere, quod in simplicitatis puritate concrescant, ut simplicitatem columbinam a prudentia serpentina non separent, quas Magister eximius ore suo benedicto conjunxit » (2).

COLLOQUIUM XVI.

Qualiter in primitiva Religione cœnobia Minorum ædificabantur.

In civitate Senarum moram faciente beato Patre propter infirmitatem oculorum, Heros quidam Senensis, Bonaventura nomine, fundum dedit fratribus, ut in eo monasterium sibi ædificarent. Consuluit tamen beatum virum qualiter constituendum esset, dicens : Pater, quid tibi de loco isto videtur? vel quomodo Semneum aut monasterium hic ædificari tibi placet, in quo fratres tui commorentur, quorum orationibus meritoriis operibus, si quæ mihi communicare voluerint, non me parum in animæ bonis profecturum confido. Cui beatus Pater. « Pro agello, quem ad ædiculæ situm satis commodum judico, gratias tibi habemus, honoratissime frater, innumeras, modumque fabricandi paucis ostendam. Ex hoc fundo debent fratres considerare quot jugera sibi sufficiunt, in hac ipsa consideratione ad sanctam attendentes paupertatem, quam Domino ipsis placuit vovere, in nullo violantes bonum exemplum, quod proximis decet exhibere. Qua re bene perpensa, loci diœcesanum adeant episcopum, dicentes : Domine, Heros quidam nobis dedit pro Dei amore, et salute animæ suæ, locum aptum ad monasterium construendum, ad vos primo recurrimus, qui pater et dominus estis animarum omnium gregis vobis commissi, et patronus paterque piissimus omnium fratrum nostrorum, qui in hoc loco modo commorantur, aut postea habitaverint, ut cum benedictione Dei et vestra tuguriolum aut monasterium pauperculum nobis ædificare possimus. Dominus enim vocavit nos in adjutorium fidei suæ, et prælatorum et clericorum sanctæ Ecclesiæ. Tenemur ergo ipsos, quantum possumus, diligere, honorare, et venerari. Vocantur etenim ideo fratres Minores, quia sicut nomine, ita et exemplo et opere præ cæteris hominibus hujus sæculi humiles esse debent. Et quia ab initio meæ conversionis posuit Dominus in ore episcopi Assisii verbum suum, ut mihi bene consuleret, et sapienter confortaret in servitio Jesu Christi : propter hoc et alia multa excellentiora, quæ in prælatis considero, non tantum episcopos, sed et pauperculos sacerdotes diligere volo, et venerari, et pro dominis meis revereri. Accepta deinde benedictione et licentia episcopi, vadant et faciant mitti magnam carbonariam in circuitu terræ, quam pro ædiculæ situ acceperunt, et pro muro bona sepe circumdent et circumvallent in signum sanctæ paupertatis et humilitatis. Domos etiam construi faciant pauperculas ex luto et lignis, et aliquas cellulas, in quibus fratres possint aliquando orare et laborare ad majorem honestatem, et ad vitandam otiositatem. Ecclesias etiam strictiores ædificare debent : nec enim sermonum ergo, aut alia quacumque occasione ecclesias aut templa speciosa, aut magnæ capacitatis vel molis ædificare debent, majorem etenim humilitatem et melius exemplum populo præbebunt, cum in aliis vel alienis ecclesiis prædicaverint. Et si aliquando prælati, vel clerici religiosi, aut sæculares ad loca ipsorum venerint, domus pauperculæ, et cellæ angustæ eis prædicabunt, et animas adventantium magis quam verba composita ædificabunt (3). »

COLLOQUIUM XVII.

Plura pro temporum ratione toleranda.

Frater Leo socius et a confessionibus B. Patris, videns plura majora et sumptuosiora in sublime tolli ædificia, strictæ Minorum paupertati parum decentia, patris voluntatem experiri volens, et quid de hac re sentiret maximopere scire desiderans, coram aliis fratribus ad beatum patrem de his sermonem habuit. Ad quem et circumstantes ait : « Fratres mei audite, ex nostris quidam modo multa et magna ædificant cœnobia, et post nos venient alii fratres nostri, qui magnas facient domos, in quibus notabiles sæculares honorifice habitare poterunt, et tunicas facient sibi valde bonas.

(1) Ubert. ubi supra; Alvar. Pelag., l. II, c. 66, in fine; Pisan., l. I, *Conf.* 10, memb. 2.

(2) Pisan., libro I, *Conf.* 12, cap. 20; Sedul., lib. III, *Apolog.*, cap. 10; Bonav., cap. 11, *Legend.* ad princ., et lib. de *Lumin. Eccles.*, Serm. 22.

(3) Pisan., lib. I. *Conf.* 12, cap. 23, et lib. II. *Conf.* 4; *Specul. Vitæ Francisci*, cap. 10.

Sed sufficit mihi in tempore illo, quod fratres mei custodiant se a peccatis mortalibus » (1).

COLLOQUIUM XVIII.

Spiritui sancto mentiri, qui ad Religionem sinistra intentione accedit.

E civitate Lucana juvenis quidam, parentum illustri prosapia clarus, sed nimia levitate et inconstantia obscurus, ad lacrymas quam ad devotionem promptior, humanis quibusdam causis condescendens, non Dei spiritu agitatus, ad fratres accessit, seque illorum catalogo adscribi maximopere velle significavit. Quem ut ad B. Patrem adduxerunt, multis profusis lacrymis, et ficto cum fervore ad suum admitti consortium humiliter denuo rogavit. Qui externæ fictionis conscius, et internæ tepiditatis non ignarus, commoto vultu, et verbis increpatoriis ait : « Miser, atque carnalis, cur (Act. v, 3), spiritui sancto mentiris, et me fallere cupis? Carnaliter plangis, et spiritus tuus cum Deo non est. Vade, ad carnales revertere, spiritualibus non es dignus, quoniam nihil spiritualiter sapis » (2).

COLLOQUIUM XIX.

Auxiliandos et favore prosequendos sui Instituti zelatores.

Cum cuidam sacerdoti, in theologia magistro, prædixisset beatus Pater, fratres a stricta Regulæ observantia paulatim declinaturos, petiit ille a viro Dei licentiam tutiora et religiosiora loca Religionis petendi, si hujusmodi relaxatio sua ætate oriretur. Cui benignus Pater. « Quod a me postulas, a Christo scias tibi esse concessum, manumque super caput ejus imponens ait : Tu es Sacerdos in æternum (*Psal.* CIX, 9) secundun ordinem Melchisedech » (3).

COLLOQUIUM XX.

Afflictos et tentatos maximopere consolandos, magnumque Sanctorum esse profectum, tentationibus concuti.

Ad majorem meritorum cumulum permisit Deus beatum fratrem Rigerium, ex discipulis beati Patris unum, inter varias et validas tentationes multoties fluctuare, ita ut aliquoties desperationis periculum subiret. Cum vero semel diutius, et plus solito firmissime quateretur, secum ita cogitavit, dicens : *Surgam, et ibo ad Patrem meum* (*Lucæ*, XV, 18) : qui si familiariter et humane me receperit, Deum mihi fore propitium sperabo ; sin aliter, me totaliter dereliquisse judicabo. Quibus dictis, iter a Marchia Anconitana Assisium versus, ubi beatus Pater in Curia episcopali magno et ultimo morbo oppressus decubabat, iter aggreditur. Cujus fluctuantem animum, verba, et itineris causam dum pius Pater cœlitus agnovit, duos ex sociis, Massæum et Leonem, in occursum ejus misit, qui eum benigne reciperent. « Ite, inquit, obviam fratri Rigerio, qui huc me visum venit et ex mea parte illum amplexantes, dulciter salutantes et osculantes, dicite illi, quod ipsum præ omnibus fratribus, qui degunt in universo mundo, totis visceribus diligo. » Quod ut vere obedientes compleverunt, titubantis animus omnimo firmatur in fide, et totus homo subito est liquefactus ex gaudio. Deo ergo gratias agit, quod prosperum fecerit iter suum ad locum ubi infirmus et languidus Pater jacebat. Qui accessit magis fervore caritatis incensus, quam corporis aut virium robore firmatus, in occursum ejus exiliit, et ad collum ejus procidens, paterno affectu ait : « Carissime Rigeri : inter omnes fratres, qui sunt in toto mundo, te ex toto corde intime diligo, Et fronti ejus crucis imprimens signum, et oscula eodem loco infigens ait : Carissime fili, hæc tentatio data est tibi ad maximum tuum profectum. Sed si non vis amplius hujusmodi lucrum, nulla tibi in posterum superveniet tentatio aut afflictio. » Mirabile dictu : præsens statim evanuit tentatio, nec ulla postea successit afflictio (4).

COLLOQUIUM XXI.

Magnam decere Minores in adversis patientiam.

Quodam ex sociis quærente, quæ et qualia Minoribus sint patienda aut toleranda, et beatum Patrem in patientia probatissimum dicente, ait. « Non me judicarem fratrem, nisi in statu, quem tibi depinxero. Ecce pro mei officii ratione, et ut prælatorum mos est, vado ad capitulum, convenio fratres ibidem congregatos, propono eis Dei verbum, commoneo de defectibus quibuscumque. Quibus expletis insurgunt contra me fratres, et dicunt: Non convenis nobis, nec satis es ideoneus generalis aut Superioris officio : quid enim nobis recte præcipere, quomode bene gubernare poterit homo illitteratus, elinguis, idiota, et simplex ? Unde de cetero non præsumas te nostrum nominare prælatum. Tandem ejicior cum approbrio, irrisus, et vilipensus ab omnibus. Dico tibi, nisi eodem vultu, eadem mentis lætitia, et eodem sanctitatis proposito hæc verba audiero, ac alia quæcumque placentia, vel quæ in honorem meum proferuntur, me fratrem Minorem nequaquam judicabo. Nam si gaudeo et exulto cum me honorant propter profectum, virtutem, et devotionem ipsorum, ubi tamen animæ meæ periculum esse potest, multo magis debeo jucundari et delectari de pro-

(1) Pisan., lib. II, *Conf.* 4 et 6.
(2) Pisan., lib. 2, *Conf.* 6.
(3) Pisan., proxime citatus.
(4) Pisan., lib. I, *Conf.* 8, in *Vita Fratris Rigerii*, in tract. *De Provincia Marchiæ ;* Bon. c. 11, post med ; Rodul., l. II, in *Vita Rigerii ;* Anton. Florent. III part. *Hist.*, tit. 23, c. 2, § 3 ; Vincent Belvac., II p., *Hist.*, l. 31, c. 100 ; *Specul. Franc.*, fol. 149 ; Floretum, c. 26.

fectu et salute animæ meæ, cum vituperant me, nam in hoc certum est mihi lucrum. Nam in prælatione casus, in laude præcipitium, in humilitate subditi animæ lucrum est (1).

COLLOQUIUM XXII.

Religiosum nullatenus sacrum obedientiæ jugum excutere debere.

Ut generalatus officio renuntiavit, fratrem Petrum Cathaneum, in ejus locum subrogatum, adiit, humiliter orans et dicens : « Pater et frater carissime, te meum patrem et Dominum confiteor, tuæ curæ animæ meæ tutelam committo, tibi tamquam vero meo ministro omnem reverentiam et obedentiam humiliter promitto. Rogo etiam et oro te per Deum vivum et verum, ut vicem tuam mihi imperandi, et de me curandi, uni ex sociis meis committas, cui in omnibus tuo loco firmiter obediam : nam propter magnum lucrum et meritum obedientiæ, te semper prælatum meum mecum, et coram me semper habere desidero. » Quod ut obtinuit, firmiter usque ad mortem, quæ promisit, complevit : nam domi, vel in itinere, in ecclesiis, vel per plateas, nihil sine socii licentia et obedientiæ jugo perpetrabat (2).

COLLOQUIUM XXIII.

Dei beneficiorum gratam habendam memoriam.

In sacro conventu Montis Alvernæ in sacello cardinalis, a cineribus illustriss. Galeotti de Ubertinis Aretini, Petræ malæ comitis, ac S. R. E. cardinalis, ibi reconditis, sic dicto, in ejus penetralioribus quadratus lapis ferrea crate contectus existit, ex quo beatus pater refectionem sæpius sumpsit, ét supra quem sæpissime instantius oravit. Qua de causa maximo in honore habetur, magna religione colitur; et ne in nihilum redigatur a devotis sæcularibus et ecclesiasticis adventantibus, aliquas ex eo reliquias asportantibus, nec religiosis prohibere valentibus, prædicta ferrea crate communitur. Hunc ut semel beatus Leo pro mensa, mappula, de more solito, hora prandii contegere vellet, prohibuit beatus Pater, subjiciens : « Noli, carissime frater, ita facere, sed mensam primo aqua, deinde vino, rursus oleo, ac tandem balsamo lavare satagito, quandoquidem Christus in ea sedere, mihique, quæ audies, revelare dignatus est. Quater mensam hanc lava, et benedic, quia in ea quatuor hæc Dominus mihi pro Ordine repromisit : primum, Ordinem hunc ad finem usque mundi perseveraturum : secundum, ordinem et fratres ejus ex corde diligentes, quantumcumque peccatores, spiritum compunctionis et misericordiam in vita vel in morte consecuturos : tertium, Hostes et persecutores hujus religionis, nisi pœnitentiam egerint, hac luce diu minime fruituros : quartum, nullum ejus alumnum male in ea viventem, aut suæ professionis oblitum, diu et obstinate in mortali peccato languentem, in ea remansurum, nam vel is proprium crimen confessus emendabitur, vel eo detecto sibi valedicetur. Adjecit Dominus et alia, quæ in horam mortis tibi reservo. » Quod ut dixit, accersens et effundens oleum desuper, dixit : *Hic est ara Dei.* (Gen., XXVIII, 19.) Cujus rei, præter irrefragabile sanctorum priscorum patrum testimonium, et multorum monumenta librorum, ipsa terra firmam in se memoriam habet reverentiæ sibi debitæ et pristinæ religionis, ac se Dei fuisse aram ostendit.

Nam statim post beati Viri mortem e latere montis, in quo sita erat, et ubi mirabilia sua Dominus ostendit, illius Alverni Conventus incolæ ad Sacrarium juxta altare, cum magna reverentia, Dei vivi et gloriosi mysticum hoc altare debito honore transtulere, et beati prædicti Leonis cura in eo hæc verba indelebilia incisa sunt : MENSA BEATI FRANCISCI, SUPER QUAM HABUIT MIRABILES APPARITIONES, SANCTIFICANSQUE IPSAM EFFUDIT OLEUM DESUPER, DICENS : HIC EST ARA DEI. O verum Jacob, tot beneficiis dignum, nullius immemorem ! omnia promeruit humilitas, dum nullius defuit gratitudo (3).

COLLOQUIUM XXIV.

Religiosos magnatum non debere Curias frequentare.

Rogatus a Domino Leone, cardinali sanctæ crucis, ut secum aliquantulum moraretur in Urbe, acquievit humiliter ob petentis reverentiam et amorem. Prima vero nocte, cum post orationem quiescere vellet, supervenerunt dæmones, in Christi militem atrociter insurgentes : quem cum diu et dure verberassent, quasi seminecem reliquerunt. Discedentibus illis, socius advocatus accessit. Cui cum vir Dei rei narrasset eventum,

(1) Bon. cap. 6, ad med. ; Pisan., l. I, *Conf.* 5, et 12, cap. 33.
(2) Alvar. Pelag., lib. II, 69, ante finem; Pisan., lib. II, *Conf.* 5; Bon., c. 6, ante med.
(3) Gonzaga, II part. *Chron.*, tract. de *Prov. Tusciæ*, de *Conv. Montis Alverni*, aliquantis per post princ. ; Pisan., lib. I, *Conf.* 8; Ant. a Sancta Maria in *Manuali Regulæ Min.*; Gregor. IX, qui in *Memoriali antiquo*, ab eodem beato, in Patre se illa audiisse refert ; *Firm.*, I p., fol. 18, p. 2; et Rodul., l. I, in *quadam Appendice*, fol. 8, p. 2. In *Firm.* et *Compendio* Ordinis his continentur carminibus Hexametris satis humilibus et impolitis, quæ Christus super prædictam mensam promisit :

Francisco fudente preces, ut tempore multo
Mos inolevit ei, cœlestis Filius ipsum
Exultare jubet. Annuntio quatuor, inquit,
Dona superna tibi. Stabit tuus Ordo per ævum,
Nullus ibi frater, cui sit perversa voluntas,
Stare diu poterit. Vix Ordinis hostibus annos
Vivere dimidios præstabitur. Ejus amici
Vivent, et vitam concludent fine beato.

subjungens ait : « Credo, frater, quod dæmones, qui nihil possunt, nisi quantum providentia superna disponit, ideo in me nunc tam ferociter irruerunt, quia non bonam spem præfert mansio mea in curia magnatum. Frartes mei, qui in locis pauperculis commorantur, audientes me cum cardinalibus esse, suspicabuntur forsitan me mundanis implicare, efferri honoribus, et deliciis abundare. Ideo melius judico, eum qui in aliorum ponitur exemplum, curias fugere, et humiliter inter humiles in locis conversari humilibus, ut sustinentes penuriam, fortes efficiat similia sustinendo. » Summo ergo mane surgunt, et excusatione proposita, cardinali valedicunt (1).

COLLOQUIUM XXV.

In pauperibus, Christi et Matris ejus pauperiem considerandam.

Contigit semel ut pauperi cuidam, eleemosynam importune petenti, unus e fratribus durius responderet. Quod audiens pauperum pius amator, fratri præcepit, ut ad illius pauperis pedes se nudatum prosterneret, proclamaret culpabilem, orationis suffragium postularet, et veniam. Quod cum ille fecisset humiliter, dulciter Pater adjecit : « Dum pauperem vides, o Frater, speculum tibi proponitur Domini, et pauperis Matris ejus. In infirmis similiter infirmitates, quas assumpsit, considera » (2).

COLLOQUIUM XXVI.

In Religione, non proprio, sed prælati judicio acquiescendum.

Duos juvenes, ad Ordinem recipi obnixe orantes, de obedientia et facilitate ad propriam abnegandam voluntatem experiri volens, secum duxit in hortum, dicens : Venite mecum, et pro Religiosorum victu caules plantate eo modo; quo me facere videritis. » Et plantulis acceptis radices sursum agebat, folia vero terræ mandabat. Quem plantandi modum unus ex juvenibus, vere obediens, per omnia observabat; alter vero pro humano captu aliquantisper sciolus, tamquam hortorum cultoribus insuetum, redarguebat, et vice versa caules plantandos asserebat. Cui beatus Pater, « Fili, inquit, me imitare, et quod ego facio, fac tu similiter. » Quo nolente, quia fatuum sibi videbatur quod fiebat; ait vir Dei : « Frater, video quod magnus es magister, vade viam tuam, simplicem et humilem Ordinem non decent similes magistri, sed simplices et fatui, sicut iste socius tuus. Hic nobiscum remanebit, te recipere non expedit; vade viam tuam » (3).

(1) Bon., c. 6, ad finem; Pisan., l. I, *Conf.* 12, c. 40; Sedul. in *Comment.* ad c. 6, *Vitæ B. Franc.*, n. 10; Ant., III p. *Hist.*, tit. 23, c. 2, § 1.

(2) Bon., c. 7, ante med.; Pisan. citatus et l. II, *Conf.* 4; Antonin. Florent., III p., *Hist.*, tit. 23, § 5; Vincent. Belvac. II p. *Hist.* l. XXX, cap. 106.

(3) Pisan., l. II, *Conf.* 5.

COLLOQUIUM XXVII.

Dæmones nostra lætitia tristari.

Sciscitanti cuidam, quomodo hilarem ac lætum semper præ se vultum vir sanctus ferebat; etsi aliquando tristabatur, vel præ tentatione aut metu peccatorum ; vel tormentorum gehennalium ? Respondit : « Aliquando magnam mihi generant peccata mœstitiam, aliquando etiam tepidam et somnolentam mihi ingerere desiderat satan tristitiam, et ad meam torquetur lætitiam, invidetque mihi de beneficiis, quæ a Domino accepi. Scio etiam et video, quod cum nocere non possunt mihi dæmones, student mihi nocere per socios meos, sanctam in illis extinguendo lætitiam. Si vero per me, vel per socios meos, mihi nocere non possunt, cum magna confusione recedunt. Quando vero me malæ tristitiæ aut accidiæ invadit tentatio, considero lætitiam socii mei, et ad illius gaudium et hilaritatem spiritualem, meam excutio tentationem, et accidiosam tristitiam, et ad interiorem lætitiam et exteriorem jucunditatem accendor » (4).

COLLOQUIUM XXVIII.

Tentationes ad majorem permitti profectum.

Quemdam ex fratribus, præ nimia et molesta tentatione, novit quasi desperatum iri, et timuisse ne si Pater fluctuantem illius animum detegeret, minus sic tentatum diligeret, quem dæmon quasi vacillare coegerat. Afflictum carus Pater natum accersivit, et paterna consolatus est voce : « Ne timeas, nec contristeris, fili mi. Crede mihi, quod nunc plus solito te Dei servum judico, et quo magis tentatum te senseris, magis mihi te noveris esse dilectum. Nullus, fili, se Dei servum reputare debet, quousque per tentationem et tribulationem non transierit. Annulus est quodammodo, victa tentatio, quo Dominus servi sui animam sibi desponsat. Plures sibi de annosis meritis blandiuntur, et nulla sustinuisse tormenta aut tentationes lætantur. Sed quoniam ante congressum solus eos terror elideret, sciant spiritus sui debilitatem a Domino consideratam, et ideo non probari tentatione. Vix enim objiciuntur certamina fortia, nisi ubi fuerit virtus perfecta : signum est amplioris gratiæ, nihil in servo suo impune relinquere in hoc mundo » (5).

COLLOQUIUM XXIX.

Orationem Dominicam omnium maxime salutarem.

Rogantibus fratribus, ut eos doceret orare dixit : *Cum orabitis, dicite, Pater noster* (6). Et adora-

(4) *Leg. antiq.*, c. 8, *De zelo lætit.* spirit.; Pisan. l. I, *Conf.* 12, cap. 31; *Specul. Vitæ Franc.*, fol. 120; *Codex MS. Fanen.*, c. 30.

(5) Legend. Celem., cap. *De tentat.*; Pisan., l. I, *Conf.* 12, cap. 16; Rodul., l. 2, *Tract. de Orac. B. Franc.*, ante finem.

(6) Lucæ 11, 2 : vide in *Testamento.*

mus te Christe ad omnes ecclesias tuas, quæ sunt in toto mundo, et benedicimus tibi, quia per Crucem tuam sanctam redemisti mundum (1).

COLLOQUIUM XXX.

Dæmones faciliter effugari.

Fratrem quemdam, angelum nomine, malos angelos valde timuisse propter horribilem quam cum illis habuit pugnam, audivit; qui a sancto Patre vocatus, ita se rem habere confessus est, imo et socium nocturnum à Patre petivit, qui secum in cellula dormiret; timores enim nocturnos majores et molestiores affirmabat esse diurnis. Cui beatus pater : « Eia timide, quid imbecilles et infirmos hostes vereris, quorum vires et potestatem Deum penes esse optime nosti? quod ut experiaris, te jubeo, ut montis hujus vicini altiora cacumina ascendas solus hac nocte, et alta voce dicas : Superbi dæmones, omnes venite ad me modo, et quidquid poteritis, mihi facite, et in me vestrum exercete furorem. » Quod ut ille humiliter fecit, nec ullus dæmon accessit, omnem deinceps depulit metum (2).

COLLOQUIUM XXXI.

De eodem, et diabolum hominum corda indurare.

Gravissima quadam tentatione perculsus fuit beatus Ruffinus circa divinam prædestinationem, qua nullam majorem expertus est : suaserat enim ei diabolus, omnes labores vanos et irritos esse, dum apparuit ei semel in forma Christi crucifixi sub pietatis specie; quare torqueris, inquiens, pauper homuncule, et nihil proficis? quorsum tot orationes et jejunia? Totus mundus non potest mutare quod semel statuit Deus. Tu non es de numero prædestinatorum, sed damnatorum. Pietate motus te commoneo, te hortor, ne tam dure patiaris : memineris te esse damnatum una cum filio Petri Bernardoni, et cum ceteris omnibus, quotquot eum sequimini. Ad hæc territus B. Ruffinus, magno mœrore quem solet princeps tenebrarum immittere affectus est. Unde quasi fidem erga Deum et B. Patrem Franciscum amisit. Hujus rei B. Pater certior factus, vidensque magnum discrimen discipulo suo imminere, misit ad illum B. fratrem Massæum ad montem Subasium, in quo totus hæsitabundus et dubius versabatur. Quem posteaquam B. Massæus visitavit nomine B. Patris, respondit ille quidem nimis desperabunde, nullum sibi esse cum Francisco negotium, nihilque illis esse commune. Ad hæc Massæus : Hem, quid dicis frater Ruffine? quis te fascinavit ne obedires veritati? quorsum hæc? an ignoras beatum Patrem esse quasi angelum de cœlo? Quot animæ suo hortatu salvantur et salvabuntur? volo ut mecum protinus venias ad B. Patrem, qui te cupit, te vocat. Acquievit importune flagitatus Ruffinus. Quem ut vidit B. Pater accedentem, ait : « Heu frater Ruffine, quomodo diabolus te misellum decepit: nonne nosti quomodo toties se transfert in angelum lucis (3)? Diabolus hominum corda indurat; Deus autem emollit, juxta illud : Auferam a vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum (4). Dei visiones lætitiam generant; diaboli, mœstitiam ingerunt. Hujus visionis experientiam fac quæso hujusmodi : convitiis aut vituperio iterum tibi apparentem affice, quæ pro sua superbia sustinere non poterit, quin statim evanescat, et se suamque prodat astutiam; interim in Domino lætare, et in ejus salutari confide. » Cœpit ad hæc ignita verba Ruffinus collacrymari, et ita abiit tristis ad montem, et in cella clausus non cessabat a lacrymis, donec diabolus in solita specie crucifixi sibi apparuit, et ait : Non prohibui quominus colloqui posses cum Francisco; Cui ille : Vade satana, abi in malam rem : ac expecta, aperi mendax guttur tuum, ut illud stercore impleam. Quo audito, diabolus diruptis lapidibus de monte, qui in fragmina collisi magno fragore præcipitanter ruebant, magno impetu et grunnitu discessit (5).

COLLOQUIUM XXXII.

Otium fugiendum, et labori indulgendum.

Quosdam otiantes, alios vero tepide laborantes, coram fratribus reprehendit, dicens : « Tepidi, nec se familiariter et humiliter, labori applicandos, de ore Dei cito evomentur (6). Fratres ergo omnes laborare volo, et exercitari humiliter in bonis operibus, ut simus populo minus onerosi, et cordis et linguæ malis obviemus, ne per malos cogitatus aut aliorum famam evagentur. Qui vero laborare nesciunt, addiscant : lucrum autem, vel mercedem laboris, non laborantis arbitrio, sed Guardiani vel prælati disponendum » (7).

COLLOQUIUM XXXIII.

Pauca hic toleranda, ut bonis perfruamur æternis.

Fratres ad Regulæ et professionis suæ observantiam exhortans, omnibus dicere solebat : « O dilectissimi fratres, et in æternum benedicti filii, audite me, audite vocem patris vestri. Magna promisimus, majora promissa sunt nobis. Servemus hæc, suspiremus ad illa. Voluptas brevis, pœna

(1) Bonav., cap. 4, parum post princ.; Vincent. Belvac., II p., *Histor.*, l. XXX, c. 99.
(2) *Leg. antiq.*; Pisan., l. I, *Conf.* 8, in *Vita B. Angeli*.
(3) 2 Cor., XI, 14.
(4) Ezech., XXXVI, 26.
(5) Pisan., l. I, *Conf.* 8, in *Vita B. Ruffini*; Rodul., I, in ejusdem *Historia*; Floretum, c. 28; Marian., l. I, c. 5.
(6) Apoc., III, 16.
(7) *Leg. antiq.*, c. *De perfect. humil.*; Pisan., l. I, *Conf.* 12, c. 5; Bon., c. 5, ad med.

perpetua. Medica passio, gloria infinita. Multorum vocatio, paucorum electio, omnium erit retributio (1).

COLLOQUIUM XXXIV.

Lenitate duritiam et murmur aliorum vincendum.

De ultramarinis plagis, quas ad disseminandum Dei verbum et Ægypti Soldanum convertendum petiit, Assisium rediens, socium habuit fratrem Leonardum de Assisio, nobilibus ortum parentibus. Contigit autem fatigatum et lassum, parumper asellum conscendere : subsequens autem pedes socius non modicum defessus, humanum aliquid passus, cœpit dicere intra se : Non de pari ludebant parentes ejus et mei : en ipse equitat, et ego pedester asinum ejus sequor. Hoc illo cogitante, protinus descendit vir sanctus, et ait : « Non convenit, Frater, ut ego equitem, et tu venias pedes, quia tu nobilior et potentior me in sæculo fuisti. » Obstupuit illico frater, et rubore suffusus, deprehensum se cognoscens, procidit ad pedes ipsius, et lacrymis irrigatus humanum exposuit cogitatum, veniamque poposcit (2).

COLLOQUIUM XXXV.

Subditi inobedientiam a diabolo provenire.

Quodam tempore Vicarius ejus Capitulum celebrabat, ipse vero in cella sequester et medius inter Deum et fratres orabat. Cum igitur unus ex illis, excusationis quodam contectus palliolo, se disciplinæ subdere nollet, vidit hoc vir sanctus in spiritu, et de fratribus quemdam vocans, ait : « Vidi, frater, diabolum super illius fratris inobedientis dorsum, collum ejus tenentem adstrictum; qui tali sessore subactus, obedientiæ freno spreto, instinctus ejus sequebatur habenas. Et cum rogarem Deum pro fratre, subito dæmon confusus abscessit. Vade igitur, et dic fratri ut obedientiæ sanctæ jugo collum sine mora submittat. » Monitus per internuntium frater, statimque conversus ad Deum, ad pedes Vicarii humiliter se projecit (3).

COLLOQUIUM XXXVI.

Nullatenus mentiendum, aut fratrem scandalizandum.

Ex duobus fratribus de Terra Laboris ad sanctum patrem visendum venientibus, antiquior nonnulla scandala intulit juniori. Quem beatus pater interrogavit, qualiter socius erga ipsum se habuisset in via? Quo respondente, utique satis bene, subjunxit : « Cave, frater, ne sub humilitatis specie mentiaris. Scio enim, scio quid actum sit : sed expecta modicum, et videbis. » Admiratus est junior, quomodo fratris peccatum viro Dei innotuit. Induratus vero antiquior facti impœnitens, non post multos dies religioni valedixit (4).

COLLOQUIUM XXXVII.

Deo gratum esse, Minorum fovere religionem, et in Evangelio esse prædictam.

Nonnunquam beatus Pater fratres ad petendum eleemosynam exhortans, verbis utebatur hujusmodi : « Ite, inquit, quoniam hac novissima hora fratres Minores commodati sunt mundo, ut electi in eis impleant, unde a judice commendentur, illud audientes suavissimum verbum : Quamdiu fecistis uni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis. Impii vero et crudeles reprehendantur et ejiciantur, audientes durissimum illud eloquium : Quamdiu non fecistis uni de Minoribus his, nec mihi fecisti. » Jucundum ergo est sub fratrum Minorum titulo mendicare, quem in retributione justorum, evangelicæ veritatis magister ore suo tam signanter expressit (5).

COLLOQUIUM XXXVIII.

Panem pro Dei amore mendicatum, panem esse angelorum.

In festis præcipuis, ubi opportunitas aderat, mendicare solebat, dicens : « In sanctis pauperibus propheticum illud impleri : Panem angelorum manducavit homo. (IV Esdræ, 19.) Ille, inquit, est panis angelorum, qui pro Dei amore petitur, et beatis suggerentibus angelis, pro ipsius caritate largitum sancta paupertas colligit ostiatim » (6).

COLLOQUIUM XXXIX.

Religiosos et doctores sanctæ vitæ exemplo populo prædicare debere.

Interrogatus a quodam sacræ theologiæ doctore, sacri ordinis Prædicatorum quomodo locus ille Ezechielis esset intelligendus : « Si non annuntiaveris impio ut avertatur a via sua impia, et vivat; ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram » (7); ait : « Si verba hæc debent generaliter intelligi, ego illa ita censeo declaranda, quod servus Dei sic debet vita et exemplo in seipso ardere et fulgere, ut luce exempli et lingua sanctæ conversationis omnes impios reprehendat : sic enim splendor vitæ ejus, et odor famæ ipsius annuntiabit omnibus iniquitates suas. Cujus oppositum si fecerit, populos aut proximos scandalizando, divinæ ultionis non evadet judicium » (8).

(1) Firma, I p., fol. 17, pag. 1; *Manuale Minorum* a Guillelm. Spelbergio collectum, pag. 28.
(2) Bonav., cap. 2, ad med.; D. Anton., III p. *Histor.*, titul. 23, cap. 2, § 1.
(3) Bon., ib., ad fin.; Pelag., l. II, c. 69, in fin.
(4) Bon., *ibid.*; Pisan., lib. I, *Conf.* 12, in princ.; Marc., I part., lib. I, cap. 94.
(5) Bonav., cap. 7, post med.; Pisan., lib. I, *Conf.* 12, c. 18, et lib. II, *Conf.* 4; Ubert., lib. V, c. 2.
(6) Bonav. et Pisan., *ibidem.*
(7) Ezech. III, 8.
(8) Pisan., lib. I, *Conf.* 12, in princ., et cap. 24;

COLLOQUIUM XL.

Verum obedientem mortuo assimilari.

Inobedientem quemdam fratrem omnibus jussit vestibus spoliari, in altam conjici foveam, et humari. Cui cum fratres ad Dei viri monitum terram superinjicerent, cum jam solum caput inhumatum remaneret, accessit pius pater, et ait: Esne mortuus frater? esne mortuus? cui ille, inobedientiæ pœnitens. Ita pater, inquit, jam mortuus sum. « Surge, inquit ille, si vere mortuus es, et prælato tuo, sicut debes, ad nutum illius obedito, nec præcepto in aliquo repugnes, sicut nec humo mortuus in aliquo contradicit. Mortuos, non vivos ego meos volo sectatores » (1).

COLLOQUIUM XLI.

Quam pretiosus paupertatis thesaurus.

In quodam templo orare instítit comite F. Massæo, ut sibi et suis sanctæ paupertatis amorem inspiraret, idque tanto fervore, ut ex facie ignis emicare videretnr. Itaque hoc divino ardore incitatus, movit se versus F. Massæum brachiis apertis, eumque magna voce ad se advocans; qui cum admirans ac stupens in sancti Patris brachia se immisisset, tantus fuit Francisci æstus interior, ut anhelitu solo per oris hiatum erumpente, multis illum cubitis in sublime ejaculatus sit. In quo ascensu is postea sæpius narravit tanta se dulcedine delibutum, quantam antea nunquam in vita sua gustasset. Tum Franciscus: « Eamus, inquit, Romam ad sanctos apostolos Petrum et Paulum exorandos, ut nos doceant tum præclarum paupertatis thesaurum recte ac fructuose possidere; is enim ita præstans, itaque divinus est, nos autem ita viles et abjecti, ut indigni simus qui eum talibus vasis teneamus. Hæc enim est virtus de cœlo in nos influens, quæ nos ita instituit et informat, ut terrena cuncta ultro conculcemus, quæque obices omnes e medio tollit, quo humana mens cum Domino Deo suo liberrime atque expeditissime conjungatur » (2).

Ex his paucis beati Patris Colloquiis liquet, qualis fuerit ejus conversatio etiam inter familiares amicos, ita ut verum appareat quod de de eo Rodulph. ait pag. mihi 11, nunquam ex ore ejus auditum esse verbum, aut irritum, aut inutile, quo audientes offendere posset, sed omnia in proximorum utilitatem, et conditoris laudem et venerationem tetendisse. Plura credo ex his Colloquiis nobis excidisse, sola hæc notarunt nostri Scriptores.

IV

PARABOLÆ ET EXEMPLA QUÆDAM B. PATRIS FRANCISCI.

BREVE MONITUM.

Parabolis etiam, ad exemplum Christi Domini, in quibusdam rebus explicandis, ac facilius inculcandis, vel majoris notæ hominibus aut tardioris ingenii viris, usus est, in quibus effingendis et accommodandis suum acumen non parum commendavit. Paucas ex multis has offerimus Lectori.

PARABOLA PRIMA.

Circa pauperes spiritu, infallibilem esse Dei providentiam.

Innocentio III, cui dura nimis et intolerabilis videbatur Regula Minorum, et impossibile victum et vestitum suppetiturum tantam paupertatem profitentibus, hanc proposuit Parabolam: Virgo, quædam pauper, sed speciosa nimis, in solitario et deserto loco degebat; quam ut illius regionis rex vidit, ejus egregiam pulchritudinem admiratus in suam duxit uxorem. Cum qua per annos aliquot in deserto commoratus, quosdam ex ea habuit filios, et matris præ se ferentes venustam speciem, et naturalia quædam delineamenta regis habentes. Ad curiam suam et regni solium reversus monarcha, filios pia mater enutrit, enutritos vero ad regem transmisit, dicens: Filii magno rege sati estis, in sua degit Curia, ego solitudinem hanc nolui, nec potui deserere: vos patrem convenite, et cujus stirpis sitis, declarate. Ille vobis necessaria, et vestræ nobilitati decentia largietur. Quod ut fecerunt, rex statim sua in filiis agnovit indicia, et matris pulchritudinem et venustatem. Quibus placide ait: Ego vere meos vos cognosco natos, et ut prolem regiam vos educabo: si enim alienos et servos ex mea mensa et stipendiis alendos curavi, quanto mihi sollicitior cura erit pro filiis meis, et tam speciosa prole matris vestræ quam

Rodul., lib. I, tract. de *Orac. B. Franc.*, ad finem. Ita similiter locum hunc explicarunt Cyrill. Alex. in *Apolog. ad imperat. Theodos.*; Ambros., lib. II, *Epistolarum*, epist. 17; Augustin., *Homil.* 25, *de annivers. episc. ordinat.*; et S. Columbanus, in *Epist. encyclic. ad univers. sacerdotes*, quæ apud conventum S. Isidori Romæ est MS.

(1) Pisan., lib. II. *Conf.* 5; Sedul., lib. II, *Apolog.*, cap. 5, n. 5.

(2) Plat., *de Bono relig.*, lib. III, cap. 2.

ego vehementer diligo? Cujus filios omnes quos ex me susceperit, ad mensam meam sedere faciam, et in curia mea alendos providebo. Rex iste, sanctissime Pater est Christus Dominus, cœli et terræ Dominus: speciosa virgo, paupertas; quæ in deserto hujus mundi ab hominibus repulsa et contempta, in solitariis locis degebat. Hujus pulchritudinem rex regum Christus e cœlo descendens adamavit, et mundum ingrediens eam sibi statim in præsepio desponsavit. Plures ex ea in hoc deserto filios procreavit, Apostolos, anachoretas, monachos, alios quamplures, voluntariam profitentes paupertatem : quos signa ipsius regiæ Christi paupertatis, humilitatis, et obedientiæ gestantes illa transmisit ad cœlestem Regem; qui benigne eos suscepit, et promisit se alios aliturum, dicens : Ego qui solem meum facio oriri super justos et injustos (*Math.* v, 45), qui Mauris infidelibus, et paganis a fide mea alienis, de mensa et thesauris meis victum et vestitum præbeo, sustento et enutrio, quanto magis hæc vobis libentiori animo concedam, et quæ fuerint necessaria impendam vobis et omnibus qui ex sponsa mea carissima paupertate procreati fuerint? Ad hunc cœlestem regem, Beatisime Pater, domina et regia sponsa paupertas hos suos mittit filios, prioribus et senioribus nequaquam viliores, nec a patris aut matris pulchritudine degeneres, summam et perfectam paupertatem profitentes. Non est ergo formidandum, quod fame pereant æterni Regis filii et hæredes, qui ad imaginem Regis Christi, per Spiritus Sancti viritutem de paupere matre nati : nam et ipsi per spiritum paupertatis sunt in Religione paupercula abunde nutriendi. Si enim Rex cœlorum imitatoribus suis promittit regnum æternum, quanto magis illa subministrabit, quæ communiter largitur bonis et malis? Hanc parabolam Christi Vicarius cum diligenter audisset, miratus et valde, et indubitanter Christum in homine locutum recognoscens, Regulam approbavit (1).

PARABOLA II.

De custodia et mortificatione oculorum.

Multoties beatus Pater fratres suos hortabatur, ut sensus omni, qua possent, sollicitudine custodirent et refrænarent. Sed præcipue oculos docebat habere pudicos et honestos, hanc illis proponens sæpius parabolam :

Rex quidam pius et castus duos misit successive nuntios ad reginam, qui ei quædam de regis mente significarent. Revertitur primus, et pro verbis, quæ ad reginam detulit, tantum verba regi reportat; sed de regina nihil loquitur, quia oculos sapienter tenebat in capite, nec ullatenus prosilierant in reginam. Redit et secundus : sed post pauca verba, quæ pro nuntii responsione refert, longam de reginæ pulchritudine texuit historiam. Vere, inquit, Domine, pulcherrima et speciosissima femina est regina; felix et beatus reputari potest, qui fruitur illa. Cui turbatus rex : tu, serve nequam, in sponsam meam oculos tuos impudicos conjecisti? Credo quod tibi emere voluisti rem, quam ita curiose prospexisti. Iratus jubet ad se alterum revocari, et ait illi : Quid tibi de regina videtur? Optime, inquit, Domine, libenter et modeste audivit verba regis, et prudenter respondit. Cui ulterius rex : Quid de pulchritudine illius judicas? nonne speciosa et pulchra tibi visa est? cæteris estne præstantior mulieribus? Respondit servus : Domine, de pulchritudine illius nihil scio. Venustane, an speciosa sit, tuum solummodo hoc est discernere et judicare, meum autem tua illi verba proferre. Bene et cordate, inquit rex, respondisti : tu qui oculos habes castos et verecundos, meus esto cubicularius : ex oculorum pudicitia corporis conjicio castitatem, et te dignum cui cubiculi et regiæ cameræ custodiam committam. Tu vero e regione, qui infrenes et impudicos habes oculos, palatium egredere, in domo mea nullatenus remanebis : qui enim serio et subtiliter reginæ contemplatus es venustatem, timeo ne illius etiam violare velis honestatem. Hæc rex; Parabolam, fratres, audistis, sensum intellexistis. Oculos in aliquam conjecistis? mulierem vidistis? pœniteat; oculis in posterum cavete, mors latet in visu, oculorum intrat per fenestras. Rex cœlestis suas videri prohibet sponsas. Mulier quæcumque christiana, illius est sponsa. Quis non timebit videre sponsam Christi? Regis timete zelotypiam (2).

N. Alias plures Parabolas fratribus et laicis proposuisse plures scribunt, sed nec eas referunt expresse, nec ipsa sancti Patris verba afferunt : iis igitur supersedendum duxi, ne ex nostris aliquid addere, aut alienum quid beato patri adscribere videamur; qui etiam in his minutissimis ipsam veritatem, et tanti viri auctoritatem interponere conamur. Ad has vero duas quas retuli, hæc pauca illius exempla subnecto.

EXEMPLUM I.

De perfecto et vero obediente.

Cum aliquando quæreretur ab eo quis esset judicandus verus obediens, corporis mortui similitudinem pro exemplo proposuit. Tolle, inquit, corpus examine, et ubi placuerit pone. Videbis non repugnare motum, non murmurare situm,

(1) Bon., c. 3. in fin.; Pisan., lib. I, *Conf.* 12, in princ. et c. 37, et l. II, *Conf.* 6; Marc., I p., l. I, c. 14; Tho. Bosius, de *Signis Eccles.*, l. 6; signo 21, c. 4; Gerard Odonis, in *Serm.* Dominicæ 15, post Festum Trinit., litt. M.

(2) *Leg. Antiq.*, cap. *De zelo ad fratrum perfect.*; Pisan., lib. I, *Conf.* 12, cap. 14; Marc., I part., cap. 23; *Specul. Vitæ Franc.*, fol. 115; Marian., lib. I, cap. 15.

non reclamare dimissum : quod si statuatur in cathedra, non alta, sed ima respiciet; si collocetur in purpura, duplo pallescet. Hic, ait, verus obediens est, qui cur moveatur non dijudicat; ubi locetur, non curat; ut transmutetur, non instat; evectus ad officium, solitam tenet humilitatem; plus honoratus, plus se reputat indignum (1).

EXEMPLUM II.

De eodem.

Vidi, inquit, multoties cæcum quemdam, qui non habebat nisi caniculam pro duce itineris sui. Caniculam, quocumque ducebat, sequebatur, ad illius ductum ambulabat, viæ vel itineris hujus vel illius rationem non flagitabat a duce : si præibat per petrosa, sequebatur, si per plateas, et plana, comitabatur, si ad templum ducebat, orabat, si domos introibat, eleemosynas petebat, ita ut omnia pro caniculæ ducentis voluntate faciebat, nec aliquo sine illius ductu pergebat. Talis esse debet verus et perfectus obediens. Ad obediendum, cæcum esse expedit, oculos in obsequium prælati claudere, et de præceptis non velit nec valeat discernere, nisi quod præcipitur, humiliter et prompte complere, quocumque prælati præceptum vel voluntas præcedit, sequi, invia et petrosa pro obedientiæ merito hilariter contemnere, ac si per plana ambularet, pergere. Non præcepti difficultatem, sed præcipientis auctoritatem, et obedienttiæ meritum decet et debet verus obediens in omnibus considerare (2).

EXEMPLUM III.

De curis et sollicitudinibus uxoratorum.

Carnis tentatione perculsus, et suggerente vafro castitatis inimico, ut uxorem duceret, post crebra flagella, nudus noctu in hortum nivibus consitum perrexit, et vivum hoc satisque appositum nimiæ et anxiæ maritorum circa filios et uxores sollicitudinis exemplum, multo inferioris quiete monastica, sibi proposuit. In nivem se demergens, septem ex ea cœpit massas compingere, quas sibi proponens, suo sic exteriori homini loquebatur : « Ecce, inquit, hæc major, uxor tua est; quatuor istæ, duo filii, et duæ filiæ: reliquæ duæ, servus et ancilla, quos ad serviendum habere oportet. Festina igitur omnes induere, quoniam præ frigore moriuntur. Si vero eorum te multiplex sollicitudo molestat, uni soli Domino sollicita cura servire. » Quo egregio exemplo illico tentator victus abscessit, et Sanctus in periculoso certamine victor evasit (3).

EXEMPLUM IV.

De Religione Minorum, et ejus amplitudine.

Cum quatuor tantum haberet adhuc fratres, dilatandæ familiæ beato Ægidio suo socio hoc proposuit exemplum. « Religio nostra persimilis est piscatori, qui mittit retia sua in aquam, magnam capiens piscium multitudinem; majores eligit, et secum adducit, piscieulos vero minores dimittit. In mundi aquas rete hoc mittetur : magnæ sanctitatis et virtutis Religio hæc viros ad se recipiet, parvos fervore spiritus et in Dei amore tepidos dimittet vel receptos evomet : Tanta erit piscium multitudo, quod timeam ne præ nimietate retia rumpi contigerit » (4).

EXEMPLUM V.

Quod servus Dei omnem laudem et honorem in Deum refert.

Cum quotidie a populo plurimum honoraretur, et manus, habitum, pedes, et pedum vestigia omnes populi, per quos transibat, præ devotione et sanctitatis reverentia oscularentur, nec ipse nihil horum prohiberet, quidam ex sociis de sancti humilitate dubitans, et veluti scandalum passus, quod tantum sibi permitteret honorem exhiberi, dixit ei : Non vides, frater, aut non attendis quid hi faciunt, et tu fieri permittis? Homines tantumdem te honorant, et pro sancto excessive venerantur : nihil horum tu renuis aut rejicis, imo videris in omnibus complacere. Quid hoc? Beatus pater respondit : « Tantum abest, frater, ut hæc rejiciam, ut pauca hæc mihi videantur. Plura certe omnes populi facere deberent. » Cui socius magis turbatus, ego, inquit, hæc non intelligo, ut tu frater pro sancto reputeris, et laudem et honorem populorum desideres. Ad hæc B. Pater : « Frater vide et intellige. Nihil hujus reverentiæ mihi approprio aut tribuo, totam in Deum remitto, et meipsum conservo in fæce meæ humilitatis. Meam agnosco vilitatem, Dei perpendo majestatem. Homines autem non parvam ex hac reverentia reportant utilitatem, dum Deum recognoscunt et honorant, et in creaturis reverentur. » Deum in se non ignorat, qui ejus beneficia in creatura recognoscit. Creaturæ vero ipsius non superbit humilitas, dum in illa divina adoratur majestas. Sicut in imaginibus aut statuis Dei vel Deiparæ, uterque adoratur, et tamen lignum vel statua nec superbia tument, nec honore extolluntur : ita nec Dei servus qui illius viva et vera imago est, et in quo Deus veneratur et colitur, propter multa quæ in hac imagine illius relucent beneficia altiora aut

(1) Bon., cap. 6, post. princ.; Pelag., lib. II, cap. 69, post med.; Pisan., lib. I, *Conf.* 12, cap. 12; Ant. Possevin., lib. V, *Biblioth. selectæ*, cap. 61; *Specul. Vitæ Francisci*, cap. 47.

(2) Pelag., c. 69; ante finem; *Manuale antiquum Minorum*, fol. mihi 99.

(3) Bonav., cap. 5, ante med.; Anton. Floren., III p. *Hist.*. tit. 23, c. 2, § 1; Anton. Coccius Sabellicus, l. II *Exemplorum*, c. 10.

(4) Pisan., l. 1, *Conf.* 12, in princ.; Rodul., l. II, tract. *de Orat.* B. Franc. in princ.

majora de se cogitat imo magis in sua humilitate solidatur : omnia Deo tribuit, nihil sibi : lignum aut statuam, imo purum nihil se reputat respectu Dei, cui omnem tribuit honorem et gloriam, sibi vero tribulationem, miseriam, et vereçundiam (1).

V

PROPHETIÆ ALIQUOT B. PATRIS FRANCISCI.

MONITUM.

Magno claruisse B. Patrem Prophetiæ spiritu, inter ceteros testatur D. Bonaventura, capit. 11, ante medium dicens : Adeo in ipso claruit spiritus prophetiæ, ut et provideret futura, et cordium contueretur occulta, absentia quoque velut præsentia cerneret. Ex plerisque vero quæ prophetavit, quædam selegimus quæ magis ad rem nostram, et ad mores componendos accedunt; alia omittentes, quæ communem hominum superant captum, de quibus non licet omnibus judicare.

PROPHETIA PRIMA.

Se Religionem Minorum fundaturum, et sibi eam desponsaturum.

Dum adhuc viveret in sæculo vocatus a sociis suis ad cœnam laute paratam, se in intimam partem domus abdidit, et raptus aliquantulum fixe cogitabat. Interrogatus autem a sociis quid tam alta mente cogitaret : Forsan, aiunt, uxorem ducere decrevisti? Ita, inquit, et pulchriorem quam videritis unquam. Intelligens de Religione, quam, Deo inspirante, fundare decreverat (2).

PROPHETIA II.

Magnum se multorum principem fore.

Mundanis adhuc pompis et vanitatibus deditus, divini amoris igniculo ad majora disponebatur paulatim, sed misericordia erga pauperes præcipue præ ceteris virtutibus gradatim afficiebatur : quibus cum plurima pro Dei amore impenderet, pauperem quemdam militem obviam habuit, cui continuo nova quæ portabat vestimenta donavit. Nocte vero sequenti alto sopori immersus, speciosum ac amplum vidit palatium, militaribus armis crucis signo insignitis circumseptum, promissumque accepit, suum ac militum suorum, quidquid viderit, futurum. Expergefactus, insolita et magna perfundebatur lætitia; causamque sciscitantibus, Scio, inquit, magnum me Principem futurum (3).

PROPHETIA III.

Pauperum amatorem et Patriarcham fore.

Dum semel domina Pica, sancti viri genitrix, sterneret illi mensam, jam a primordio suæ conversionis ad Christum, Franciscus panes plures apposuit. A matre percontatus, cui tot panes apponeret in mensa, cum pauci essent commensales, respondit, Pauperibus. Ubi sunt? ait mater. In pectore, inquit, meo latent (4).

PROPHETIA IV.

Se per totum mundum respiciendum.

A Perusinis, quibus cum Assisinatibus civile erat bellum, captus cum aliis concivibus suis, in ipsa custodia divina repletus consolatione, ex interiori allocutione, exteriori gaudio totus perfusus, magna exhibebat suæ lætitiæ indicia. Cui concaptivi amici : Quid, quæso, nobis collacrymantibus, et præ mœrore deficientibus, tu solus tam abunde lætaris? Si præ juvenili levitate tuam non sentis captivitatem, pro saltem hominum urbanitate nostræ condoleas miseriæ. « Quibus, inquit, nihil me corporis affligit captivitas, cui animæ magna est concessa libertas. Et si vestræ condoleam miseriæ, magis tamen de propria exultandum est felicitate. Humile quid de me cogitatis. Quem modo in carcere vinclis videtis adstrictum, per totum mundum posthac agnoscite respiciendam » (5).

PROPHETIA V.

Sacellum sancti Damiani Clarissarum futurum Cœnobium.

Cum ad vocem et mandatum Crucifixi, Franciscum ecclesiam reparare jubentis, collabentem ecclesiunculam sancti Damiani prope Assisium instauraret, mundo adhuc non penitus valedicto, obvios quoscumque et transeuntes rogabat, ut suas elargirentur eleemosynas ad ecclesiæ structuram; dicens, et gallicæ cantans, Venite, et adjuvate me in opere hujus ecclesiæ, quæ futura est monasterium dominarum, quarum famam et vitam per totam mundum glorificabit Pater noster cœlestis (6).

(1) Pisan., lib. I, *Conf.* 6, et lib. II, *Conf.* 5.
(2) Pisan., l. I, *Conf.* 12, in princ., et l. 2, *Conf.* 6; *Legend. trium Socior.*; Rodulph., l. 1, tract. *De Orac. B. Franc.* in princ.; Marianus, l. I, c. 2.
(3) Pisan., l. II, *Conf.* 6; *Leg. trium Socior.*; *Leg. Celan.* princ.
(4) Pisan., lib. I, *Conf.* 6, et 12, in princ.; Rodul., l. I, tract. *De Orac.* B. Franc.
(5) Pisan. ubi supra; Marianus, l. I, c. 2.
(6) Pisan., lib. II, *Conform.* 6.

PROPHETIA VI.

Minorum familiam multiplicandam.

Cum tenellus Minorum grex octonarium jam excrevisset in numerum, piis et propheticis eos hortabatur mitis pastor admonitionibus. « *Nolite*, inquit, *timere pusillus grex*, quia complacuit Patri vestro vestrum multiplicare numerum. Ego, ego ipse vidi plenas ad nos venientium vias. Veniunt Francigenæ, festinant Hispani, Teutonici currunt, præproperant Angli et aliarum diversarum linguarum et nationum accelerat multitudo. Non erit vestro numerus copiosior » (1).

PROPHETIA VII.

Deum pro totius mundi profectu fratres Minores misisse.

Sciscitanti cardinali Hugolino, cur Fratres et filios ad remotas terræ partes, in quibus et in itinere tot incommoda famis, sitis, et laboris pati necesse erat, misisset; respondit : « Domine, vos putatis, quod solummodo propter istas provincias Dominus miserit Minores : Sed dico vobis in veritate, quod Dominus eos elegerit, et miserit propter profectum et salutem animarum totius mundi. Et non solum in terris fidelium, sed et infidelium ot paganornm benigne recipientur, et multas Dei lucrabuntur (2).

PROPHETIA VIII.

Pauperum hospitalitatem Deo gratam.

Celanum ad prædicandum pergens, miles quidam in oppidulo, per quod transibat, eum humiliter et devota invitavit ad prandium. Votis annuit hospitis, cujus familia ad pauperum hospitum exultavit adventum. Dum cibus vero pararetur, solito more vir mente devotus offerens Deo preces et laudes, seorsim in secreto loco stabat oculis et mente in cœlum elevatis. Oratione completa, benignum hospitem familiariter advocavit, et ait : « Ecce, frater hospes, tuis victus precibus, ut manducarem, domum tuam intravi. Meis nunc cito monitis acquiesce, quoniam non hic, sed alibi manducabis. Confitere nunc peccata tua, veræ pœnitentiæ dolore contritus, nec in te remaneat quidquam quod veridica confessione non pandas. Reddet tibi Dominus hodie vicem, quoniam tanta devotione suos pauperes suscepisti. » Acquievit vir ille continuo sermonibus Sancti; socioque ipsius peccata confitens, domum suam disposuit, et ad mortem suscipiendam, se quantum valuit, præparavit. Ad mensam sederunt, et ceteris manducare incipientibus, hospes juxta verbum hominis Dei spiritum exhalavit. Sicque factum est, hospitalitatis gratia promerente, ut juxta verbum veritatis, prophetam reciperet, dum per sancti viri prænuntiationem propheticam subitæ mortis damnum, æternam scilicet condemnationem evaderet, et in æterna tabernacula introiret (3).

PROPHETIA IX.

Pœnam in peccata retabentis esse graviorem.

In civitate Reatina jacebat vir Dei quondam infirmus, ad quem præbendarius quidam nomine Gedeon, lubricus et mundanus, infirmitate gravi correptus, adductus est; qui beatum Patrem lacrymose rogabat cum simul astantibus, ut ab ipso crucis signaculo signaretur. Ad quem ille : « Fortis nomine Gedeon, sed animo imbecillis, cum vixeris olim secundum desideria carnis, non veritus judicia Dei, quomodo te cruce signabo? Verum propter devotas intercedentium preces, signo te crucis signabo in nomine Domini. Tu tamen scito te graviora passurum, si ad vomitum redieris ab infirmitate liberatus. Propter peccatum enim ingratitudinis semper pejora prioribus inferuntur. » Signo itaque crucis super eum facto, statim qui contractus jacuerat surrexit sanus; et in laudem Dei prorumpens, Ego, inquit, sum liberatus. Paucis autem interlapsis diebus, Dei oblitus, corpus impudicitiæ reddidit. Cumque sero cœnasset in domo cujusdam canonici, nocteque illa dormiret ibidem, subito super omnes corruit tectum. Ceteris mortem evadentibus, solus ille miser interiit. Justo igitur Dei judicio juxta viri Dei prophetiam facta sunt novissima hominis illius pejora prioribus (Matth., XII, 45), propter ingratitudinis vitium, Deique contemptum, cum de accepta venia gratum esse oporteat, et duplo displiceat flagitium iteratum (4).

PROPHETIA X.

Virum quemdam suæ mulieri reconciliandum, et nunc esse tempus clementiæ, postea æquitatis.

Nobilis quædam Heroina, viro Dei devota, tota lacrymabunda illum convenit, de mariti crudelitate et inclementia, et in Dei operibus sibi contrarium esse, conquerens : oravitque Patrem, et familiarem amicum, ut Deum interpellaret, ut viri animum et cor sua dignaretur emollire clementia. Miseratione et devotione nobilis feminæ commotus, ait : « Vade cum pace, indubitanter expectans de viro tuo consolationem tibi de proximo affuturam. » Et adjecit : « Dices ei ex parte Dei et mea, quod nunc est tempus clementiæ, postmodum æquitatis. » Benedictione accepta, revertitur mulier; invenit virum, denunciat verbum. Cecidit super eum Spiritus Sanctus, et novum de veteri factum sic facit cum omni mansuetudine respondere : Domina, serviamus Domino, et salvemus animas nostras. Suadente igitur uxore,

(1) *Leg. trium Socior.*, et *Leg.* Cel., cap. de *Progr. Ordin.*
(2) Pisan., lib. II, *Conform.* 6.

(3) Bon., cap. 11, ad med.; Marc., I p., l. I, c. 94, Ital. excus.
(4) Bon., ibid.

cælibem vitam agentes, eodem die ambo feliciter ad Dominum migraverunt (1).

PROPHETIA XI.

Singularitatem et hypocrisim in Religioso malam esse et perniciosam.

Frater quidam erat, quantum exterius videbatur, sanctitate præclarus, conversatione insignis, tamen admodum singularis, omni tempore orationi vacans, tanta districtione silentium observabat, quod consueverat non verbis sed nutibus confiteri. Accidit autem sanctum Patrem ad locum venire, videre fratrem, et de ipso cum aliis habere sermonem. Commendantibus autem omnibus et magnificantibus illum, respondit vir Dei : « Sinite, et tacete, fratres, ne mihi in eo diabolica figmenta laudetis. In veritate sciatis qnod diabolica tentatio est, et deceptio fraudulenta. » Dure hoc acceperunt fratres, tamquam impossibile judicantes, quod tot perfectionis indiciis fraudis se commenta fuscarent. Verum non post multos dies, eo Religionem egresso, evidenter apparuit, quanta luculentia interioris intuitus vir Dei cordis ejus secreta perspexit (2).

PROPHETIA XII.

Cardinalem Ostiensem in Papam assumendum.

Dominum Hugolinum, cardinalem Ostiensem, cum quo erat summa necessitudine conjunctus, prædixit multoties in Papatum sublimandum, in omnibus litterulis, quas ad eum dirigebat, præscribens : Futuro Patri Gentium, et venerabili in Christo Antistiti totius mundi, etc., quod et rei confirmavit eventus, nam Honorio III, in Pontificatu successit, et Gregorius IX est appellatus (3).

PROPHETIA XIII.

Ordinum apostatas male interire.

Cum per Apuliam peragraret, obvium habuit quemdam sui Ordinis apostatam, qui ad sancti viri pedes se projecit, et apostasiæ veniam petiit humiliter. Cui beatus Pater furcas e regione in loco quodam eminentiori positas ostendens, ait : « Modo offensam hanc tibi condono, ad Religionem regredere; sed cave tibi : si enim iterum habitum rejeceris, aut Ordinem exieris, in furcis illis suspenderis. » Ad Ordinem rediit apostata, sed in illo brevi remansit : cui paucis diebus postquam valedixit, delictum aliquod commisit, propter quod juxta sancti viri prophetiam in furcis misere et tupiter diem clausit extremum (4).

B. P. FRANCISCI PRÆDICTIO.

Magnum in Ecclesia schisma et tribulationem futuram.

Paulo ante mortem convocatis fratribus, de tribulationibus futuris eos admonuit, dicens : « Viriliter agite, fratres, confortemini, et sustinete Dominum. Magna tribulationis et afflictionis adesse festinant tempora, in quibus temporaliter et spiritualiter perplexitates et discrimina inundabunt, caritas multorum refrigescet, et superabundabit malorum iniquitas. Dæmonum potestas plus solito solvetur, nostræ Religionis et aliarum puritas immaculata deformabitur, in tantum quod vero Summo Pontifici et Ecclesiæ Romanæ paucissimi ex Christianis vero corde et caritate perfecta obedient : Aliquis non cononice electus, in articulo tribulationis illius ad Papatum assumptus, multis mortem sui erroris sagacitate propinare molietur. Tunc multiplicabuntur scandala, nostra dividetur Religio, plures ex aliis omnino frangentur, eo quod non contradicent, sed consentient errori. Erunt opiniones et schismata tot et tanta in populo, et in religiosis, et in clerico, qnod nisi abbreviarentur dies illi juxta verbum Evangelicum (si fieri posset) in errorem inducerentur etiam electi, nisi in tanto turbine ex immensa misericordia Dei regerentur. Regula et vita nostra tunc a quibusdam acerrime impugnabitur. Supervenient tentationes immensæ. Qui tunc fuerint probati, accipient coronam vitæ. Væ autem illis, qui de sola spe religionis confisi tepescent, non resistent constanter tentationibus, ad probationem electorum permissis. Qui vero spiritu ferventes ex caritate et zelo veritatis adhæredunt pietati, tanquam inobedientes et schismatici persecutiones et injurias sustinebunt. Nam persequentes eos a malignis spiritibus agitati, magnum esse obsequium Dei dicent, tam pestilentes homines interficere et delere de terra. Erit autem tunc refugium afflictis Dominus, et salvabit eos, quia speraverunt in eo (5). Et ut suo capiti conformentur, fiducialiter agent, et per mortem, vitam mercantes æternam, obedire Deo magis quam hominibus eligent; et mortem, nolentes consentire falsitati et perfidiæ, nullatenus formidabunt. Veritas tunc a quibusdam prædicatoribus operietur silentio, ab aliis conculcata negabitur. Vitæ sanctitas a suis professoribus habebitur in derisum, quare dignum non pastorem, sed exterminatorem mittet illis Dominus Jesus Christus » (6).

Plures de hac Prophetia tractant, inter quos non constat, an jam completa sit, an vero adhuc complenda. Marcus Ulyssiponens. cit. et alii, his verbis prædixisse virum Dei volunt magnum illud schisma quod evenit post electionem Urbani VI, ad annum 1378.

(1) Bon., ibid., post med.
(2) Bon., ib., parum ante finem; D. Anton., III p., *Hist.*, tit. 23, c. 2, § 1.
(3) Pisan., lib. II, *Conform.* 6.
(4) Pisan., lib. II, *Conf.* 6.
(5) Psal. 36, 24.
(6) Pisan., l. II, *Conf.* 6; Marc., I p., lib. II, c. 27.

PROPHETIA XV.

Superbiam et fastum religionibus perniciosum, et fratrem Eliam extra ordinem moriturum.

Frater Elias Cortonensis, seu ut aliis placet, Bivillius, ut aliis vero, Pedemontanus, qui a B. Patre post mortem B. Petri Carthanei vicarius generalis substitutus est, et eodem e vivis sublato in quartum ordinis generalem est electus, homo tanta sapientia præditus humana, ut ad magna negotia peragenda videretur ab ipsa natura esse progenitus, neque in Italia habere in hoc æquales : unde principibus omnibus carus fuit, et a cunctis in pretio habitus : dum vidit beatum Patrem fratres quosdam humiles et simplices hospites adventantes, juxta se in mensa assidere jubentem, sibique et aliis gravitate et doctrina conspicuis prætulisse, ægre hoc tulit, ac intra se stomachabundus dicebat : Heu Francisce simplex ac illitterate, ut quid hæc tua indiscretio ac simplicitas? præclaros ordinis viros, religionis columnas confundis, et hoc tuo idiotismo religionem tuam pessumdabis. Cui statim beatus Pater, secretum audiens cordis murmur, inquit : Imo, frater Elia, tu te et illam, fastuosa tua pompositate et carnis prudentia destrues. Tu tuique similes ordinem ad nihilum ducent : Sed heus, miselle, nec in illa mori tibi concedetur. Quod ita factum est : nam fastu humano tumens, postquam in ministrum generalem electus est, laxiores ordini dimisit habenas, plura contra regulæ puritatem molitus : propter quod Innocentius IV eum a generalatus officio abdicavit, excommunicavit, et habitu privavit : qui furens Frederico imperatori adhæsit. Tandem Cortonæ ægrotans, misit fratrem suum germanum ad Innocentium, summis precibus exorans, ut ab excommunicationis sententia absolveret, quod pontifex ejus precibus et lacrymis permotus effecit (1).

PROPHETIA XVI.

Sanctorum meritis multoties Deum a puniendis peccatoribus se coercere.

Famem per totam Italiam grassaturam prædixit semel B. fratri Leoni, dicens : « Heu frater mi, propter peccata populorum mittet Deus magnam famem in mundum, sed propter merita cujusdam pauperis, nescio cujus, qui modo vivit in mundo, hoc flagellum distulit Dominus : sed eo mortuo, ita fames hæc invalescet, quod innumerabiles homines miserabili egestate peribunt. » Hoc morte instante B. Leoni dixit, sed in monte Alvernæ Christo accepit ; quod, ut supra dictum est Colloquio 23 se dixit cùm aliis sibi revelatis in horam mortis taciturum. Statim ab ejus morte Prophetia hæc completa est. Nam tanta fames universam pervasit Italiam, ut miseri homines non solum herbis, sed et arborum corticibus pro cibo usi fuerint. Unde et tanta clades secuta est, ut nihil a mortis imagine ubique appareret. Qua debacchante, apparuit beatus Pater Fratri Leoni, et se pauperem illum fuisse, propter quem Deus hanc plagam distulit, ostendit (2).

N. Hæc pauca de iis quæ B. Pater prophetaverat, colligere placuit ; quibus non solum Prædicatorem egisse, sed et Prophetam fuisse perspiciatur. Alia quamplura ingentia et Christianæ Reipublicæ supervenientia mala, prophetice prædixit, et de instantibus bonis prænuntiatis plurimas civitates exhilaravit et regna, qua sparsim nostra monumenta et c. 11. Vitæ ejusdem videre licebit.

VI

BENEDICTIONES B. PATRIS FRANCISCI.

BREVE MONITUM.

Qui et Regulas et Leges ad paupertatis et perfectionis evangelicæ apicem anhelantibus præscripsit, benedictiones et jam plures easdem sectantibus et religiosius observantibus adjecit. Etenim benedictionem dabat Legislator qua adjuti discipuli fortius et robustius ibant de virtitute in virtutem, donec videbant Deum deorum in Sion. Benedictio namque illius quasi fluvius erat inundans, et quomodo cataclysmus aridam inebrians (Eccl., XXXIX, 27), dum et per illas tentationem flammas extinxit, et mentis siccitatum rigavit; ut in his quæ subnectimus, licebit conspicere.

BENEDICTIO I.

Fratris Leonis.

Fratri Leoni in monte Alvernæ fortiter tentato hanc benedictionem misit B. Pater, signans eam charactere, et nota illa mysteriosa litteræ Tau,

(1) Ubert., lib. V, cap. 7, parum post initium.; Pisan., lib. II, *Conf.* 6; Rodulph., lib. II, tract. *de General. Ord.*, fol. 177 ; Raphael Volaterr., in *Anthrop.*, lib. XXI.

(2) Pisan., l. I, *Conf.* 8, in *Vita B. Leon;* Gonza., II p. sui *Chron.*, tract. de *Prov. Tusciæ*, de Corv. Alver. ante medium.

quam semper magni fecit sua manu exarata, qua eum ab omni absolvit tentatione. « T. benedicat tibi Dominus, et custodiat te : ostendat faciem suam tibi, et misereatur tui. Convertat vultum suum ad te, et det tibi pacem. Dominus benedicat fratrem Leonem » (1).

BENEDICTIO II.

Sacri conventus Alanqueræ.

Quinque illi martyres a Marrochiis passi, villam Alanqueræ, Lusitaniæ non ignobilis oppidicis Tagum extructi, olim Hierabriga dicti, ut placet Damiano Goes, Resendio apud Vasæum, Ambrosio Morali, et Paulo Merulæ in Lusitanæ descriptionibus ad fratres suos, qui jam ibidem commorabantur, visendos accesserunt; in qua Sanctia Sanctio II rege progenita, sanctius vixit, et eos benigne recepit, indeque impensis necessariis quibuscumque Ulyssiponem, quæ a prædicta villa per octo leucas ad Occidentalem plagam distabat, transmisit, ut illinc in Tartariam transvadare liceret. Quorum in optato martyrio expletis votis apud Marrochios, ut eorum in fide constantiam, in martyrio fortitudinem, in sanctitate perseverantiam beatus Pater audivit in spiritu totus exultabundus, conventum illum Alanqueranum, a quo ad tantam functionem perrexere, hac sacravit benedictione : « Domus sancta, ædicula sacra, speciosa et jucunda floscella purpurei coloris, ac suavissimi odoris, per sanctum martyrium Deo peperisti. Hi primitiæ sunt et gloriosi flores Minorum, felices jam possessores regni cœlorum. Nunquam in te (domus Dei) deficiant perfecti fratres, qui devotissime sanctum observent Evangelium » (2).

BENEDICTIO III.

Instituti Minoritici Zelatorum.

Cum sanctorum fratrum per orbem dispersorum odorifera fama multos audiret ad viam veritatis induci, exultabat in spiritu, et benedictionibus omni acceptatione dignissimis illos accumulans, dicebat : « Benedicti vos a Domino, qui errantes peccatores ad Dominum reducitis, viam veritatis illis ostenditis, et vos in sancta Evangelii observatione puros et sinceros custoditis. Qui vobis benedicit, a Domino benedicatur; qui vos fovet aut suscipit, mercedem recipiat sempiternam. Nullam in vobis potestatem satan exerceat (3), supra id quod potestis, non tentet. Vobis super illum et suos sit imperandi facultas : portas illius possidete, et spolia diripite. Patris vos adjuvet potentia, Filii vos dirigat sapientia, et Spiritus Sancti vos foveat clementia, Amen. » E regione vero qui per proprietatem, pecuniæ receptionem, vel aliud quodcumque peccatum Regulæ puritatem deturpabant; aut Ordinem, quem præcipue paupertatis professio decorat, terrenarum rerum pulvere maculabant, aut alios suis malis exemplis scandalizabant; et Ordinem relaxabant; maledictionem Dei et suam terribiliter imprecans, dicebat : « A te sanctissime Pater, et a tota cœlesti curia, et a me pauperculo sint maledicti, qui suo malo exemplo confundunt et destruunt, quod per sanctos fratres hujus Ordinis ædificasti, et ædificare non cessas » (4).

BENEDICTIO IV.

Civitatis Assisii.

Cum de palatio episcopi Assisiatis ad ædiculam Sanctæ Mariæ de Angelis, jam ultimo morbo totus confectus, deferretur, cum ad planitiem sub civitatis declivio, ex qua urbem commodius videre posset, pervenit, feretrum, in quo portabatur, fecit ad urbem reflecti : quam ut vidit, flevit, et postea hac munivit benedictione. « Benedicta tu a Domino, civitas Deo fidelis, quia per te, et in te multæ animæ salvabuntur, et in te multi servi Altissimi habitabunt, et de te non pauci justi eligentur ad regnum æternum » (5).

BENEDICTIO V.

Omnium fratrum Minorum.

Gravi et molesto stomachi dolore semel laboravit, ita ut vitam pene exhalaret, et fratres jam de ejus vita desperarent. Quorum unus, timens ne subito e vivis raperetur propter varia et crebra cordis deliquia, ait : Benedic nobis, Pater, et cæteris fratribus quos in Christo genuisti, et aliquod memoriale relinque nobis tuæ voluntatis, quod fratres in tui memoriam semper habeant secum ad majorem sui profectum. Tunc B. Pater paternos oculos in filios erigens, « Vocate, inquit, mihi fratrem Benedictum de Piratro », qui beato Patri semper in infirmitate ministrabat, et coram eo Sacra faciebat « ut vobis benedicam. » Quo accersito ait : « Scribe, sacerdos Dei, qualiter benedico omnibus fratribus meis, qui modo sunt in Religione, et qui venturi sunt usque ad finem sæculi. Quoniam propter infirmitatem meam loqui non valeo, breviter voluntatem meam et intentionem in signum memoriæ meæ benedictionis et testa-

(1) Pisan., lib. II, *Conf.*; Bonav., cap. 11, ad med.; Rodul., lib. I, tract. *de Beatis ord. Min. in vita B. Leonis*. Qui omnes observant, benedictionem hanc ipsius sancti viri manuscriptam reverenter et fideliter adhuc custodiri.

(2) *Leg. ant.* in martyr. horum quinque fratrum mart., lib. IV, cap. 25; Rodul., lib. I, tract. *De horum martyrio*, in fine, fol. 72.

(3) I Cor., x, 13.

(4) Bon., cap. 8. post init. *Leg. ant.* trium Sociorum; Firm., I p., fol. 17, p. 2; Marc, I part., lib. II, cap. 25.

(5) Pisan., l. I, *Conf.* 6, et lib. III, *Conf.* 4.

menti cunctis fratribus præsentibus et futuris patefacio. Fratres semper se diligant ad invicem, sicut ego dilexi, et diligo illos. Semper diligant, et observent dominam meam paupertatem. Et semper prælatis et clericis sanctæ matris Ecclesiæ fideles et subjecti existant. Benedicat et custodiat eos Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Amen » (1).

BENEDICTIO VI.

Bernardi de Quintavalle.

In obitu beati Patris, collacrymantibus omnibus fratribus pro substractione tanti Patris, et tam solliciti Pastoris, ait ad circumstantes : Ubi est primogenitus meus Frater Bernardus? Cui accedenti, Veni, inquit, fili mi, ut benedicat tibi anima mea antequam moriar. Sed Bernardus pro sua humilitate, ne sibi videretur assumere, quod pro officii dignitate et præfecturæ eminentia putabat deberi Fratri Eliæ, tunc generali Ordinis vicario, et putativo beati viri successori, suggessit eidem ut ad dexteram morientis accederet, et oblatam reciperet benedictionem. Quo ante Dei virum prostrato, ille, etsi præ lacrymarum assuetudine cæcutiret, plenus tamen prophetico spiritu, manus super caput ejus imposuit, et dixit : Hoc non est caput mei primogeniti F. Bernardi. Et cancellatis in modum Crucis manibus, velut alter Patriarcha Jacob, dexteram ponens super caput F. Bernardi, qui ad lævam, utroque flexo poplite, Patri assidebat, eum benedixit his verbis : « Benedicat te Pater Domini nostri Jesu Christi in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo (2). Sicut primus es electus in Ordine isto ad dandum bonum exemplum evangelicum, et ad imitandum Christum in evangelica paupertate, cui non solum tua liberaliter obtulisti, sed et temetipsum in odorem suavitatis contulisti. Ita benedictus sis a Domino Jesu Christo et a me suo pauperculo servo, benedictionibus sempiternis, ingrediens et egrediens, vigilans et dormiens, vivens et moriens. Qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur; et qui maledixerit tibi, non erit immunis. *Esto dominus fratrum tuorum*, et tuo imperio cuncti subjaceant. Quoscumque volueris recipere ad Ordinem istum, recepti sint; et quoscumque emittere volueris, mittantur. Nullus super te potestatem habeat. Et quocumque volueris, libere possis pergere et morari » (3).

BENEDICTIO VII.

Eorumdem.

Sui transitus hora appropinquante, fecit omnes fratres existentes in loco illo sanctæ Mariæ de Angelis ad se vocari, et eo consolatoriis verbis pro sua morte demulcens, paterno affectu eos ad divinum est hortatus amorem, ad patientiam, ad paupertatem, et ad sanctam Ecclesiæ Romanæ fidem servandam. Et adjecit : « Valete fiilii omnes in timore Domini, et permanete in eo semper. Et quoniam futura tribulatio et tentatio appropinquat, felices qui perseverabunt in his quæ cœperunt. Ego vero ad Deum propero, cujus gratiæ vos omnes commendo. Ego, quod meum est, feci; quod vestrum est, edoceat Christus » (4).

(1) Pisan., l. III, *Conf.* 2; *Specul. vitæ* Franc. fol. 116.
(2) Ephes. I, 3.
(3) Pisan. l. I, *Conf.* 8, in *Vita B. Bern.* ante fin., et lib. II, *Conf.* 6, in fin. ; Rodul., l. I, in Vita ejusdem Bernar.; *Specul. vitæ Franc.*, c. De morte Bernardi, fol. 87; Floretum, cap. 5.
(4) Bon., cap. 14, ad med.; Pisan., lib. III, *Conf.* 2 et 5.

APPENDIX

OPUSCULA DUBIA.

DE OPUSCULIS DUBIIS.

Nolui incerta certis, nec falsa veris admiscere; ne quam illa merentur et obtinuerunt fidem, cum dubiis vocentur in dubium. Proinde sequentes hos sermones, binaque his adnexa opuscula a superioribus discrevi : suppetunt enim rationes dubitandi de auctore, quas ipsis præfigemus. Nec tamen hæc omnino rejicienda, aut penitus omittenda mihi videbantur, dum erat, qui illa Francisco adscriberet. Illiusne sint, an alterius, lectoris esto judicium.

I

SERMONES BREVES B. FRANCISCI.

Notula et testimonia de his sermonibus deque, S. Francisci sermonibus in genere.

Id mihi obrepit dubii circa auctorem Sermonum, quod solum apud Ludovicum Rebolledum Neotericum, non tam fecundum, quam facundum nostrarum rerum concinnatorem, eas videre licuerit, I p. suorum *Chronicorum*. Juvat etiam suspicionem nimis culta et compta Hispanica phrasis, Bæticis Scriptoribus tam grata, quam familiaris, quam ego Latinam reddidi. Plurimam tamen redolent Francisci doctrinam superioribus Opusculis adnotatam. Crediderim hunc ex vario Francisci dogmate hos ad suum ingenium et stylum disposuisse Sermones; multamque illorum materiam Francisci esse, formam vero et dispositionem Rebolledi. Nec, quod ad Sermones attinet, ullum puto calamo notasse Franciscum, sed serio præmisso orationis et sacræ Scripturæ studio ferventer eructasse, quidquid Spiritus dictabat. Ipsas etiam *Collationes monasticas* superius repositas, non tam chartulis, quam discipulorum mentibus commendasse, existimem, ab illisque calamo exceptas, et ad nos transmissas; uti et de quibusdam indubitatis suis Operibus suos fecisse discipulos, refert Bernardus Epist. 18, in fine. Nihilominus magnum egisse prædicatorem Franciscum in diversis mundi plagis, in ipsa urbe, orbis capite, et in concessu purpuratorum patrum, ipse coram Pontifice ad viri loquelam obstupescente, plerique referunt Scriptores. Unum subjicio Thomæ Spalatensis, et alterum Henrici Willot testimonium, ut quales fuerint Francisci Sermones Lector expendat.

Verba Thomæ Spalatensis, civis et archidiaconi ecclesiæ cathedralis Epetii, sive Spalati, de beato Francisco prædicante.

Ego Thomas civis Spalatensis et archidiaconus ejusdem civitatis cathedralis ecclesiæ, anno 1220, in die Assumptionis Dei Genitricis, vidi S. Franciscum prædicantem Bononiæ, in foro ante Senaculum, ubi tota pene civitas convenerat. Fuit autem exordium sermonis ejus : Angeli, homines, dæmones. De his autem spiritibus ita bene et distincte proposuit, ut multis litterarum scientia præditis et ornatis viris, qui aderant. fleret non modicæ admirationis sermo hominis idiotæ. Non tamen ipse modum prædicantis servabat, sed quasi concionantis, hoc est, dimissa fucosa et specie splendida eloquentia, disciplinæ evangelicæ ad perpendiculum verba non componebat. Nam tota ejus vis et verborum ejus series in hoc uno versabatur, ad restinguendas hostilitates, et ad pacis fœdera reformanda : cujus habitus sordidus erat, et incultus, et persona contemptibilis, et facies indecora. Sed tantam Deus verbis illius contulit efficaciam, et orationis nitorem infudit, ut multas Nobilium factiones inter se acerbissimo odio sævientes, et universæ reipublicæ perniciem afferentes, ad pacis concordiam et unitatem simul deduceret. Erga ipsum vero tam magna erat hominum pietas et religio, ut omnes ad eum catervatim confluerent; et beatum se prædicabat, quisquis posset vel fimbriam vestimenti ejus attingere. Nam verbi Dei annuntiationi assidue operam navans, tantum profecit, ut innumeri naufragi peccatores, in viam justitiæ redeuntes, gregatim viro sancto, ceu peritissimo nautæ adhærentes, a tenebris hujus mundi in ejus puppi securius ad cœli portum transvecti sint. (Testimonium hoc habet

Rodulph., l. I, fol 4; *Specul. Vitæ Franc.*, fol. 215; Marianus, l. I, c. 17, § 13, et *Chron.* Spalatens. Ecclesiæ MS.)

Henrici Willot de Francisci Sermonibus testimonium.

Eloquentia eaque sublimi non caruisse, neque in eo doctrina minorem fuisse, fluens ex ipsius ore oratio abundans spiritualibus uberibusque sententiis, qua multitudinem tenebat, demulcebat, movebat, et in omnem partem flectebat, testatur. Etenim si effectus eloquentiæ est audientium approbatio : certe eam in illo oportuit fuisse singularem, quæ homines vulgares, atque, ut loquitur Paulus, animales, qui alioquin spiritualia fastidiunt, tamen non modo ad audiendum allexerit, sed etiam suspensos retinuerit, atque in eorum animos influxerit, ut alios a turpitudine ad castitatem, alios ab illicitis lucris ad æquitatem, ab ira et odiis ad concordiam et pacem traduxerit, denique etiam non paucos a mundi amore, quo plane absorpti erant, ad ejusdem contemptum et ad terrena omnia penitus deserenda impulerit. Memoria dignum est, quo una Concione 300, altera 500, ita flexerit, ut statim vili hoc leucophatæ plebis tegmine, spretis mundi illecebris, contegi se postularint, eosque suo sacro Instituto statim initiarit. (In *Athenis Orthodoxorum* Sodalitii Franciscanorum, lit. F.)

SERMO PRIMUS.

De humilitate et patientia.

Quas individuas comites humilitatem et patientiam habuit Christus in cruce, et quas sororum firmus amor conjunxit, hæc brevis oratio nullatenus separabit. Servus Dei multa debet pro Christo pati, qui cum eodem bonis perfrui sperat sempiternis. Apostolus dixit (Rom. VIII, 18) non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Non sunt, nec inveniri possunt duæ perfectæ deliciæ, nec binum potest esse gaudium omnino completum. Suam doctrinam incœpit ab humilitate Christus in præsepe, quam in patientia bonus magister conclusit in cruce. Ipse etiam dixit : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (Matth., V, 10). Optime enim novit pœnam in gloriam transmutare, persecutionem et metum in gaudium. Faber argentarius, ex metallo quod accipit, scyphum aut vascula conficit; nec enim ex plumbea massa calicem conflabit argenteum : solus Deus ex laboribus requiem elicit, et ex tormentis gaudium eruit sempiternum. Diligentes, humiles et patientes decet esse servos, qui a Domino suo incomparabilem expectant mercedem.

SERMO SECUNDUS.

Contra peccata mortalia.

Mortalia peccata, fratres, omnino fugiamus. Considerate et videte, quam fœdum et abominabile appareat corpus examine, spiritus vitalitate destitutum; et intelligite multo fœtidiorem et immundiorem esse animam sine Deo, qui animæ anima est, quando in mortali labe volutatur. Si adeo indiget una creatura altera, quanto magis creatura suo opus habet Creatore? Longius distat a peccato gratia, quam a gratia gloria : infinita est enim inter peccatum et gratiam distantia; inter gratiam vero in sanctis viris, et gloriam, sola mors intercedit. Qui ergo mortaliter peccat, a Deo elongatur, et in servum deputatur, inter quem et peccatorum tantum vita mediat, quæ multoties per inopinam et instantaneam mortem tollitur e medio, et extinguitur. Quotos vidimus noctu lectum sanos conscendere, et in proximo mortuos in foveis sepeliri? Deum suppliciter oremus, ut quos sua gratia refovet, in eadem sanctos conservet, et miseros peccatores misericorditer in illa regeneret. O Deum fortem, et pium, tam pronum ad ignoscendum pœnitentibus, quam potentem et severum ad puniendum obstinatos!

SERMO TERTIUS.

De bono eleemosynæ.

O homo, eleemosynam pauperi elargire, per quem illam tribuis Creatori. Ille in paupere debitorem se constituit perfectæ et exagitatæ mercedis, et superplenæ retributionis. Deo, solum per pauperem, nostra possumus offerre, qui, solum per pauperem, nostris poterit indigere. Videte ergo, fratres, quantæ sit felicitatis vir eleemosynarius, qui ei potest impendere qui retribuit, et dat omnibus affluenter. Cui non solum multum, qui multum habet, tribuit dives, sed et plurimum largitur, qui quæ habet, pauperi impendit. In gazophylacio vidua illa Evangelica censum omnem abscondit, quando solum, quæ habuit, minuta duo libenter impertiit. Unde offerentem palam Christus laudavit, dum oblatum non tenue, sed pingue publice judicavit. Eia pauperibus proinde et egenis de terrenis et caducis distribuamus, quibus immensa bona, cum Deo duratura, nobis in cœlis acquiramus. Hæreditas pauperum est eleemosyna, quam magnus ille noster frater Jesus Christus omnibus acquisivit. Non igitur quando illis distribuitur, alienum dono datur, sed, quod vere suum est, impenditur. Ego fratres meos Minores rogo in Domino Jesu Christo, quia ad ejus imitationem pauperes fieri, et in nomine ejus eleemosynas petere voluerunt, ne verecundentur eas colligere ostiatim. De eleemosynis ipse Dominus vixit. Si ergo vilis faciat creatura, quod prius viderit Creatorem fecisse omnipotentem, non dedecori, sed honori, non ignominiæ, sed decori vertendum omnes judicabant. Præcipue cum pauper mendicus divitem, a quo eleemosynam flagitat, abundantioribus afficiat thesauris, et occultam subministret

fœnoris et lucri occasionem. Præterea divites ex parte Dei docet, ne despiciant, neque flocci pendant egenos; quorum verecundiam, si quam coram locuplete passi sunt, in inferente judex ulciscetur severus, et in patientibus pater absterget misericors. Quidquid post se homines in terra relinquunt, emarcescit, solum, quam in vita fecerunt, eleemosyna semper virescit. Quam in mundo tribuunt, in cœlis inveniunt; impendunt temporalia, recipiunt æterna. Qui autem eleemosynas petit, æquales Deo solvat gratias, quando ei misericorditer tribuitur, et quando crudeliter denegatur: quando tribuitur, qui a Deo mittitur, ut nuditatem corporis contegat, et esuriem ventris reficiat: quando negatur, quia occasio offertur meriti et patientiæ.

SERMO QUARTUS.

De amore inimicorum.

Audite Legationem, Fratres, quam per minimum servunculum suum e cœlis mittit Altissimus. Diligite omnes, et proximos vestros, et eos a quibus sinistrum aliquid patimini: illi enim manifesti sunt amici, isti vero nullatenus inimici. Qui vos amant, qui vobis serviunt, qui victum præbent et vestitum, vestro benefaciunt corpori: sed qui vos sequuntur, qui vobis irascuntur, qui vos injuriis afficiunt, plura afferunt commoda spiritui. Omnes ergo amici sunt, et nullus vocandus est inimicus (1), omnes benefaciunt, nullus injurius lacessit. Præter vosmetipsos nullum habetis inimicum. Si ergo odisse vultis inimicos, a corpore vestro et sensuali incipite appetitu. Si de inimico vindicari cupitis, corpus flagellate, et tamquam servum subjicite spiritui. Qui vos creavit, Deus et qui vos redemit, Christus, vobiscum sit, et ab omnibus teneatur adversis.

SERMO QUINTUS.

De perfecta obedientia.

Creaturæ Dei sumus omnes, fratres mei, quos præ ceteris, multis bonis Altissimus benignissime ditavit. Si illi non obsequamur, nec quod jubet implemus (sicut in Baptismo promisimus) hæreditate gloriæ nos spoliabit, et præcipites dabit in gehennam. Filiorum perdemus libertatem, et captivorum subibimus servitutem. Non desideremus aliis præesse, sed omnibus subesse creaturis, propter verbum Creatoris. Qui ita fecerint, et perseveraverint, requiescet super illos Spiritus Dei, et in illis suam faciet mansionem. Filii erunt Patris cœlestis, fratres Domini nostri Jesu Christi, et sponsæ Spiritus Sancti. Sponsalia hæc celebrantur, quando Spiritus divinus et anima nostra ad invicem uniuntur per charitatem (2). Fratres sumus Christi, quando ejus participamus bono; et Dei filii nominamur, quando ei assimilamur in operatione. O quam gloriosum est, patrem habere in cœlis! quam pulchrum et suave, tali adhærere sponso! quam opulentum et egregium, fratrem nostrum hæredem habere Regni cœlorum! Hunc Paulus primogenitum, Joannes vocavit unigenitum (3). Primogenitum appellaverat ille in natura, quam ex nostris accepit, unigenitum iste in Deitate, quam ex Patre æqualem ex æternitate recepit.

Dixit Dominus in Evangelio: Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus (4), et: Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam (5). Quasi dicat, quod ille omnia relinquit, qui propriæ renuntiat voluntati, et ille animam suam perdendo salvat, qui illius a se abdicat dominium, et totum quod est, prælati subjicit imperio. Quidam sunt subditi, proprii sensus errore decepti, qui quodcumque superioris præceptum, quod indomitæ voluntati repugnat, statim Regulæ et animæ judicant esse contrarium. Perfecta obedientia est illa, qua religiosus facere omittit, quod sibi melius et consultius videtur; ut quod minus rectum aut consonum judicat, compleat propter solum superioris præceptum. In quo magnum acquirit meritum, dum propriæ valedicit opinioni, non suæ, sed alienæ obtemperans voluntati. Qui vere obsequitur prælato, ipsi Deo se subdit, et proximo egregium præbet exemplum. Summa obedientia est illa, in qua nihil suum caro cognoscit, aut sanguis. Non debet perfectus obediens expectare quod secundo aut tertio idem imponatur præceptum (6): nam qui ad primum prælati non obtemperavit imperium, non voluntate illectus, sed necessitate compulsus obedivit. Qui celeriter non obedit, nec Deum timet, nec homines reveretur, dummodo sufficientem non habeat causam retardandi. Fertilissimus est obedientiæ fructus: nihil est temporis vero obedienti sine lucro.

SERMO SEXTUS.

De animæ æstimatione vel dignitate.

Maxima cura providendum est animæ; nec enim plures habet homo, sed unam. Si duas nobis contulisset Dominus, sicut et binos dedit oculos, vel pedes, sublata vel deperdita una, aliam custodire vel salvare liceret. Ast unam tantum infirmam et languidam accepimus, tribus validissimis concussam inimicis et fortissimis, mundi, carnis, et diaboli telis expositam, cui nec uno die secure requiescere licet, sed omnibus in luctam et palæstram oportet descendere. Continuum esse hoc certamen nobis Apostolus expressit, non enim bellum, sed luctam appellavit, dum dixit: *Non est*

(1) Vide Opusculum de Admonition., c. 10, et I Regulam, c. 22.
(2) Vide epist. 2, cap. 10.
(3) Rom., 8, 29; Joan., I, 14.
(4) Lucæ, XIV, 33.
(5) Lucæ, IX, 24.
(6) Vide Oracul., 15, 19 et 20, et Collat., 4.

nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates. (Ephes. VI, 12.) In bello aut prælio quandoque militibus corpora refocillandi, arma deponendi, a laboribus feriandi, et virium repetendarum tempus conceditur, nec sub dio aut cœli inclementia pernoctare in hieme compelluntur; imo sub tecto hibernandi, in civitatibus commorandi libera præbetur facultas. Sed inter colluctantes tunc solum in luctamine respirare licebit, quando uno victo, et in terram colliso, alter triumphator abscedit. Nostrorum inimicorum lucta numquam cessat : luctæ tempus, tempus est vitæ; finis vivendi, requiei erit initium, et solum post mortem dæmon luctator recedet, qui in ipsa morte fortius nos posternere molitur. Dominum ergo suppliciter exoremus, ut sua gratia nos protegat, et in tantis periculis misericorditer ab hoste defendat. Nihil (proh dolor!) viliori pretio, quam pretiosam commutamus animam. Illam quacumque vel levi occasione in gehennam detrudimus; et parva, vel minima mercede, inæstimabili Dei gratia spoliamus.

SERMO SEPTIMUS.

De sacerdotum obligatione.

Patres reverendi, Dei familiares et domestici estis, et illius pane vescimini, vestram agnoscite dignitatem. Devotionem præferte, contemplationi insistite. Spiritus sanctus sit vestri lumen intellectus, vestræ flamma voluntatis. Perseverate in observantia illorum quæ Domino promisistis, nec ad ea quæ reliquistis, retro gradiamini pedibus vel affectu. Ambitionem fugite, superioritatem inter fratres cavete. Recordamini, quod qui in infinitum homines præcedit et angelos, in hunc mundum descendens, non solum angelis, sed et hominibus inferior visus est, omnibusque se minorem dicens, ait : Non veni ministrari, sed ministrare (Matt. XX, 28). Quos in prælatos assumi contigerit, non superbe imperent subditis tamquam domini (1), sed humiliter corrigant, sicut veros decet ministros. Necessitatibus illorum quibuscumque provideant : magna sit cura circa corporales, major autem circa spirituales. Advertant quod sunt pastores animarum sibi subditorum, quarum, secundum Apostolum (Heb., XIII, 17), stricto Judici rationem sunt reddituri. Ovium pastores, si qua deperditur, aut frigore perit, dominis suis callide satisfaciunt, dum mortuæ pellem ostendunt. Animarum vero pastores non pro ove pellem, sed pellem pro pelle, animam pro anima in Dei judicio reddere strictissime cogentur. Subditos eo modo tractent, quo semetipsos curant, et eosdem se præbeant sibimet et subditis. Peccatoribus de peccatis pœnitere præcipit Deus, et ea veridica confessione pandere sacerdotibus, quos peccato redarguere decet, et peccatores per pœnitentiam ad virtutem reducere. Hortari etiam debent pœnitentes ad frequentem eorum confessionem, et sanctissimam Christi Corporis communionem. Si enim hic cibus est animæ, sine quo languet et marcescit, cur non quotidie ad mensam, in quo proponitur cunctis, cuncti sedere et manducare desiderent? Qui itineris fatigatur molestia, plus cibi indiget refrigerio. Si ergo omnes viatores sumus, et ad patriam pergimus, cur pretioso et sapidissimo cibo confortari non appetamus? Elias hunc in figura comedit (2), et ambulavit in fortitudine illius. Si sæpius hunc panem, sicut decet, sumeremus, magis in via virtutis proficeremus, et ad destinatam nobis patriam robustius pergeremus.

II

SEX PRÆCIPUÆ RATIONES QUARE

DEUS OPTIMUS MAXIMUS RELIGIONEM MINORUM SUÆ CONCESSERIT ECCLESIÆ (3).

Fratres Minores dati et vocati sunt a Deo, præcipue ut repræsentent Christum Jesum Dominum nostrum: et tanta ipsius beneficia, tunc a mundo quasi oblita et contempta, vel neglecta, in memoriam christianorum reducant. Et propter hæc ab ipso Filio Domino nostro Jesu Christo postulati sunt a Deo Patre suo (4).

1. Et Primo dati sunt, ut verbo et facto sint testes et imitatores præcipui suæ altissimæ paupertatis, per omnimodam abdicationem proprietatis, et indebitæ affectionis, ac pauperem et humilem usum rerum omnium temporalium, quia sanctæ paupertatis virtus et affectus, quasi ab omnibus ubique deserta et repudiata ac contempta videbatur, adeo quod amplius non inveniebat, ubi perfecte et integre requiesceret pes ejus.

2. Secundo, ut verbo et facto sint testes et imitatores suæ excellentissimæ et perfectissimæ obedientiæ, qua non solum Deo Patri suo obediens factus est pro nobis usque ad mortem crucis, et etiam parentibus suis, sibi longe inferioribus. videlicet sacratissimæ Virgini matri suæ, et beato Joseph patri putativo subditus esse voluit (5), sed

(1) Vide Collat., 26.
(2) Reg., XIX, 8.
(3) Opusculum hoc in lacera et vetusta charta pergamenta mihi occurrit eo modo, quo transcripsi, in Bibliotheca Minorum Convent. Assis. Sed in *Firmamento* trium Ordinum fol. 22, in *Manuali Minorum*, et aliis vetustis codicibus aliter habetur; sæpiusque ipsius Francisci et B. Claræ fit mentio, tamquam qui in testimonium vel in exemplum adducantur. Qui, excusis his, etiam satis vetustis, adhæserit libris, non immerito affirmabit alterius a Francisco hoc esse Opusculum.
(4) De postulatione hac vide Uber., l. V, *Vitæ Christ.*, c. 3, Sedul., lib. I; *Apolog.*, c. 2, n. 1 et 2.
(5) Lucæ, 2. 51.

(quod majus est) malis etiam principibus et sacerdotibus obedire voluit, et docuit obedire, cum censum Cæsari reddidit, et reddendum jussit; et cum de Scribis et Pharisæis malis, populum regentibus, dixit (1). *Quæcumque dixerint vobis facite, opera autem eorum nolite facere*. Quia quanto contemptibilior præsidet, tanto magis obedientia subditi placet, et obediens meretur, maxime si talis obediens non sit causa promotionis, nec continuationis talis mali, et insufficientis prælati. Et perfectissimus ac evangelicus obediendi modus et gradus est, obedire propter Deum talibus, et aliis, non solum in his quæ quis promisit ex Regula observare, sed etiam in omnibus quæ non sunt contraria animæ et Regulæ suæ (2) sine alia limitatione vel repressione facultatis, aut jurisdictionis, vel obedientiæ regularium prælatorum suorum.

3. Tertio, ut sint testes et imitatores despectus et humilitatis Christi per contemptum omnium bonorum, et promotionum, ac vanitatum mundi, et per veram abjectionem, mortificationem, et contemptum sui ipsorum propter Deum.

4. Quarto, ut sint testes et sequaces verbo et opere suæ tantæ charitatis et affectionis ad salutem omnium animarum, per mundum discurrendo, ac verbo et exemplo prædicando, atque animas, ipsius Christi pretioso Sanguine redemptas, ad ipsum verum Creatorem, et Pastorem, ac Redemptorem animarum ducendo.

5. Quinto, ut sint testes et imitatores suæ sobrietatis, pœnitentiæ, mititatis, condescendentiæ, et misericordiæ, atque puritatis per moderatam abstinentiam, et jejunia, ac labores, et per piam ac caritativam condescensionem et sublevationem afflictorum, et receptionem ac sanationem infirmorum peccatorum, ac corporis et animæ nitiditatem ac puritatem.

6. Sexto, ut sint testes, et speciales contemplatores, et imitatores, ac prædicatores suæ tantæ passionis ac mortis, et beneficiorum tantorum suæ benedictæ Incarnationis, vitæ, et mortis ipsius, et tantæ nostræ redemptionis, non solum per jugem et frequentem meditationem et recordationem tantorum dolorum interiorum et exteriorum ipsius, et piissimæ Matris ejus, sed etiam per veram et spontaneam tolerantiam omnium contrarietatum, et tribulationum interiorum et exteriorum, atque vilipensionum, et dolorum pro nomine ejus sanctissimo.

Beati igitur fratres illi, qui, quantum in se est, in omnibus his sequuntur Dominum nostrum Jesum Christum, et sanctissimam ejus Matrem, in hac vita: quia in morte et in judicio cum ipso capitaneo suo in acie et societate verorum Christi militum, et specialium imitatorum ejus, gloriosi apparebunt; et Christo et Apostolis assidebunt omnes tribus terræ judicantes (3), id est, sententiam judicis approbantes, juxta illud: Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia, et secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel.

Igitur fratres in Christo dilectissimi et desideratissimi, propter Deum intelligite et videte vocationem vestram, et quare Minores estis vocati, quia non ut majores, sed ut humiliores et abjectiores omnibus atque inferiores propter Deum esse contendatis in præsenti, ut hic in gratia, et in futuro in gloria majores esse possitis. Et Domino Deo nostro, qui tam benigne sine vestris meritis ad tanta et tam sublimia vos elegit et vocavit, grati estote, et contendite ambulare ea vocatione qua vocati estis, non retro aspiciendo, sed de virtute in virtutem proficiendo: indubitanter tenendo, quod si hæc secuti fueritis, et Christi passionum socii (4), et contemplatores fueritis, eritis et consolationum, et pro momentaneo labore præsentis vitæ, præmium certum et inæstimabile tandem cum Christo recipietis. Quod Dominus ipse pius meritis suæ sanctissimæ passionis, mortis, et glorificationis, ac intercessionibus suæ sanctissimæ Matris, et omnium sanctorum et sanctarum, misericorditer concedat. Amen.

III

OPUSCULUM

DECEM PERFECTIONUM VERI RELIGIOSI, ET PERFECTI CHRISTIANI (5).

1. Prima perfectio boni religiosi est, quod toto conamine et totis viribus nitatur ad dolendum pro peccatis, et libenter illa confiteatur, et sine mora, et postea caveat pro posse, ne in eadem vel altera incidat.

2. Secunda, quod omnem creaturam supra se ponat, et se subtus. Ratio est, quia offenderet illum magnum Dominum, qui fecit omnem creaturam, et qui tantum honoravit nos, quod amore nostri assumpserat carnem humanam, qua assumpta participavit omni creaturæ. Ob hoc ergo debet bonus religiosus, aut perfectus christianus, obedire bono corde et bona voluntate omnibus, non tantum ma-

(1) Matt., XXIII, 3; vide Collat., 4.
(2) Vide Regul., 2, c. 10.
(3) Matt., XIX, 28.
(4) II Cor., I, 7.
(5) In fine codicis MS. Hiberni recitabantur, ut inferius, hæ perfectiones veri religiosi sub nomine D. Francisci, tanquam ab illo scriptæ. Eas tamen non scripsisse, sed habuisse sanctum virum, probant *Firmamen.*, fol. 23; *Manual. Minorum*, ad initium; et Rodulphus libro II, *Histor. seraph.*, fol. 169; licet ipsi tam in Opusculo, quam in titulo inter se discrepent.

jori socio, vel pari, vel minori, sed etiam omni creaturæ, secundum quod licuerit sibi.

3. Tertia, quod cor suum ab omni mundana et humana creatura eradicet, nec quærat aut inveniat fundamentum aut radicem, nisi in illo qui fecit sibi cor; sed consuescat cor suum projicere in ipsum Deum, et de fæcibus terrenis frequenter elevare, ita quod sine pœna, quandocumque voluerit, revertatur ad Christum cogitando, et afficiendo se ad cordis creatorem, et intentus sit in omni loco, et tempore, altissimo benefactori. In oratione aut dicat culpam de malis perpetratis, aut desideret et petat bona quæ ei deficiunt, aut reddat gratias de bonis sibi collatis, aut de malis et tribulationibus quæ sibi eveniunt, et credat, Deum benignum, propter delictorum aut corporis castigationem, permittere illa sibi evenire.

4. Quarta, quod tantam habeat patientiam, quod illum, qui sibi malum aliquod fecerit vel dixerit, conetur plus diligere et amare ex toto corde, et ex bona voluntate ei libentius servire, sine omni amaritudine cordis. Quia sicut Deus ex vera liberalitate omnia bona sibi tribuebat, ita omnia mala credat eum occulte permittere ad hoc, ut peccatori sua ostendat peccata, et ipse ea cognoscat et advertat, sicque leviter in præsenti puniat, ut non flagellet durius in sempiternum. Illum igitur, qui malum sibi fecit, aut de ipso malum aliquod dixit, multum diligat, quia mediante illo, tanquam nuntio, Deus magnum bonum illi conferet; et tanquam membrum et retinaculum, quo mediante, Deus benigne eum detinet, ne in ipsum profundum abyssi projiciatur, aut mundus impingat, aut diabolus decipiat; et tanquam tersorium, quo mediante, eum Deus tergit; et tamquam instrumentum, et dolabrum, quo eum Deus dolat et perficit.

5. Quinta, quod diligat omnes bonos, et omnibus malis compatiatur, ac honoret omnes, et se omnibus viliorem reputet, etiam ipsis pessimis postponendo. Et hoc, quia nescit utrum bonum, quod ipse facit, Deo placet, aut utrum in eo perseverabit, nec similiter novit finem ad quem ille alius possit devenire. Ob hoc nullum in corde suo judicet, nec de ore suo malum aliquod de altero proferat. Et quando malum alicujus audierit ab aliquo, illum excuset, vel non lætetur de murmuratione, sed tristem se ostendat, et sagaciter verba dicentis in aliam materiam divertat.

6. Sexta, quod amet multum reprehensionem et reprehensorem : et si malum aliquod de ipso, ille qui reprehendit, dixerit, totum concedat : si vero bonum, quod in illo fuerit, laudatur, excuset se, et dicat quod nihil boni facit; in mente tenens, quod Deus omne bonum facit, et dat etiam voluntatem faciendi.

7. Septima, quod omnibus libenter serviat, et vix ab aliquo sibi serviri acquiescat, reputans se indignum omni servitio; recordeturque quod non venerat Christus ministrari, sed ministrare. Si ergo aliquis servierit ei in aliqua necessitate, in corde suo gratias agat Deo, qui illi dederat voluntatem serviendi, et posse.

8. Octava, quod studeat recogitare omnia beneficia, sibi vel aliis quibuscumque creaturis facta, et pro omnibus gratias referat Deo, et post humiliet se, dicendo : Quis sum ego, qui pro aliis gratias refero, cum non sufficiam referre eas pro minima parte boni quod mihi Deus fecit, et maxime cum sim tam prava creatura ? et sic annihilet se.

9. Nona, quod sollicitam habeat linguæ custodiam, quæ complementum est omnium bonorum, et sine qua perditur omne bonum : et linguam suam custodiat non tantum a verbis malis sive nocivis, falsis et inhonestis, sed etiam a superfluis et vanis, quæ devotionem cordis evacuant.

10. Decima et ultima, quod super omnia caveat, ut in omnibus verbis ejus reluceat veritas bonitas, et humilitas; quia verbum hominis debet incipere a veritate, proficere in bonitate, terminari in humilitate, et mensurari brevitate, quia verbum abbreviatum fecit Domino super terram. Deo gratias.

Apostrophe P. de La Haye ad lectorem.

Hæc sunt, amice lector, quæ reperire potui sancti viri, vel certa vel dubia Opuscula. Desideratur adhuc aliud de spirituali lætitia, et accedia, hujusque remedio, a Mariano in suo *Indiculo* relatum. Alii volunt, sanctum virum calamo signasse quidquid in toto itinere peregit aut vidit notatu dignum, dum pro Jacobi Apostoli corpore visendo in Compostellam se contulit, Itinerariumque Compostellanum inscripsisse. Alii demum citant ejusdem tractatulum *de Oratione*. Nihil horum, etsi diligenter a me perquisitium, hucusque apparuit. Si fors occurrerit, communis faciam juris. Interim sancti viri Operibus affigo, quæ ad ejus commendationem ediderunt alii, sed longa annorum serie non omnibus obvia. Magna sunt; magnum excitabunt in sanctum virum si quis ab hoc affectu liber, amorem, et digniorem conciliabunt reverentiam.

FINIS OPERUM B. FRANCISCI ASSISIATIS.

OPERA OMNIA

S. ANTONII PADUANI

ORDINIS MINORUM.

AD OPERA

SANCTI ANTONII PADUANI

ORDINIS MINORUM

PROLEGOMENA

IN VITAM S. ANTONII PADUANI.

Plures sunt qui D. Antonii vitam narrare conati sunt. Inter quos, quidam non tam facta quam laudes sancti viri retulerunt, non tam historiam componere satagentes quam miraculorum seriem efformare. Sicque titulum imposuit suo libro, verbi gratia, Abreu : *Sol oriens in occidente*, seu S. Antonius, luminare majus inter astra mundi Franciscani. Sic, Bonucci : *Heros Portugalensis*, S. Antonius Paduanus ; Caccia : *Antiquonovum miraculum*, etc. ; Grandi : *Triumphus fidei* in vita S. Antonii Paduani ; Schindler : *Miraculum Hispanicum* S. Antonium Paduanum, et alii codem modo collaudantes. Sed tres Vitæ sunt, de quibus pauca tibi dicenda, lector.

Prima Vita, quæ alias omnes antiquitate superat, ea est quæ in Legenda prisci breviarii Franciscanorum continetur. Eam nobis P. Azzoguidi tradidit, e MS. veteri excerptam. Quam integram legere potes infra.

Secunda ea est quam Sicco Polentonius contexuit. Hanc etiam, quasi omnino ignotam a doctioribus, P. Azzoguidi typis mandavit, ita subjungens :

« Illam Patribus Waddingo, et Papebrochio prorsus ignotam exscripsi ex Codice MS. Bibliothecæ nostræ S. Francisci Ravennæ, quem meæ fidei commiserat non vulgaris comitas et benignitas P. Magistri Joannis Antonii Montanari nostræ Bononiensis Provinciæ olim Ministri, insignis ejusdem Bibliothecæ instauratoris. Codex membraneus est foliorum 41 in quarto, ut aiunt, parvo. Character nitidus : litteræ capitales auro, variisque coloribus pulcherrime ornatæ. Intra litteram D, quæ initium est Præfationis, depicta conspicitur effigies Sancti inter densissimos nucis ramos, tugurioli instar colligatos, sedentis, ac scribentis : ab ejus læva, scala a terra ad arboris ramos pertingit ; a dextera vero, humi sedet ejus socius intentis in eum oculis suspiciens. Ex isto porro commentario Hippolytus de Ponte Patavinus Minorita conventualis, S. Theologiæ magister plurima transtulit in S. Antonii Historiam, quam large et diffuse italico sermone omnium primus descripsit, eamque nuncupavit Ludovico e comitibus sancti Bonifacii protonotario apostolico, et canonico Patavino, quem ex ipsis mortis faucibus mense Augusto anni MDXXVIII beati Antonii meritiis ereptum, firmæque incolumitati restitutum dicit in epistola nuncupatoria. Hippolyti Historia edita fuit Venetiis typis Guilielmi a Fontaneto de Monteferrato, die VI Maii anno MDXXXII, ut legitur in fine operis impressi, ac etiam apud Waddingum (1); non vero MDLII, ut scribit P. Papebrochius (2), qui si illam non abjecisset, pluribus aliis, quæ a Polentonii Commentario Hippolytus accepit, miraculis Acta Sancti locupletasset. »

(1) Ad An. 1232, n. 10.

(2) Act. SS., 13 jun., Comment. prav., n. 8.

Humiliter vero confessus est P. Azzoguidi, in Additione quadam, quæ ad calcem sui operis inscribitur, se fuisse deceptum in aliquo, et illud Sicconis Polentonii opus bis fuisse sub prælo datum, prima vice in anno 1476, et secunda vice in anno 1653. Hæc est additio:

« Alterum Commentarii istius exemplar in membraneo pariter Codice manu exaratum servatur Patavii in Bibliotheca nostra Sancti Antonii. Mutilum edidit Petrus Saviolus anno MDCLIII in libro, qui inscribitur, *Arca del Santo di Padova :* Præfatio quippe ad Modestum filium, ac præterea duodecim capita miraculorum in eo desiderantur. Integrum vero, numerisque omnibus absolutum anno MCCCCLXXVI typis traditum, sed absque nota impressoris, et loci, in Bergomensi nostra Sancti Francisci Bibliotheca adservari, per litteras mihi novissime testati sunt Pater Joannes Franciscus Rovetta illius Bibliothecæ Custos, et Pater Josephus Antonius Ferrari provinciæ nostræ Mediolanensis minister, Sacræ Theologiæ magistri; a quibus ea, quæ accepi, utpote illustrandis typographicis Annalibus apta, latine versa hic lubet referre.

« Liber sic inscribitur inquiunt : *Sicconis Polentonii Præfatio ad Modestum filium in sancti Antonii Confessoris de Padua vitam incipit. Lege felix. Desideranti mihi perdiu,* cum reliquis. Præfationem consequitur vitæ historia cum prævia hac epigraphe : *S. Antonii Confessoris de Padua vita incipit feliciter ;* mox miraculorum series in duodecin capita distributa; tum clausula : *Explicit vita S. Antonii Confessoris de Padua per excellentissimum Oratorem Sicconem Polentonem Patavum*. Adjiciuntur deinde Apostolicæ Sixti IV litteræ incipientes, *Immensa divinæ bonitatis,* quibus plena indulgentia cum aliis indultis tribuitur pœnitentibus, in Sancti Antonii festivitate ad Patavinam ejus ecclesiam confluentibus, datæ *anno primo Pontificatus, quarto Idus Martii,* Christi *anno millesimo quadringentesimo septuagesimo primo* , qui juxta stylum Romanæ Curiæ, a Festo Annunciationis annum incipientis, adhuc decurrebat secundum vero communem supputationem, quæ annum incipit a festo Circumcisionis, anno MCCCCLXXII. Postremo obsignatur liber anno impressionis, et sex magnis elementariis litteris, in hunc modum :

« MCCCCLXXVI die XI mensis Junii finem habuit feliciter.

« B. V. C. P. F. F. »

Sicconem Polentonium secuti sunt varii qui, in ejus libro multa haurientes, de eo siluere. At videtur fide dignus ille auctor, cujus liber duos partes complectitur, id est unam de gestis, alteram de miraculis. Nos primam partem lectu dignissimam tradimus infra, in qua præsertim videbitur qualis fuerit orator D. Antonius. Cum gravitate ac copia locutus est, ait Sicco, ratione fulcitur et sanctorum Patrum auctoritate, exemplis utitur, sapientia et ingenio omnia collustrat, ita ut mirum in modum qui audirent, ac quodam rei novæ quasi miraculo obstupescerent.

Hanc Sicconis vitam Azzoguidi notis locupletavit, quæ paginas centum et quinquaginta in-4° complent. Prætermisimus has notas, quas tamen adire debet quisquis de D. Antonii gestis in particulari edoceri cupit. Curiosos monemus, sed amittimus, ne nimium crescat nostrum volumen.

Tertia Vita, de qua nunc dicendum, a P. de La Haye conscripta fuit. Quæ satis ampla, sed non in prolixitate decidit, rerum seriem narrat gestarum, neque miraculorum obliviscitur, et omnia refert quæ non docti, non eruditi, sed turba hominum maxima requirunt. Eam Vitam qui legerit nihil fere aliud novi inveniet apud omnes cæteros qui de sancto Antonio locuti sunt. Vid. infra.

I

LEGENDA S. ANTONII PADUANI

A P. AZZOGUIDIO TRADITA,

ET E VETUSTISSIMO CODICE EXCERPTA.

MONITUM IN LEGENDAM.

De negligentia, sive in perquirendis, sive in conservandis sancti Antonii Actis conqueritur etiam P. Papebrochius (1). Sed in more tunc erat positum, ut Sanctorum texerentur Historiæ, quæ in Officio divino, occurrentibus eorum festivitatibus, commode legi possent. Primigeniam P. Papebrochius frustra desideravit. Sed quæ Auctori Vitæ apud Surium, ac Sicconi ipsi ob oculos certe versata est, Vitæ S. Antonii historiam, post ejus Canonizationem contextam, et in Lectiones divisam pro die Festo, et per Octavam, placet hic Lectori exhibere. Illam P. magister Ubaldus Tebaldi, vir doctrina, ac pietate conspicuus, et vetustarum rerum scrutator perspicacissimus, ex membraneo sacri nostri Assisiensis cœnobii codice, quem Breviarium appellant, ea qua præditus est humanitate, me rogante, diligentissime exscripsit; cui etiam plura accepta refero, quæ inferius proferam, ditissimo illo in Archivo recondita documenta. Codicem illum post annum MCCLXIII, sed ante annum MCCCII esse conscriptum, ex eo conjicio, quod in Festivitate, et per Octavam S. Francisci descripta est Legenda minor, quam a S. Bonaventura concinnatam, et per Lectiones distributam, *suppressis aliis quibusque Legendis, admiserunt patres Ordinis in generalibus Pisanis comitiis anno* 1263, ut narrat Waddingus (2). Desiderantur autem illo in Codice Festa, et Officia Dedicationum S. Mariæ ad Nives, ac Basilicarum Salvatoris, et SS. Petri et Pauli, quæ jussu capituli generalis anno 1302 Calendario nostro (3) fuere addita. De tribus Lectorem puto esse admonendum. I. Non omnia, quæ egit Sanctus, dum viveret, ac tredecim tantum ex ejus miraculis ad Canonizationem productis, in hac Historia enarrari. II. Lectiones per quinque dies idcirco esse distributas, quia totidem diebus de S. Antonio tunc celebrabatur officium; agebatur enim die 16 Junii de S. Vito, et die 19 de SS. Gervasio et Protasio Festum IX Lectionum. De Dominica vero eo die, quo intra Octavam occurrebat. Occurrente autem die 13, ejus Officium reponebatur in diem 14. III. Historiam istam e Breviario nostro excidisse paulo post annum 1302. Nam in duobus Breviariis pariter membraneis ejusdem Assisiensis Cœnobii, ante annum MCCCXIX conscriptis, cum in eis desint Officia Corporis Christi, S. Ludovici episcopi, ac S. Marthæ, ab Ordine recepta decreto capituli generalis anni 1319 (4), Legenda illa in Festo, et per Octavam S. Antonii se offert, quam in Actis Sanctorum P. Papebrochius ex manuscriptis edidit primo loco, die XIII junii. In laudato igitur Codice sic legitur :

(1) Act. SS., 13 jun. Comment. prav., num. 9.
(2) Ad An. 1260, n. 18.

LEGENDA.

In Festo S. Antonii. Lectiones leguntur de Legenda ipsius.

Lectio. I. Est namque, ut fertur, in regno Portugallie ciuitas quedam ad occidentalem ejus plagam in extremis mundi finibus sita . que ab incolis nuncupatur Ulixbona . eo quod sicut uulgò dicitur : ab Ulixe bene sit condita . Intra ejus muros . Ecclesia quedam mire magnitudinis ad honorem gloriose Uirginis Marie fabricata consistit in qua preciosum illud et omni veneratione dignum beati Uincentii martyris corpus honorifice conditum requiescit.

Lectio. II. Ad cujus plagam occidentalem felices beati Antonii progenitores dignum

(3) Wad., ad an. 1302, n. 1.
(4) Idem, ad an. 1319, n. 1.

iuxta conditionis sue statum domicilium possidebant, quod et ipsi ostio templi propinquo limine imminebat. Qui cum in primo iuuentutis flore. felicem hunc genuissent filium. ab ipso sacri baptismatis fonte. Fernandus ei nomen imponunt. Hunc nimirum in supradicte sancte Dei genitricis Ecclesia. sacris litteris imbuendum tradunt. et futurum Christi preconem quodam presagio ministrorum Christi educationi committunt.

Lectio. III. Est autem iuxta eandem quam prediximus ciuitatem Monasterium quoddam de ordine sancti Augustini. haud longe a menibus distans. in qua (1) uiri religione famosi. in canonici regularis habitu Domino famulantur. Ad hunc denique locum uir Dei spretis mundi oblectationibus se transtulit. et canonici regularis habitum humili devotione suscepit. ubi cum annis ferme duobus commoratus. frequentiam amicorum piis mentibus importunam sustinuisset, ut omnem sibi perturbationis eiuscemodi occasionem tolleret. natale solum quod ad eneruandos uiriles animos non mediocriter potest. derelinquere statuit, quatinus alieni aggeris littore tutatus. Deo quiecius militare posset. Obtenta igitur uix precibus Superioris licentia non ordinem sed locum mutauit. et ad monasterium sancte crucis de colimbria in spiritus feruore se transtulit.

Lectio IIII. Post hec autem cum reliquias sanctorum. fratrum videlicet minorum. dominus petrus infans a marochio deportasset. et eorundem meritis miraculose se liberatum per omnes Yspanie prouincias diuulgasset. audiens seruus Dei Antonius mira que per eos flebant. directus est et in fortitudine spiritus sancti. Accingensque cinctorio fidei renes suos roborabat brachium. armaturam (2) zeli illius. dicebatque in corde suo. O si me sanctorum martyrum suorum corone participem fore dignaretur Altissimus. O si me flexo poplite pro nomine Jesu colla tendentem lictoris inueniret gladius. Putas uidebo? Putas iocunditatis illud tempus implebo? Hec et his similia tacitus secum loquebatur.

Lectio. V. Morabantur autem eodem tempore non longe a ciuitate Cohimbria in loco qui sanctus Antonius appellatur. fratres de ordine minorum litteras quidem nescientes sed uirtutem littere operibus edocentes qui et iuxta ordinis statuta. elemosine petende gratia. ad monasterium in quo uir Dei conuersabatur quam sepe ueniebant. Ad quos cum ex more. die quadam uir Dei uisitandi gratia secrecius accessisset. inter cetera que locutus est. hec quoque dixit. Ordinis uestri habitum fratres karissimi animo desiderandi suscipiam si me mox ut introgressus fuero. ad terram Saracenorum mittere spoponderitis. quatinus cum sanctis martyribus merear et ego consequi corone participium. Qui non mediocri gaudio ex tanti uiri uerbis exhilarati. diem quo hec fiant proximum sequentem constituunt. et ne mora periculum trahat. tempus dilationis precidunt.

Lectio. VI. Fratribus igitur letabunde remanentibus. domum rediit servus Dei Antonius super dictis a priore licentiam petiturus. Qua nimirum precibus extorta fratres promissi non immemores. juxta condictum facto mane conueniunt: et religionis sue habitum in monasterio uiro Dei ocius imponunt. Quod cum factum fuisset: accurrens quidam de fratribus ac concanonicis ejus in amaritudine cordis loquebatur dicens. Uade uade. quia sanctus eris.

Lectio. VII. Ad quem conuersus uir Dei Antonius: humili uoce respondit. dicens. Cum me sanctum fore audieris. Deum collaudabis. Et his dictis fratres gradu concito domum properant. et e uestigio sequentem nouum hospitem in ostensione caritatis suscipiunt. Uerum quia irruencium in se parentum suorum impetum Dei seruus formidabat. requirencium eum sollicitudinem sagacius declinare satagebat. Nam et mutato uocabulo. Antonins ipse sibi nomen imposuit. et quantus uerbi Dei preco futurus esset. quodam presagio designauit. Antonius enim. quasi alte tonans dicitur.

Lectio. VIII. Et reuera uox eius ut tuba uehemens. quia cum sapientiam Dei in mysterio absconditam inter perfectos loqueretur: talia et tam profunda de scripturis intonuit. ut uel rarus pro consuetudine sensu (3) exercitatus. dissertudinem lingue ipsius intelligere posset.

Lectio. IX. Sensim ergo et per incre-

(1) In quo.
(2) Armatura.
(3) Sensim.

menta zelus fidei eum enixius perurgebat. et martyrii sitis in corde illius accensa quiescere eum nullatenus permittebat. Unde factum est: ut iuxta promissum. data sibi licentia. terram Sarracenorum festinus adiret. Sed que sunt hominis cognoscens altissimus. in faciem ei restitit. ac intentato graui morbo. per totum hyemis spacium eum acrius flagellauit. sicque factum est: ut cum de proposito suo nichil prospere actum cerneret: pro recuperanda saltem corporis sanitate. ad natale solum compulsus remearet. Qui cum nauigando in finibus hyspanie applicare disponeret. in Sicilie partibus uentorum impulsu se positum cernebat. Circa tempus autem illud. capitulum generale apud asisium constitutum est celebrari. Quod ut uiro Dei Antonio per fratres Messane ciuitatis innotuit: semetipso robustior factus: ad locum capituli utcunque peruenit.

Infra ebdomadam.

Lectio. I. Post multum uero temporis. contigit fratres ad ciuitatem forliuii pro suscipiendis ordinibus transmitti. Conuenientibus igitur ex diuersis partibus ob dictam causam fratribus ac predicatoribus: affuit inter eos Antonius. Instante autem collationis hora. necnon et fratribus ex more congregatis. Minister loci fratribus de ordine predicatorum qui in presencia erant supplicare cepit. ut exhortationis gratia salutis uerbum sicientibus proponeret.

Lectio. II. Cumque improuisum se quisque nec uelle nec debere predicare constancius asseruisset: conuersus ad fratrem Antonium precepit ei. ut quodcunque sibi spiritus suggereret. congregatis fratribus annunciaret. Non enim credebat eum quicquam de scripturis nosse. sed nec quicquam nisi forte que ad officium ecclesiasticum spectant putabat legisse. uno tantum presumptionis confisus suffragio. quod uidelicet eum litteraliter loqui. uix cum necessitas exegisset. audierat.

Lectio. III. Reuera enim cum talis esset industrie. ut memoria pro libris uteretur et eloquii mistici gratia copiosus afflueret. periciorem eum nouerant fratres in abluenda suppellectili coquine, quam in exponendis misteriis scripture. Quid multa? uiribus totis quoad potuit renitens. tandem ad clamorem omnium simpliciter loqui exorsus est. Cumque calamus ille sancti Spiritus lingua ipsius luculenta satis expositione. ac breui sermonis compendio multa prudenter disseruisset stupenda fratres admiratione percussi. intentis auribus perorantem uirum unanimiter intendebant. Dabat quippe stuporis augmentum. insperata dictorum profunditas: sed nec minus edificabat spiritu (1) quo loquebatur. et feruentissima caritas. Omnes denique sancta consolatione perfusi: humilitatis meritum in seruo Dei Antonio cum dono scientie uenerati sunt.

Lectio. IIII. Quoniam autem testante domino non potest ciuitas abscondi super montem posita: non multo post tempore delata ad ministrum eorum que contigerant relatione. interrupto quietis silencio ad publicum uenire compulsus est Antonius. Iniuncto namque sibi predicationis officio heremi cultor emittitur. et ad euangelizandam Dei gloriam diu clausa ora laxantis (2). Mittentis igitur auctoritate suffultus: in tantum predicationis opus explere studuit. ut nomen euangeliste gestorum strenuitate compensaret. Circuibat proinde ciuitates et castra. uicos atque campestria: et uite seminarium sicut affluentissime. ita et feruentissime cunctis spargebat. Discurrente autem eo et ob animarum zelum requiem sibi prorsus negante. contigit eum ad ciuitatem ariminensem celitus applicuisse. Ubi cum multos heretica cerneret prauitate delusos: conuocato mox totius ciuitatis populo in feruore spiritus predicare cepit. et qui phylosophorum non nouerat argucias. uersuta hereticorum dogmata sole lucidius confutauit.

Lectio. V. Ita demum uerbum eius et doctrina salutaris in cordibus audiencium radices fixit. ut eliminata erroris spurcicia. non parua credencium turba Deo fideliter adhereret. In quibus heresiarcham unum Bonillum (3) nomine. ab annis triginta errorem (4) infidelitatis abductum per seruum suum Antonium Deo (5) ad uiam ueritatis

(1) Spiritus.
(2) Laxantur.
(3) Al.: Bonovillum; al.: Bonellum.
(4) Errore.
(5) Deus.

conuertit. Qui et accepta penitencia mandatis sancte ecclesie romane usque in finem deuotus obtemperauit.

Deest in Codice Lectio VI.

Lectio. VII. Post hec autem cum urgente familiari causa Minister Ordinis seruum Dei Antonium ad Curiam destinasset. tali eum fauore apud uenerabiles ecclesie principes donauit altissimus : ut a summo pontifice et uniuersa cardinalium multitudine ardentissima deuotione audiretur predicatio illius. Nempe enim talia et tam profunda de scripturis facundo eructabat eloquio : ut ab ipso Domino Papa familiari quadam prerogatiua archa testamenti uocaretur.

Lectio. VIII. Sermo namque ipsius in gratia sale conditus : non mediocrem audientibus gratiam conferebat. Mirabantur maiores. uirum pubetenus ydiotam. spiritalia spiritalibus subtiliter comparantem. Stupebant minores peccati causas et occasiones euellentem. et uirtutum mores cautius inserentem. Omnis demum conditionis ordinis et etatis uiri. congruencia sibi uite documenta suscepisse letati sunt. Nulla prorsus flectebat eum personarum acceptio. nulla fauoris humani permulcebat opinio. sed iuxta prophete uocem. quasi plaustrum triturans. rostra habens serrancia. montes comminuit. et colles sicut puluerem posuit.

Lectio. IX. Anno siquidem dominice incarnationis. M.CC. Trigesimo p°. Indictione IIII. XIII. die mensis iunij. feria VI. beatissimus pater ac frater Antonius natione hyspanus in ciuitate paduana in qua per eum nomen suum magnificauit altissimus. apud cellam in loco fratrum uiam uniuerse carnis ingressus ad celestium spirituum mansiones feliciter transmigrauit.

Lectio. I. Hic cum tempore quodam relictis populorum turbis, que ad audiendum et uidendum eum undique confluebant. ad campum sancti petri quietis gratia a ciuitate paduana recessisset. soli Deo uacare cepit, cupiens si quid ei pulueris ex secularium conuersatione ut assolet ullatenus adhesisset. lacrimis deuotionis ac sacre meditationis capillis extergere.

Lectio. II. Cumque die quodam a cella sua quam super nucem construi fecerat. uocante eum campana ad horam prandii descendisset : cum fratribus ceteris ex more discubuit. Facta est autem super eum ibi manus Domini. et totius corporis uiribus cepit repente destitui. Crescenteque sensim infirmitate. sustentantibus eum fratribus a mensa surrexit : fatiscentes artus sustinere non preualens. stramentis se lectuli ad cuiusdam preces inclinauit.

Lectio. III. Senciens igitur seruus Dei Antonius dissolutionem sui corporis imminere. uocato ad se quodam de fratribus et consociis suis rogerio : dixit ei. Si consulis frater. pro uitando fratrum istorum grauamine uado paduam ad locum sancte marie. Quem cum superpersuasum haberet. iuncto curru pater sanctus imponitur. fratribus loci pro posse renitentibus. ne ad locum alterum ullatenus deferretur. Quia tamen beatissimum Antonium hoc uelle cernebant. inuiti sancto cesserunt.

Lectio. IIII. Cumque iam appropriasset civitati occurrit super (1) uinotus qui uisitandi gratia ibat ad uirum Dei. Quem cum nimia infirmitate cerneret aggrauatum rogare cepit, ut ad cellam diuerteret in domum fratrum. Erant enim ibi fratres prope Monasterium dominarum pauperum commorantes : et iuxta consuetudinem ordinis diuina illi (2) administrantes.

Lectio. V. Allegabat proinde dictus frater tumultum magnum et turbationem non paruam fore in loco fratrum : maxime quia intra ciuitatem positi secularium exponerentur importune concursioni. Audiens autem hec seruus Dei Antonius. precibus supplicantis annuit. et notis eius acquiescens ad locum diuertit. Seruo igitur Domini Antonio in cella cum fratribus constituto. aggrauata est super eum manus Domini. crescenteque uehementius infirmitate non mediocri. signa dabat anxietatis.

Lectio. VI. Cumque temporis modico spacio quieuisset. facta confessione. nec non et accepta absolutione. hymnum gloriose uirginis Marie cantare cepit ac dicere. O gloriosa Domina excelsa etc. Quo dicto: erectis mox in celum oculis attonitisque luminibus in directum. prolixius respiciebat. Quem cum frater qui eum susten-

(1) Rodulphius, fol. 81, legit. frater Vinotus.

(2) Illis.

tabat. quid cerneret interrogasset: respondit. Uideo Deum meum.

Lectio. VII. Uidentes autem fratres qui aderant. felicem eius exitum appropinquare: unctionis sacre oleo sanctum Dei statuerunt perungere. Ad quem cum ex more frater quidam unctionem sanctam ferens peruenisset: intuens eum beatus Antonius ait. Non necesse est frater ut hoc michi facias. hanc enim unctionem habeo intra me. Uerumtamen bonum michi est et bene placet. Extensisque manibus ac iunctis palmis psalmos penitentiales cum fratribus decantans. ad finem usque compleuit. Cumque dimidia fere hora sustinuisset. sanctissima illa anima carnis ergastulo soluta. in abyssum claritatis absorta est. Corpus uero dormientis omnino speciem preferebat. Nam et manus eius in candorem conuerse: pristini coloris plenitudinem uicere. Cetera uero corporis membra: pro contrectancium libito se prebebant ductilia. O uere sanctus altissimi seruus. qui uno tempore uiuere meruit: et Dominum uidere. O sanctissima anima quam etsi crudelitas persecutoris non abstulit: desiderium tamen martyrii. et compassionis gladius milies pertransiuit. Te ergo digne pater deuocionis hostiis prosequentes benignus assume. et quibus per se nondum licet accedere uultui Dei. pro nobis precator assiste. Amen.

Alie infra ebdomadam.

Lectio. I. Die namque quo beatissimi Antonii corpus in ecclesia sancte Dei genitricis Marie honorifice conditum est. Mulier quedam nomine Caniza (1) per annum grauiter infirmata. instrumentis ligneis quas ferulas uocant sustentata ad locum usque peruenit. in cuius humero ex concretione humorum gibbus immanis excrescens. eam miserabiliter curuauerat. ut non nisi ferularum sustentatione ullatenus incedere ualeret. Que cum coram beatissimi Antonii tumulo in oratione prostrata paululum sustinuisset: complanato mox humero. gibbus euanuit. et dimissis ferulis erecta mulier domum remeauit.

Lectio. II. Mulier quedam nomine grassa (2). ab annis octo et eo amplius in tantum contracta fuerat: quod desiccato sinistro crure. ac neruis contractis. pedem in terra figere nequaquam ualebat. Sed cum necessitatis causa se quoque mouere cuperet. corpus suum ferularum sustentatione cum difficultate trahebat. Quam uir eius Marchoaldus nomine equo impositam. ad ecclesiam sancte Dei genitricis Marie festinus duxit. et recuperande sanitatis gratia. coram archa beati Antonii introductam deuotus collocauit.

Lectio. III. At illa orationi procumbens. mox tanto dolore urgeri cepit: ut pro angustia sudans calorem ferre non sustineret: sed supportantibus eam uiris extra ostium ecclesie haustu aure frigidioris spiritum refocillabat. Cumque post modicum reducta coram tumulo clausis oculis orasset. manum tangentis uentrem ac corpus suum leuare conantis sensit: At illa scire cupiens quisnam esset qui eam tangeret. eleuatis oculis neminem sibi appropinquare uidebat. Intelligens igitur mulier diuinum fore auxilium quod senserat. illico surrexit. dimissisque ferulis cum uiro suo gaudens ad propria remeauit.

Lectio. IIII. Alia uero mulier richarda nomine. cum per XX. annos crura gerens arida monstruose foret contracta. in tantum ut genua pectori. et pedes natibus adherentes. callosa quadam copulatione se iungerent: die quadam mendicationis gratia cum pauperibus ceteris ut elemosinam a transeuntibus acciperet ad locum beati patris Antonii scanellis pro pedibus utens aduenit. Cumque sopore depressa dormitans. caput aliquantulum reclinasset ad terram. audiuit uocem dicentem. Deo gratias: quia liberata est.

Lectio. V. At illa apertis oculis. uidit puellam que gibbosa fuerat: sed meritis sanctissimi patris sanitati reddita multis comitantibus recedebat. Surrexit ergo mulier. ut et ipsa curationis gratia ad tumulum introiret. Dum autem iret. ecce puer quidam septennis apparuit: et clausis manibus precedens ad introeundum inuitauit. dicens. Ueni in nomine Domini: quia liberabit te. Illa uero precedentis uestigia sequens ad ostium ecclesie scanellis ex more se traxit. sed cum in ostio ecclesie iam constituta fuisset. puer ille disparuit.

(1) Ap. Bolland.: Cuniza.

(2) Ap. Bolland.: Gilla.

Lectio. *VI*. Intrans igitur ad locum sepulcri. totam se contulit orationi. Orante autem ipsa : ecce duo globi ad instar oui eruperunt inter femur et ylia. Discurrenteque introrsus humore quodam subcutaneo. globi ad pedes usque descenderunt : ac in modum concussarum manuum perstrepentes. multis audientibus sonuerunt. Denique crura eius. XX. annorum spatio quasi arefacta mox extensa sunt : et laxata cute carnes ad staturam pristinam crescere ceperunt.

Lectio. *VII*. Uidentes autem custodes tumuli que fiebant. extra ostium ecclesie propere mulierem portantes. haud plene sanatam demiserunt. At illa per dies. XIX. orationibus insistens nec non et cotidie ad locum dictum se trahens. in die. XX. dimissis scanellis domum rediit. et non sine magna omnium admiratione per medium inciuitatis firmatis gressibus ambulauit.

Lectio. *VIII*. Puer quidam albertus nomine. cum a natiuitate sua usque ad annum. XI. pedem sinistrum tortum habuisset : parte superiori ad terram uersa digitos ad calcaneum pedis dextri preposteratos portabat. Cui pater ad dirigendum pedem ligna sepe ligare consueuerat. sed mox quacumque occasione solui contingeret : ad tortitudinem solitam resilibat.

Lectio. *IX*. Die igitur quadam mater pueri ad archam beati antonii cum filio supplex accessit. et pedem ipsius ad locum utcunque intromisit. Cumque paruo ibidem tempore permanens uehementer sudasset : a custodibus arce matri restitutus. uersis ad terram plantis domum rediit.

Alie infra ebdomadam.

Lectio. *I*. In comitatu ferrariensi erat mulier quedam maria nomine : que ab annis quatuor toto corpore paralisi dissoluta. caput et omnia membra portabat tremebunda. Cumque necessitate aliqua ad locum quempiam uellet procedere. gressu retrogrado uel obliquo quam sepe uestigia cogebatur curuare. Que cum die quadam coram sancti antonii tumulo funderet orationem. subito nerui eius dolore angustiati ceperunt extendi. Exurgensque mulier super pedes suos immobilis perstitit : ac plene sanitati restituta domum remeauit.

Lectio. *II*. Armenia (1) quedam de Uicentia quinque annorum spatio existens paralitica : nullo conamine pedis gressum figere potuit. sed cum aliqua occasione erecta fuisset : ante et retro tremebundis se motibus agitabat. Ueniens igitur ad archam beati antonii prona se in orationem dedit. et mox pristinam se habere sanitatem promeruit.

Lectio. *III*. Maynardus de runcis (2). cum per. XX. dies paralisi dissolutus fuisset. in tantum ut nullo penitus pedum uteretur officio. nec os ad comedendum posset aperire. super plaustrum onustum feno usque ad pratum uallis delatus est. Quo cum ducente eum plaustro peruenisset : dorso uiri uectus. ad beati Antonii tumulum supplex accessit : Facta igitur oratione. incontinenti surrexit : et aperto ore. Deum et beatum antonium laudans. propriis pedibus domum regressus est.

Lectio. *IIII*. Mulier quedam bilia nomine. per annos tres toto corpore tremebunda. ad archam sancti patris antonii tremulis gressibus uenit angustiata. Cumque coram tumulo in oratione persisteret. inualescente tremore calor nimius in eam irruit. Flebant autem uiri et mulieres tremebundis ejus sudoribus compacientes. Sed cum extra ostium ecclesie delata paulum respirasset : recedente calore mulier solidata loco discessit.

Lectio. *V*. In castro de montagrana (3) erat quedam mulier nomine solagna (4) que per annum et mensem paralisi resoluta nouit se ad sancti patris antonii tumulum recuperande sanitatis gratia uenturam. Que cum nocte quadam in stratu decubans obdormisset : audito strepitu quasi pulsato pede lectuli excitata est. Uocansque quendam e uicino comanentem. quesierit si quid auditu percepisset. Quo respondente quia nichil omnino sonuisset : tremefacta mulier in lecto resedit. et proiecta super se tunica peruigil excubuit.

Lectio. *VI*. Cumque paululum sustinuisset : pulsato iterum lectulo magis extimuit. et signum crucis fronti sue imprimens dixit. Quis tangit lectum? Audiuitque uocem dicentem sibi. Audacter signa te. At illa.

(1) Ap. Bolland. : Ermerina.
(2) Ap. Bolland. : desideratur.
(3) Ap. Bolland. : Montagnana.
(4) Ibid. : Colangria.

Quis es dixit? Cui ille respondit. Ego sum Antonius. Exclamansque mulier ait. Libera me sancte antoni. Qui respondit. Ecce salua facta es. Mane autem facto mulier roborata surrexit, et nullum prorsus abinde grauamen sensit.

Lectio. VII. Puella quedam auriema nomine per annum et dimidium oculorum lumine priuata. ad archam beati antonii sanitatis gratia deportata est. Que cum panno (1) quo operiabatur archa oculis suis applicuisset: mox apertis palpebris. lumen celi uidere promeruit.

Lectio. VIII. Frater quidam de ordine fratrum minorum theodorixus (2) nomine. duorum annorum spacio sinistro lumine orbatus de apulie finibus ad archam sancti patris antonii deuotus accessit. Qui cum aliquandiu cum fratribus padue commoratus sanitatis gratiam instanter postulasset: optato tandem potitus lumine. Deo gratias agens recessit.

Lectio. IX. In ciuitate triuisana erat uir quidam nomine Zambonus (3) qui per annos sex et eo amplius sinistro oculo nichil omnino uidere potuit. Ueniens igitur die quadam ad sancti antonii seplucrum, cum parum super illud quieuisset: recuperato mox lumine gaudens domum rediit. Leonardus quidam de Cuiglano (4) trium annorum spacio unius oculi lumine ex toto priuatus. altero uero in tantum cecuciens. ut non nisi uoce. notos ab ignotis discerneret: ad reuerendi patris antonii tumulum deuotus uenit. Cumque fusa oratione modico tempore coram archa prostratus sustinuisset. utriusque luminis donato uisu. domum reuersus est.

II

S. ANTONII DE PADUA VITA

A SICCONE POLENTONIO SCRIPTA.

PRÆFATIO

Ad Modestum filium, quæ incipit: *Lege Felix.*

Desideranti mihi perdiu, ac sæpenumero perquirenti aliquid scribere ad te, Modeste, mi suavissime fili, quod simul et dignum esset memoria sempiterna, et christianum cultum inspiceret: en forte oblata sunt memoranda quædam, eademque pulcherrima et divina miracula sancti Antonii confessoris de Padua: sic enim appellant eum, quæ hac ista in civitate Padua, hoc isto anno, qui est a Jesu Christi veri Dei Filii nativitate MCCCCXXXIII cumulate, ac longe supra quam soleat, quasi de industria ad eam rem, divinis expositis viribus, evenerunt. Quippe tot, tantaque his præsertim duobus proximis mensibus maio, et junio, nec deinde nulla audita sunt, et clare visa, ut credulis esse nimium multa, incredulis impossibilia videantur.

Hoc ne præsagiat, et minetur malum (5), ac pessimum malum, metuunt plerique. Nos vero ea spes tenet, quod bonum id, faustumque, ac felix omen sit bonam ad pacem, otium, tranquillitatem nobis, omnique populo, ac nomini christiano futurum. Equidem scribere ista constitui, tum ne operam navasse modo sæcularibus videar, tum ut qua Dei Sancti, et Sanctæ omnes coli debent, ea tibi erga hunc sanctum mens, ac reverentia augeatur; meminerisque, nam es adolescens, et legibus studes, optimi ac æterni Dei immensam potentiam, misericordiam, pietatem esse. Sed cum, uti proposueram animo, scribere parata manu opus ut prosequerer, incœpissem, animadverti rem sine capite, mutilatamque videri,

(1) Pannum.
(2) Ap. Boll.: Theodoricus.
(3) Ibid.: desideratur.
(4) Ibid.: de Coniclano; forte: de Conegliano.
(5) Notat Polentonius non tantum admirationem; sed timorem invasisse animos, propter miracula patrata et eorum frequentiam, unde nomen thaumaturgi S. Antonio datum. Timebant enim homines, qui leges naturales quasi eversas conspiciebant, et attoniti, cum stupore quasi horribili, ad invicem de his omnibus loquebantur.

si quemadmodum statueram, recentia hæc solum, et nova, quamvis magna sint, et pulchra, miracula memorarem. Undequaque igitur perquisitis Commentariis, libris, scripturis omnibus, quæ venerabilis sancti hujus aut Vitam, aut Miracula continerent, collegi accurate quæcumque, sed pauca e multis inveni. Oblivio enim sive inopia, sive negligentia Scriptorum delevit multa. Quæcumque autem scripta, et digna fide sunt a me usquam inventa, ea non quibus erant tradita, sed nostris verbis, ordine, arbitrio, ut habeantur uno tenore, ex integro inchoavi.

Quæ vero deinceps evenient, ea spero, alii atque alii colligent, etc.

INCIPIT

S. ANTONII DE PADUA VITA.

Antonio igitur venerabili confessori, et sancto patri nostro parentes clari secundum carnem et opibus, et nobilitate fuerunt Ulixibona e civitate, quæ ad extrema mundi sita Oceano adjacet, et Gadibus proxima illa est in regione Hispaniæ, quam veteres Lusitaniam, juniores regnum Portusgalli vocant. Hispania quidem, præter pauculum terræ: sex millia passuum id esse ferunt, unde Pyrineis e montibus Gallias prospicit, tota insulæ in modum mari undique cingitur. Eam veteres ita distribuebant, ut pars Terraconensis, pars Bethica, pars Lusitania vocaretur. Postea vero, atque impræsentia quinque in regna distributa est. Rex namque Portusgalli Gades Herculis, Ulixibonam, et quæ ad Oceanum vergit, omnem ferme Lusitaniam amplectitur. Bethicæ autem pars maxima regis Granatæ, pars Castellæ regis est. Mare ista Tyrrhenum ad meridiem, Athlanticum ad occidentem habent, appositaque Numidiæ, et Africæ sunt. Quæ vero Terraconensis Provincia fuit, ea Vasconiæ, ac Narbonensi Galliæ vicina est, et, quæ duo sunt regna, Navarram, et Aragoniam continet. Ex omnibus, Granatæ modo populi infideles, et barbaris angusto mari propinqui, reliqui christiani sunt.

Ulixibonam vero, cujus oriundus est noster sanctus Antonius, et nominatam, et conditam ab Ulixe, cum vagaretur eversa Troja, multi auctores sunt. Pater ejus vir egregius, ac miles, Mater omni morum sanctimonia venerabilis fœmina. Nomen patri Martinus Alfonsi, matri Maria fuit. Ipse vero infans sacrum ad baptisma Fernandus primum nomine appellatus est. Familiare id nomen habet Hispania. Natus est anno nativitatis Jesu Christi MCXCV. Ubi vero ætas fuit ad lttteras percipiendas idonea, puer mittitur forte ad sacerdotem templi Sanctæ Mariæ. Proximum id domui parentum erat, et in eo sancti Vincentii venerabile corpus jacet. Vicinitas enim loci patrem cum sacerdote, ut fieri solet, amicitia quadam, et familiaritate conjunxerat. Neque vero ab illis dissentio, qui opiniantur, præsagio quodam, ac divina voluntate factum, ut maternis ulnis egressus puer mitteretur ad templum Dei; quasi carnali matre dimissa, communem fidelium christianorum matrem Ecclesiam sequeretur, cibosque ab ea spirituales acciperet, ac divinis deinde, non sæcularibus frueretur. Sacerdote itaque magistro prima litterarum, morumque, ac divini officii erudimenta suscepit. Pubescens autem liberalibus artibus studuit. Quæ vero signa futuri boni viri et sancti essent, ea juvenis, atque pubere minor dedit. Primum, quod prædicantem Dei verbum attente ac libens audiret: diem nullum sine missa transiret: eleemosynas erogaret ample: carnem non voluptate incitaret; sed libidinem, cum urgeret, abstinentia, et jejuniis castigaret. Nihil ejus in ore mendacii: nihil ejus in animo vanitatis. Quas juvenes alii sequebantur illecebras ipse declinabat; atque ea cum modestia, et gravitate vivebat, quod senex esse, qui esset juvenis, videretur. Denique sæculo abdicavit se prorsus; et animi quadam maturitate ductus, vicinum civitati monasterium sancti Augustini ingressus est. Nec mora: canonici regularis habitum, quo utebantur qui residebant homines religiosi, sumpsit.

Ea res displicuit multis, sed illis præsertim, jam diem parentes obierant, qui esse amici ejus, ac necessarii viderentur. Cœlestia non curabant isti, sed quæ mundi sunt, divitias, et honores amabant, futurumque ipsum e patris vestigio civem egregium, ac bonam ob indolem suæ familiæ decus esse sperabant. Seducere namque ipsum, ut poneret habitum, ut rediret ad sæculum, multi blandimentis, plerique minis etiam conati sunt. Ipse autem fortis et constans se nullis flectebat verbis, sed animæ salutem præponebat omnibus, et quos tanti

facerent illi, honores, atque divitias contemnebat omnino; eademque fortunæ, uti sunt, bona esse vana, fugacia, terrena dicebat. Quid dixerim? Biennium hac in pugna fuit. Tandem vero horum stimulis fatigatus; quod essent, qui eum quotidie molestius infestarent, inde abscessit tacitus, atque pergens ire, ut ab eis quam longe, sicut mentis proposito, ita etiam loco distaret, ad monasterium Sanctæ Crucis de Colimbria: Hispaniæ civitas est in regno Castellæ sita, illis quidem nesciis, sed Patrum bona cum licentia se traduxit. Canonici quoque hic regulares illius ipsius et habitus, et Ordinis erant; idque amplius, quod vita severi essent, et sacris in litteris doctiores. Theologiæ igitur jam libero animo, et solutus stimulis amicorum, uti cupiebat, studuit apud istos; et que sacras ad litteras pertinerent, ea cum Dei gratia, tum humano studio mirum in modum amplexus est. Juvenis erat ingenii optimi, linguæ expeditæ, memoriæ perpetuæ, studii continui, vigiliæ multæ, abstinentiæ magnæ, vitæ austeræ, contemplationis assiduæ; animi vero adeo mitis, ut illo in conventu nec quietior, nec obedientior, et divina ad officia, et quævis ad munera obeunda quisquam esset. Nulla in eo pompa, nulla ostentatio: sed tanta erat in eo verecundia, atque pudor, ut qui esset doctissimus, ferme nescire litteras videretur. Tempus autem ea ratione distribuit, ut nihil per negligentiam evolaret, nihil per vanitatem efflueret. Naturæ quidem id modo temporis exponebat, nec amplius, quod aut cibi, aut quietis necessitas postularet. Reliquum colligebat totum; idque veluti quadam lege, aut divinis officiis, aut majorum obedientiæ, aut meditationi, aut disciplinæ, aut studio litterarum dabat.

Dum igitur Deo serviret in Colimbria sanctus noster Antonius, evenit forte, ut Petrus, qui esset regni Castellæ infans, ac regis frater, miraculose sanatus gravi morbo, Marochia e civitate rediret, secumque apportaret reliquias quinque fratrum, qui Minorum ex Ordine patris sancti Francisci jussu profecti ad Barbaros, ut converterent infides, pro nomine Christi paulo ante martyrium passi erant. Mari namque interfluente, Hispaniam prospectant Barbari. Marochium ibi regnum, et caput regni civitas Marochia est: gens vero universa infidelis, barbara, et christiani nominis inimica. Hujus rei fama undique sparsa omnem Hispaniam excitavit, ut domo proficiscerentur multi: sed alii visenda ad corpora Sanctorum: alii congratulandi causa, quod infans, sic enim principem, proximum regi non ætate, sed principatus dignitate, vocant, sospes, sanusque rediret. Sanctum vero nostrum Antonium incessit cogitatio quædam, et cura proficiscendi ad Barbaros, quod futurum speraret prædicatione sua, quod, aut paganos converteret ad fidem Christi, aut quemadmodum, quos nominavi, sancti fratres quinque, irritatis gentium animis, martyrium pro Christi nomine pateretur. Quippe ad eam rem et paratus, et promptus animo, desiderio, voluntate erat. Sed impediebatur modo, quod neque patrum injussu abire liceret, neque si licentiam impetraret, quonam foret sibi pergendum, sciret. Opem Deus, qui mentium est bonarum semper adjutor, servo suo cupienti honesta, et sancta dedit. Hoc namque ad monasterium, quod esset divitiis potens, et large petentibus eleemosynas erogaret, veniebant sæpe Minorum ex Ordine fratres duo, ut quam portarent sociis, eleemosynam quæritarent. Homines erant isti fama boni, sed magis paupertate, obedientia, observatione regulæ, quam multis litteris venerandi; nec procul habitabant inde; locum nomine sanctum Antonium vocant. Hos itaque venientes pie alloquitur Fernandus noster. Consilium aperit. Auxilium quærit. Se tandem ita disponit, cum insito ei quodam, et ingenti spiritus fervore, tum consilio, et adhortatione horum fratrum, qui mendicantes quotidie advenirent, bonaque cum gratia, voluntate, consensu majorum, quod relicto monasterio, habitu, ordine canonici Regularis, ad quem proximum fratres illi habebant locum sancti Antonii profectus est. Ordinem ibi, et habitum fratrum Minorum sumpsit: id tamen ante omnia pactus, quod ire ad Barbaros liceret, ut quemadmodum animo statuisset, ac desideraret integra mente, aut converteret infideles ad fidem Christi, aut martyrium pro Jesu Christi nomine pateretur. Tunc quoque mutavit nomen, nec Fernandus deinde, ut soleret prius, sed Antonius illius e loci nomine, quantum existimo, appellatus est. Neque vero adversor illis, qui eum præsagio quodam appellatum Antonium, quod esset alte tonaturus, putant. Antonium

quidem etymologizant theologi docti, idque nomen esse idem, quod *alte tonans*, dicunt. Fratribus autem collaudantibus Deum, seque invicem devota quadam, ac pia, ut Dei servi boni solent, caritate, et amore congratulantibus, quod suum in Ordinem virum hunc doctum, eumdemque bonum, ac promptum ad Dei servitia, et ad martyrium suscepissent : en unus ad eum in spiritu inquit : *Vade, Tu sanctus eris*. Tum ad illum Antonius humili, ut soleret semper, voce respondit : *Cum sanctum me videbis, tum laudabis Deum*.

Cæterum post multos, ac pios amplexus, sermones, oscula, inde cunctis lacrymantibus abiit, et qua trajiceret ad barbaros, navem ascendit. Plenus erat amore Jesu Christi, atque jam desiderio, et voluntate martyr. Sed, ut pertritum est dudum jam vulgo proverbium, homo cogitat, Deus disponit. Vidit enim Dominus ex alto sancti viri amorem erga se integrum. Vidit promptam ejus, paratamque ad martyrium voluntatem. Vidit gentium animos et sceleratos, et pertinaces esse, et aures surdas ad verbum Dei audiendum habere. Proinde iter suum aliorsum flexit ; ut cujus nec dicta, nec facta apud obstinatos, et impios barbaros profutura erant, ejus apud christianos bonos qui Filium ejus Dominum nostrum Jesum Christum colunt, reverenter, ac pie prædicatio audiretur. Navigantem quidem ipsum valide invadunt febres, eumdemque redire volentem, nolentemque compellunt. Factus igitur per autumnum æger, tota hieme jacuit. Veris autem principio, ut paululum se febribus levatum sensit, statuit patriam revidere, tum ut quos recedens mœstos dolentesque reliquit, affines et amicos nunc revertens atque inexpectatus ejus præsentia recrearet, tum ut, apud eos sanitate recepta, mox ad servitia Dei, et suum ad Ordinem redire, sicut animo, ita etiam corpore libero et sano posset. Aerem quidem salubrem habet Hispania, quod æstu hinc ardeat Africa, ventis inde rigeat Gallia. Ipsa vero inter utramque media, ita est utriusque particeps cœli, ut temperamento quodam esse saluberrima videatur. Rerum autem, quas vita hominum exigit, adeo copiosa fertur, ut nulli terrarum postponendam ipsam fertilitate agri scriptores etiam illustres dicant. Sed neque tunc ex voto successit Antonio. Vento enim adverso navigans, haudquaquam, ut volebat, in patriam, sed in Siciliam delatus venit. Afflictus quidem, debilisque, ac fessus erat, cum recenti et gravi valetudine, tum longa et periculosa navigatione, quod ingentibus procellis turbato mari, navem nunc dehiscentibus undis in profundum mersam, nunc fluctu reciproco in cacumen evectam, se autem, qui erant in ea, momento sæpe vivos, mortuosque vidissent. Equidem illis assentior facile, qui oratione, ac meritis sancti viri, ne periclitarentur omnes, factum putent.

Moratus vero in Sicilia quantisper corporis vires, sanitatemque recepit. Deinde Messanam : Siciliæ civitas est, vicina Italiæ; Messana Regium Calabriæ, ac omnem per longitudinem Italiæ pergens ire, se tandem Assisium, quæ Italiæ civitas sancti patris Francisci esset patria, contulit. Forte generale ad Capitulum istuc fratres Ordinis Minorum jussi adesse conveniebant undique. Vivebat tunc sanctus Franciscus, et tanta jam fratrum suo in Ordine paulo ante cœpto multitudo erat, ut supra quinque millia esse diversis in mundis partibus dicerentur. Diffinitis autem quæ Capituli congregatio requirebat, qui ad eam rem convenerant, patres Provinciarum ministri, atque custodes abituri, ex composito quos suum quisque in locum ducat, Fratres sibi et gratos, et cognitos deligunt. Quosdam Assisii, qui generalis erat minister, Helias hic nomine vocabatur, demorari jubet. Denique tanto e numero fuit nemo, cui locus non datus esset, ut sciret quisque, quonam demigrare, ac residere posset. Jussi quidem suam in viam abeunt universi ; et, qua plenum erat, fratrum magna frequentia brevi evacuatur Assisium solus Antonius, quod esset incognitus, utrum abire, vel morari liceret, incertus erat. Quippe humilitas in eo tanta erat ut qui bonis in artibus, et sacris in litteris esset peritus egregie, qui ad prædicandum verbum Dei cum facundia linguæ, tum doctrina, et quod est potissimum, vitæ bonæ exemplo esset idoneus, et undique perquirendus, quive prudentia, ingenio, virtute præfici Ordini potuisset : Taceo sanctitatem, qua fortasse ceteros excellebat ; is cognitus nulli esset, et tanquam homo nihili, ac re nulla bonus, requisitus a nemine remaneret.

Enim vero mens sua tota erat ipso in Deo

fixa. Illum unum et colebat, et contemplabatur assidue : negligi se, faciebat parvi : vocari se, ac proficisci obedienter quocumque juberetur, tacitus expectabat. Remanserat forte frater Gratianus. Romaniolæ hic provinciæ, quantum opinor, minister erat; ac perquirebat fratrem invenire quemquam, qui esset sacerdos, et missam fratribus, qui essent in eremo, celebraret. Tum quidem Ordo Minorum haudquaquam, uti postea, presbyteris abundabat, quod illo principio qui sancti Francisci habitum sumerent, vestigia sequerentur magistri, et crucifixum Dominum nostrum Jesum Christum pia magis oratione, ac devota mente, quam venerabili sacerdotio, et litteris colerent. Antonium iste solivagum videns : sitne presbyter, primum tentat. Ubi vero presbyterum esse audit : quærit, usquam ne locum, quo demigret, habeat designatum. Ubi locum nullum habere percepit, rogat, proficiscatur secum, et missam fratribus, qui sunt in eremo, celebret. Ubi promptum, paratumque ad proficiscendum quocumque juberetur, invenit : ipsum, generali a ministro licentia impetrata, secum in Romaniolam ad eremum fratrum duxit.

Locum nomine eremum sancti Pauli vocant. Fratres ibi numero sex Deo altissimo serviebant. His Antonius quot diebus, ut erat jussus, Missam devote celebrabat. Sane autem singulorum vitam, opera, labores secum ipse considerans, pudere, ac remordere sese ipsum dietim magis atque magis conscientia magna cœpit, quod panem otii manducaret, cum videret tot e fratribus, qui viri boni, ac Dei servi essent, unum se modo esse, qui præter missam nihil utilitati communi sua operatione conferret. Hac itaque mentis compunctione permotus impetravit multa prece, ut sibi quod erat humillimum, et lavare scutellas, et domum scopare liceret. Hoc namque munus, oh admirabilis humilitas! obivit Antonius, qui et in sæculo patrem virum ditissimum ac militem habuisset, qui educatus splendide fuisset, qui sua in domo ad lavandas scutellas, et purgandam domum complures servos, et famulos tenuisset; et in religione vir doctus, sacerdosque venerabilis, et sanctus esset. Neque vero munus id minus diligenter implevit, quam petiit. Cellam vero, in qua e vestigio aliorum et oraret, et moraretur, petenti dedit fratrum unus. Illam enim factitabat devotus frater quadam in montis crypta, quæ loco, aere, situ esset ad orandum aptissima. Hic namque habitabat noster sanctus Antonius : hic contemplabatur, et adorabat : hic disciplina, jejuniis, vigilis, castigabat corpus tanta assiduitate, tantoque animi fervore, ut sæpe, cum fratres sumendum ad cibum campana vocaret, descendens, media in via præ nimia lassitate deficeret, nec redire interdum posset, ni adessent fratres auxilio, et ipsum brachiis sublevatum adducerent. Lecto autem plumeo utebatur nunquam. Recumbebat quidem stramine, atque tum lapidem capiti supponebat, nec dormiebat unquam, ni somnus eum ob longam vigiliam oppressisset.

Atqui dum hæc agerentur in eremo, Fratres isti, simul cum ipsis noster sanctus Antonius, quique illa in provincia fratres erant, omnes Forlivium, hæc Romaniolæ nunc civitas, sed villa quondam Liviorum familiæ nobilis Romanæ fuit, jussi suscipiendos ad ordines profecti sunt. Aderat quoque qui ordinis Prædicatorum provincialis erat. Is, cum cæteri silentes, demissique in terram et oculis, et vultu starent adhortatur eos, ne torpeant otio, ut quisquam interim dicat quicquid in verbo Dei, quod ædificet fratres, ac pertinere suscipiendos ad ordines videatur. Sed alios intuentibus aliis; quod eo in circulo nemo esset, ipsis etiam ex illis, qui doctissimi putarentur, qui non cogitata de re loqui auderet, seque alii alia excusatione defenderent : tum provincialis pater, divino reor spiritu incitatus, nostrum in Antonium versus : non enim cognoscebat eum, sed stantem inter alios, meditabundumque, ac tacentem vidit : *Dic tu*, inquit, *ut tibi suggeret Spiritus Sanctus*. Tum sanctus noster Antonius, obedientiæ vi coactus, os doctrinæ, ac sapientiæ suæ primum aperuit. In eum quidem usque diem scire ipsum litteras, præter eas modo, quibus esse fratres divina ad officia eruditi usu communi solent, nesciebat quisquam : nec litterate loqui ad quemquam, ni fortasse interdum, atque perraro, auditus erat. Jussus igitur impræsentia loqui, quasi fons erumpens subita vi, latum profundumque flumen effludit. Proposita namque de re adeo subtiliter, adeo perite, adeo copiose exorsus, ac prosecutus est, quod haudquaquam ex tem-

pore, ac non meditate, sed longe ante quid hoc die loqueretur, cogitasse, ac veluti sermonem grandi in frequentia hominum peritorum esset habiturus, de industria, studio maximo percepisse : nec quidem homo, qui purgaret domum, et litteris vacuus putaretur, sed vir doctissimus esse, atque loqui, in eo qui erat, Sanctus Spiritus videretur. Tanta enim cum gravitate, ac copia est locutus, tantaque ratione, sanctorumque Patrum auctoritate, ac exemplis usus, ut docti etiam, qui audirent, mirum in modum, ac quodam rei novæ quasi miraculo obstuperent. Tum quidem, quæ perdiu latuerat in eo, divina sapientia, ingenium, virtus primum enituit. Minister autem, qui provinciæ fratribus præerat, posteaquam hæc sunt ad eum testimonio certo delata, facere pluris solito, ac venerari, quem illum in diem neglexerat, hunc fratrem cœpit. Admiratus enim, quam esse in eo perciperet, amplissimam sacræ scripturæ scientiam, singularemque memoriam, ac dicendi facundiam, haudquaquam, ut solebat, neglexit eum, nec servire deinceps coquinæ passus est. Quippe ipsum deinde, ut virum doctum, beneque de Ordine meritum, ac jure optimo dignum, magno in honore, magnaque in reverentia habuit; atque tandem, ut verbum Dei ad provinciæ populos prædicaret, quod illam ad rem, uti erat, putaret idoneum esse, constituit.

Obediens igitur vir sanctus, prædicando, Imolam, Faventiam, Forlivium, et quæ deinde sunt illius provinciæ civitates obivit omnes, tantaque cum gratia, et sapientia apud eas testamentum utrumque, evangelia, epistolas, omnem denique Scripturam sanctam, ut ut videbat ad salutem animæ pertinere, aperuit, explicavit, docuit, ut quocumque in loco prædicaret, ad eum populi audiendum, catervatim, undequaque, etiam e longinquo venirent. Crevit enim brevi magnum ubique viri Dei nomen, et fama. Romam vero nuncius : sic enim res Ordinis exigebat, Summum ad Pontificem missus, apud omnes benigne, ac fronte comi exceptus est, bonoque omnium cum favore, consensu, ope, quæ peteret, omnia impetravit. Jussus quoque in Consistorio prædicare, munus id tanta cum gratia, et integritate implevit, ut auditam vulgo sapientiæ suæ famam ipsa experientia superaret. Laudatus quidem est summe a cunctis, sed ipso a Papa : Gregorius tum nonus erat, ita laudatus est, ut ipsum quodam pro excellenti honore, et magna prærogativa gratiæ specialis, *Arcam testamenti, ac fidei* appellaret. Generali autem in capitulo Arelatensi ad fratres beato Antonio prædicante, en miraculose sanctus Franciscus apparuit : vivebat quidem in humanis, sed Capitulo huic haudquaquam corpore aderat. Ipsum enim fratrum unus : Monaldo huic nomen erat, corporeis oculis ad Capituli ostium divina commonitione prospiciens, sublevatum in aere, et manibus velut in cruce extensis fratres benedicentem vidit. Neque vero sancto Antonio nostro prædicandi ad populos modo, sed docendi etiam fratres, quod suo in Ordine homines magis boni, quam periti essent, curam, qui erat generalis minister, injunxit. Omnium namque memoratur fuisse primus, qui Minorum in Ordine Lector fuit. Bononiæ quidem, quod ea in civitate Italiæ floreret, quæ usquam esset citra montes, omnis excellentia studiorum, in Theologia rexit. Minister deinde Romaniolæ, id non cupiens, neque petens, designatus est. Sed ubi parere patribus opus fuit, qui erant in ea provincia, fratres, et loca omnia maxima cum discretione, ac prudentia gubernavit. Onere autem isto, quod grave sibi, ac durum esset, qui minister generalis erat, ipsum exemit, absolvit, liberavit; eidemque, quod rei huic esse fructuosior videretur, generalem prædicandi ubique licentiam, et potestatem fecit. Capitulum erat tunc Assisii congregatum, ut sancti patris Francisci venerabile Corpus, anno quidem jam quarto diem obierat, ad eam ipsam, in qua est nunc, ecclesiam ejus nomini fabricatam transferretur.

Facturum equidem me operæ pretium video, si quas civitates, quos populos adierit, quæ miracula Deus oratione sua, ac meritis fecerit, omnia singulatim recensere impræsentia ex locorum, ac temporum ordine placeat. Quippe Italiam ferme omnem, atque ultra montes prædicando ad Gallos etiam peragravit. Prædicatione autem potuit multum, quod ea inessent sibi, cum diligentia et studio suo, tum naturæ beneficio, tum etiam gratia, et dono Dei, sine quibus nec prædicator esse bonus, nec ulla in doctrina excellere quisquam potest. Erat imprimis memoria sibi adeo tenax, atque perpe-

tua, ut quæ didicisset semel, ea nunquam oblivione dedisceret. Erat liberalium artium, erat philosophiæ, erat Scripturæ sacræ ampla cognitio. Erat pædicandi ratio tanta, quod sive hortaretur ad jejunium, ad eleemosynam, ad pœnitentiam, ad hujusmodi reliqua, quæ ad bene ac sancte vivendum ducunt, vitamque æternam ac salutem animæ pollicentur ; sive inveheretur in superbiam, in avaritiam, in libidinem, in peccata cætera, quæ noxios ad infera trahunt ; sive paginam sacram ullo in genere aperiret ; sive testamentum vetus ad novam Christi legem accommodaret, ea sensim adeo clare, ac dilucide explicaret, interpretaretur, enuclearet, quod nihil dicendum remaneret, sed fructum docti simul et indocti colligerent, portarent, haberent. Nempe cum dicendum erat, aut de potentia, vel misericordia optimi, ac æterni Dei, aut de habenda inter homines pietate, clementia, caritate, aut ulla de virtute, seu de vitio aliquo, ita dicebat, ut, quemadmodum erant, ita esse peritissimo et sancto a Viro, nec quidem e rivulis, sed proprio e fonte magnæ sapientiæ hausta omnia viderentur.

Erat quoque in eo mirabilis quædam suadendi, dissuadendique facultas, ac fervor quidam cum amore et caritate dicendi, quod vehementer audientium animos excitaret, alliceret, commoveret. Erat fama nominis docti et sancti Viri, quæ facile populos ad se videndum, et audiendum attraheret. Erat cum eo gratia Dei, qua sæpe magnis miraculis coruscaret. Erat venerabilis, ac devotus aspectus ; ut quæ ab eo dicta, ea quasi profecta vero et alto a Deo, magna cum reverentia, et silentio audirentur. Erat lingua ad pronuntiandum expedita, et clara. Adde, quod loqueretur ita latine, ac sermone vulgari, ut prædicando, quacumque in parte Italiæ esset, haudquaquam esse hispanus, sed latinus, enutritusque a pueris, atque natus in Italia, et illa ipsa, in qua prædicaret, civitate propria videretur. Id quidem mirabile : sed istud mirabilius, quod Romæ summo a Pontifice ad festa Paschæ prædicare jussus, ita elocutus est, ut prædicantem ipsum, quæ aderat omni e gente maxima et peregrinorum, et Romanorum civium multitudo, audiret plane, nec intelligeret quisquam minus, quam si noster sanctus, Apostolorum in modum, scientiam linguarum omnium habuisset, et in qua esset natus quisque, eadem ipse lingua locutus esset. Id autem multis in civitatibus, ac sæpe factum sua prædicatione constat, ut qui audirent, peccatores ad pœnitentiam pervenirent, usurarii usuras redderent, meretrices nuberent, carcerati absolverentur, inimici pacificarentur. Confessionem vero fieri, tantopere suadebat, ut interdum clerus omnis confitentium multitudini non satis esset. Quippe auditi plerique sunt, qui se per quietem admonitos faterentur, ut quæ Vir Dei diceret, adimplerent.

Id quoque institutum, auctore ipso cœptum, hunc istum in diem manet, ut hominum societates quot solennibus festis disciplinam agant, ac vestibus mutatis euntes bini ad Dei templa sese scuticis verberent. Eccelinum autem, qui hoc in angulo Italiæ dominaretur, ac sævissimus tyrannus esset, Vir Dei, Veronæ hoc fuit, magna ob scelera intrepide, animique vehementia quadam, ac minatorie increpavit. Ille autem quasi agnus mox e lupo factus, patientissime, quæ sanctus diceret, toleravit ; appensoque ad collum cingulo, ac genibus humiliter in terram flexis, veniam petiit. Postea vero interrogantibus amicis : cur tanta humilitate, et patientia usus esset, cum pati audire, de se dici contumelias, non soleret ? Respondit : se Viri sancti faciem fulgentem mire vidisse, atque inde se perterritum adeo, quod si quid sinistre contra sanctum intentasset, confestim se a dæmonibus rapi, ac portari ad inferos, cruciarique omni tormento putaret. Sanctum enim, quem contemnebat prius, magna deinde in reverentia habuit.

In hæreticos vero, quacumque prædicaret in civitate, exarsit multum Sanctus, atque in eos invectus acerbe, illorum errores magna semper ratione, auctoritate, atque interdum miraculis patefecit, diluit, convicit. Hanc enim ob rem, quod illos assidue impugnaret, id assecutus est, ut cognomento ipsum, *Indefessum malleum* appellarent. Quippe Arimini, quæ una civitatum Romaniolæ, infecta hæresi, magnopere orthodoxa ab Ecclesia dissentiret, adeo hæresim impugnavit, ut non modo vulgus rude, sed Bononinus (1) ipse qui vir esset

(1) Bonovillus *dicitur ab auctore Vitæ ap. Sur.*, cap. 17 ; Bonellus, *a Rodulphio*, fol. 80, et *ab auctore Conformitatum*, Conf. 8.

alioquin nobilis, ac spectatus civis, hæresis vero princeps, annos triginta errorem hunc pertinaci animo tenuisset, sancti Viri hujus prædicatione convictus, se propalam errasse confessus est, pœnituitque peccati sui, ac se Christi sanctam ad Ecclesiam, fidemque reduxit. Arimini quoque sanctus Antonius, quod prædicantem ipsum populus audire negligeret, proximum ad littus profectus est. Ibi autem conversus ad mare, voce clamitans magna, inquit : *Postea igitur quam me audire hic negligit populus, ad vos, o pisces, ut me audiatis, accedo.* Mirabile visu! Mox quidem omnis generis piscium copia tanta venit, quod vix littus multitudinem caperet. Adde mirabilius, quod veluti essent melius ex proximo audituri, loco ut propius accederent, alii alios depellebant, et qui poterant omnes supra aquas capita erigebant. In Tuscia vero quæ Italiæ est magna provincia, cum mortui divitis, ac pecuniosi hominis funus, ut solet, celebre ageretur, qui forte tum aderat noster hic sanctus Antonius, subito quodam spiritus fervore commotus exclamat, mortuum hunc haudquaquam sacro in loco, sed civitatis ad mœnia, uti canem sepeliendum fore, quod inferno sit damnata anima ejus, nec cor haberet in corpore, sed uti dictum a Domino memorat sanctus Evangelista Lucas, ubi thesaurus suus, ibi et cor suum esset. Hanc ad vocem facile creditu omnibus concitatis, diversæ hinc, atque inde sententiæ habebantur. Tandem jussi, qui rimarentur, jacentis pectus aperiunt. Cor autem illius haudquaquam in corpore, sed uti prædixerat sanctus, quo in loco erat pecunia, invenerunt. Quamobrem civitas et Deum, et sanctum laudavit summe : qui vero erat mortuus, non præparato in mausoleo, sed uti asinus ad terralea tractus, atque sepultus est.

Fueritne, quod miraculum sequitur, eisdem loco et tempore, nescio : sed fuisse in Tuscia certa res est. Miles erat Tuscus, cum nobilitate generis, tum opibus strenuus, sed irascebatur facile, atque tanta sæpe exardebat ira, quod furentis in modum, neque quid diceret, nec quid faceret, ulla ratione cognosceret. Uxorem hic, fœminam nobilem, atque pudicam, quod fortasse quicquam minus congrue respondisset, ira subita, ut solebat, accensus multis pugnis, et calcibus percutit, totam per domum trahit, capillos carissimum mulierum decus evellit, atque tandem semianimem alto e solario supinam in curiam jacit. Ad eam rem domus accurrit tota, et qui aderant omnes mœsti famuli et famulæ dominam, ut possunt commodius, in lectum ferunt. Ipse vero miles, scelere patrato dolens, ac pœnitens, sanctum Antonium, qui tum forte illa esset in civitate, et sanctitatis suæ jam pervulgata fama apud omnes summa in reverentia haberetur, ut opem ferat, multa prece precatus est. Quid dixerim? Properat cum milite sanctus; et manu jacentis ulcera leniens, ac crucis signo continuo signans, genua in terram flectit, Deum, ut moribundæ restituat vitam et sanitatem, orat. Mulier autem, quæ membris confractis jaceret, ac mortua videretur, sancto exorante sana et libera assurexit. Morte quidem istam in Tuscia, sed alteram Ferrariæ suspicione maxima liberavit. Maritum namque, qui esset vir spectatus, atque primarius, reconciliavit uxori; et quod longe fuit majus, ac vere miraculum, quod puer infans paucos ante dies natus loqueretur, ac sibi ad quæ sanctus peteret, responderet, effecit. Inerat quidem marito tanta de uxore suspicio, quod natum sibi diebus proximis filium, quasi matre adultera, ac semine alieno conceptum, neque tangere, nec videre vellet. Puellum hunc sanctus Antonius inter manus accipiens : *Adjuro te*, inquit ad puerum, *per virtutem Jesu Christi, qui verus est Deus, ac homo, Maria de virgine natus, ut audientibus cunctis nunc mihi respondeas, ac dicas, quisnam est pater tuus.* Tum infantulus haudquaquam plexe, uti solent pueri, sed voce aperta quasi esset decennis, oculis patrem aspiciens, quod alligatas fasciculis manus haberet : *En*, inquit, *meus hic pater est.* Tunc sanctus conversus ad patrem : *En, filium suscipe tuum; et quam habes pudicam, ac de te optime meritam ; ut debet quisque vir bonus, uxorem ama*, dixit.

Tolosæ autem, quæ civitas est apud Gallos, cum opibus, tum studiis doctrinarum egregia, cum multa Vir Dei in hæreticos, multa etiam de vi, et miraculis sacratæ hostiæ prædicasset : tum qui hæreticorum erat princeps, ac sæpe molestus, pepigit sancto cum Viro futurum se in potestate ac fide sanctæ matris Ecclesiæ, si quod adduceret, famelicum animal honorem sacratæ hostiæ

exhiberet. Data itaque die conveniunt ambo : sed noster sanctus, celebrata devote missa, apparatu sacerdotali corpus Christi reverenter, ut soleret semper, manibus gerens in certamen venit. Ille vero deridens, ac impossibile putans, mulum triduo famentem adducit. Hinc servi ejus, ut averterent animal, et virentem herbam, et hordeum offerebant. Inde Vir Dei conversus ad mulum, in hæc verba inquit : *In virtute, ac nomine Creatoris tui, quem in manibus licet indignus, veraciter teneo, tibi dico, animal, et præcipio, ut confestim humiliter veniens debitam sibi reverentiam exhibeas; quatenus ex hoc liquido cognoscat hæretica pravitas, quod omnis creatura subjicitur Creatori suo, quem sacerdotalis dignitas pertractat jugiter in altari.* Mirabile visu, et maximum nostræ fidei documentum! Nec quidem Vir sanctus verba finierat : en animal, et famens, inquam, animal quasi humana ratione commotum, et dicto sancti Viri consulto, ac de industria parens, oblatum contempsit pabulum. Conversum vero ad hostiam, et caput, et poplitem utrumque in terram usque venerabundum flexit. Quo stupens ille hæresim posuit. Quæ autem christianorum fidelium aderat multitudo, ea Deum summum, omnipotentemque laudavit. Nec quidem egrediar Gallia, ni aliud miraculum memorem; hoc enim in Montepesulano haud longe a Tolosa fuit. Hic namque festum per diem prædicanti sancto Viro : nam civitas est magna, et studiis doctrinarum floret, recordatio subiit, se injunctum sibi officium canendi *Alleluia* per oblivionem nemini, cum ascenderet pulpitum, commisisse. Hac de re negligentiam incusans, ac secum dolens, inclinavit caput, idque caputio quasi dormiturus obtexit. Corpore quidem in pulpito : spiritu autem in choro erat. Fratribus autem, qui essent in choro, et divinum officium ex ordine celebrarent, visum est Antonium in choro videre, eumdemque audire, qui ut tempus exegit, *Alleluia* cantaret. Deinde, atque mox qui erat in choro, disparuit. In pulpito autem quasi somno excitatus assurgens, quam incœperat, prædicationem ad populum prosecutus est.

Paduæ autem sæpenumero prædicavit. Sed principio, cum naturam prædicatione, atque jejunio (1) parumper somni beneficio recrearet : en spiritus malignus tentare suffocare dormientem, posita ad gulam manu ausus est. Tum excitatus Vir sanctus, invocato nomine intemeratæ Genitricis Dei Virginis Mariæ, ac signo crucis munita fronte, se mox alleviatum sensit. Oculos vero aperiens, ut videret, quisnam esset, totam, in qua erat, cellam splendore magno refulgentem vidit. Quo pie creditum est, sibi quam invocasset, Virginem auxilio advenisse. Profectus autem Padua, seminans quocumque pergeret, verbum Dei, ac miraculis fulgens, se alios, atque alios ad populos et Italiæ, et Galliæ contulit. Denique fessus peregrinatione longa, et labore continuo, Paduam, in qua jam ut dixi, prædicans fuerat, cum recordatione benevolentiæ, quod amaret hunc populum, tum nutu, judicio, voluntate Dei, qui exornare hanc civitatem corpore hujus sancti vellet, quasi ad quietis sedem, ac domicilium rediit. Hic enim, et quos ante dudum incœperat, sermonum dominicalium magnam partem absolvit, et rogatu cardinalis Ostiensis sermones, qui essent ad omnia festa Sanctorum, scripsit. Prædicationes vero suam primum ad Ecclesiam; deinde ad commodum populi singulas ad ecclesias; postremo, quod multitudinem loca in civitate non caperent, ad prata virentia extra civitatem fecit. Aderat enim cum clero episcopus, cum nobilitate potestas, cum scholaribus doctor, cum discipulis artifex, cum filiis parens, cum matronis virgo. Diluculo veniens quisque commodum auditui capiebat locum. Ubi pulpitum ascendisset sanctus, cum sæpe triginta millium excederet multitudo, tantum erat silentium, tanta audiendi attentio, tanta intelligendi aviditas, ut nusquam murmur, nusquam strepitus audiretur. Interea et justitium clausum, et negotia intermissa erant. Cura omnibus erat una, audire sanctum. Cum vero pulpito descendisset, tanta erat frequentia cupientium tangere, ut cum alii præire aliis niterentur, se ferme, simul ac ipsum opprimerent. Nec assecutum se parum gratiæ reputabat, qui aut vestimenti ejus particulam incidisset, aut saltem manu fimbriam tetigisset. Neque vero dabatur sibi abeundi locus, ni eum, qui aderant jussi de industria, robusti homines reduxissent.

(1) Suppl., fractam.

Viro autem Dei, prædicatione exacta, suum ad conventum occulte, ac devia per loca redeunti fit obviam fœmina. Ea filium puerum pedibus, manibusque contractum, expectans sanctum, coram habebat, plena spe filium, si modo benediceretur a Viro Dei, sine dubio valiturum. Sed ipsam ut vidit, declinabat sanctus. Contra vero fœmina lacrymans magna exclamabat voce: *Miserere, miserere Pater*. Aderat forte cum eo socius ejus beatus Lucas. Hujus adhortatione Vir Dei fœminam exaudivit: facto enim crucis signo, uti petebat mater, puerum benedixit. Nec mora : sanus quidem, et liber subito factus puer domum cum matre suis pedibus rediit. Sanctus vero gratias Deo agens, mulieri præcepit, ne quod factum esset, se vivo, cuiquam hominum indicaret. Puellam quoque annorum quatuor : Petri hæc filia erat, et Paduana nomine vocabatur, quæ morbum pateretur caducum, atque pedum gressu privata, nunc reptaret corpore ut serpens, nunc beneficio manuum pro pedibus uteretur, oblatam sibi, dum a prædicatione rediret, crucis signum, benedicens a capite ad pedes usque, manu fecit. Ipsa vero, ut sperabat pater, mox sanata est. Prædicaturum ipsum ad campestria nobili e familia mulier sequens, forte angusto in transitu, pressura transeuntium impellente, aquosum in lutum prolapsa est. Erubuit quidem nobilis fœmina, quod tanta vidente multitudine imprudens cecidisset : sed dolebat magis, quod domi vir ferox esset, qui eam, tum ob inquinatas vestes, tum ob casus verecundiam castigaret. Tacita hæc mente secum illacrymans sancti auxilium imploravit. Inde autem surgens, suam in viam maculatis nusquam vestibus abiit. Prædicantem sanctum alia uxor ire audire a marito prohibita, sese quasi auditura prædicationem : nec duo ad millia passuum proxima erat, fenestræ hæsit, et illam in regionem, qua prædicatio fieret, magna devotione prospiciens, haud minus, quam si coram adesset, quæ sanctus diceret, omnia et audivit, et intellexit clare. Interrogata vero a viro, quidnam tamdiu hærens fenestræ tacita expectaret? respondit, ut veritas erat, sanctum se prædicantem audire. Tum ille deridens ad fenestram venit, et auscultans attente, uti asserebat uxor, sanctum prædicantem audivit. Ob quam rem factus devotior, nunquam uxori deinde, ne iret ad prædicationem, inhibuit.

Neque vero paucos dormientes per noctem apparens excitavit sanctus, nomine singulos vocans, ac monens, ut alii aliud, quod peccatum occultum esse putarent, confiterentur, ac pœniterent. Ipsi autem surgentes, et mirabantur ob visionem cubilibus clausis, et obstupebant, quod præter Deum, qui novit omnia, id peccatum nemo sciret. Cæterum in confessione Vir Dei audiens Leonardum, qui se animo irato matrem pede diceret percussisse, quodam spiritus fervore ad peccatorem inquit : *Pes, qui percutit patrem, aut matrem, amputatione dignus est*. Ille autem simplex homo, et sancti verba rudem ad corticem, non ad medullam intelligens, ut rediit domum, quo matrem percusserat, pedem gladio mutilavit. Rumor vero tanti piaculi civitatem implens, brevi ad sancti aures usque pervenit. Tum sanctus ferendam ad opem festine accurrens, oratione mox facta, cruri pedem adjunxit. Inde crucis signo sæpius benedicens, ac manu demulcens, non ante discessit, quam redintegrato membro vir ille, ut prius, sanus, et incolumis ambularet.

Tempore autem metendæ segetis veniente, homo Dei, ut bonus pater consulens civitati, quam totam per Quadragesimam, atque deinde in Pentecostes usque prædicandi assiduitatem habuerat, posuit penitus. Se vero, ut liberius interim scribendis Sermonibus tempus daret, in villam contulit. Ea Paduano in agro sita, Campus sancti Petri nomine appellatur. Oratorium ibi devotum qui residebant, Fratres habebant. Generosa quoque e familia Campisanctipetri : sic enim ipsam e nomine loci vocant, aderat vir nobilis, ac devotus Tiso. Is sancti Viri jussu cellas tres storeis septas inter magnæ nucis patentes ramos fecit. Unam Sanctus; duas, qui duo erant socii, Lucas, et Rugerius habuerunt. Hæc Sancto inter mortales domus postrema fuit. Hic enim Vir Dei orabat : hic meditabatur; hic scribebat. Mensis autem Maii fine propinquo, Paduam civitatem ex alto prospiciens, atque in spiritu exultans, laudavit, futurumque dixit, quod ea cito magno exornaretur honore. Id postea dictum audientes, ita sunt interpretati, ut prædixisse moriturum se cito, ac corpus suum Paduæ reman-

surum putent. Atque illud est verum, quod civitati huic maximus honos venit, in ea tanti Sancti venerabile corpus esse. Postea vero, nec multos ad dies, ad refectionem e more vocatus, cum discumberet inter fratres, sibi deficere vires sensit. Deinde doloribus repente auctis, languescere magis, atque magis cœpit. Ipsum fratres, quod se jam sustinere nequiret, brachiis amplectuntur, eundemque sublevant, ac paratum in lectulum haudquaquam tenera pluma, sed quo solebat uti, stramine duro factum, quanta possunt diligentia, et caritate reponunt. Ipse autem, ne valetudo fratribus molesta esset, statuit e consilio sociorum Paduam proficisci. Denique curru vectus non intravit civitatem. Divertit quidem ad monasterium Cellæ veteris; id proximum civitati est : tum ut remaneret cum fratribus qui id multa prece deposcerent; tum ut pompam fugeret, quod reditus sui pervulgata fama obviam sibi civitas tota veniret. Fratrum ibi, ac monialium conventum Ordo Minorum habebat. Crescente autem dolore, noster sanctus Sacramenta, uti jubet Ecclesia, mirabili quadam, ac prope incredibili devotione sumpsit : hymnos quoque, ac psalmos cum cæteris ad vitæ postremum usque dixit. In cœlum vero oculis aspiciebat fixis; proinde interrogatus, quid aspiceret, respondit : *Video Dominum :* Nec plura : ad cœlum beata illa anima evolavit Idibus juniis. Hoc fuit anno post natum Christum MCCXXXI. Ipse vero ætatis suæ annum trigesimum ac sextum agebat.

Quippe virgo, uti natus, ita vita defunctus est. Color ei subniger fuit. Hispani quidem, quod sint Mauris proximi, colore subnigri sunt. Statura vero mediocri fuit minor; sed corpulentus, atque hidropicus erat : facie tenuis, atque devotus; ut qui videret ipsum, etiam non cognoscens, virum bonum aspectu ipso, ac sanctum esse putaret. Caro sua, quæ et colore naturali, uti sunt Hispani, et grandi austeritate vitæ, et valetudine subnigra et aspera viventi esset, ea mox spiritu emisso candidissima est, tractabilisque, ac suavis facta. Neque vero, ut solent mortui, oculis, aut facie terrefactus est, sed aspectu longe plus solito hilaris, ac jucundus, ut nequaquam mortuus, sed vivere, ac quiescere videretur. Quo autem expiravit die, eodem ipso quasi vivens Abbati Vercellensi, qui clausa in camera contemplaretur, ac solus esset, apparuit; dataque salutatione ad eum, in hæc verba locutus est : *En relicto, Pater, apud Paduam asello, ad patriam pergo.* Deinde manu tangens guttur, ipsum, quam pateretur, ægritudine liberavit, atque veluti camera egressus evanuit. Ubique autem per domum, ac civitatem perquirens Abbas, quod ejus amicitia uteretur, ac putaret ipsum in Hispaniam proficisci : cum nec ipsum, nec qui eum vidisset, inveniret quemquam, intellexit, Sanctum et diem obiisse suum, et cœlestem ad patriam properare.

Paduæ autem mortem ejus, cum fratres metu multitudinis occultarent, vox puerorum undique patefecit. Qui enim pueri erant Paduæ, universi divino reor spiritu incitati, quamprimum excessit a vita, per urbem dolentes catervatim una voce clamabant : *Heu, heu, mortuus est Pater Sanctus. Heu, mortuus est prædicator eximius. Heu, mortuus est sanctus Antonius.* His vocibus commotus populus, tanto cum fervore; dixerim fortasse verius cum furore, ad mortuum Sanctum visendum venit, ut remanssisse in civitate ferme nullus homo masculus, nec fœmina videretur. Multitudinem non capiebat locus; quo factum est, ut qui ob devotionem advenerant, illi ipsi perturbatis animis, quod præire, videre, tangere Corpus Sancti, alii ante alios niterentur, indiscreteque, ut solet vulgus, ac omnino vellent, et pugnis, et gladiis dimicarent. Neque vero animos perturbavit parum, quod civitatis pars deferre ipsum in urbem, et in qua nunc jacet, ecclesia Sanctæ Mariæ sepelire : pars nullo pacto moveri, sed qua esset, in ecclesia Cellæ extra mœnia remanere vellent. Ita paratis utrimque armis civitas tota maximo in tumultu, ac periculo pugnæ fuit. Optimates vero, et qui prudentes, ac viri boni erant, simul cum potestate, ac episcopo resistebant. Civitas quidem libero in statu erat, nec imperio ullius, aut dominatu perpetuo, sed magistratibus annuis, et consilio publico regebatur. Potestas vero tum erat Paduæ Gufredus Lucinorum e familia Cumanus civis. Qui autem episcopus erat, is Jacobus nomine vocabatur, origine quidem Paduanus, sed plebeius civis, litteris tamen, ac morum sanctimonia venerandus. Denique tanto in turbine civitas judicium rei hujus ad episcopum detulit. Is vero pla-

cere omnibus, displicere nulli volens, tumultum e partium voluntate, ac consensu ita sedavit, ut provincialem ministrum, qui Minorum ex Ordine paucos ad dies venturus esset, quieti omnes, et taciti expectarent, ac dicto ejus, qui et vir bonus, et fratrum provinciæ hujus caput esset, quicquid suo de fratre statueret, obedirent. Sed miraculum audi. Videndi enim corpus Sancti interea ardore multo quidam accensi, per noctem irruunt, seras ecclesiæ frangunt, fores aperiunt. Eorum tamen nemo, cum lucerent lumina, et paterent ostia, ingressus est. Mitigatis vero postea animis interrogati cur tanto impetu ostiis fractis ecclesiam non intrassent? cur Sanctum, ut cuperent, non vidissent? responderunt, nunquam se quæsita perdiu ostia invenisse. Deinde vero per diem, ac noctem, ne Sancti corpus quisquam aut furto, aut vi auferret, armati custodes missi de publico vigilarunt. Ubi vero pater minister advenit : mox ad arma civitas rediit, quod pars utraque animis tumefacta esset, atque rem manu decernere, quam succumbere ulla conditione mallet. Minister autem consilio episcopi, ac potestatis usus, id corpus deferri in urbem, et in qua est nunc, ecclesia Sanctæ Mariæ sepeliri jussit. Qui vero cives armati parati ad pugnam erant, nec pacari posse ullo remedio videbantur, hi sponte sua contra omnium spem : mirabilis quippe res, atque miraculo attributa, animos mutarunt, ac veluti Dei mandato positis armis subito bonam ad pacem, et concordiam devenerunt. Patris itaque ministri e sententia, bona omnium cum pace, voluntate, consensu, corpus Sancti et in urbem delatum, et qua est in arca pulcherrima, ad quam sæpe jam dixi ecclesiam Sanctæ Mariæ repositum, ac sepultum est. Arcam istam esse Quatuor sanctorum Martyrum manu factam dicunt.

Si exequiarum celebritatem expectas impræsentia memorari, eam velim intelligas fuisse tantam; quanta et a clero, et a populo, qui Sancti devotus, et opulentus esset, potuit omni studio, ordine, viribus exhiberi. Magnifica quippe res visu : sed id magnificentius, quod eo die, atque deinde multos continuatos ad dies, et annos Sancti hujus corpus tot, tantisque miraculis claruit, atque nostro hoc etiam tempore isto quotidie claret; ut exaudire preces omnium, qui est pius, misericors, omnipotens Deus ejus meritis videatur. Surdis enim auditus, mutis loquela, cæcis visus, atque ut paucis absolvam, languentibus quocumque fere morbo sanitas, atque mortuis vita jam sæpenumero restituta est. Quæ res, quod admirabilis esset, atque divina, non Paduanis modo, quam haberent sancto in Patre reverentiam, ac devotionem auxit, sed vicinos, ac longinquos etiam populos invitavit, ut ei voveant vota sua, et quæ suo in nomine petant animo contrito, atque devoto, ea meritis ejus misericordi a Deo sine dubio assequantur. Atque ut Sanctorum in numero habendum ipsum, festumque diem sibi quotannis celebrandum Sedes Apostolica declararet, Summum ad Pontificem Padua legatos, eosdemque primarios civitatis, ac solemnes viros, sed alios pro Republica, alios pro Clero, alias pro studentium Universitate misit.

Quem nominavi, Gregorius nominis ejus nonus tunc etiam Papa erat. Annos iste quatuor supra decem sedit. Benigne omnes et ipso a Papa, et tota a curia, quæ tunc forte Spoleti erat, visi, excepti, auditi sunt. Enim vero fratris hujus Antonii et vita, et sanctitas cognita Papæ, ac multis erat, Petitis quidem facile annuebat quisque. Unus modo cardinalium adversari, atque impedire conatus est. Is namque, ne quod peterent legati, cum celeritate expediendum, sed graviter, ac mature quid concedatur, videndum, examinandum, cognoscendum, dixit. Nocte autem cardinali huic per quietem videre visum est, Papam novam ecclesiam consecrare eumdemque, quas reponeret in altari, reliquias poscere : et cum nullas esse, aliqui responderent; tum Papam conversum ad populum, qui longa expectatione fatigatus adesset, jussisse exhiberi ex illis, quæ ibi esse candido sub linteo viderentur. Hæc per quietem visa cardinalem opinione moverunt, ut hac in canonizatione simul cum Papa, et aliis assentiret. Res tamen dilata, quoad de vita, de obitu, de miraculis, omnem ad reprimendam calumniam, juridice, ac punctim, ut leges volunt, fides juratos per testes, eosdemque graves, ac multos habita plena est. Illum namque in diem meritis sancti hujus languoribus variis sanatos alios, cum viveret in humanis; alios, posteaquam diem obiisset suum, clare constabat. Id quoque certum erat, quosdam ante, nonnullos posteaquam

vita defunctus esset, ab eo per quietem jussos, ire pergerent subito confiteri peccata sua. Adde majus, quod alii sacerdotem alium adire, ac confiteri nominatim quæ occultissima reputarent peccata, se per quietem admonitos dicerent.

Denique ante obitus sui exactum annum, celebri Pentecostes die, auctoritate Apostolica, consensu omnium, magna cum solemnitate canonizatus, atque sanctorum in catalogo, ut solet fieri, scriptus est. Additum quoque privilegio suo, ut dies ejus festivius celebretur, et sua ecclesia honoratius frequentetur, quod vere pœnitentibus, et confessis, qui eam sua in festivitate octavum usque ad diem singulis annis debita cum reverentia visitabunt, annum unum de injuncta sibi pœnitentia summus pontifex misericorditer relaxavit. Quo autem die Spoleti hæc aguntur, et canonizatur Pater sanctus, eodem Ulixibonæ suo motu campanæ omnes, festum indicantes, sonant; populoque, nulla cognita causa, sed quasi res prospera, eademque ingentis lætitiæ aliqua evenisset, mentis quædam exultatio, et alacritas orta est, ut divino quodam spiritu incitata civitas illa esse maximo in gaudio, ac lætitia videretur. Postea vero, ut Civem suum mortem obiisse, et summo a Pontifice sanctum judicatum, ac canonizatum esse; dieque illo ipso miraculose et campanas festos sonitus dedisse, et populum divinitus exultasse cognovit : tum magis, atque magis læta civitas ipsa gratias altissimo Deo egit. Nomini autem sancti hujus majus altare majoris Ecclesiæ consecravit, ipsumque sanctum esse credere, atque sanctum reverenter nominare cœpit. Cæterum annis singulis die XIII junii, qua die vita defunctus est, festum nomini suo apud christianos ubique magnum, sed Ulixibonæ majus, Paduæ autem, confluentibus undique populis, maximum omnium, quantum existimo, celebratur. Templum quoque Paduæ, cum liberalitate publica, tum privatis oblationibus amplificatum, ac plumbo tectum est. Quicquid enim est, quod amplectatur chorum, majusque altare, et quæ circa sunt, ambulatria, et capellæ factæ. Additum et cognomentum loco, ut templum id haudquaquam, ut prius, Sanctæ Mariæ, sed vulgo sanctum ; nec templum modo, sed quicquid civitatis est proximum templo, quadam pro excellentia deinde, atque in præsentia appelletur. Constituti quoque annuatim quatuor viri ex primariis civitatis, qui sancti monumento præsint, et conservandum ad templum, quæ sunt dietim oblata, dispensent.

III

VITA S. ANTONII PADUANI

Ordinis Minorum,

AUCTORE P. DE LA HAYE.

PROŒMIUM. — ELOGIA.

Gregorius IX.

1. Hic summus Pontifex stupens ad profunda verba de Scripturis divinis a S. Antonio prolatis, dixit, *Vere ille arca testamenti est, et divinarum armarium Scripturarum.*

Thomas Gallus abbas Vercellensis ex ordine S. Benedicti.

2. Multi penetrarunt arcana sanctissimæ Trinitatis, sicut expertus sum in Antonio ex Minorum ordine, in familiari consuetudine quam habui secum : qui parum instructus disciplinis sæcularibus, tam brevi mysticam theologiam est adeptus, ut cœlesti amore intus perustus, foris divina scientia illuminaret. (*In Paraphrasi in Dionys. Areopag. apud Henr. Willot in Athenis, de S. Antonio.*)

S. Bonaventura cardinalis.

3. In his verbis *iste est frater de quo dixeratis mihi* (Genes., XLIII, 29). Dominus B. Antonium describit a tribus, primo ab excellentia sanctitatis, quæ intus ardebat in anima; secundo a contemptu mundanæ subtilitatis, sive ab amore propriæ vilitatis, quam foris ostendebat in vita; tertio a celebri gloria nominis, qua cunctis innotescit, in fama, in his tribus perfectio summe consistit. (*Serm.* 1, *de S. Antonio.*)

Idem.

4. Beatus Antonius habuit in se scientiam omnium antiquorum, scilicet Angelorum, quæ consistit ministrando; Patriarcharum, quæ est similis sapientiæ viatorum; Prophetarum quorum est prævidere futura, et nunciare; Apostolorum, quæ similitudinem habuit cum sapientia mercatorum; ipsi enim sunt, qui titulo emptionis emerunt regnum cœlorum; Martyrum, quæ similitudinem habet cum sapientia pugnatorum; Confessorum sive Doctorum, quæ est sapientia magistrorum, Virginum, quæ consistit in fugiendo mala et consortia hominum. (*Serm.* 2, *de eodem.*)

Cardinalis Baronius.

5. Sanctus Antonius Lusitanus confessor ordinis Minorum, vita et miraculis ac prædicatione illustris. (*In Martyr.* 13 *mens. jun.*)

Cardinalis Bellarminus.

6. Sanctus Antonius de Padua appellatus, quia in ea civitate post multa sanctitatis edita signa obiit, et in eadem sepultus, mirifice honoratur; miraculis plurimos convertit, vel ab hæresi ad rectam fidem, vel ab improbis moribus ad pœnitentiam agendam, extant ejus conciones tum de tempore tum de sanctis. (Lib. *de scriptorib. Eccles.* ad ann. 1220.)

Hartmanus Scheydel Noriburgensis historicus.

7. Antonius patria Hispanus, Ulixbona civitate oriundus, ordinisque Minorum frater, vir utique sanctus, et multis virtutibus adornatus fuit. Is in baptimo Ferdinandus appellatus, primo canonicorum regularium habitum suscepit: cumque audisset fratres Minores apud Marochium pro Christo necatos, pro eis habitum Minorum accepit; ubi nocturnis vigiliis corpus mira abstinentia maceravit. Hic gloriosus Pater, cognomine de Padua dictus, cum ibi prædicans diu requievit. Et Romæ, cum de mandato Summi Pontificis peregrinis plurimis prædicaret, linguam sic movit, ut tam Græci, Latini, Francigenæ, Teutonici, quam Anglici, omnes qui audiebant, clare intelligerent. Et cum inter religiosos, non solum suæ ætatis, sed etiam priorum sæculorum, omnibus litteris ornatissimus haberetur: Sacrarum litterarum Arca cognominari meruit. Et cum Tolosæ, Bononiæ, ac Patavii diu theologiam egregie docuisset: Patavii, infinitis clarus miraculis, moritur, et a Gregorio IX Pontifici eas ob res statim in sanctorum confessorum consortium refertur, anno millesimo ducentesimo trigesimo tertio. Inventa est postea, in translatione corporis positi de uno loco in alium, lingua ejus in ore adeo recens rubicunda, quæ per plures annos, cum corpore sub terra jacuerat, ac si tunc decessisset; quam B. Bonaventura affatus est; O lingua benedicta, quæ semper Deum benedixisti! nunc apparet quanti meriti fuisti. Anno deinde millesimo ducentesimo saxagesimo tertio, cum ejus meritis Patavina urbs de manu Eccelini tyranni liberata esset: cives ecclesiam prægrandem atque pulcherrimam, ad ejus honorem extruxerunt. (*Sexta ætate mundi.*)

Jacobus Bergomensis ordinis Eremitarum S. Augustini.

8. Antonius patria Hispanus, Ulixbona civitate oriundus, Ordinisque Minorum Frater, vir utique sanctus, Patavii infinitis clarus miraculis moritur; et a Gregorio IX Pontifice eas ob res statim in Sanctorum Confessorum refertur consortium. Et cum inter religiosos, non solum suæ ætatis, sed etiam priorum sæculorum, omnibus litteris ornatissimus esset : Sacrarum litterarum Arca nominari meruit. Et cum Tolosæ, Bononiæ, Pataviiquæ Theologiam egregie docuisset, sermones de hujusmodi re, non paucos edidisse fertur. (Lib. XIII. *Suppl. Chron.*, ad ann. D. 1231.)

S. Antonius Archiepiscopus Florent. ex Ordine Prædicatorum.

9. Antonius qui dicitur de Padua, non quia inde oriundus, sed quia ibi defunctus, et gloriosus ostensus, tunc in Hispania Canonicus existens in monasterio S. Crucis, qui Ferdinandus antea vocabatur; zelo martyrii flagrans, Ordinem Minorum ingressus est, ætatis suæ anno XXV et decem annos in Ordine peregit, plenus sanctitate, et præclarus doctrina, et miraculis. (*Hist.*, III part., tit. 24, c. 3, in initio.)

Thomas Bozius congregationis oratorii presbyterorum.

10. Anno millesimo ducentesimo trigesimo sexto, mortuus est Antonius, qui Patavinus dicitur, cum sit Ulyssiponensis : qui in Italia et Francia, aliisque præterea christiani nominis regionibus veræ pietatis prædicatione floruit. Ab hoc quam miranda, et omnino divina fuerint effecta dum viveret, ac post obitum, nimis esset longum referre; quamvis nemo vel in historiis sacris mediocriter versatus, tanti viri illustrissimi gesta ignoret. Satis sit nobis hoc retulisse, quod mortuos quatuor ad vitam revocavit. (Lib. VII *de Sig. Eccl.*, cap. 1.)

Hieronymus Platus e Societate Jesu.

11. Quid Antonius Patavinus? ad quem audiendum tanta hominum multitudo confluebat, ut, cum templa, quæ ad hoc deligebantur amplissima, capere non possent; suggestus in campos, vel plateas latissimas deferretur, ubi etiam ad occupandum tempestive locum, adeo ab omnibus certatim properabatur; ut cernere esset nobilissimos viros atque matronas, antequam lucesceret, concursantes, et ad multas horas, vocem illam quasi de cœlo venturam, præstolantes. Illo loquente, cum sæpe ad millia hominum triginta adessent; tamen non strepitus, non murmur, non etiam exscreatus audiebatur; tantum erat omnium silentium et attentio. Quid igitur unquam tale Demosthenes, aut ullus ex illis, qui diserti in sæculo sunt habiti? (Lib. II *De bon. Stat. relig.*, c. 32.)

Joannes Molanus.

12. Antonius Ulysbonensis celeberrimus extitit vita, miraculis et doctrina. (*In Martyrolog. Usuardi ad* 13 *junii.*)

Henricus Willot, ex Ordine Fratrum Minorum.

13. Antonius de Padua talem se præstitit, ut quid potius mirer, vitæ ne integritatem, an selectam eruditionem, dicendique promptitudinem, et facundiam, dubius hæreo. Illam submisse venerantur omnes, alteram multi prædicant. (*In Athenis* de S. Antonio.)

Joannes Trithemius, abbas Sparbeimiensis.

14. Antonius dictus de Padua, natione autem Hispanus, ex Ulixbona civitate oriundus, ordinis Minorum, et B. Franscici discipulus, vir in divinis Scripturis eruditissimus: quippe qui ante ingressum ordinis, theologiam Tolosæ, Bononiæ, et Patavii multo tempore gloriose docuit, et discipulos post se insignes reliquit. Tantæ sanctitatis extitit, ut multis vivus et mortuus coruscarit miraculis; fuit autem excellentissimus prædicator; adeo ut Summus eum Pontifex *Arcam testamenti* consueverit appellare : et S. Franciscus eum suum Episcopum vocare solebat. Scripsit inter cætera ingenii opuscula valde elegantes et ardentissimos, Sermones de Tempore, lib. II, Erunt signa...

Sermones quinque de Sanctis, lib. I. Claruit temporibus Frederici Imperatoris secundi, anno Dom. MCCXXX et propter miraculorum frequentiam, post mortem a Gregorio PP. IX una cum S. Dominico, et Elizabeth Landtgravia Thuringorum, Catalogo Sanctorum statim insertus est. (*Catal. script. Eccl.*)

Robertus a Licio, episcopus Aquinatensis.

15. Cuncti fere mortales, qui baptismali charactere sunt insigniti, beatum Antonium Paduanum devotione ardentissima colunt ac venerantur; nec ipse patrocinium suum invocantibus negat. Nullus a fonte suæ dulcedinis sitibundus abscedit : omnibus ipsum invocantibus præsto est. (*Serm. de S. Antonio Paduano.*)

Idem.

16. Liberantur ejus interventu a naufragio sæpissime navigantes, a periculis gravissi-

mis, mulieres parturientes, ab infirmitatibus variis illas patientes, ab opprobrio sterilitatis uxores, propterea quandoque viris odiosæ; a periculis fluminum, latronum, aliorumque discriminum peregrinantes propterea a toto orbe sanctus hic a cunctis fidelibus fidelissimus advocatus exposcitur. (*Serm. de S. Ant.*)

Guillelmus Pepinus Dominic. Doctor Paris.

17. Habet hic sanctus privilegium a Domino circa res perditas, quæ sæpe suis meritis recuperantur, et hoc idem ipse frequenter expertus sum, ita ut merito de eo dicere possum, quod Bernardus dicit in laudem Dei genitricis Mariæ, Sileat tuas laudes, o Beate Antoni, qui te devote invocatum in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. (*Serm. de S. Anton.*)

Henricus Sedulius Ordinis Minorum.

18. S. Antonius audita Martyrum quinque Franciscanorum gloriosa pro Christo morte, sicut elephas uvæ conspecto sanguine fuit exacutus in prælium, ut ex ordine Regularium S. Augustini adscriptus, in illam prætoriam cohortem Minorum, spe mortem obeundi pro Christo ipse in Africam transmiserit, sed divino consilio Italiæ et Galliis ab hæresi Albigensium repurgandis servatus, vi et efficacia concionum, stupendisque miraculis, hæresiarchas aliquot præter alios bene multos, errones ad ovile Christi reduxit, jure nominatus malleus hæreticorum, et singulari scientia sacrarum litterarum, arca testamenti. Anno Jubilæi Romæ publice perorans, a peregrinis diversarum linguarum, ut olim Apostoli, intellectus fuit. Vocalem ad miraculum, facundissimosque sermones ejus triginta hominum millia Patavii, cum templa non caperent, ad campos audituri procurrebant. Natura solutum 1231 scriptis homiliis mysticis, Gregorius IX allegit inter sanctos, cujus lingua XXXII° post obitum anno incorrupta visa fuit. Patavini ædificato magnificentissimo templo, piissime colentes, beneficia ejus, quotidie sentiunt. (*Tract. de imag. sanctorum Ordinis.*)

Franciscus Haræus.

19. Pluribus egregiis facinoribus velut virtutum suarum coronide clarus, vir sanctus hæresiarchis passim in publicis disputationibus, ab eo palam convictis, ut Arimini, Tolosæ et Mediolani (unde ab omnibus indefessus hæreticorum malleus dicebatur) inter manus adstantium dormienti similis leviter expiravit, tum in vita tum post obitum miraculis clarissimus. (*In ejus vit. ad* 13. *diem Junii.*)

Antonius Guærengus Patavin.

20. Hic ille natus ultimas
Tagi, qui ad undas, nobili
Domo paternis commodis
Mendicitates prætulit.

Qui Christi amore saucius,
In mille se discrimina
Conjecit, ut cœlestium
Choro adderetur Martyrum.

Hic singulari præditus
Linguæ eloquentis munere,
Quamcumque adivit urbium
Mores fugavit improbos.

Orci fugavit agmina,
Infanda, et ægris artubus
Salubre robur indidit,
Pacemque in orbem retulit.

(*In Hymno quem in honorem S. Antonii composuit.*)

Pelbartus Themesvarius Ord. Min.

21. Sicut in vita mirificavit eum, dando ei gratiam recuperandi animas perditas, sic existenti in cœlo, dedit gratiam mirabiliter per ejus merita recuperandi hominibus res perditas, fuit magnæ et præclaræ sanctitatis sapientiæ et charitatis, continua ægritudine fatigatus, nihilominus toto posse insistebat verbi Dei labori, quot lustraverit provincias, et terrarum partes verbi Dei semine repleverit, longum esset enarrare, Cardinalium multitudq et ipse summus Pontifex ardentissima devotione ejus prædicationem audiebant, beatum se putabat, qui de ejus tunica aliquid præcindere, vel fimbriam ejus tangere poterat. (*In Serm. de eo.*)

Petrus de Natalibus Episcop. Equilinus.

22. Cum B. Antonius de cruce Domini prædicaret, visus est S. Franciscus in aere adhuc in carne degens, longe tamen positus, quasi prædicationem Antonii gestibus lau-

dabiliter commendans, post mortem corpus ejus quinque diebus inhumatum remansit, nec ulla exinde corruptio subsecuta est, aut fœtor exhalavit, cum tamen calor immensus esset utpote junio mense, omnibus ægris, qui ad ejus loculum accedebant, per ipsos quinque dies quocumque languore sanatis. (*In ejus vita.*)

Antonius Possevinus Societ. Jesu.

23. Antonius Ulissipponensis Lusitanus Ordinis Minorum S. Francisci discipulus, sanctitate, miraculis, et doctrina clarus, quem Greg. nonus Pontifex Max. arcam testamenti vocavit. Scripsit sermones de tempore et de sanctis. (*In Apparatu.*)

Franciscus Maurus Ordinis Minorum.

24. ...Hi virtute pares (1), tenerisque sub annis,
Ambo una obducunt rigidis sua corpora lanis,
Ambo se addicunt divis, arisque deorum,
Inde acres membris solidaque ætate virentes,
Ore tonare ambo, ceu fulgura bina videntur,
Ætherei mandata patris vastumque per orbem,
Suggestis super excelsi, ac divinitus acti, [tis.
Fingere corda hominum et sanctis componere dic-
(In *Historia Francis.*, lib. II.)

Franciscus Mendozius Societ. Jesu Doct. Theol. insignis.

25. Felicem, acter, et amplius felicem Lusitaniam! Beatam, et multis nominibus beatam Ulissiponem! Fortunatissimam atque omnium, quæ florent, urbium fortunatissimam Conimbricam! Ad quarum feracitatem soli, salubritatem cœli, hospitalitatem sali, rerum omnium, quas desideres, felicitatem, novus quidam cumulus accessit, non humanæ beatitatis, sed divinæ...

Virtus Antonii, quam omnium Lusitanorum imperium latius se effundit et extendit! illi enim, quamvis in omnia libere excurrant, tamen ejusdem terræ limitibus circumscripti in angustissimum possessionis gyrum compelluntur. Antonius terram, quacumque patet, premit imperio : maris nullius jugum patientis contundit iras : aerem licenter evagantem, nutu regit : ignis edacitatem, ne omnia pariter devoret, compescit : quidquid infra lunam est, supercilio moderatur.

Gaudeat Ulissipo, triumphet Conimbrica, Lusitania universa hilaretur, nutrix cœlestis militis, et tantarum parens fœcunda virtutum, quæ eumdem habet apud Deum, et alumnum, et patronum. Imo totus exultet orbis, nam licet (Antonius Patavinus) sit privilegio sepulchri, Ulissiponensis, conditione incunabili, Conimbricensis, sorte educationis, omnium tamen est communione suffragii : non enim clauditur locis, quod effunditur meritis. Omnibus lingua illa data est in pignus, ut pro omnibus Deum oret. In uno Zacharia, nam ait Ambrosius, totus ad Deum populus loquebatur. In una lingua Antonii tota Ulissipo, tota Conimbrica, tota Lusitania, tota Italia, totus orbis ad Deum loquitur sine dubio audiendus. (*Oratione* 1, *de S. Antonio in viridario.*)

VITA SANCTI ANTONII PADUANI.

CAPUT PRIMUM.

Genus sancti Antonii, et pueritia.

Est in Lusitaniæ regno ad plagam occidentalem, in extremis orbis finibus urbs quædam, quam incolæ Ulysbonam vocant : quod ab Ulysse (ut aiunt) bene sit condita. In ea templum miræ magnitudinis exstructum est, in honorem matris Dei et perpetuæ Virginis Mariæ ; in quo beati Vincentii martyris sacrum corpus honorifice asservatur. Ad ejus templi partem occiduam, felices B. Antonii parentes honestum habuere domicilium, ipsis templi foribus valde propinquum. Ex illis, in ipso juventutis flore procreatus B. Antonius, cum sacri baptismatis salutaribus expiaretur undis, Fernandi nomen accepit. Qui deinde ab ipsis prope incunabulis, multa fuit morum probitate et integritate, nec sicut tenera puerorum solet ætas, mundi lasciviam et vanitatem complexus est; sed bonorum parentum sedulus imitator, ecclesiarum et monasteriorum crebro terebat limina, manusque suas libenter exten-

(1) Loquitur de S. Ant. et S. Bernardino.

debat ad pauperes, ut illorum inopiam sublevaret, ut posset in illum quoque competere, quod de se beatissimus Job ait (xxxi, 18) : *Ab infantia crevit mecum miseratio.* Pater ejus vir nobilis fuit, miles Alphonsi regis, Martinus nomine, mater ejus Maria non infimo genere fuit.

CAPUT II.

Carnem macerat, mundum deserit, pectus suum imbuens cœlestibus disciplinis.

Cum autem puer esset rationis capax, a parentibus in ea, quam diximus beatissimæ matris Dei ecclesia, litteris traditus est imbuendus, simul et educandus a ministris Christi, cujus erat præco futurus. Ita pueritiæ ætatem, instar patriarchæ Jacob, domi simpliciter exegit. Cum autem, accedentibus annis, sentiret improbos corporis motus, de carnis corruptione nascentes, nequaquam cessit petulantis ancillæ pravis cupiditatibus, nec libini fræna laxavit sed strinxit habenas, corpusque in servitutem spiritus redigere nitebatur. Vilescebat ei in dies mundus iste; et ne pulvis terrenæ felicitatis pedibus adhæreret, animoque in via Domini currenti offendiculo foret : retraxit eos, cum necdum totos illos in ipso mundi primo aditu posuisset. Est autem, extra urbis Ulysbonæ muros monasterium Augustinianorum, in quo viri spectatæ religionis degunt, quos canonicos regulares vocant. Ad quos vir Dei spretis mundi oblectamentis se contulit, et illorum habitum induit humiliter ac devote. Sed cum biennio illo, quo apud eos mansit, amicorum crebra visitatione, quæ solet piis mentibus non parum importuna videri, interpellatus fuisset, ut omnes ejusmodi occasiones sibi præcideret, natale solum deserere decrevit, ut apud exteros Domino tranquillius et liberius vacare posset. Impetrata igitur, sed ægre discedendi copia a superiore, non vitæ institutum, sed locum mutavit, ad monasterium, Sanctæ Crucis de Conimbria ferventi spiritu commigrans, idque zelo severioris disciplinæ, et studio majoris quietis. Quam autem ille non locum, sed morum mutationem et expetiisset, et fecisset, satis declarabat vita ejus solito ferventior. Et quoniam teste D. Hieronymo : *Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est* (Ep. xiii, ad Paul., c. 1 in fine) : talem se moribus exhibuit, ut omnibus perspicuum esset, loci opportunitatem majorem idcirco illum appetiisse, ut ad vitæ perfectionem facilius posset pertingere. Neque vero mediocri studio semper excolebat ingenium, nec diebus, nec noctibus pro temporis ratione a lectione divina cessans, animum sanctis cogitationibus et meditationibus exercens. Solebat autem legendo historicæ veritatis textum, allegorica comparatione confirmare fidem : et rursus ipsis Scripturæ verbis conformare mores et affectum inflammare. Scrutabatur religiosa curiositate profunda sermonum Dei : et contra errorum foveas, divinæ Scripturæ sententiis intellectum communiebat, simul etiam sanctorum Patrum monumenta sedula lectione evolvens. Denique, lecta tenaci memoria complectens, præter omnium expectationem, magnam Scripturæ divinæ est cognitionem adeptus.

CAPUT III.

Exemplo sanctorum quinque martyrum Minorum, desiderans martyrium, sancti Francisci instituto initiatur.

Cum autem reliquias sanctorum martyrum quinque fratrum Ordinis sancti Francisci, dominus Petrus infans serenissimi Lusitaniæ, regis filius primogenitus, a Marochio adduxisset; et se, illorum meritis, a magnis periculis liberatum, per omnes Hispaniæ provincias divulgasset : Christi servus Fernandus audiens mira quæ per illos flebant, multo cœpit flagrare desiderio, instar illorum, pro Christo hauriendi martyrii calicem : factusque seipso robustior, humano calcato timore, divinæ gratiæ validissimo protectus clypeo, dicebat apud se : utinam coronæ martyrum suorum participem me facere dignetur Deus! utinam liceat pro Christi nomine, flexo poplite, carnificis ictum excipere! Interim nocte ac die rogabat attentissime Dominum, ut menti ipsius adspiraret, quod et illius voluntati gratius, et suæ saluti conducibilius, et proximorum utilitati atque ædificationi opportunius esset. Erat per id tempus procul a Colimbria, eo in loco qui S. Antonius dicitur, ubi fratres erant instituto et professione Franciscani, litteras quidem nescientes, sed vim atque virtutem litteræ vita et virtutibus exprimentes, qui ex præscripto regulæ, et

professionis suæ, eleemosynam petituri, ad monasterium viri Dei sæpe venire solebant. Ad quos pro suo more, die quodam, visitandi gratia clam accedens, inter cætera ait ad illos : Ordinis vestri habitum, fratres carissimi, ardenti animo cupio aecipere, modo id mihi polliceri velitis, simul atque illum induero, missuros me vos ad regiones Saracenorum, ut cum S. martyribus, merear ego quoque sanguinem fundere, et esse coronæ illorum particeps. Illi his auditis, non mediocriter tanti viri sermonibus exhilarati, diem crastinum ejus explendo desiderio designant. Mox B. Antonius abbatem suum pro obtinenda abeundi facultate precibus pulsat : eaque vix extorta, fratres Franciscani non immemores pollicitationis suæ, mane redeunt, habitum suæ professionis illi tradunt. Quo cum ille indutus esset, quidam ex canonicis monasterii ejus, acerbo animo dixit ad eum; Eas, eas : forsitan sanctus eris. Ad quem ille conversus humili voce dixit; cum me in sanctos relatum audieris, profecto Deum laudabis. Possumus ex his colligere, quam gratus ille fratribus suis fuerit, cui nec prælatus nisi admodum difficulter discedendi voluit facere potestatem, nec fratres ac in re suo eum fovere consilio, nec ille quem diximus, frater ejus absentiam æquo animo potuit perferre. Puto equidem, non absque multo dolore et lacrymis, talem a se virum illos dimisisse, quem sui monasterii idoneum sese præfectum brevi habituros sperarent. Porro autem fratres Franciscani cum novo socio suo domum properant, eumque amanter accipiunt. Sed quia formidabat vir Dei, ne parentes aliquam ipsi molestiam facesserent, ut ipsum inquirentium curam eluderet, mutato nomine, Antonium se dici voluit.

CAPUT IV.

Spe martyrii ad Saracenos abiit : sed providentia Dei reversus, servatus fuit plurimorum saluti.

Paulatim autem crescebat in eo sitis martyrii, et zelus fidei magis ac magis eum extimulabat, nec eum quiescere patiebatur. Itaque quemadmodum se facturos receperant fratres Franciscani, fecerunt ei copiam ad Saracenos proficiscendi. Nec ille sibi moras nectendas putans, celeriter abiit. Sed præpotens Deus hac in re illius propositum plane retardavit, totius hiemis spatio gravi eum morbo affligens. Quare compulsus ille, ad natale solum ob corporis curandam valetudinem se recepit : sed cum navigando ad Hispaniæ littora nautas appulsuros speraret, ad Siciliam, ventorum impulsu delatum se sensit. Habuit ergo pro Christo moriendi et desiderium, et conatum vir omnium ore merito celebrandus : sed divina providentia, ut post ipsa res docuit, plurimorum saluti eum servavit, quos ille in diversis regionibus, e fæcibus peccatorum revocavit ad salutares pœnitentiæ fructus.

CAPUT V.

Missus in Æmiliam, solitariam vitam agit, admiranda seipsum exercens abstinentia.

Non longe tum aberat dies, in quem indictus erat fratrum conventus apud Assisium, quem capitulum generale vocant. Id ubi Messanæ ex fratribus vir Dei rescivit, seipsum confirmans, eo licet debilis et affecta valetudine profectus est. Eo autem conventu solito, cum ille, quem ministrum vocant, commissos ipsi fratres ad sua loca remitteret, solus Antonius a nemine expetebatur : quippe qui ut ignotus, ita parum utilis, aut idoneus existimaretur, atque ita solus in ministri generalis manibus relictus est. Accito autem fratre Gratiano, qui tum in Æmilia sive Romandiola, fratrum minister erat, secreto eum rogavit servus Dei, ut a ministro generali ipsum acceptum, in Æmiliam perduceret, disciplinis regularibus illum erudiendum. Nullam vero litteraturæ mentionem faciens, nihil ecclesiasticam exercitationem jactitans : sed intellectum et scientiam omnem captivans in obsequium Christi, illum solum crucifixum se sitire, se nosse, se complecti velle proclamabat. Frater autem Gratianus miram ejus devotionem exosculans, votis ejus assensit, secumque in Æmiliam abduxit : ubi venia impetrata, ad eremum montis Pauli secessit, quietem animi et conscientiæ captare volens. Cum autem in ea eremo aliquamdiu moraretur, frater quidam cellulam precationi aptam in quadam crypta sibi condidit, ut illic liberius Deo vacaret. Eam ut vidit Vir beatus, a fratre illo sibi ejus copiam fieri, precibus contendit. Non

negavit ille, et Vir Dei persoluto quotidie nocturnarum precum officio, ad eam cellam secedebat, sumptaque secum exigua panis particula, et in vase aqua, cogebat carnem parere spiritui; solitariamque illic quantum licuit vitam ducens, sanctis cogitationibus et meditationibus spiritum adversus tentationes communiebat, et divino amore se confirmabat. Perstabat illic solus nocturnis horis in precibus; totumque se divinæ moderationi permittens et commendans, in cœlestibus spei suæ ancoram solidissime defigebat. Nec deerant illi crebræ infestationes dæmonum, volentium eum in sanctæ orationis studio perturbare. Tanta autem se inedia maceravit : ut quemadmodum testantur ii, qui id viderunt, hora refectionis ad fratres rediturus, nutante præ nimia imbecillitate gressu, seipsum interdum sustentare non posset. Sic igitur vir ille plenus sapientia, non brevi tempore simplex vixit apud simplices : et omnem arrogantiam humili corde devitans, sub indocti persona, gratiæ lumen abscondit.

CAPUT VI.

Illius absconsa lux clarere cœpit in oratione, quam jussus habuit ex tempore.

Sed non est passus Deus semper latere eum; voluit aliquando illum innotescere simplicibus fratribus. Cum enim multum jam temporis fluxisset, fratres pro sacris accipiendis ordinibus, ad forum Livii, quæ est Æmiliæ civitas, confluxerunt : inter quos etiam adfuit Antonius et quidam fratres S. Dominici. Instante autem collationis hora, fratribus ex more congregatis, minister loci illius fratres Dominicanos rogavit, ut sitientibus verbum salutis proponerent. Illis recusantibus, quod nihil se præparassent, instigante eum fortiter spiritu Dei, minister ad Antonium, de cujus eruditione nihil comperti habebat, se convertens, jubet ut apud fratres dicat quicquid ipsi suggereret spiritus Dei. Non putabat eum quicquam scire de scripturis divinis, aut legisse aliquid, nisi forte quæ ad ecclesiasticum officium pertinerent : spem tamen nonnullam ei adferebat, quod audierat illum, necessitate cogente, idque perraro, aliquid litterate dixisse. Et certe cum tantus ille esset, ut memoria pro codicibus uteretur, et mystici eloquii gratia mire affflueret : peritior tamen apud fratres habebatur abluendorum culinæ utensilium, quam Scripturæ sanctæ mysteria explicandi. Præfectum enim suum (quem Guardianum dicunt) supplex rogarat, ut magni beneficii loco ipsi permittere vellet eluere coquinæ vasa, et verrere quotidie fratrum domicilia : nulli alii rei aptum et utilem se confitens, cum esset revera vas electum et Spiritus Sancti gratia multivaria ornatum. Mundabat ergo quotidie humili ac devoto corde culinæ res, et fratrum domicilia; eximiæ cujusdam humilitatis et contemptus sui de se exempla præbens.

Non ita agunt plerique alii, qui antequam sint disciputi, magistri esse volunt, seseque in cathedram importune ingerere non verentur. Contra Antonius, jam perfectus in Scripturis divinis inter idiotas et rudes laicos haberi maluit, quam sciolus aut magister videri, potiusque laboribus occupari culinariis, quam magisterii cathedram occupare. Verum enimvero, licet totis viribus in id incumberet, ut a Ministro impositum munus liceret subterfugere, non tamen potuit voto potiri suo. Tandem ergo cedens tum illius voluntati, tum omnium precibus, cum timore Domini primo orsus est simpliciter ad eos dicere : sed cum vellet Dominus lucernam hactenus sub modio positam in omnium conspectum proferri, in orationis progressu, tanto verborum splendore, tanta mysticarum sententiarum altitudine usus est, ut omnes in summam admirationem adducerentur, maxime quod præter omnium opinionem id eveniret, simul etiam eximia ejus caritate non mediocriter ædificarentur : nec affirmare dubitarent ejusmodi sermonem nunquam se ante hac audivisse. Ita deinceps non minina affecti consolatione, venerabantur in illo divinitus detectam divinæ sapientiæ claritatem, cum tam insigni humilitate conjunctam.

CAPUT VII.

Missus prædicat Verbum Dei, nemini blandiens, hæreticos convincens.

Non diu post ad aures ministri generalis, hujus rei fama perlata, illius voluntate confusus est, rupto diuturno silentio, prodire in publicum, demandataque illi concionandi provincia, cultor eremi missus est ad prædicandum Verbum Dei, dignus quidem tali

ministerio, quod ipse, licet pollens divina sapientia, sibi impudenter non usurpasset, sed in collegio pauperum, vere pauperem spiritu se declarasset, et non nisi vocatus ad concionandum accessisset. Fuisse autem divinitus vocatum, et vita illius, et obitus perspicue docuere: e quibus priorem, nempe vitam, abjectio sui voluntaria, simplex innocentia, et disciplinæ monasticæ studium, commendant, posteriorem vero, id est, doctrinam cum zelo conjuncta charitas, et veritas et modestia, approbarunt. Quæ cum non possint omnia singulatim referri, paucis dicemus, quemadmodum veritatem indiscriminatim omnibus anunnciarit. Fecit nimirum instar Isaiæ cui dictum est : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam et annuncia populo meo scelera eorum* (Isa., LVIII, 1) : mittentisque Dei auctoritate fretus, ex eremi cultore, ubi sibi uni intenderat, factus est præco Dei, non segniter fungens officio suo : ad proximorum conciliandam salutem totum se contulit, in concionibus suis eam adhibens justitiæ æquitatem, ut sive magnis, sive parvis loqueretur, veritatis jaculis indifferenter omnes feriret. Arguebat incredulos, obsecrabat pios, impios objurgabat, ut copiosissime ita ferventissime, singulis accommoda et convenientia salutaris doctrinæ monita depromens. Qui enim jam ante, ut supra dictum est, passionis calicem tantopere concupierat : nullius magnitudinis, etiamsi mortis impenderet discrimen, pro veritate cedebat, sed mirabili strenuitate, etiam potentium tyrannidi sese opponebat. Nulla prorsus flectebatur personarum acceptione, nulla adulatione molliebatur; non popularis transversum rapiebat favor et opinio : sed juxta prophetæ vocem : *Quasi plaustrum triturans novum habens rostra serrantia, montes comminuit, et convalles quasi pulverem posuit.* (Isa., XLI, 15.)

Videbatur quasi ter quidam prodiisse Elias, zelo Dei fervens inflammatusque, igne Spiritus sancti ignitis sermonibus accendebat, et urebat auditorum tepida, torpentia, frigida et obscura corda. Personas quasdam sublimes reprehensione dignas tanta nonnunquam severitate objurgavit, ut plerique alii celebres concionatores illum audientes, ad intrepidam illius constantiam trepidarent, vultusque suos quodam pusillanimitatis rubore perfusi obtegerent. Circumibat per vicos, castra, urbes et agros, et vitæ semina ubique largissime spargebat. Cumque ob zelum animarum passim discurreret, omnemque requiem sibi prorsus vellet interdictam; contigit eum Dei nutu Ariminum pervenire, ubi cum multos cerneret hæresi correptos, mox totius oppidi convocato populo, ferventi spiritu ad eos concionari cœpit, versutaque hæreticorum dogmata luculenter confutavit. Eas autem in auditorum pectoribus efficax sermo et doctrina salutaris fixit radices, ut profligatis tetris erroribus, non pauci ad fidei integritatem sint reducti. In quibus etiam Bonivillum hæresiarcham, quem tringinta annis errorum tenebræ obcæcaverant, ad sanitatem revocavit, effecitque ut usque ad mortem Ecclesiæ mandatis devotus steterit.

CAPUT VIII.

Magna gratia et fructu Romæ prædicans raraque eruditione, procerum Ecclesiæ amicitiam sibi conciliavit.

Postea vero, privato quodam negotio urgente, a ministro Ordinis Romam missus est : ubi tantam principum Ecclesiæ erga se benevolentiam expertus est, ut et ab ipso Pontifice Maximo, et ceteris omnibus, concio illius incredibili studio et devotione auscultata sit. Tam enim sublimiter facundo ore Scripturæ mysteria depromebat, ut Pontifex Maximus singulari quadam prærogativa, eum *Arcam Testamenti* appellaret. Habebat hoc vir Dei, ut sermo ejus, pro rerum diversa ratione semper in gratia, sale discretionis esset conditus, noveratque pariter et placidum, et severum se exhibere : quare flebat, ut sermo ejus et amore et timore afficeret auditores. Mirabantur in illo viri litterati tantum ingenii acumen tantamque eloquentiam mirabantur illum erga omnes miro quodam prudentiæ et discretionis pondere sua verba librantem. Majores non sine admiratione attendebant spiritualibus spiritualia comparantem; minores stupebant, vitiorum causas et occasiones sapienter resecantem, et virtutes ac bonos mores cum multa cautione inserentem. Denique omnes omnium ætatum, ordinum, conditionum mortales, accommodatas sibi doctrinas et institutiones ex illo se suscipere lætabantur. Nec immerito illi tributum fuit a Pontifice, ut *Arca testamenti* di-

ceretur : ita enim utriusque instrumenti paginas memoriæ plane affixas habebat, ut instar Esdræ potuerit, si sic res postulasset, omnes Scripturas divinas in integrum de sua memoria, etiam codicibus omnibus prorsus abolitis, restituere. Testantur, hoc qui ejus quotidiano convictu et familiari consuetudine diu usi fuere. Nec ei defuisset facultas, si res poposcisset, omnia scripta divina luculenter, et multiplici ratione exponendi et interpretandi.

CAPUT IX.

Sacram Theologiam, zelo fidei, multis in locis, fratres sui instituti docet. Spiritu prophetico futura prænunciat.

Multa vero insignia Ordinis sui monasteria prælegendo, disputando, concionando illustravit et ornavit : idque tum zelo fidei, et fervore Christo animas adducendi, tum studio fratres instituendi, tum quoque desiderio cohonestandi institutum sive Ordinem suum, qui per id tempus propter imperitiam apud plerosque in contemptu erat. Et certe fuit primus ille prælector in Ordine sive instituto suo consentiente beatissimo Patre Francisco, institutus Bononiæ, ut præesset suis in Theologica facultate. In Cismontana enim regione tum temporis potissimum florebant studia litterarum, placuitque fratribus Antonium, tanquam præ ceteris magis idoneum, illic prælectorem constituere. Idem autem ipse etiam in Æmiliæ provincia, multis annis fratrum minister cum laude fuit. Et si vero doctrina et verbo in Italia vix quemquam parem haberet, at nihilominus in sua præfectura, vel ministri functione, mire commodum et humanum se præbebat. Cum autem in civitate Podiensi Guardiani ministerio fungeretur, erat illic notarius quidam omnino lubricus, carni et mundo totus addictus. Eum quoties præteriret vir Dei, nudato capite coram illo genuflectebat. Ille vero existimans id in sui irrisionem et contumeliam fieri, animo perturbatur, dabatque modis omnibus operam, ne illum unquam obviam haberet. Sed cum die quodam ab insperato eum transiret vir sanctus, et ita, ut diximus, erga illum se gereret, exacerbatus homo, dixit : Nisi timerem Dei iram, gladio te percuterem, quod ita me ridiculum facis. Quid sibi vult istud, quod coram me poplitem flectis? Respondit vir beatus : Ego me libens Deo martyrem obtulissem, sed illi non placuit; de te autem ille mihi revelavit, præclarum te martyrem fore. Oro itaque, ut ubi ad martyrii agonem perveneris, mei memor esse velis. Hoc ille audiens, risit. At non multo post tempore episcopus Podiensis cum multis aliis profectus est Hierosolymam, ut Saracenis Christum prædicaret. Et ecce divinitus permotus notarius ille, venditis suis rebus omnibus, cum illo iter ingressus est. Cum autem pervenissent ad Saracenos, et episcopus sic satis frigide haberet conciones, semel quidem et iterum et tertio notarius dissimulavit. At tandem instar B. Vincentii increpat Antistitem, quod ita frigide fidem Christi et prædicet et propugnet : divinoque afflatus spiritu, cum multo fervore cœpit docere Saracenos, Christum esse verum Deum et Dei filium : Mahometem autem esse filium Satanæ et perditionis. Quod illi non ferentes, rapiunt hominem, et per triduum diris eum suppliciis excruciant. Cumque jam ad mortem duceretur, exposuit fratribus Antonium id prædixisse, quod ipse martyr futurus esset. Fuit ea res populo occasio, multa deinceps reverentia beatum Antonium prosequendi.

CAPUT X.

Ipso concionante, S. Franciscus absens licet, mirabiliter tamen apparuit.

Fratribus quandoque in provincia ad Capitulum congregatis, vir sanctus de titulo Crucis, et dulcissimi Salvatoris passione præclaram habuit concionem. Eo autem concionante, Sanctissimus P. Franciscus, qui tum procul aberat in alia regione, filiis suis in aere mirabili quodam modo apparuit. Visus enim est uni ex illis, tanquam brachiis ad crucem extensis, velut approbando sermonem Antonii, indicare quid fratres imitandum suscipere deberent, illisque benedicens, crucis super eos signum exprimere.

CAPUT XI.

Instituti muneribus defunctus, solis concionibus habendis et scribendis totus incumbit.

In illo generali Capitulo, quo sacratissimæ beatissimi Patris nostri Francisci reli-

quiæ ad eum locum, in quo nunc cum ea, qua par est, veneratione asservantur, translatæ sunt, qui fuit annus proximus ante obitum ejus; ab omni fratrum regimine prorsus absolutus est B. Antonius, factaque ei est generalis potestas verbum Dei ubicumque vellet prædicandi. Cum igitur eo tempore, quo conciones suas (quas de tempore vocant) conscripsit, Paduæ moratus fuisset; multamque erga se civium fidem et benevolentiam esset expertus : mira erga eos devotione affectus, primo libertatis suæ cursu ad eos se conferre decrevit. Cumque eo pervenisset, Ostiensis episc. eum hortatus est, ut conciones de Sanctis quoque conficeret. Itaque illi morem gesturus, Paduæ voluit in illud opus incumbere. Sed sacro Quadragesimæ adventante tempore, videns vir Dei adesse tempus acceptabile (1), et dies salutis; illud opus intermisit, totumque se ad docendum pro concione populum, ejus sermones mirifice sitientem, applicuit; illisque quadraginta diebus quotidie concionatus est, non sine multorum admiratione. Erat enim natura corpulentus, et ea causa perpetuo laborabat incommoda valetudine : attamen præ infatigabili animarum zelo, prædicando, docendo, confessiones auscultando, sæpissime usque ad solis occubitum, jejunus permanebat.

CAPUT XII.

Diabolus virum sanctum præfocare conatur, frequentissimus ad illius concursus auditorum.

Vidit hoc et invidit malignus dæmon, perpetuus bonorum studiorum hostis : et ut virum sanctum a suo proposito deterreret, nocturnis illusionibus infestus ei fuit. Rem non commentitiam refero, quam ipse vir Dei cum adhuc viveret cuidam fratri narravit. Nocte quadam sacræ Quadragesimæ, in exordio earum, quas diximus virum Dei tunc suscepisse occupationum; fessa laboribus membra, somni beneficio nonnihil recreare volebat. Ecce autem impurus Satan adest, et hominis Dei guttur, tanta vi comprimit, ut nisi divinitus retardatus esset, haud dubio eum præfocaturus fuerit. At ille beatissimæ matris Dei nomen invocans, et fronti suæ vivificæ Crucis signum imprimens; simulque depromens hymnum illum, *O gloriosa domina*, in fugam compulit nequissimum spiritum, et repente se sensit liberatum. Cumque fugientem illum videre cuperet, oculos aperiens, totam illam, in qua cubabat cellulam, superni luminis splendoribus perfusam conspexit.

Pergens deinde in suscepto per Quadragesimam concionandi labore ac studio, populum habuit audiendi ipsum cupidissimum; ita ut certatim cunctis ad eum confluentibus oportuerit quotidianas in ecclesiis stationes indici. Sed cum nimiam auditorum frequentiam ecclesiarum ambitus non caperet; compulsus est ad patentes sese campos transferre, atque ita salutaris doctrinæ pluvia de spiritus abundantia irrigare sitibundos. Confluxit autem eo ex vicinis urbibus, castris, pagis, innumera prope hominum multitudo, salutem suam in illius doctrina, spe non dubia collocans. Surgebant intempesta nocte, et alii alios nitebantur antevertere, accensisque luminaribus, ad locum, ubi erat facturus verbum Vir Dei, summa contentione properabant. Cernere illic erat milites, matronas nobiles, mediis noctis tenebris adcurrere : et qui in multam lucem prius stertere consuerant, absque ullo tædio vel molestia concionaturum vigiles expectare. Deponebant autem omnes cultiorem habitum, et quæ ad ornatum spectare videbantur; utebanturque vestibus religiosis. Ipse quoque antistes Paduanus, cum clero suo, Virum Dei devote sequens, formaque gregi suo factus ex animo (2), omnes suo egregiæ humilitatis exemplo, ad accurate oscultandum incitavit. Itaque viro Dei loquente, tanto ab omnibus studio attendebatur, ut in trigenta vel eo amplius hominum millibus, vix murmur aliquod aut strepitus sentiretur. Tabernas suas mercatores non volebant patere cuiquam ad emendas merces, nisi prius sancti Viri concione absoluta, adeo fervebant illius audiendi desiderio. Fœminæ ex pietate et devotione præcidebant forficibus particulas e tunica ejus, pro reliquiis eas habituræ, et cui dabatur contingere fimbriam vestimenti ejus, is beatum se arbitrabatur. Concione peracta, ab hominum irruentium vi defendi vix potuit; nisi fortium virorum septus præsidiis, vel fugæ oportunitatem callide exploraret, vel turbis tandem recedentibus, citra molestiam ipsi quoque abire liceret.

(1) II Cor., VI, 2.

(2) I Petr., V, 5.

CAPUT XIII.

Concionum ejus magnus fructus, et utilitas.

O quot ille tum odia inexpiabilia, et implacabiles inimicitias ad pacem et concordiam revocavit! quam multos, diuturna captivitate, miseros libertati restituit! quot ille res, per usuras et nefariam vim aliis ereptas restituendas curavit. Reddebantur pignora, remittebantur debita: in variis negotiis consilia a viro Dei expetebantur, et promittebant omnes se staturos arbitrio illius. Compescebantur scorta a flagitioso concubitu; fures et insignes prædones retrahebantur a contrectatione rei alienæ : et hunc in modum dies illos quadraginta felicissime exigens, gratam Domino messem sollicitus adduxit. In tanta autem undique concurrentium turba, id fuit admiratione dignum, quod nullus sese comprimentium clamor audiebatur, nulla cernebatur dissolutio, risus nullus, nullæ voces percipiebantur, nulli infantium vagitus, quibus vel parum ejus conciones interpellarentur. Stabant omnes arrectis auribus, intentissimis perpetuo in virum Dei oculis, sine ullo tædio cum multa devotione eum sustinentes, perinde ac si non homo, sed angelus lapsus e summo cœlo ad illos concionaretur. Neque id mirum, quandoquidem tanta illum Dominus gratias perfuderat, ut lingua facundissima, voce clarissima, sua verba instar tubæ cujusdam expromens, ab omnibus et audiretur et intelligeretur. Nec id admiratione vacat, cum in longinqua regione natus et educatus multo tempore fuisset, quod Italico idiomate adeo polire potuit, quæ voluit pronunciare, ac si extra Italiam nunquam posuisset pedem. Tantam vero utriusque sexus multitudinem ad confitenda peccata sua remisit, ut nec fratres, nec alii sacerdotes, qui non pauci eum comitabantur, illis audiendis sufficerent. Dicebant autem, qui ad agendam pœnitentiam veniebant, divino jussu admonitos, et ad Antonium transmissos, id se in mandatis habere, ut per omnia ejus consiliis parerent. Nonnulli post ejus decessum e vita, quibusdam fratribus secretius dixerunt, B. Antonium ipsis dormentibus apparuisse, et nomina fratrum, ad quos illos mittebat, indicasse. Die quodam, sancti viri concione adeo quidam mente compunctus fuit, ut cum ad confitendum peccata sua ex ejus consilio se compararet, præ suspiriis et singultibus nec unum posset verbum proferre. Cumque vir sanctus ei diceret, ut peccata sua in scripta redigeret, eaque ipsi legenda offerret; fecit ille ut erat jussus. Sed cum chartulam vir Dei acciperet; ita scripturam omnem abolitam, et prorsus oblitteratam invenit, ac si prorsus nihil scriptum fuisset. Cœperunt tum primum homines catervatim sese verberando, et pia cantica devote depromendo, procedere, atque ea laudabilis consuetudo, a tanto auctore profecta, deinceps suis est aucta incrementis : ita ut in omnibus fere Italiæ locis accuratissime hodieque observetur.

(1) Cant., II, 15.

CAPUT XIV.

Hæreticos insectatur acerrime; illustri miraculo Tolosæ hæresiarcham convincens convertit.

Fuit autem viri Dei id præcipuum semper studium, et conatus perpetuus, ut perniciosissimas vulpeculas, quæ demoliuntur vineam Domini Sabaoth (1), nempe hæreticos pestilentes, et falsas doctrinas eorum, pro viribus oppugnaret, funditus destrueret, ac radicitus extirparet, Hæresiarchas quosdam in publicis disputationibus Arimini, Tolosæ, ac Mediolani palam convicit et errores eorum coram omnibus confutavit. Adeo enim instructus erat, et efficacibus Scripturæ divinæ sententiis, et solidis ac perspicuis rationibus : ut qui nefanda essent hæresi imbuti, coram illo consistere, aut os aperire non auderent : ita ut ad illum quoque pertinere videretur, quod Dominus promisit discipulis suis : *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.* (Luc. XXI, 15.) Detegebat mirum in modum hæreticorum fraudes et versutias, conatus retardabat, errores abominandos cum multa vituperatione traducebat, nec facile quemquam ea tempestate uspiam invenire licuisset, quod ipse quoque publice fatebatur, qui tam acriter et perpetuo illos insectaretur, tamque continuam persecutionis procellam illis excitaret.

Unde factum est ut passim ab omnibus indefessus *hæreticorum malleus* diceretur.

Nec sine fructu fuit labor viri Dei, plerisque hæreticis, cum ipsorum fautoribus ad veritatem, et obedientiam sanctæ matris Ecclesiæ revertentibus. Quod ut magis perspicuum fiat, præter illum, quem Arimini conversum diximus, Bonovillum nomine; alium quemdam hic commemorabimus hæresiarcham insigniter perfidiosum, quem vir Dei stupendo miraculo ad sanitatem reduxit. In partibus Tolosanis quandoque incidit in disputationem acerrimam cum perfidissimo quodam hæresis architecto, de salutifero sacramento Eucharistiæ. Jam pene vicerat hominem, parumque aberat, quin ille catholicæ veritati accederet, cum post multa et varia, per quæ elabi nitebatur, argumenta, in hæc ille verba prorupit; Missa faciamus verba, et ad res veniamus? Si tu miraculo testatum efficere potueris, in Eucharistia verum haberi corpus Christi, omni perfidia abjurata, mox cervices meas catholicæ fidei jugo submittam. Respondit vir Dei cum multa fiducia. Confido in Christo Salvatore, me pro tui et aliorum conversione, id quod postulas ab ejus misericordia impetraturum. Tum surgens hæreticus, et manu silentium indicens, ait: Ego jumentum quoddam triduana inedia macerabo; post triduum vero producam illud in populi conspectum, et paratas escas ostendam illi, tuque ex adverso stabis cum tuo illo, ut dicis, corpore Domini, si jumentum posthabito pabulo suo properaverit ad adorandum Deum suum, ecclesiasticæ fidei totus accedam; assensit iis vir Dei abque mora. Jamque dies præfixus aderat, et in plateam latissimam undique fiebat hominum concursus. Adest etiam vir Dei Antonius, ingenti Catholicorum frequentia stipatus; nec abest hæreticus cum nequissima suorum caterva. Prope aderat sacellum, in quod vir sanctus ingressus, cum multa devotione obtulit missæ sacrificium. Eo peracto, egreditur ad populum, cum summa reverentia gestans corpus Domini. Producitur e conclavi mulus bene famelicus, congruumque illi pabulum offertur. Tum imperato silentio, vir Dei cum multa fiducia, bruto illi animanti ita dixit: In virtute et nomine creatoris tui, quem in manibus, licet indignus, revera teneo, tibi præcipio, ut confestim humiliter huc accedas, et eam, quæ par est, illi præstes reverentiam; ut hinc perspicue intelligat perversitas hæreticorum, omnem creaturam suo subdi creatori quem dignitas sacerdotalis in altari contrectat. Necdum Christi servus dicendi finem fecerat; et ecce jumentum illud, neglecto pabulo, usque ad poplites submisso capite accessit, et coram illo vivifico corporis Christi sacramento, genu curvavit. Mox immenso gaudio exultant Catholici, hæretici animi dolore contrahuntur. Laudatur et benedicitur præpotens Deus, fides catholica extollitur, hæretica pravitas pudore afficitur, et opprobrio sempiterno. Hæresiarcha autem ille coram omnibus abjurata perfidia, sanctæ Ecclesiæ mandatis deinceps paruit.

(1) Act., XXVI.

CAPUT XV.

Romæ concionatur, et a peregrinis variarum gentium linguarumque similiter intelligitur.

Quodam tempore Romam innumera diversarum gentium multitudo venerat, condonationes, sive indulgentias Paschales promeritura. Erat tum in urbe Vir Dei Antonius propter negotia quædam, voluitque summus Pontifex, ut ad peregrinos illos haberet concionem. Renovatum illic cernere licebat præclarum illud miraculum, quo olim in Pentecoste Apostolos illustravit (1) Christus. Nam beati viri linguam ita instruxit gratia Spiritus sancti, ut singuli et aperte audirent, et plane intelligerent idioma regionis suæ, in quo et nati et educati fuerant, quemadmodum multi ex iis postea pro certo affirmarunt.

CAPUT XVI.

Corpore absens, visus est coram perfungi suo officio.

Eo tempore, quo apud montem Pessulanum Vir sanctus prælegebat, quodam solemni die concionabatur, omni et clero et populo auscultante. Sermone inchoato, occurit animo, se officium quoddam sibi injunctum alteri non demandasse. Moris illic erat, ut in præcipuis Dei solemnitatibus, duo insignes fratres, sub summo sacrificio, Alleluia cantarent, quod officium tum incumbebat viro Dei. Itaque magno quodam mœrore affectus, in pulpitum caput cucullo operiens,

sese reclinabat, et coram omni illa auditorum frequentia, sic aliquamdiu permansit. Interim mirabili quodam modo illud officium peregit, quemadmodum olim S. Ambrosius legitur beatissimi Martini funus, licet procul corpore abesset, curasse; et sanctus Franciscus, ut supra adnotavimus (1), fratribus suis in Arelatensi conventu, sive Capitulo apparuisse. Eo autem munere diligenter perfunctus, ad se rediit vir Dei, et sermonem inchoatum egregie prosecutus est. Ejusdem modi quidpiam etiam apud Lemovicenses illi contigisse ferunt. Ubi, cum in nocte Nativitatis Christi, in summa æde concionandum ei esset, et eodem tempore nona in nocturno officio, lectio apud fratres in suo monasterio recitanda, cum utrumque simul præstare non posset, rogavit Dominum, ut is sua virtute suppleret, quod humana ope fieri nequiret. Et ita eodem tempore et lectionem illam in fratrum choro visus est legere, et in primario templo concionem habuisse.

CAPUT XVII.

Miraculis aliquot fidei, doctrinæque ejus veritas confirmatur.

Alio tempore, cum a prædicatione rediens, et per solitudinem iter habens, populi applausus declinaret, mulier quædam viæ compendia captans, et virum Dei per devia quærens, filium suum brachiis et cruribus a primo ortu contractum, ad ejus pedes abjecit, cum multis lacrymis rogitans, ut crucis signum in illum exprimeret, nihil dubitans, hoc facto, illico filium sanatum iri. Sed cum vir sanctus præ multa modestia et humilitate id recusaret, illa flens largius, et preces multiplicans clamare, cœpit: Domine, pater Antoni, miserere mei. Tandem Vir pius et matris afflictione, et filii calamitate permotus, tum etiam flexus precibus socii sui fratris Lucæ, ejus perpetui comitis, scientia et sanctitate præclari, crucis signum in Christi nomine in ægrum puerum edidit : et ille eodem temporis puncto sanus et incolumis surrexit. Porro Vir Dei non hoc suis meritis, sed mulieris fidei adscribens, rogavit eam, ut dum ipse in vivis esset, nulli id propalaret. Puella quædam annorum quatuor pedum officio carens, insuper morbo caduco laborans, crebro volutabatur spumans, et ad terram se miserandum in modum allidens: contigit autem, ut pater ejus Petrus nomine, cum illam gestaret in ulnis, ab insperato obviam haberet patrem Antonium a concione revertentem. Itaque obnixe eum rogat, ut signum vitalis crucis edat in puellam, ille cernens hominis sinceram fidem, a capite usque ad pedes cruce eam consignat, et derepente fit sana. Matrona quædam nobilis virum Dei cum ingenti populum multitudine extra oppidum sequens, ut in agro concionaturum audiret, in angusta quadam platea in densissimum lutum decidit, novis iisque non parvi pretii vestibus induta, in ipso autem casu se Deo, et sancto viro commendans ex lutō ita surrexit munda, ut omnes in admirationem versi, Deum et fidelem servum ejus mirifice prædicarent. Alia quædam pia fœmina in Francia, Virum Dei pro habenda concione extra urbem exeuntem sequi desiderans, a marito male valente non permittebatur. Fuit hoc molestissimum, et cum concioni interesse non liceret; ascendit in solarium domus suæ, et ex fenestra ad locum concioni destinatum cupida respexit, ut vel sic nonnihil suo desiderio satisfaceret. Accidit tum res admiratione digna : cum enim ad duo milliaria abesset locus ille, vocem viri Dei prædicantis audivit : cujus suavitate delectata, hæsit diutius ad fenestram, quam vir ejus ferre posset, qui etiam eo nomine objurgavit eam : sed illa se respondit patrem Antonium audire concionantem. Quod ille audiens, irrisit eam, delirare illam existimans. Illa contra asserens se optime audire eum, ascendit vir ad fenestram eamdem, et etiam ipse Viri Dei vocem meritis fidelis conjugis percepit, atque ab eo die nunquam ex illius concione abesse voluerunt.

CAPUT XVIII.

Alia prodigia in testimonium veritatis.

Cum beatus vir ex Tolosano lectore, et Podiensi guardiano, factus esset custos Lemovicensis, et per regnum Franciæ proficiscens concionaretur, tandem ad Bituricensem urbem pervenit. Ubi cum die quodam prædicaret populo, tam frequens habuit auditorium, ut nullus intra opidum esset locus tantæ multitudinis capax. Canonici

(1) Cap. 10.

igitur cum populo instituta processione, in agrum latissimum exierunt, erat æstivum tempus. Sub ipsa autem concione immanis orta tempestas, fulguribus et tonitruis existentibus, omnes imminentem pluviam fugere compulit. Sed Vir Dei cernens illos fugam meditantes, alta voce dixit, Sitis bono animo, nec vos loco moveatis : ne gutta quidem pluviæ quemquam vestrum continget. Tum illi verbis ejus fidentes, nihil se moverunt. Interim pluvia et grando crassissima præceps e cœlo proruens, omnes illos prorsus intactos reliquit, ne locum quidem in quo stabant, madefaciens, cum tamen undique instar muri ambivisset. Ad tam insigne miraculum, omnes gratias egerunt Deo, et virum Dei deinceps in multa reverentia habuere. Concionante quandoque viro Dei ad sex milliaria extra urbem Podiensem, absoluto sermone, quidam viri fideles vinum et alia quædam ei miserunt. Quod vinum gustans matrona quædam, cum ejus palato non sederet, festina domum abiit melius vinum allatura, qua in re tam fuit sollicita, ut vasis epistomium apertum relinqueret, manuque ferens vertibulum, sive partem illam qua epistomium obturatur, ad hominem Dei properaret. Ad quem ut accessit, vidit in manu sua instrumentum illud, sensitque se non clausisse epistomium: moxque domum reversa, totum cellarium vidit vino perfusum. Confidens autem meritis sancti viri, in epistomio reposuit vertibulum, statimque dolium adeo est vino repletum, ut exundarit.

CAPUT XIX.

In concione detegit occulta prodigiosa.

In usurarii cujusdam exsequiis vir Dei concionaturus, thematis loco illud accepit ex Evangelio. *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum* (Matt. XI, 31). Sub concione autem inter cetera ait: *Mortuus est hic dives, et sepultus est in inferno.* (Luc., XVI, 3.) Ite ad thesaurum ejus, et in illius medio invenietis cor ejus, corpore jam humato. Abierunt hominis parentes et amici, et cor adhuc calidum in medio nummorum ejus invenerunt. Quodam solemni die Vir sanctus concionabatur, et quædam nobilis domini avide auscultabat. Cernens hoc impurus Satan, ut fructum concionis ab ea excluderet, cursoris speciem præ se ferens, ad eam cum litteris venit, aitque filium ejus ab hostibus captum et interfectum. Eas maligni hostis versutias spiritu cognoscens Vir Dei (nam corporei nihil hujus perceperat) coram omnibus dixit; nihil timeas, domina : filius tuus et vivit et recte valet. cursor autem iste, diabolus est. Ad quas voces instar fumi ille egregius cursor evanuit.

CAPUT XX.

Padua Ulysbonam usque nocte una pervenit, captos injuste parentes liberaturus.

Cum Paduæ degeret Vir Dei, Ulysbonæ duo cives inexpiabili odio se mutuo prosequebantur, e quibus alter juxta ædes parentum beati viri manebat, et cum hora vespertina filium hostis sui in platea invenisset, per summam crudelitatem jugulavit, et intempesta nocte in horto parentum Viri Dei, facta fovea, eum sepelivit. Cum autem nobilis esset is, cujus filius cæsus erat, inquisitum est diligenter, et repertum ejus filium illac transisse, ubi ejus inimicus morabatur. Itaque ejus domo et horto lustrato, nihil compertum est. Itum est ad vicinas ædes, et in horto illarum, pueri cadaver inventum est. Itaque pater sancti Viri cum tota familia conjectus est in vincula, tanquam reus cædis illius (1). Id vero, ut per

(1) Sancti Antonii parentum obitum non obscure insinuant omnia vetustissima acta evenisse ante biennalem Sancti perturbationem in Ulyssiponensi monasterio, quam amicorum ejus, sive consanguineorum, non vero patris aut matris frequentiæ tribuunt. In *Legenda* a Siccone Polentonio scripta a nobis recusa supra legitur col. 472. *Jam diem parentes obierant quum Fernandus sæculo abdicavit se prorsus* et abscessit tacitus ad monasterium Sanctæ Crucis in Coimbria. Corruit ergo duplicis illius in Ulyssiponentem urbem, dum in Italia Sanctus degeret, translationis, sive apparentiæ, a P. Papebrochio ex Surio, et Pacheco excerpta narratio; ex Surio, ut Patrem a suspicione cædis; ex Pacheco vero, ut eundem a peculatus accusatione liberaret. Unde Pachecus suam hauserit narratiunculam, latet. Surius e libro Conformitatum suam exscripsit : sed illud silentio obvolvit, quod illarum Auctor ingenue fatetur, se nempe rem enarrare, quemadmodum a quodam fratre sibi traditam acceperat. Traditionem vero ejusmodi esse commentitiam suadet, tum parentum obitus in vetustioribus Actis, ut diximus, ante ingressum Sancti in Ordinem Canonicorum regularium haud obscure indicatus; tum vel maxime perpetuum eorundem Actorum silentium, quæ mi-

spiritum Paduæ cognovit Vir Dei, vesperia guardiano petiit copiam exeundi, quæ illi negata non est. Eadem nocte, magno miraculo, Ulysbonam perductus est, et proxima luce ad judicem se contulit, rogans ut insontes e vinculis dimissos pateretur abire domum. Illo modis omnibus recusante, petiit cadaver perempti pueri ad se adferri. Quo allato, jussit surgere puerum, et dicere, num a parentibus ipsius occisus esset. Ille surgens, dixit : Ejus cædis illos prorsus conscios non esse, atque ita discedendi est illis facta potestas. Mansit toto die illo cum parentibus suis Vir beatus, et mane Angelico ministerio Paduam reductus est.

CAPUT XXI.

Quanta energia concionum ejus, et cura salutis animarum.

Quando ad populum concionabatur eximius præco Christi, sermo ex illius ore, tanquam ex ardenti camino proficiscens, solebat mirabiliter movere auditores, ipsasque animorum penetrare medullas, et multam in iis devotionem et compunctionem, vitiorumque odium et detestationem excitare : ita ut plerumque alter alteri diceret cum multo gemitu : Heu me miserum! qui numquam ante hac istud putarim esse peccatum, quod si scivissem, certe numquam illud admisissem, mutuoque se hortabantur ad faciendam confessionem, ad suscipiendas peregrinationes religionis, ad jejunia certis diebus amplectenda in honorem Matris Dei, aut similia pietatis studia sectanda. Quis vero possit dicendo consequi, quæ illic fusæ sint lacrymæ, quæ ab imo pectore ducta suspiria, quæ pectorum tunsiones in obstinatis peccatoribus conspectæ? Adeo enim Dominus mirificavit Sanctum suum, ut non solum usitatis quotidie coruscaret miraculis, sed etiam inaudita ab eo signa ederentur. Sicut enim beatus Nicolaus fertur per visum apparuisse Constantino Magno, ejusque præfecto, minasque intentasse ni dimitterent homines innoxios in carcerem conjectos : ita hic Vir beatus, quos per peccatum cernebat a maligno dæmone vinctos detineri, et ad mortem tendere sempiternam, iis liberandis præcipuam navabat operam. Et solebant nonnulli venire ad fratres, cum adhuc viveret Vir Dei, et pro certo affirmare, ipsis in lecto jacentibus apparuisse eum, et dixisse : Surge Martine, surge Agnes, abi ad illum fratrem, et hoc sive illud peccatum ei confitere, quod tali in loco perpetrasti, cujus nemo præter Deum conscius erat; qua ratione peccata prorsus occulta expiata fuere. Paduanus quidam Viro Dei confitens peccata sua, inter alia exposuit ei quod matrem suam tanta vi trusisset pede, ut illa compulsa fuerit cadere. Id audiens Vir sanctus, omnis malitiæ hostis capitalis, cum quodam spiritus fervore dixit : Pes quo pater aut mater percutitur, merito quam primum debet amputari. Quod ille homo simplex perperam accipiens, illico domum abit, et pedem amputat. Mox per omnium ora volitat crudele facinus, et ad virum Dei refertur. Qui absque mora adit hominem, et post oblatas Deo preces, crucis signo expresso, jungit pedem tibiæ, et aliquamdiu linit sacris manibus suis. Confestim surgit homo, incolumis ambulans et exsiliens et laudans Deum, et ingentes agens gratias servo ejus fideli Antonio.

CAPUT XXII.

Eccelinum tyrannum liberrime increpans, multis sceleribus abstinere fecit.

Tyrannidem apud Veronenses occupante immanissimo illo Eccelino Romano, cum didicisset B. Antonius multam eum hominum cædem per summam crudelitatem Veronæ fecisse : intrepidus ad eum accessit, atque his verbis compellavit : Imminet cervicibus tuis, Tyranne sævissime, et rabide canis, horrenda sententia Dei. Quousque non temperabis tibi a fundendo insontium hominum sanguine? pleraque his similia voce liberrima in faciem ei dixit. Qui vero aderant, nihil exspectabant aliud, nisi illum more suo jussurum, ut trucidaretur, sed secus evenit. Nam omni posita feritate, instar ovis ad collum suspensa zona, coram viro Dei humi prostatus, culpam suam humiliter edixit, omnemque pro illius arbitrio promisit emendationem, adjecitque : Viri commilitones, non mirum vobis istud vi-

rum esset, si rem adeo admirabilem prætermisissent, cum alia omnino similia non omittant, dum illum non semel et in suggestis secularium Ecclesiarum concionantem, et in sui Ordinis Choro uno, eodemque tempore canentem describunt. (Ex Comment. Mirac. ab Azzoguidio, n. 12.)

deatur, nam revera divinum quemdam vidi fulgorem ex hujus vultu vibrari, qui adeo me perterruit, ut me repente in terram demersum iri vererer. Ex illo tempore multa erga hominem Dei devotione fuit et quoad vixit, a multis malis, quæ alioqui, sicut ipse fatebatur, fecisset, illo retrahente abstinuit. Potest de beato Viro non absurde dici, quod de filio suo Jacob dixit Isaac Patriarcha : *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* (Gen., XXVII, 27.) Adeo enim cœlestis benedictionis gratia perfusus erat, et virtutum odoriferis floribus mirifice ornatus, ut esset humilitate præcipuus, sapientia clarissimus, eloquentia melitissimus, caritate ferventissimus, paupertate insignis, omni morum elegantia illustrissimus, honestate præcelsus, sermone placidus, conversatione humanissimus, denique in omnibus et Deo et hominibus gratus. Moderatione autem sive discretione, quæ est virtutum omnium parens, sine qua virtutes abeunt in vitia, præclare imprimis usus est in concionibus, in dandis consiliis, in excipiendis confessionibus, denique in dictis, factis, et rebus omnibus : ut nihil in eo posset animadverti hujus virtutis sale non conditum. Solebat sine personarum acceptione omnibus fidelem navare operam, ut e peccatis extraherentur : et quibuslibet poscentibus, opitulari numquam desiit vivens in terris, uti nec hodieque cessat post obitum suum, ut res ipsa testatur.

CAPUT XXIII.

Paduam multis honoribus decorandam vaticinatur.

Et ipse quidem obitum suum longe ante præscivit : sed ne fratres mœrore afficerentur, illis indicare noluit. Decimo quinto fere ante mortem suam die, cum e quodam colle contemplaretur amœnam Paduæ planitiem, exultans spiritu, situm urbis ejus miris evehebat laudibus. Versus deinde ad fratrem itineris sui comitem, multo honore civitatem illam affectum iri prædixit, non tamen exprimens, cujusmodi ille honor futurus esset. Sed ab illius obitu usque in præsens gratulatur urbs illa felici rerum experimento : quando propter Viri Dei præclara merita, innumerabilium hominum frequentia visitatur, egregiis præconiis, et eximiis muneribus cohonestatur, dum thesaurum illum miraculorum signis inclytum obtinet, rei prope incomparabilis titulo gaudet, in suo Antonio tot miseris opitulatur.

CAPUT XXIV.

Sub mortem vitam degit ruri, ægrotat, abit e vita.

Cum jam messis instaret, et vir Dei sciret colligendis frugibus populum occupatum iri, statuit ad tempus concionibus supersedere. Pertæsus vero crebri cum secularibus hominibus congressus, extra oppidum ad locum quemdam solitarium, quem S. Petri campum vocant, secessit, Deo et sibi vacaturus. Nec vero mediocriter ejus adventu exhilaratus Tiso vir nobilis, in cujus ditione erat locus fratrum, multa humanitatis officia propensissimo animo illi præstitit. Habebat is locum quemdam nemoribus consitum, haud procul a domo fratrum : in quo erat arbor procera, ex cujus trunco sex rami emerserant, coronæ speciem referentes. Eam vir Dei conspicatus, cellulam sibi subter eam extrui voluit : quod solitudini et quieti oportunus ille locus videretur. Id ubi Tiso ex fratribus cognovit, ipse suis manibus, viro Dei et duobus sociis ejus tres cellulas cum multa devotione confecit. In ea igitur cellula Vir Dei vitam degens solitariam instar apis sedulæ, lectioni Scripturæ sacræ, et contemplationi vacabat. Atque hæc inter mortales illius extrema fuit habitatio. Jam igitur separatus ab hominum turbis, vivebat sibi; sanctis meditationibus, et ferventibus precibus intentus : ut spiritum ab omni rerum terrenarum contagione repurgaret, et si qui pulveres, ex hominum sæcularium convictu et consuetudine, ut solet, illi aliqua ex parte inhæsissent, eos lacrymis compunctionis, et capillis sanctæ contemplationis abstergeret, cœlestis patriæ propediem civibus felicissime conjungendus. Cum autem die quadam e sua cellula hora prandii descendisset, cum fratribus pro more discubuit : facta est vero illic super eum manus Domini, cœpitque repente totius corporis viribus destitui. Morbo autem magis ac magis invalescente, fratrum manibus sustentatus, a mensa surrexit : sed cum fatiscentes artus sustinere non posset, in cujusdam lectuli stramento se præceps inclinavit.

Sentiens itaque corporis dissolutionem imminere, accito ad se socio fratre Rogerio, dixit ei : Si tibi consultum videtur, frater, ob vitandum horum fratrum gravamen, Paduam me conferam, ad B. Mariæ locum. Quod cum fratri illi placeret, in currum imponitur Vir Dei, fratribus quidem loci illius, ne ipsos desereret, obnixe contendentibus. Qui tamen ut viderunt ejus animum flecti non posse passi sunt, licet inviti, eum abire. Jamvero ad urbem propius accedenti, alius quidam frater obviam venit, qui illum invisere constituerat. Is ut vidit eum in vehiculo valde affecta valetudine, hortabatur ne propter civium importunitatem in urbem ingrederetur ad fratres de Sancta Maria, sed diverteret potius ad cellam fratrum juxta monasterium pauperum dominarum commorantium, et eis divina ministrantium. Assensit vir beatus, seque eo perduci curavit. Paulatim autem increscente ægritudine, ad extrema festinavit : cumque nonnihil quievisset, facta confessione, hymnum illum de B. Maria, *O gloriosa domina*, canere cœpit. Deinde sublatis oculis aliquamdiu sursum, diligentissime intentos eos tenuit. Cum autem interrogaretur, ecquidnam ita aspiceret respondit : Video Dominum meum. Cernentes igitur fratres qui aderant, felicem ejus exitum adesse e proximo, sacram unctionem ei impendere voluerunt. Ut autem vidit sanctus Vir, fratrem ex more sacrum oleum adportantem, intuens in eum, ait illi : Hanc unctionem ego habeo intra me : tamen extrinsecus mihi adhibita utilis est. Suscepit igitur sacram Unctionem, extensisque manibus et palmis inunctis, psalmos, quos pœnitentiales vocant, cum fratribus perlegit. Inde quasi dimidia lapsa hora, inter manus adstantium, dormienti similis, leniter expiravit, et anima illa sanctissima, carnis ergastulo absoluta, in abyssum æternæ claritatis absorpta est. Corpus plane dormire videbatur, manibus in candorem et colorem pristinum mutatis, et membris omnibus ad nutum contrectantium flexibilibus. Agebatur tum a Christi Incarnatione annus MCCXXXI, et dies junii XIII.

CAPUT XXV.

A morte apparet abbati Vercellensi, quem ex gutture laborantem facit sanum suo tactu.

Eadem autem die celeberrimus ille abbas Vercellensis, sacræ lectioni, et divinis meditationibus intentus, solus erat in cubiculo. Eum Vir Dei cum esset in corpore, præcipue carum habuit, maxime quod olim in theologia illum instituisset, et vicissim ab illo ex libris Dionysii de rebus altissimis instructus fuisset. Et ille quidem abbas in conventu fratrum suorum, hoc Viro Dei perhibuit testimonium. Frater, inquit, Antonius Ordinis illorum fratrum, de pura theologia sensu mystico hausit plenissime, divini radii gratia illustratus.

Porro in Abbatis ejus cubiculum vir Dei subito ingressus, post mutuam salutationem ait illi : Ecce, domine Abba, relicto asello apud Paduam, festinus ad patriam proficiscor. Laborabat tum Abbas graviter ex gutture : sed vir Dei leniter eum attingens, totum illud incommodum repente depulit, et disparuit. At ille putans eum ad natale solum iter intendere, ignarus prorsus obitus illius, surgit, et ex famulis monasterii perquirit, ubi sit frater Antonius. Stupefacti illi, respondent se nescire. Abbate asserente se pro certo eum vidisse, et ex suo cubiculo quamprimum eum exiisse, missus est quidam ad fratres, ut ex illis cognosceretur, numquid de adventu Antonii comperissent. Ubi ille reversus, fratres dixit nihil ejus nosse : Abbas tandem ad se rediens, certissime cognovit Antonium migrasse ad cœlos, tempusque adnotans, postea didicit, eodem die et hora eum decessisse, quo in cubiculo apparuerat, sicut ipse fratribus non sine lacrymis narravit.

CAPUT XXVI.

Morte S. Antonii nuntiata, Paduani de sacro certant corpore, quod omnes attingere cupiunt.

Cum jam abiisset e vita beatus Vir, noluerunt fratres ad hominum notitiam illico id perferri, ne populus subito ad ipsos accurreret : sed latere non potuit. Pueri enim, nemine sciente quicquam de ejus morte, per urbem catervatim incedentes clamabant : Mortuus est pater sanctus, mortuus est S. Antonius. Mox in omnes urbis angulos rumor ille pervadit, et populus certatim neglectis laboribus, quibus se suosque alebat, instar apum advolat ad domum fratrum, eamque circundat undique.

Imprimis vero cives ad Pontis caput habitantes, cum armata juventute adcurrunt, ocyus impedituri ne quis beati corpus rapiat. Omnium ibi lamentabiles voces et gemitus audiuntur, lugentium orbitatem suam. Maxime vero plorabant se tanto patre destitutas sorores, quas pauperes dominas vocant: quæ etiam multum egerunt apud primarios ejus civitatis viros, ut liceret ipsis apud se retinere corpus sancti Viri. Sed repetebant illud fratres ad S. Mariam degentes, apud quos etiam voluit sepeliri vir Dei; idque adeo, ut sub mortem fratri cuidam ipsi adsistenti præceperit, modis omnibus daret operam, ut corpus ejus ad S. Mariæ ecclesiam deportaretur. Itaque instabant fratres isti, et sacrum corpus adsportare volebant : sed cives de Pontis capite illis resistebant, et nec attingere quidem permittebant corpus. Interim etiam augent numerum armatorum, qui noctes et dies advigilent, ne inde auferatur. Tum fratres nescii quid facerent, adeunt civitatis episcopum, eique rem totam permittunt. Episcopus canonicis convocatis, singulorum super hac re sententiam inquirit. Multi videbantur in eam ire sententiam, ut pauperibus dominabus corpus S. Viri relinqueretur. Tandem episcopus, non negligendas putans preces fratrum rationi consentaneas magistratui urbis præcipit, ut fratribus in deportando corpore pro viribus adjumento sit. Interea dum hæc geruntur, pars civium de Pontis capite valde inflammantur desiderio humandi sacri corporis, neglectoque magistratu in vetitum majori contentione nituntur, invitantque seniores et amicos, ut ipsis auxilio sint. Denique inter se unanimiter statuunt, se suaque omnia in præsens mortis et excidii discrimen conjicere potius, quam sinant ex eo loco tolli corpus Viri Dei. Et quod mirum videri queat, adeo in hac re fervebant, ut quidam eorum odium inveteratum, et bella intestina, quibus inter se multo tempore sævierant, plane ex animis abjecisse viderentur, tantum ut illud sacrum pignus retinerent. Et ne cujusquam fraude aut machinis illo fortassis privarentur, communicato inter se consilio, illud rapere moliebantur. Sed quod præsens non esset minister provincialis, ad cujus nutum fratrum controversia pendebat, seniores quosdam e civibus rogabant fratres, ut ad illius adventum paulisper a suo proposito desisterent, ejusque arbitrio omnia permitterentur. Placuit hoc civibus, et omnes illi sententiæ accedebant. Nocte incumbente, fratres emissis turbis, claudunt ostia domorum, et diligenter vectibus et seris ea obfirmant. Et ecce media nocte clamor ingens existit, et importuno desiderio turbæ inhiant ad videndum corpus sancti Viri. Itaque ostia perfringunt, sed cum jam tertio id fecissent, nulla ratione in domum ingredi potuerunt, stabantque, ut ipsimet fassi sunt, apertis ostiis stupefacti, et cum domus plena esset luminibus, aditum videre non potuerunt. Mane facto, permulti ex urbe, castris, pagis, et locis vicinis accurrunt : et cui datur vel semel utcumque contingere sacrum corpus, beatum se credit. Qui autem præ turba tangere non poterant, zonas, annulos, monilia, claves et cætera ornamenta per fenestras et ostia passim porrigebant, ut contactu sanctissimi corporis sanctificata reciperent.

CAPUT XXVII.

Motibus civium compositis, Sacrum illud corpus honorificentissime sepelitur.

Pendente interim propter ministri absentiam negotio, fratres propter æstivum calorem corporibus infestum, in capsa lignea sacrum corpus conditum in foveam deponunt, leviter illud humo operientes. Mox rumor exit in populum, raptum esse sacrum corpus. Advolant igitur omnes furibundi in domum fratrum, cum fustibus et gladiis, sepes et ostia evertunt : properant ad locum in quo erat corpus, nec cessant a suo conatu, donec capsam illam inveniant. Sed nec sic credunt in ea haberi corpus, licet fratres id asseverarent. Tandem advenit minister, ad cujus reditum tota urbs suspensa hærebat. Ab eo igitur cives de Pontis capite corpus sancti viri petunt instanter : addunt etiam minas, ut terroribus frangant fratres, affirmantque se nullius periculi caussa a sententia discessuros. Videns minister temeritate illos duci, cum multa cautione et modestia dicit ad eos : Nihil quidem jure hic reposcere potestis carissimi : sed si de indulgentia agitur, de fratrum consilio faciemus, quod Dominus inspirabit. Interim ne aliquam possitis suspicari fraudem, vobis permitto custodire locum, in quo beati patris corpus quiescit.

Mane alterius die minister adit magistratum, et convocato senatu humiliter opem et consilium implorat.

Magistratus de communi omnium sententia custodes adhibet loco sacri corporis, et sub pœna centum librarum cavet, ne quis vim adferat fratribus, aut armatus ad eum locum accedat, donec episcopus et clerus quid fieri oporteret, statuerent. Altera luce, episcopus in eam curam et cogitationem diligenter incubuit : et audita utraque parte, tandem voluit, ut ex ministri voluntate omnia fierent, jussitque ut et clerus et populus omnis, die crastina ad efferendum sacrum corpus summo mane convenirent. Magistratui quoque præcepit, ut fratribus, ne quid paterentur molestiæ, sua ope adessent. Magistratus libenter jussa capessit, et ex adverso fluminis, quod cellam fratrum ambit ex navibus et lignis celeriter curat pontem confici, ne cives de Pontis capite animis commoverentur, si cernerent corpus per suos fines deferri. At illi nihilominus versi in seditionem, pontem illum dissipant. Ea res totius civitatis animos concitavit, quod tanta temeritas ad omnium injuriam redundaret. Itaque armis muniti, omnes proficiscuntur contra illos pontis eversores : et hi non minus fidenter ad arma se parant, omni periculo contempto. Videntes autem tantum urbis totius discrimen, magno timore correpti sunt : nec minus terrebantur pauperes dominæ, sua culpa eas turbas concitatas asserentes. Tum vero magistratus illum populi tumultum non ferens, omnes voce præconis ad palatium convocat, et pontis eversoribus interdicit, ne ea die ausi sint redire ad ædes suas. Amotis ergo illis seditionis auctoribus, episcopus cum clero, magistratus cum militibus, et innumera populi multitudine, institutis usque ad sacri corporis locum processionibus, cum hymnis et canticis spiritualibus, per medium capitis pontis ad ecclesiam sanctissimæ matris Dei, idem beatissimi Viri corpus mira omnium exultatione transferunt. Supponebant autem feretro humeros suos primarii viri civitatis, et magistratus, beatos se existimantes, qui loculum vel leviter attingere mererentur. Quotquot autem cereos habere potuerunt, eos accensos manibus ferebant, quorum tanta erat copia, ut eorum lumine quasi tota urbs inflammata videretur. Ubi ad perpetuæ Virginis templum ventum est, episcopus sacrificium fecit : eo peracto, et exsequiis celebratis, quinto ab obitu ejus die, terræ mandatum est sanctissimum corpus.

CAPUT XXVIII.

Miracula frequentissima, plurimos ad invisendum illud ejus corpus pertraxere.

Eadem ipsa die, tempestate illa in tranquillitatem redacta, cœperunt miraculorum coruscare signa : ita ut quovis affecti morbo, ad contractum tumbæ Viri Dei mox revalescerent : qui vero præ turba propius accedere non poterant, coram omnibus, etiam in platea sani evaderent. Ibi revera oculi cæcorum aperiebantur, aures surdorum patebant : claudus sicut cervus saliebat: ibi soluta mutorum lingua, velociter et plane Deo laudes promebat denique omne genus ægritudinum depellabatur, et optata divinitus beneficia impetrebantur. Porro cives illi de capite Pontis, qui pontem destruxerant, lacrymis infusi, et detractis calceamentis, clero cum crucibus et vexillo præcedente, cum tanta reverentia et humilitate coram tumulo se prostraturi venerunt, ut pœnitentia sua animos intuentium ad multam commiserationem permoverent. Erant illic milites, delicatum hominum genus, quos etiam matronæ nobiles, præ teneritudine vix se ferentes, nudatis pedibus sequebantur. Nec ii dumtaxat, sed cives omnes in partes distributi, statis diebus cum processione simili, abjectis a pedibus calceis, ad sacrum beati Viri tumulum accedebant. Veniebant itidem religiosi, ac postremo episcopus cum toto clero, præceptores cum multa studiosorum caterva, magistratus cum militum et potentium frequentia, aliique diversarum artium professores, singulatim ordinatis processionibus, certis diebus et horis, cereos habentes in manibus, positis calceis, decentissime advenerunt. Erant autem cerei, qui ante singulos adventantium cœtus portabantur, ea longitudine, ut non nisi aliqua præcisa parte intra ædem beatissimæ matris Dei inferri possent, multa etiam formarum inter se varietate artificiose distincti. Quidam etiam præ suo pondere humeris portabantur, nonnulli curribus vehebantur. Cum non possent autem præ nimia multitudine ad eccle-

siæ valvas accedere, cereos in platea circa templi ostia statuebant. Nec deerant, qui super muros lumina collocarent, et in plateis excubias perpetim agerent, iique nec æstivis ardoribus, nec hybernis algoribus ab ejusmodi pietatis studiis arceri se patiebantur. Jungebantur cum noctibus dies, et aliis post alios succedentibus, sine ulla intermissione, Deo laudes gratesque agebantur. Lætabatur Padua (alii Patavium vocant) tantis ornata luminibus, tantis illustrata fulgoribus, nec ullas noctium sensit caligines. Accurrunt Veneti, properant Cenomani, adsunt Vicentini, Longobardi, Sclavi, Aquileienses, Germani, Hungari, Hispani, Galli : suisque oculis cernentes divinitus celeberrima declarari miracula, in laudes præpotentis Dei sua ora laxabant, et corde compuncti, peccata sua fratribus, tantæ turbæ vix sufficientibus, confitebantur. Si qui vero curationis caussa venissent, nec sua vellent peccata confiteri, nihil illi obtinebant : facta autem confessione, et correctius vivendi concepto proposito, cunctis videntibus mox misericordiam experiebantur. Interim exaltabatur catholica fides, pudefiebat cæca perfidia, mordaces hæreticorum dentes conterebantur, Christi sponsam calumniis exagitare conantium, caligo incredulitatis, miraculorum splendoribus profligabatur. Fuit vero totius cleri et populi ea concors sententia, ut quam primum apud Romanum Pontificem, de viri beati nomine sanctorum catalogo adscribendo ageretur, cum ab ejus obitu necdum mensis fluxisset. Et est accurate sane jussu Pontificis Gregorii IX in ejus miracula inquisitum, et multa adhibita cura, ut omnia rite fierent. Tandem cum essent a Pontifice convocati cardinales et prælati omnes, qui tum Pontifici aderant, inter cætera ab illis dictum est. Indignum valde est, nos, quod absit, beatissimi patris Antonii meritis venerationem debitam in terris subtrahere, quem Dominus majestatis, dignatus est gloria et honore coronare in cœlis. Sicut enim veritati miraculorum cognitæ fidem non adhibere, perfidia est: sic meritis sanctorum laudem negare, genus invidentiæ est. Itaque Pontifex, qui tum Spoleti erat, anno a nato Salvatore millesimo ducentesimo trigesimo secundo, Pontificatus sui anno sexto, ipso sacratissimo Pentecostes die, beatum virum in sanctis deinceps numerandum, cum ingenti celebritate, decrevit, cum necdum ab ejus e vita decessu, annus expletus esset. Ea autem die, qua in sanctos relatus est Vir Dei, res stupenda accidit Ulysbonæ. Nam et viri et fœminæ extra domos in plateis cantabant, et tripudiabant, et campanæ omnes totius civitatis, nullo eas movente, concrepabant egregie, nec poterant se homines cohibere, quin se lætitiæ et tripudiis darent. Ea autem re in multam illis admirationem adductis, non diu post supervenere ex Italia fratres, quorum relatu didicerunt, ipso die inusitatæ lætitiæ suæ, virum beatum in sanctorum albo inscriptum fuisse.

(1) Legend. MS.; Marian., c. 6.

CAPUT XXIX.

De Canonizatione et miraculis ante Canonizationem relatis.

Sollicite urgebant Patavini S. Antonii Canonizationem (1), quare præmisso ad Pontificem miraculorum processu, per Commissarios ab eodem designatos legitime facto, destinarunt novos legatos, qui perficiendæ et accelerandæ rei incessanter insisterent : delegarunt episcopus et clerus matricis Ecclesiæ canonicos duos, duosque Minoritas, civitatis magistratus et communitas totidem proceres nobilesque equites magno stipatos famulitio. Academiæ Patavinæ Doctores universi suas addiderunt preces missa communi epistola. Sed efficaciores illæ litteræ duorum illustrium cardinalium Othonis Candidi, alias Blanchi de Alerano ex marchionibus Montisferrati Casalensis, diaconi tit. S. Nicolai in carcere Juliano, et Jacobi de Pecoraria Papiensis, Ordinis Cisterciensis ex abbate SS. Vincentii et Anastasii ad aquas Salvias, episcopi cardinalis Prænestini. Hi a Pontifice legati missi in Lombardiam, ut Longobardos imperii hostes Friderico, pacem cum Pontifice dissimulanti reconciliarent, tunc Patavium advenerunt, quando de mittendis oratoribus ad Pontificem ageretur. Visis et expensis tot miraculis, quæ quotidie ad sancti viri corpus fiebant, per hos ipsos oratores scripserunt Pontifici, testimonium perhibentes veritati. Ad novas preces novum indixit cardinalium consilium sanctissimus Dominus, jussitque ut congesta et publica fide

conscripta miracula examinarentur. Commissa præcipua rei cura Joanni de Abbatisvilla diœcesis Ambianensis Gallo, monacho Cluniacensi, ex abbate monasterii S. Petri de Abbatisvilla, mox archiepiscopo Bisuntino, episcopo cardinali Sabino. Non protraxit hic in longum examen, sed instantibus diligenter oratoribus Patavinis brevius expedivit.

Confirmata per hunc processus validitate, et miraculorum veritate, nihil jam superesse videbatur, quin ad rei exitum procederetur, nisi quidam ex purpuratis patribus tantæ Canonizationis accelerationi semet opponerent. Præ cæteris unus ardentius tantæ festinationi obloquebatur, donec per hujusmodi somnium in alteram abiit sententiam. Visus est sibi clare, et ad mysterium vidisse Pontificem basilicam quandam consecrantem, adstantibus in sacris vestibus ad mysteriosos ritus cardinalibus, atque ad altaris consecrationem, pro more, in eodem condendas sacras reliquias petiisse : at cum nullæ adessent, respexisse ad quoddam funus, seu recens cadaver in pavimento velo obtectum, atque jussisse ut ex eo sibi afferentur. Quod cum cardinales horrerent pertingere, verentes horridum et obrigescens cadaver aspicere, denuo imperavit Pontifex, ut accederent. Discooperierunt, attrectarunt, suavem odorem avide exceperunt, Antonii corpus esse comprobarunt, totum in reliquias universa cohors discerpsit, universa etiam Antonium sanctum proclamante. Expergefactus intimis suis visionem narravit, ideoque sibi immissam ut intelligeret Antonium, Sanctorum dignum honore; quare ad ostii limem exeunti occurrentibus oratoribus Paduanis, qui ejus contradictionem frangere vel emollire cupiebant; inquit ex tempore : Non est cur multis mecum agatis, alius jam evasi, Antonium sanctum esse credo, et dignum ut cælitum adscribatur numero; non amplius dissentiam, sed consentiam ejus canonizationi, atque ita præstitit, neque enim ullus efficacius rem omnem promovit, solus enim aliorum cardinalium animos adeo flexit, ut in publico consessu canonizationis fautoribus accesserint, et inter cætera ipsi dixerint Pontifici : Indignum valde est nos beatissimi Patris Antonii meritis venerationem debitam in terris subtrahere, quem Dominus majestatis dignatus est gloria et honore coronare in cœlis. Sicut enim veritati miraculorum cognitæ fidem non adhibere, perfidia est : sic meritis sanctorum laudem negare, genus est invidentiæ.

Concordantibus itaque omnibus cardinalibus statuitur Canonizationis dies penultimus Maii sub ipso festo Pentecostes, in quo Spoleti concurrenti ex multis Europæ regionibus innumera hominum multitudine, lecta sunt ex alto suggesto coram omni populo hæc, quæ sub compendio sequuntur, et nos ex MS. codice Anconitani conventus Patrum Minorum conventualium exscripsimus miracula. Ipso die quo S. Viri corpus terræ mandatum est in Ecclesia sanctæ Dei Genitricis mulier quædam Cuniza nomine monstruose contracta, et fœde gibbosa atque incurvata paululum, ad recentem tumulum orans erecta repente exilivit læta, perfectæ sanitati restituta. In eadem civitate Patavina alia, Richarda nomine viginti annis adeo conglobata, ut callosa quadam copulatione genua pectori, et pedes natibus hærerent, ducta in cella gestatoria vel plaustrulo ad fores templi, ut cum cæteris pauperibus ab introeuntibus mendicaret; dum orationem præmisisset, ut per sancti merita a suo malo liberaretur, et paululum dormitaret, audivit clara voce sibi inculcari hæc verba : Da gratias Deo, quia per servi sui merita liberaberis, et expergefacta ad tumultus multorum circumstantium, comitantiumque puellam, quæ prius gibbosa, sana e sepulchro viri sancti læta redibat, induit animum ut, quo posset modo, per terram reptans tenderet ad sepulchrum, additæque vires per speciosum quemdam juvenem in limine templi præeuntem et ad tumulum invitantem, sed statim in ictu oculi disparentem. Ut accessit et oravit, perfecte sana recessit. Alia Patavina, Maria nuncupata, ad hortum paternum juxta Brenta flumen a dæmone in terram ita dure collisa, ut vertebræ ex coxendice dissolverentur, quinque annis graviter dolens, ad ejus sepulchrum convaluit. Marcoaldus ruris Patavini vir uxorem Gislam contractam ex desiccato crure, et nervis restrictis equo impositam ad idem duxit sepulchrum, sed peditem sanam reduxit. Agnes puella trienni vomitu laborans; neque in ventriculi spacio quicquam valens retinere, omnino syntectica pene deficiebat, intercluso jam gutture vix quidquam vel sorbere poterat, donec ad sepul-

chrum hoc evecta, adeo repente convaluit, ut durum præ fame conquerenti oblatum frustulum panis roserit, et avide manducarit. Alio triennio contractis dolebat genibus in oppido Capitis Gauri puella Samaritana dicta, orans ad sancti sepulchrum ultra horæ dimidium integræ sanitati restituta est, quam gaudio peditem redeuntem cum parentibus exceperunt obvii illius loci incolæ cum jubilo, et campanarum pulsu, Deum glorificantes in suo servo, quem viventem et illac transeuntem honorifice non semel exceperunt.

Fredericus e Comitatu concordiæ e summo decidens templo confractis membris ad eumdem tumulum convaluit. Cæsaria Veneta duobus annis manu una contracta, et altero pedum distorto dolens, magnorum miraculorum frequentia excitata Patavium abiit, ubi ad eumdem beneficiorum thesaurum, mire desideratam assequitur salutem. Similiter utriusque manus et pedis contacti perfectum obtinuit usum Prosdoxima relicta quondam Manicrii de Noete Patavini, nec non Margarita Paduana colli distorti, manus sinistræ tremulæ, et pedis decurtati perfectam integritatem. Puer Albertus a nativitate usque ad annum undecimum tortum habens pedem, superiori parte ad terram inversa, ut recte flecteretur ad ejusdem sancti viri funus obtinuit. Massaguerra de Savili crus dextrum contractum, pedemque ex ligaculo suspensum, sanum e tumulo reduxit. Adolescens Tridentinus curvus, dorso excrescente, et male affecta spina rectus a tumba domum rediit. Veridolus alter graviter cruciatus lumbagine, et nephriti a matre ductus ad sepulchrum, ab eadem sanus domum reducitur. Trevisiana mulier, cui Venetiana nomen, tumorem magnum habebat in pectore, forma panis majorem, nec per duos annos quidquam operosum agere poterat absque magna molestia, ex eodem salutis ærario sana reversa est. Solangria de Montagna dysenterica et hemorroissa toto jam corpore resoluta, cum se meritis sancti viri commendaret, apparuit decumbenti, quem interrogata quis esset? respondit : Ego sum Antonius, qui veni ut te a malo liberem, ecce in nomine Domini salva factas es. Verum dixisse ex tempore sensit e lecto descendens Deum in suo servo glorificans. Bartholomæus de Plebe sacci ab infantia mutus, paralysi item laborans, ad sepulchrum utroque liberatur malo. Loquelam item recepit ibidem, et syntexis remedium. Michelotta Patavina, annis undecim muta. Diu etiam perditam loquelam ibidem recepit vir quidem Forojuliensis. Comitatus Ferrariensis mulier, Maria nomine toto corpore dissoluta et vertiginem quadriennio passa incolumis domum rediit e sepulchro. Ermerina de Vincentia quinque annorum spatio tremebundis gressibus terram plus attingens, quam calcans, nec non altera, Bilia nomine, eodem malo tribus annis affecta ad sancti loculum basibus consolidatæ sunt. Vir quidam de Porcili oppido Sconitus nomine, nodosa podagræ inflatione, pedibus etiam tabo putridis, expiatis sacra confessione peccatis, coram loculo orans firmatis gressibus rediit lætus ad propria.

Frater Theodoricus Minorita biennio sinistri oculi privatus lumine, ab Apuliæ finibus Patavium abiit sancti reliquias veneraturus, ad quas voti plene factus est compos. Theutonica mulier Carolina nuncupata septem annis cæca, utroque videns oculo e sepulchro abiit in Germaniam. Auriena puella ut applicuit oculis, quibus visu carebat per annum unum, et menses octo, byssinum velum, quo tegebatur sacrum depositum, vidit repente. Leonardus de Corniliano, uno orbatus lumine, altero læsus, utrumque sanum, arcæ cui corpus inclusum, inhærens accepit. Flos de Gemma Lauretanus integre vidit sinistro oculo, quem clausum habuit integro septennio. Alexia mulier quinquennio cæco, oculos ibidem aperuit. Micholetta Patavina exitialis morbi vehementia oculorum lumen amiserat, sed recepit ad sancti viri reliquias. Rolandus Bulgarus cephalalgia, seu diuturno et vehementi capitis dolore in anterioribus membranis laborans, surdus evasit a viginti annis et ultra, sed ibi repente sanus effectus. Leonardus Venetus defluxu humorum obturatas aures habens, a quadriennio nihil audiens, apertas retulit ex tumulo. Menicus alter Venetus simile beneficium recepit, malo affectus biennio. Petri Patavini filiam Paduanam dictam, epileptico seu comitiali morbo laborantem, totaliter claudam, dum adhuc viveret ad patris preces benedictione sanavit. Puerum item Simonem eodem morbo miserabiliter quotidie per annos tres affectum impertita ex sepulchro gratia curavit.

In agro Patavino mulier ad vicinam domum ignem reportatura progressa, dum redit, infantulam filiolam in fossam domui proximam cænosæ aquæ receptaculum, lapsam, et ultimos exhalantem spiritus vidit, descendit, accurrit, extraxit, in margine reposuit nec motum nec spiritum habentem. Mortuam adjudicantes vicini ad sancti Antonii busta portarunt, ut matris lacrymarum misertus, vitam vel foveret, vel restitueret. Super tumulum posita repente ocellos aperuit, omnemque ebibitam aquam evomuit hilaricula parentibus arridens. Similiter accidit cuidam Dominico, civi Comacerensi, qui in lacum lapsum filium et suffocatum domum vehens matris ejulantis ulnis commisit. Illa fide plena eum sancto obtulit Antonio, rogans lachrymabunde, ut qui quotidiana in omnes conferebat beneficia, misellæ dignaretur misereri. Exaudita est confestim exiliente sano e brachiis, quem mortuum complexabatur. In civitate Monopolitana in Apulia prope fratrum ædem juvenis quidam terram effodiens, ex latere vicini collis aggere irruente obrutus est. Accurrens cum vicinis gemebunda mater excavata mole vivum extrahunt, quem minutule contusum judicabant. Interrogatus quomodo sub tanta ruina non perierit? respondit in ipsa ruina sibi vidisse fratrem Minorem aliquem manu pondus omne sustinuisse, ne premeret, neque alium hunc se putare præter Antonium Patavinum, quem ob undique prædicata miracula in ipso invocavit periculo.

Aleardinus miles e Salvaterra parum fidei catholicæ tenax, quam alias omnino respuerat, dum ubique a tantis miraculis commendari audiret Antonium, nihil credebat, veniens mox Patavium cum in hospitio eadem multiplicari, et videri quotidie ad ejus tumulum dicerent convivæ : duræ, inquit, ego sum fidei, neque quidquam ex dictis credam, nisi projectum hoc vitri vasculum, et in petram collisum integrum servaverit ille, quem tantorum asseritis miraculorum patratorem. Projecit fortiter in pavimentum lapide stratum, qui alias vel ipso casu frangeretur vitreus cyathus, sed integer velut durus silex resilivit. Quo viso miraculo credidit cæteris, Antonii sanctitati et fidei catholicæ, atque præmissa peccatorum confessione paruit deinceps Ecclesiæ sanctæ institutionibus, ubique prædicans a se probatam viri sancti virtutem, in cujus fidem vasculum circumferebat. Quod dum alteri inconstantis fidei ostenderet ad mensam accumbenti, inquit : Quæ refers credam, dummodo aridum hoc vitis sarmentum (quod forte in uvarum calatho adhibuit) reviviscere, et fructus producere fecerit, ciathumque hunc meum musto ex sarmento hoc expresso valeam replere. Mirum; statim frondnit vitis, uvas protulit, et sancti viri miraculis plenam fidem conciliavit. Hujus miraculi non una fit mentio in sancti viri officio, quod recitant Minores.

Irrisit etiam clanculum quædam ex sancti viri miraculis Guidotrus de Anquillaria clericus, Patavini episcopi domesticus, dum constitutus coram pontificis commissariis audiebat multos, qui recepta beneficia, et circa se facta miracula juridice deponebant. Non id fecit impune, nam repentino motu toto cœpit corpore adeo vehementer dolere, ut in apertas voces irrumperet, dignum erga se Dei judicium propalans. Vocatam ad se matrem rogavit ut quoniam se indignum judicabat, qui coram sancto bajulatus appareret, illa ad tumulum ejus sceleris veniam exoraret, et pro filio sponderet dignam exhibendam pro crimine pœnitentiam. Fecit, et exoravit, statim enim ad supplicantis matris lacrymas remissum est piaculum filio, et laxatum supplicium. Accepti beneficii ille non immemor plus omnibus deinceps institit sancti viri laudibus et canonizationi.

Viri simul et mulieres numero ferme viginti sex ut Venetias tenderent, navem apud sanctum Hilarium conscenderunt, cumque hora completorii ad lacunam juxta sanctum Georgium de Alega pervenissent, orta tempestate gravissima ad locum prædictum refugere conabantur. Prævalescente autem turbine conquassati, ad incognita sibi prorsus loca delati sunt, nam caligo quædam simul cum vento et pluvia ita spissa desuper incumbebat, ut se invicem vix videntes, de salute penitus desperarent, facta denique confessione peccaminum et a sacerdote, qui intererat, absolutione suscepta cum clamoribus et lacrymis ululantes, Deo et B. Antonio suppliciter devoverunt, statimque autem facto voto circa navem procella quievit, incumbentibus tamen tenebris ubi forent, vel quo tenderent, nemo præsentium

recognovit. Et ecce de navi ipsa lux egressa resplenduit, quæ navigantes et collacrymantes præ lætitia præcedebat, et eosdem ad locum S. Marci parvuli juxta Venetias salvos duxit, quo cum patris sanctissimi meritis de manu mortis eruti pervenissent, mox præambulum ab eorum oculis lumen disparuit, et in tuto positis ducatum ultra subtraxit.

Mirum et rarum quod sequitur. Mulier quædam de Monte Silice iter faciens versus Paduam cum viro suo, comitantibus eam mulieribus aliis præconceptam mentis suæ lætitiam verbis et lætis gestibus ostendebat; maritus enim nuper ante promiserat, quod ad sancti Jacobi visitanda limina ipsam secum duceret, ut petebat. Volens igitur jocunditatem ejus et gesticulationes pariter temperare, mulieri dixit, quid tot verbis et risibus læta diffluis, ac spe vana decepta gestu solveris importuno? Scias me omnino mutasse propositum, et nequaquam, quo tu properas profecturum. Cumque maritus verbis ejusmodi valde eam exasperando perstitisset, post longa tandem silentia mutato vultu, mulier intulit objurganti, nisi promissum mihi preregrinationis iter opere compleveris, noveris me in nomine Jesu Christi, ac beati Antonii aquis istis, quæ præterfluunt submergendam. At ille nequaquam fidem adhibens verbis ejus, quin potius obfirmata facie stultam vocans, promissum solvere constantius denegabat. Sublata ergo fiducia, ac spe omni frustrata infelix mulier, manus in se convertit, ac beati Antonii nomine invocato (quasi etiam sceleri sanctum velit adesse) se præcipitem aquis dedit : videntes autem mulieres, quæ aderant mediis fluctibus volutantem, stupefactæ nimis cursu rapido advolabant, et periculi rapidi fluminis oblitæ, madefactis totis vestibus, aquis extrahunt obvolutam. Quam cum educta foret, in littore collocantes, mirum certe, mulieribus cæteris contorquentibus vestes suas, et aquarum copiam educentibus, ipsa quidem nec filo subtegminis humefacto, super ripam fluminis invecta est. Quod sane factum etsi fatuitati potius sit adscribendum, quam virtuti, patris tamen sanctissimi hæc apud Deum merita potuerunt obtinere, ut, qui veræ semper simplicitatis amicus extitit, simplicitatem fœminæ, licet stultæ, mediis fluctibus conservaret illæsam.

Soror quædam ancillaris de ordine pauperum dominarum, Oliva nomine, cum adhuc patris sanctissimi corpus existeret insepultum, accessit supplex, et deosculans manus ejus inter cætera, quæ rogavit indulgeri sibi meritis ejus petiit, ut pœnam omnem, quam peccatis exigentibus meruisset, in præsenti sibi Deus infligeret, nec puniendum quidpiam in posterum reservaret. Oratione vero facta monasterium mulier subiit, moxque per omne corpus dolore validissimo cruciata præ immensitate doloris semetipsam ferre non valuit, sed sorores cæteras stridoribus admodum perturbavit. Resumpta vero paululum valetudine circa noctem die sequenti cum sororibus cæteris simul ipsa refectorium clanculum subintravit, et ad mensam cum aliis constituta, iteratis cœpit subito doloribus perurgeri, ita quod nequaquam cibum sumeret, sed parturientis more super mensam huc illucque se volveret et clamaret. Jubente igitur abbatissa ad valetudinarium delata est, et quæ sibi votis omnibus in præsenti pœnam infligi proposcerat, multiplicatis precibus ab eodem remedia flagitabat. Tandem autem reminiscens mulier, quamdam apud se tunicæ sancti particulam habere reconditam, mox allatam sibi super corpus ducens applicuit, et confestim dolor omnis abscessit.

Mulier quædam de Trimegone nihil tam desiderabat, quam sub morte ejus visitare sepulchrum, quod tot miraculis audierat condecorari. At non poterat a fratribus suis constituta messis tempore custos agelli, ut abigeret passerum aliarumque volucrum copiam frequentem. Dum ad urbem ire cuperet, fratres autem timeret, magna fiducia elatis oculis in cœlum inquit : Sancte Antoni, si tu ab hac segete profligaveris volucres, illæsamque custodiens, ita ut ego non patiar, voveo et promitto me novies sepulchrum tuum gloriosum visitaturam. Non omnino dixit, quando magno garritu avolarunt avium multa agmina, neque illa in agellum advolarunt, nisi post reconditum frumentum.

Puerum quemdam Patavium, Henricum nomine, collum dolentem nimio tumore, mater vovit afferre ad sancti viri tumulum, et donarium offerre effigiei cereæ cum magna candela modo convalesceret. Fecit illa, ex parte convaluit filius, sed dum

avare tenet, quam promisit candelam, paulo post eodem turget adolescens malo, cui non aliud quam voti solutionem adhibuit remedium, ut optata frueretur valetudine, quam statim est assecutus. Bartholomæus miles de campo rotundo, filiam gravi calculo dire dolentem, emisso voto de visitando et adorando Sancti Antonii sepulchro, statim sanam accepit.

Lectis tot ac tantis viri Dei miraculis, et acclamante universo populo ejus sanctitatem, in ecclesia cathedrali Spoletana surgens a solio Pontifex, invocato nomine deificæ Trinitatis beatissimum Patrem Antonium sanctorum catalogo conscripsit, et festum obitus diem haberi constituit, concedens omnibus vere pœnitentibus et confessis, sepulchrum eius in die festivitatis, aut per octavas, quotannis cum debita reverentia visitantibus, relaxationem unius anni de injuncta sibi pœnitentia. Statim omnes prælati hymnum : *Te Deum laudamus* cantarunt, quo terminato Pontifex alta voce Antiphonam illam *O Doctor optime*, intonavit, quam clerus universus magno modulamine prosecutus est, Papa versiculum, et orationem concinente. Deinde post dies paucos per suas litteras datas III nonas julii intimavit omnibus ecclesiarum prælatis hujusmodi factam canonizationem, hortatusque est omnes ad sancti viri cultum. Plura diplomata hujus videntur apotheosis in solo sub scriptionis die discrepantia : cum enim multa transmitti oporteret, nec uno scribebantur aut dabantur die, diversi temporis præferunt notas, ut in aliis Pontificiis litteris sæpius per hoc opus observatur. Horum exemplar habetur in regesto Vaticano n. 12 sub kalend. julii, et totius rei gestæ seriem descriptionemve originalem inter vetera tabularia Anagniæ repertam, servari Romæ in Vaticano ex mandato sanctissimi Domini Gregorii XIII sibi retulisse Reverendissimum D. Calligarium Brittonoriensium episcopum, scribit Rodulphus, quam tamen ego non potui detegere inquit Wadingus. Bullam autem subjicio.

« Gregorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopis, et episcopis : dilectis filiis abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prælatis, præsentem paginam inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Cum dicat Dominus per Prophetam : dabo vos cunctis populis in laudem et gloriam et honorem (1) ; et per se polliceatur, quod justi sicut sol in conspectu Dei fulgebunt (2). pium et justum est, ut, quos Deus merito sanctitatis coronat et honorat in cœlis, nos venerationis officio laudemus, et glorificemus in terris; cum ipse potius laudetur et glorificetur in illis, qui est laudabilis et gloriosus in sæcula (3), et in sanctis. Ut enim suæ virtutis potentiam mirabiliter manifestet, et nostræ salutis causam misericorditer operetur; fideles suos quos semper coronat in cœlo, frequenter etiam honorat in sæculo, ad eorum memorias signa faciens et prodigia, per quæ pravitas confundatur hæretica, et fides catholica confirmetur : fideles, mentis torpore discusso, ad boni operis excitentur instantiam, hæretici depulsa in qua jacent cæcitatis caligine, ab invia reducantur ad viam; et judæi atque Pagani vero lumine cognito currant ad Christum lucem, viam, veritatem et vitam. Unde nos, charissimi, et si non quantas debemus, quantas possumus, gratias agimus gratiarum omnium largitori : quod diebus nostris, ad confirmationem catholicæ fidei, et ad confusionem hæreticæ pravitatis, evidenter innovat signa, et mirabilia potenter immutat; faciens illos coruscare miraculis, qui fidem catholicam, tam corde quam ore, nec non et opere roborarunt. De quorum numero, sanctæ memoriæ beatus Antonius, de Ordine fratrum Minorum : qui olim degens in sæculo magnis pollebat meritis, nunc vivens in cœlo, multis coruscat miraculis, ut ejus sanctitas certis indiciis comprobetur. Cum enim dudum venerabilis frater noster episcopus et dilecti filii, potestas et commune Paduanorum nobis per nuncios suos et litteras humiliter supplicassent, ut cum Dominus eidem sancto tantam contulerit gloriam, ut ad dandam scientiam primæ stolæ immortalis ipsius, et experimentum evidens de secunda ; sepulchrum ejus tot et tantis daret coruscare miraculis, quod ejus inter alios sanctos non invocari suffragia, est indignum; de ipsius miraculis testes recipi mandaremus : non attendentes, quod licet ad

(1) Soph., III, 20.
(2) Matt., XIII, 43.
(3) Dan., III, 52.

hoc, ut aliquis sanctus sit apud Deum in Ecclesia triumphante, sola sufficiat finalis perseverantia, juxta illud : Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ (1); ad hoc tamen ut sanctus habeatur apud homines in Ecclesia militante, duo sunt necessaria, virtus morum, et veritas signorum, merita videlicet, et miracula ; ut hæc et illa sibi ad invicem contestentur, cum nec merita sine miraculis, nec miracula, sine meritis plene sufficiant, ad perhibendum inter homines testimonium sanctitati. Sed cum merita sana præcedunt, et clara succedunt miracula, certum præbent indicium sanctitatis : ut nos ad ipsius venerationem inducant, quem Deus ex meritis præcedentibus, et signis subsequentibus exhibet venerandum : quæ duo ex verbis Evangelistæ plenius colligitur : Illi autem profecti prædicaverunt ubique. Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis (2) : eidem episcopo, et dilectis filiis, fratri Jordano S. Benedicti, et Augustini, prioribus Ordinis fratrum Prædicatorum Paduanorum receptionem testium de miraculis ejusdem sancti, duximus committendum. Nuper autem tam per relationem prædictorum episcopi et priorum, quam per depositiones testium super hoc receptorum, de ipsius virtutibus et miraculorum insignis certiores effecti, et experti aliquando per nosipsos sanctitatem vitæ, et admirabilem conversationem ipsius ; utpote qui apud nos fuit aliquandiu laudabiliter conversatus : eisdem episcopo, potestate ac commune, prædictis, per solemnes nuncios suos, et litteras, nobis cum instantia denuo supplicantibus : quod eumdem fratrem sanctorum catalogo adscribere curaremus : ut auctoritate (sicut convenit) Apostolica dignus honor illi exhiberetur in terris, qui sicut claris signis, et evidentibus argumentis apparet, honoratur in cœlis : ipsum, qui corporaliter dissolutus cum Christo esse meruit in cœlestibus, ne illius honori, et debito, et gloriæ detrahere quodammodo videremur, si glorificatum a Domino permitteremus ulterius humana devotione privari : de fratrum nostrorum consilio, et prælatorum omnium tunc apud Sedem Apostolicam existentium, catalogo sanctorum duximus adscribendum. Cum igitur secundum evangelicam veritatem, nemo accendat lucernam, et ponat eam sub modio sed super candelabrum, ut omnes, qui in domo sunt lumen videant (3), et prædicti sancti lucerna, sic arserit hactenus in hoc mundo, quod per Dei gratiam, jam non sub modio, sed super candelabrum meruerit collocari : universitatem vestram rogamus, monemus attentius, et hortamur per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus devotionem fidelium, ad venerationem ipsius salubriter excitantes, festivitatem ipsius Idibus Junii, annis singulis celebretis, et faciatis solemniter celebrari : ut ejusdem precibus Dominus exoratus gratiam in præsenti, et gloriam nobis tribuat in futuro. Nos autem cupientes sepulchrum tanti Confessoris, qui miraculorum fulgoribus illustrat Ecclesiam generalem, congruis honoribus frequentari, omnibus vere pœnitentibus et confessis, illud in festivitate ipsius usque ad octavum diem, annis singulis cum reverentia debita visitantibus ; de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, auctoritate confisi, annum unum de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Spoleti, III nonas Junii Pontificatus nostri anno sexto. »

Ea autem die, qua in sanctos relatus est vir Dei, res stupenda accidit Ulysbonæ. Nam et viri et fœminæ extra domos in plateis cantabant, et tripudiabant, et campanæ omnes totius civitatis, nullo eas movente, concrepabant egregie, nec poterant se homines cohibere, quin se lætitiæ et tripudiis darent. Ea autem re in multam illis admirationem adductis, non diu post supervenere ex Italia fratres, quorum relatu didicerunt, ipso die inusitatæ lætitiæ suæ, virum beatum in Sanctorum albo inscriptum fuisse. Innumera et magna sunt mirabilia, quibus Deus sanctum voluit glorificare ; adeo frequentia et perpetua ubique Antonii miracula, ut in uno perpetuo hærere miraculo videatur, mirabiliusque in illo foret a miraculis cessare, quam operari. Rebus mirifice gestis adeo nobilitatus est, ut interdum non ad necessitatem, sed ad jucunditatem (ut de sancti viri patre B. Francisco quidam dixit) præsens Dei auxilium ei oblatum videretur. Plura præter relata sunt admirabilia viri opera, quæ ultima capite

(1) Apoc., II, 10.
(2) Marc., XVI, 20.
(3) Matt., V, 15.

recensentur aliis innumeris omissis miraculis.

CAPUT XXX.

De translatione corporis ejus.

Solemnis facta est translatio corporis S. Antonii de Padua, aliqua ex parte absoluto templo, ex suo nomine appellando. Præcipua causa hujus posthumi honoris ille fuit, quod laborante decem novem annis urbe Patavina sub intollerabili tyrannide Eccelini de Romanis sævissimi viri, Nerone, et si quo alio inhumano monstro, crudelioris, beatus Lucas Belludinus, sancti viri olim socius, et Bartholomæus Coradinus monasterii præfectus, seu Guardianus, sacras agentes excubias apud divi sepulchrum, profusisque lacrymis orantes, ut patriam suam, uterque enim ex primoribus urbis, libertati et pristino redderet nitori, ex intimo sepulchro responsum acceperunt, id concedendum eo ipso anno sub sui natalitii die octava. Neque inane fuit oraculum, quippe eo anno, qui Christi fuit 1256, mensis junii die 19, Octavianus Ubaldinus cardinalis, Sedis Apostolicæ legatus, adhibita manu Ecclesiæ confœderatorum superatis Eccelini sequacibus urbem obtinuit. Quo ingenti beneficio devincti Patavini anno 1257 statuerunt communi senatus decreto; ut pro urbis patrono deinceps haberetur Antonius, offerreturque ei statua aurea, ipsius civitatis præferens ideam; ultra hæc quotannis ex communi ærario solverentur quatuor millia librarum monetæ, donec templi fabrica consummaretur, atque in Natalitii vesperis publica indicta supplicatione princeps Venetus, academici, religiosi omnes, cunctisque sæcularis status Ordines, et universæ confraternitates, ejus sepulchrum inviserent, varia donaria, pecuniam, cereos, oleum pro fovendis lampadibus consecrarent. Neque his contenti alia in dies adjecerunt, per quæ mirum in modum accrevit sancti veneratio.

Porro templum, in quod allatum est sancti Viri corpus, Minorum antea usui concessum, in tantam abiit amplitudinem, ut cum optimis Europæ delubris conferri, si non omnibus præferri, merito possit. Antiquissimum est, quibusdam sæculis ante Christum natum extructum; Junoni quidam volunt aliquando sacrum, idque ipsum cujus meminit Livius. Mutato cultu pro æde majori urbis habebatur, eoque dicebatur nomine : *Ædes major*, donec anno 1229 Jacobus Corradus, Patavinus episcopus, hoc insignivit titulo, *S. Maria Mater Domini;* deinde ex frequenti cultu, et aucta reverentia S. Antonii, antonomastice ecclesia sancti nuncupata est. Coaluit ædes ex duabus ecclesiis, una antiqua quam diximus Junonis, altera recentiori : illa protenditur a porta Orientali usque ad organa, ordinemque columnarum marmorearum prope chorum eo in loco, quo supremum erat altare : Ista chorum, turres campanarias complectitur majores, et quidquid ultra chorum est. Hujus additionis artifex Nicolaus Pisanus, illa ætate celebris architectus. Incepta est fabrica novi additamenti anno 1231 quo Vir sanctus e vivis discessit, sed ob turbulentos motus sub Eccelino cessatum est ab opere usque ad annum 1259. Alia etiam habuit intervalla structura usque ad annum 1307 quo decrevit universitas Patavina dare pro structura ejusdem ecclesiæ libras quatermille sub regimine domini Hungari de Oddis Perusini, viri perillustris.

Quo valido subsidio completa est ecclesia, præter magnam testudinem, quæ super chorum est, et ex variis oblationibus accrevit anno 1424. Ecclesia longa est pedes ducentos octoginta; lata centum triginta unum; alta centum et decem. Pars antiqua multas habet columnas, testudines, absidias, et quatuor turres campanarias, quarum major alta nimis pyramidalis Angelum habet tuba sonantem, ad ventorum varietatem volubilem. Pars nova ultra chorum, novem habet sacella, pulchra valde, inter quæ ad chorum interjacet spaciosa porticus, et super hanc exurgunt duæ turres campanariæ octangulæ miri artificii, sed mirabilioris super solam testudinem fundamenti. Testudo magna, quam super chorum fabricatam diximus, octo magnis columnis innititur. Universum tectum laminis plumbeis cooperitur. Templi frons præter alios ornatus, porticus habet amplas, et deambulatoria duo, unum superius, alterum inferius, variis innixa columnis. Chori sedilia 88 variegato opere, pulchro artificio cælatis, et insertis lignis, varias exprimentibus figuras, spectabilia redduntur, fecit Laurentius Canotius de Lendenara, in hac arte præstantissimus anno 1468. Altare majus

erectum anno 1582 e marmoreis columnis, variis crustis ornatum, multis imaginibus, et statuis æneis fusis a Donatello Florentino anno 1468 decore compositum. Reconditorium corporis Christi lapide pretioso, statuis item æneis circumcirca dispositis, in summi altaris medio auctoritatem et majestatem exprimens, simul cum altari completum est decem millibus aureorum, operis præfectis Hieronymo Campagna Veronensi, et Cæsare Franco Patavino. In choro conspicitur candelabrum æneum, altum pedes undecim miræ pulchritudinis et venustatis, centum et quatuor figuris cœlatum, singulari arte ab Andrea Riccio Brioscho, ultimi hujus sæculi commendatissimo statuario, conflatum. Singulare hoc opus rerum Patavinarum scriptores omnes commendant, atque ipse artifex appenso ad sepulcrum epitaphio, ab eodem laudatur. Chorum circumdant crates et portæ ferreæ, reticulato textu egregie compactæ, expensis Erasmi Gattamelatæ Narniensis ducis, bello fortissimi, cui ob egregiam fidem cum summa virtute conjunctam senatus Venetus publico decreto extra templum sancti Antonii in ingenti area sub dio equestrem statuam armati equitis, militare sceptrum tenentis, erexit, et superius ornant in circuitu viginti quinque statuæ lapideæ, et viginti candelabra : ex utroque vero latere januæ præcipuæ, ænea simulacra duo. Ab exteriori parte duodecim habet tabulas, seu laminas æreas insignes; quæ ad dexteram et sinistram majoris portæ chori visuntur : effudit anno 1507 prædictus Riccius, in quarum altera Judith Hebræa sopitum, seu potius vino sepultum obtruncat Holofernem : in altera vero trahitur Arca fœderis, quæ de domo Aminadab cum maximo triumpho, præeunte David cum citharis, tympanis, et cymbalis, tripudio, solemnique saltu adducitur in sanctam civitatem. Alias decem fecit Bellanus Patavinus, fusoria arte præstantissimus anno 1488, exprimunt sacras historias veteris instrumenti : Abelem a Caino percussum; Abrahamum immolantem Isaac; Josephum a fratribus venditum; Pharaonem in aquis submersum; Israelitas aureum vitulum adorantes, serpentem æneum in deserto exaltatum, Samsonem Philistæos dejectis ædibus obruentem, Davidis cum Goliath congressum, Salomonem meretricum contentionem dirimentem, et Jonam in mare projectum. Alia habet chorus externa ornamenta columnarum, fornicum, statuarum æris a Titiano Aspetto effusarum; Crucifixi item ænei inaurati, a Donatello, superius commemorato, conflati. Super arcum ecclesiæ præcipuum conspicitur in muro lapis rudis, olim S. Antonii cervical. Extra chorum supra duos marmoreos fornices, præstantissime deductos, consurgunt organa bina pneumatica, quorum utraque decem habent pluritides regulas, ad modos concidendos vel frangendos : fusores peritissimi Vincentius Columbus, et Vincentius alter Columna.

Ad lævam organorum, Aquilonem versus, in veteri basilicæ ædificio constructum S. Antonii sacellum, pedes longum quadraginta, largum viginti quinque. Inchoati anno 1532 tanta est majestas, et splendor tam in materia, quam in opere, ut primis Italiæ sacellis possit comparari. Frontispicium totum marmoreum transversa cingula sive coronides habet egregie cælatas, expositas concamerato muro statuas optimas, obductos quinque arcus columnis quatuor candidissimi marmoris, et pilis seu stelis duabus. In frontis medio incisæ syllabæ tres, Re. Pa. Po. videlicet *Respublica Patavina posuit*. Interius circumcirca undecim arcubus, magnique valoris columnis adornatur, et novem tabulis quadris marmoreis, quibus insculptæ elegantissimæ figuræ humanæ, ultra centum tres indicantes varias Viri sancti actiones. A læva primam sculpsit Antonius Minellus Patavinus, in hac arte præstantissimus; exprimit Divum hujus sodalitii tunicam induentem. Secunda ignoti auctoris, repræsentat miraculum restituti capillamenti fœminæ a marito male habitæ ob præstita fratribus obsequia. Tertia Divi patrem falso accusatum de homicidio, ab eodem liberatum : fecit Hieronymus Campagna Veronensis. Quarta, adolescentulam submersam ad vivos revocatam; opus est Jacobi Sansovini Florentini. Quinta simile miraculum e mari extracti infantuli submersi; elapsa est opificis memoria. Sexta, avari fœneratoris cor inter pecunias reconditum; sculpsit hanc Tullius Lombardus, necnon septimam restituti pedis, quem sibi præscidit juvenis, a sancto Viro ob calce impetitam genitricem acriter repre-

hensus. Octavæ auctor nescitur, cui incisum miraculum projecti in lapides vitri, sed prorsus illæsi. In nona expressit Antonius Lombardus egregius statuarius infantulum, paucos dies natum, articulata loquela suspicionem adulterii a matre avertentem. Tecti concamerati lorica est testacea; seu gypsea testudo Titiani Minii Patavini cælatoris eximii, in effingendis et conflandis formis cujusvis rei peritissimi. In tholi medio circumscripta hæc verba. *Gaude felix Padua, quæ thesaurum possides.* Pavimentum tum sacelli, tum universæ Ecclesiæ tesseris quadrisve rubri, et candidi marmoris stratum.

In medio sacrarii conditæ reliquiæ S. Antonii in arca singularissimi lapidis, varii coloris, sub morte ejus divinitus inventa, et fabricata a sanctis Quator Coronatis, qui passi sunt sub Diocletiano imperatore, quorum ferias celebrat Ecclesia. Sustinent hanc aram columnæ quatuor, in aræ formam, ad quam ascenditur per gradus septem marmoreos, utrinque ejusdem materiæ deductis spondis ad cornua usque altaris, quas columnulæ superpositæ, et in quatuor angulis totidem ænei Angeli, valde reddunt venustas. Super altare tria sunt simulacra Divorum ænea, et scalæ ascensum claudunt portæ duæ æneæ, a supra nominato Titiano Aspetto conflatæ anno 1590. Sancti reliquias reposuit reverenter hac in arca, præmisso omni spirituali obsequio, Guido cardinalis et episcopus Bononiensis in Galliæ, Lombardiæ, Marchiæ, Tarvisinæ, Germaniæ, ac Pannoniæ partibus Ecclesiæ Romanæ legatus. Maxillam etiam ejus in sacrario, in insigni tabernaculo argenteo, minio et pigmento laudatissimi coloris eleganter exornato : Linguam vero cives Patavini pretioso in vase collocarunt.

Præter sancti Patris reliquias sunt in prædicta Basilica corpus B. Lucæ Belludini, sancti viri socii, de quo jam præfati sumus, in lapideo sepulchro, quatuor columnis imposito, in sacello nobilissimæ familiæ comitum, seu de Conti; et corpus alterum sancti Felicis II Papæ et martyris, quatuor ididem columnis innixum in sacello a Bonifacio Lupo Marchione Soragnæ constructo. Consecrata est ecclesia a Jacobo Zenone de Venetiis episcopo Patavino anno 1475 die 18 junii. Institutæ in eadem ecclesia sodalitates duæ numerosæ satis, una Conceptionis Virgineæ, fundatore Giacopino Malafossa Bargio Pedemontano Minorita Conventuali; altera Cordigerorum inchoata anno 1586 die 25 octobris. Magnifica habentur in eodem templo mausolæa, et splendida satis magnorum hominum monumenta. Omnia descripserunt, et affixa Epitaphia exscripserunt Bernardinus Scardeonius, et Valerius Polydorus citati : ex omnibus duo dumtaxat hic seligemus; primum est, Petri Bembi illustrissimi et doctissimi S. R. E. cardinalis inter scriptores celeberrimi, Aquilonem versus stelæ magnæ adnixum. Posuit ei monumentum Hieronymus Quirinus Ismerii filius Patricius Venetus, quem ita Bembus dilexit, ut eum moriens, et in secundis hæredibus scripserit, et testamenti sui executorem esse voluerit. Hic itaque cardinalis imaginem marmoream Danesii Catanei Carrariensis, eximii statuarii opus, alto loco posuit, impetrato prius a republica Patavina loco, qui jam viventi Bembo, ad tumulum Maurocenæ et Lucilii illius filii publico decurionum decreto fuerat concessus. Statuæ subscriptum hoc epitaphium.

« Petri Bembi card. imaginem Hieronymus Quirinus Ismerii filius, in publico ponendum curavit, ut cujus ingenii monumenta æterna sint, ejus corporis quoque memoria, ne a posteritate desideraretur. Vixit annos LXXVII, dies XXIX. Obiit XV kalendas februarii MDLXVII. »

Monumentum alterum ex meridionali parte ad stelam oppositam erectum in memoriam Alexandri Contareni supremi classis Venetæ præfecti in multis celeberrimis congressibus cum Ottomanicis. Statuam habet perbelle sculptam, subtus posita reportata trophæa, captivos item quatuor Turcas, spolia demonstrantes. Insculpta deinde hæc memoria.

« Hanc Alexandri Contareni Venetæ classis, cum summa potestate fortiss. legati, divi Marci procuratoris, quem nec Veneti in periculoss. reipub. temporib. retardarunt unquam : Et Hariadenus Barbarossa Ottomanicæ classis imperator potentiss. sæpe timuit, tam mirabili artificio ductam effigiem, magni indicem animi, præclarumque totius maritimæ disciplinæ simulacrum ut posteritas haberet, quod instar immortalitatis, ac gloriæ unice coleret, ne quidquam Patavino splendori deesset, Petrus et Pandulphus frat. Opt.

P. Vixit annos LXVII, dies IX. Obiit XVII kalendas aprilis MDLIII. »

In eadem ecclesia in sublimi arca conditum corpus Rainerii summi jurisconsulti, Bartoli præceptoris; subjecto heroici carminis epitaphio, et in capitulari æde in magnifico mausolæo ante aram incisa hæc brevis inscriptio :

Cæsari Riano patriarchæ Alex. episcopo Malacitano.

Multæ servantur in adyto seu sacristia sanctorum reliquiæ, et supellex sacra locupletissima, qua majorem paucæ habent ecclesiæ. Decem habet cruces argenteas, statuas sexdecim sanctorum, calices quinquaginta, aureum unum pretii aureorum quingentorum viginti; tabernacula argentea tria majora, minora alia pro conservandis sanctorum reliquiis triginta, candelabra magna decem, lampades multas, sed unam immensæ molis, statuas ex voto oblatas majoris ponderis quatuor, minoris triginta novem, tabulas argenteas septem, navem integram omnibus armamentis ornatam; statuam magnam, ideam præferentem urbis Patavinæ, præter aliam minutam supellectilem multam nimis. Adnexum monasterium patrum conventualium, gratissimum est, in quo ultra centum commorantur, ut publicam retinent Academiam liberalium artium et theologiæ. Opimos habet hæc ædes redditus, in eademque residet pravitatis hæreticæ inquisitor, qui ex minoritis in illa urbe semper assumitur.

Neque tempore decrescit, sed in dies magis augetur hujus ædis majestas et splendor; ita meretur miraculorum frequentia et magnitudo, quæ in hanc diem ob merita, et intercessionem hujus sanctissimi viri, Deo ita volente, perdurant. Quatenus tantæ rei per universum orbem terrarum ita longe lateque fama percrebuit, ut christiana religio alterum patronum vix habeat præter immaculatam Virginem Dei matrem Mariam, quem ob quotidiana miracula huic D. Antonio pro cultu præponat, quemve donariis ditioribus, aut ardentioribus precibus pro salute in maximis periculis impetranda crebrius interpellet. Quare merito huic Divo tam augustum, atque insigne templum erectum est, ut inter magnificentissima totius orbis ædificia, vel præcipuum existimari jure possit : et est tantæ in hanc usque diem venerationis tam apud Patavinos, quam apud omnes exteras nationes, ut multi non ex Hispaniis tantum, aut ex Ulissiponensi urbe, et Portugalliæ regno, sed etiam ex Gallia et ex utraque Germania illuc abeant, qui templum hoc et sancti Viri reliquias suppliciter venerentur. Sebastianus Lusitaniæ rex, et Margaritæ Austriaca Philippi III conjux, eo ducebantur erga Virum sanctum affectu, ut apud Sereniss. Venetorum rempub. instanter egerint pro obtinenda aliquali reliquiarum ejusdem particula regi missa brachii pars an. 1570. Reginæ anno 1610, pars altera concessa. In templi vestibulo supra arcum portæ Occidentalis leguntur hæc vetusta et impolita carmina.

Mille ducentis uno currente trigenis.
  Antonius frater venit ad alta pater :
Cujus ad exemplum sacratum visita Templum,
  Expia nunc voto, fœmina virque noto.
Nunc regnat plenus, qui vixit pauper, egenus,
  Hispanus genitus, Paduæ tulit esse colonus.

Probant hæc laudabilem Patavinorum gratitudinem erga sanctum virum ob beneficia accepta, et præcipue ob liberatam Civitatem, quare præparato mausolæo exhumari hoc anno Sancti Viri Corpus, et decentius recondi voluerunt. Huic translationi summa solemnitate peractæ in octava Resurrectionis Dominicæ VII Idus Aprilis, interfuit generalis minister S. Bonaventura, qui inter effossas sacras reliquias linguam Viri sancti triginta duos annos cum corpore humatam, rubentem adhuc et integram admirabiliter repertam, et reverenter cum lachrymis acceptam pio hoc decoravit elogio: *O lingua benedicta! quæ semper Deum benedixisti, et alios benedicere docuisti; nunc manifeste apparet tua quanta fuerint erga Deum obsequia.* Quam devote osculatus tradidit Optimatibus Patavinis digna theca reponendam.

Neque hic substitit civium veneratio, ultra etenim superius narrata decrevit Respub. anno 1265, ut eadem cultus solemnitate celebraretur festum, atque festi dies Octava propter obtentum eo die singulare libertatis beneficium : ut in publico foro binæ erigerentur hinc inde statuæ, una S. Antonii, altera S. Prosdocimi, sancti Petri discipuli, et primi episcopi Patavini; et dies octo ante,

totidemque post natalia S. Antonii liberæ nundinæ haberi possint in foro S. Antonii dicto. Anno etiam 1275 statuit ut in vigilia, nocte et festo die Sancti ad ejus Basilicam offerrentur militaria urbis insignia, custodiretque sepulchrum dux militaris cum viginti hominibus armatis; fieretque publica, et universalis supplicatio ad eamdem ecclesiam, ad quam conveniret episcopus cum universo clero, potestas Civitatis cum civilis status ordinibus et omnia sodalitia, communitatesque artificum cum cereis accensis. Eodemque anno jussit ut semper pro majori solemnitate, et populi exultatione sub octava festi curreretur in stadio, et bravia tria proponerentur comprehendentibus. Ipsa vero octava die potestas Urbis, comitantibus optimatibus, in Basilica convenirent solemne sacrum audiri, gratias pro liberata illo die Urbe reddituri, et donaria oblaturi. Anno demum 1435, Michael Quaranta otto Juris Cæsarei professor, et decanus collegii legistarum ordinavit, quod facultatis doctores ad eamdem supplicationem convenirent doctoralibus ornamentis insigniti, cereos accensos gestantes, et singuli collaterales haberent socios ex Minoritis; hos postea imitata sunt collegia philosophorum et medicorum. Tandem multiplicatis quotidie oblationibus, ut in unum congregarentur, atque in arca communi reponerentur, statutum est anno 1386, quibus in Dei gloriam et S. Antonii honorem expendendis præfecti sunt quatuor cives Patavini, et tres Minoritæ, singulis annis a potestate Urbis eligendi; auctusque est ita oblationum proventus, ut multa millia aureorum ex reddibus annuis thesaurizentur.

P. Gonsalvus, generalis minister, in festo Pentecostes celebravit comitia generalia Patavii, in quibus facta est translatio tumuli S. Antonii ad medium Ecclesiæ, anno 1310.

Guido de Monteforti Lemovicensis, Gallus tit. S. Cæciliæ, postea Portuensis Episcopus. Legatus missus in Lombardiam, regnum Neapolitanum, et Hungaricum, et alias partes a Clemente VI, qui dum insigne beneficium vitæ in manifesto mortis discrimine a S. Antonio mirabiliter conservatæ profiteri vellet, Patavium se contulit, illic nempe anno 1350. Tertiam fieri curavit translationem corporis ejusdem Divi ad arcam argenteam et magnæ capitis partis ad pretiosissimam thecam suis sumptibus affabre elaboratas.

N. In hoc suo ultimo cap. hujus sancti Antonii Vitæ, P. de La Haye reponit quædam facta, hæc addens : « Quod si innumera alia ejus recensere vellem miracula, narratio modum excederet. » Ut in Vita a Siccone Polentonio scripta, hæc nos prætermittimus, quæ ad cultum magis pertinent quam ad Vitam hujus sancti, ne modum et mensuram excederent.

IV

INDEX BIBLIOGRAPHICUS

EORUM QUI DE VITA ET MIRACULIS S. ANTONII PADUANI SCRIPSERUNT.

Post Antonii canonizationem, anno incerto, *Legenda primigenia*, quam excerpsit ex vet. MS. Azzoguidius, cf. supr. col. 458. — Circa 1450, vel 1460, Sicco Polentonius : *Vita S. Antonii*, cf. supr., col. 469. — 1604, Aleman, *Libro de S. Antonio* de Padua, Sevilla ; id. 1608, Valencia, id. 1623, Tortosa. — 1610, Lopez : *Sancto Antonio* de Lisboa, Lisboa ; id. 1680, id. 1683. — 1618, Surius : in libro : *Vitæ sanctorum*. — 1625, Gononus : in libro : *Vitæ Patr. occid.* — 1641. De La Haye : in libro : *S. Antonii opera*, cf. supr. col. 493. — 1643, Baroni Manfredi : *Vita di S. Antonio* di Padova, Palermo. — 1646, Pacheco : *Epitome* de la Vida de S. Antonio de Padova, Madrid ; id. 1655, Lisboa ; id. trad. lat. 1658, Lucernæ ; id. 1660, Viennæ ; id. trad. portug., 1732, Lisboa. — 1647, *Compendium vitæ* S. Ant. præconis verbi Dei eximii, Antuerp. — 1650, Wadding, in libro : *Script. Minor.* — 1654, Rocchi : *Vita e miracoli* del glor. S. Ant. di Padova, Palermo. — 1658, Bircher : *Kurtzer Begriff* und innhalt dess Lebens dess heil. Ant. von Padova, Luzern. — Bonucci : *L'Eroe Portoghese*, Roma. — 1663. Coelho : *Discursos predicaveis* sobre a Vida de S. Ant. Lisboa.

— 1678. Beutgen : *Vita et miracula* S. Antonii de Pad., Moguntiæ. — 1692, Caccia : Antiquo-novum miraculum, Saltzburg. — 1694, Schindler : Miraculum hispanicum S. Ant. Paduanum, Schlictinkow. — 1702, Arisius : in libro : *Cremona liter.* — 1705, Grandi : *Trionfi della fede*, nella vita di S. Ant. di Padova, Venez. — 1722, Oudin, in libro : *Script. eccl.* — 1725, Luis de Abreu : *Sol nascido no occidente*, S. Antonio Portugues., Coimbra. — 1732, Bollandistæ : in mense junii, tom. 2. — 1732, Joan. a S. Antonio : in libro : *Biblioth. Francisc.* — 1734, Fabricius, in *Bibl. med. ævi.* — 1738. Hufnagl : *Bonus miles* Jesu Christi, Antonius a Padua, Ratisb. — 1741. Barbosa, in libro : *Bibl. Lusitan.* — 1748, Angelico da Vicenza : *La Vita* di S. Antonio di Padova, Bassano. — 1766, *Leven* von den Ant. a Pad., Antwerp. — 1779, *Leben* und Wunderwerke des h. Ant. von Pad., Coln. — 1786, *Fatti e Scritti* del taumaturgo S. Ant. di Padov., Bassano. — 1788, Antonio : in libro : *Bibl. Hisp. vetus.* — 1789, Azevedo. *Compendio* della Vita del glor. taumaturgo S. Ant. di Pad. Venezia. — 1801, Garces : *Retrato compendioso* del apostol y taumat. S. Ant. de Pad., Zaragoza. — 1814, Mestre : Vida y milagros de S. Ant. de Padua, Madrid. — 1830, Fortunatus : *Dissertatio* de S. Antonio de Padua, Conimbriæ. — 1831, Maetzler : Lebengeschichte des h. Ant. von Pad., Augsburg. — 1834, Pasquali : *Le gesta e le gloria* del taumaturgo di Padova, Bologna. — 1845, Caroli, *Vita* di S. Ant. di Padov., Bologna. — 1846, Sintzel : *Leben und wirken* des h. Ant. von Pad., Regensburg. — 1853, Dirks : *Leven* van Den. h. Ant. von Pad., Gent. — 1856. *Portugal monum.* hist. Sacr. — 1858, Maffei : *Vita* di S. Ant. di Padov., Loreto. — Guyard : *Hist. de S. Ant. de Padoue* de l'ord. des fr. Min., Paris; id., *Saint Antoine de Pad.*, sa vie, ses œuvres et son temps, 2e éd., 1868. — 1871, Fontanabona ; *Compendio* della vita e delle gesta di S. Ant. di Pad., Ferrara. — 1874, *S. Ant. de Padoue*, sa vie et son culte, Lyon. — 1876. Coleridge : *The chronicle* of S. Antony of Padua, London.

Præterea, consulendi sunt hagiographi, ii omnes qui *Vitas Sanctorum* scripserunt, scriptoresve *Historiarum Eccl.*, et annalistæ, veluti Raynaldus ad ann. 1231, num. 33; 1232, num. 33-35; 1263, num. 89; 1350, num. 14-15. — Cf. etiam Vincent. Bellov., *Speculum hist.*, XXXI. — Cf. Dupin, *Bibl. auct. eccl.*, XIII, 216. — Cf. denique libros plures de S. Francisco loquentes, necnon de Franciscanis simul, vel de eorum prædicatione, gestis, et miraculis.

V

PRÆFATIONES.

I. — *DE OPERIBUS S. ANTONII PADUANI IN GENERE.*

Quæ sint opera genuina vel dubia, non omnino constat apud omnes. De hæc quæstione, nobis libet primum ponere verba J.-A. Guyard, in suo libro : *Saint Antoine de Padoue*, sa vie, ses œuvres et son temps, 2e édit., Paris, 1868, p. 15 :

Quand on songe au petit nombre d'années que saint Antoine a passées sur la terre ; quand on réfléchit aux voyages multipliés qu'il a entrepris, au temps qu'il a employé à ses leçons de théologie et surtout à la prédication et aux autres fonctions du ministère sacerdotal, on est vraiment surpris qu'il ait pu laisser à l'Église et à la postérité tant d'écrits si admirables et si utiles.

Voici la liste de ces précieuses productions :

Nous rencontrons d'abord quatre Instructions assez étendues pour les dimanches de l'Avent.

Elles sont suivies d'un Sermon pour le dimanche dans l'octave de la Nativité.

Il y a ensuite quatre Exhortations pour les quatre premiers dimanches après l'Épiphanie.

Les dimanches de la Septuagésime, de la Sexagésime et de la Quinquagésime nous offrent des plans de discours assez développés.

Alors s'ouvre une série d'Instructions pour chacun des jours du Carême, jusqu'au

Jeudi-Saint inclusivement. Ce sont des matériaux pour une station quadragésimale complète.

A la suite de ce Carême, on trouve des Sermons pour tous les dimanches de la Quadragésime, pour le dimanche de la Passion, pour celui des Rameaux, pour le Vendredi-Saint et pour le jour de Pâques. Il y a, en outre, quatre grandes instructions pour le premier dimanche du Carême, deux pour le second dimanche, une pour le troisième et une pour le quatrième. Ces homélies sont l'explication de l'Épître de chacun de ces dimanches.

Maintenant, le Saint va nous fournir des Plans de discours pour tous les dimanches de Pâques à la Trinité, et de la Trinité jusqu'à l'Avent. C'est la partie la plus considérable de ses Sermons.

Enfin, se présentent les Exhortations pour les fêtes des saints. Elles commencent par une Instruction sur la *Cène du Seigneur*, *De Cœna Domini*. Ensuite, il y a neuf Sermons sur les Apôtres, quatre sur les Évangélistes, six sur les martyrs, cinq pour la Toussaint, trois pour les confesseurs, sept pour les vierges et un pour le jour des Morts. Ces Sermons, ainsi que la plupart des précédents, ne sont, à proprement parler, que des canevas ou des plans d'instructions. Le Saint les a rédigés avec soin ; mais quand il prêchait, il se livrait ordinairement à l'improvisation pour les détails de son sujet et le développement de ses idées (1).

Outre ce grand nombre de sermons, on attribue à saint Antoine deux autres ouvrages très importants : le premier est un petit Commentaire mystique sur toutes les parties de l'Ancien et du Nouveau Testament, depuis la Genèse jusqu'à l'Apocalyse de saint Jean ; le second est une Concordance morale de la Bible, en cinq livres. C'est bien probablement le premier essai fait en ce genre, et c'est un travail des plus remarquables. Il a dû coûter beaucoup à l'auteur ; et aujourd'hui même, malgré les belles concordances que nous possédons, il peut encore rendre de véritables services aux prédicateurs. Les Commentaires sur les Saintes Écritures respirent la plus suave piété et une connaissance admirable du cœur humain et des voies de la perfection (2).

Tous ces ouvrages de saint Antoine ont été rassemblés et réunis avec ceux de saint François d'Assise, en un très fort volume in-folio, par les soins du R. P. Jean de La Haye, de l'ordre Franciscain. Ils parurent d'abord à Paris, en 1641 ; puis ils furent réimprimés à Lyon, en 1653 ; et enfin, ils ont eté édités, en dernier lieu, à *Pedeponti* (3), près Ratisbonne, en 1739.

Depuis cette époque, on a découvert un nouvel ouvrage de saint Antoine de Padoue : c'est une suite de Sermons sur les Psaumes. Il y en a 278. Ils furent trouvés en 1757 dans le Trésor de l'église des Franciscains de Bologne, par le Père Azzoguidi. Ce savant religieux s'empressa de les publier en un petit volume in-folio. Il y a joint une ancienne Vie de saint Antoine presque inconnue jusqu'alors, et qu'il a enrichie de curieuses notes historiques, chronologiques et critiques. Le manuscrit de Bologne paraît réunir les preuves d'authenticité désirables en pareille matière. Tout indique qu'il a été écrit par le Saint lui-même. C'est donc un monument digne du plus grand respect (4).

Les écrits de saint Antoine de Padoue figurent au nombre des richesses inestimables que le Moyen Age a transmises à la société

(1) Azevedo prétend que saint Antoine n'eut pas le temps d'achever ses Sermons sur *les Saints ;* qu'il n'en écrivit que 57, dont le premier traite de la Navitité de Notre-Seigneur, et le dernier de la commémoration de saint Paul. Azzoguidi soutient que les sermons *De sanctis in particulari*, déjà édités à Lyon, en 1684, par le P. Pagi, ne sont pas authentiques.

(2) Wading, Azzoguidi et plusieurs critiques sont d'avis que l'Explication mystique de l'Ancien et du Nouveau Testament n'a pas été écrite par saint Antoine lui-même, mais qu'elle a dû être extraite de ses Sermons par quelque docte religieux.

(3) C'est aujourd'hui un faubourg de Ratisbonne.

(4) D'après le P. Emmanuel de Azevedo, l'édition des œuvres de saint Antoine, publiée à Ratisbonne, serait loin encore d'être parfaite, même en y joignant le travail du P. Azzoguidi. Azevedo soutient que la Concordance morale de la Bible et l'Exposition mystique de l'Ecriture sainte ne peuvent être de saint Antoine, et que les œuvres de l'éminent religieux se réduisent : 1° aux Sermons sur les Psaumes édités par Azzoguidi ; 2° aux Sermons pour les dimanches de l'année ; 3° aux Exhortations pour les solennités des Saints. Il croit qu'on a retrouvé les véritables œuvres du Saint dans le *Trésor* de l'église de Padoue. Selon lui, elles sont là contenues en deux tomes manuscrits reliés en un seul volume. Mais jusqu'à la fin du siècle dernier (1788 ou 1790), ce manuscrit serait demeuré scellé, et on ignorait qu'il renfermât les écrits du saint : on croyait que c'était tout

moderne. Ils méritent, à une foule de points de vue, de fixer la sérieuse attention des philosophes, des théologiens, des orateurs, des politiques chrétiens et de tous ceux qui veulent se mettre à même d'apprécier justement deux grandes époques de l'histoire ecclésiastique et profane : la fin du XII[e] siècle et la première partie du XIII[e].

Les Sermons de saint Antoine nous peignent d'une manière saisissante les vertus et les vices qui régnaient dans le monde européen, au temps où l'éloquent disciple de saint François évangélisait les cités et les campagnes, les grands et les petits de la terre. Alors la foi, une foi profonde vivait dans les âmes et se manifestait partout. Le déisme, le philosophisme et l'incrédulité étaient chose inconnue, inouïe. Les intelligences avaient soif de la vérité, et il leur fallait des croyances. Aussi, quand les passions et le démon les éloignaient de la religion véritable, elles embrassaient avec ardeur les doctrines des hérétiques qui pullulaient en tout pays, et profitaient habilement des dispositions des peuples pour les soustraire à l'enseignement paternel et vivifiant de l'Église.

Les prédicateurs n'avaient donc pas besoin de se livrer à des discussions longues et épineuses, de réfuter les objections des impies, et de donner les preuves des dogmes de la foi. A part certaines circonstances exceptionnelles, cela eût été tout à fait inutile et même déplacé. Il suffisait d'exposer purement et simplement les vérités de la Religion, les Commandements de Dieu et de l'Église, et ensuite d'en venir aux applications morales, en montrant aux fidèles l'opposition, la contradiction flagrante qu'il y avait entre leur croyance et leur conduite. Il n'en fallait pas davantage pour remuer les consciences et les cœurs. Telle est la marche suivie par saint Antoine dans ses nombreuses instructions. Il est évident qu'elle devait être la plus profitable, puisqu'un génie tel que lui s'en servait constamment.

II. — *DE SERMONIBUS IN PSALMOS IN PARTICULARI,*

DEQUE CODICIBUS ET EDITIONIBUS S. ANTONII PADUANI SCRIBEBAT AZZOGUIDI, IN SUA PRÆFATIONE, ANNO 1757.

Delituerat hactenus in amplissimo hujusce nostri templi S. Francisci Bononiæ Sacrarum Reliquiarum sacello, inter alia plusquam nongenta, quæ statis anni diebus una simul fidelium venerationi exhibentur, specioso ordine circumquaque disposita Sanctorum pignora, pervetustus MS. Codex, titulo inscriptus : *Expositio S. Antonii Patavini in Psalmos, ipsius etiam manu exarata*, qui tibi, Lector ingenue, nunc primum prælo cusus et sistitur, et commendatur. Si quid sinceris Veterum monumentis, aut sanæ critices regulis deferendum, hoc illud, idemque volumen esse opinamur jam olim apud Montempessulanum a beato Antonio Patavino elucubratum, propriaque ejus manu conscriptum, in quod ille meliorem veteris, ac novi Testamenti florem congesserat, ut inde, ex quodam veluti promptuario, tum facultatis theologicæ,

simplement le missel dont il se servait, ou une Bible où il avait mis des notes marginales. Nous avouons que cette explication nous semble difficile à admettre.

Azevedo nous apprend que, par les soins du P. Périssuti, bibliothécaire de Padoue, les œuvres de saint Antoine allaient être mises au jour au moment où il écrivait, et qu'elles formeraient deux magnifiques volumes in-folio. Comme nous n'avions jamais entendu parler de cette nouvelle édition et que nous ne la trouvions citée nulle part, nous soupçonnions déjà que probablement elle n'avait point paru.

Nous venons d'acquérir la certitude que nous ne nous étions pas trompé dans nos conjectures. Les Revérends Pères Franciscains de Rome, consultés par nous, ont répondu : « 1° Que la meilleure édition des œuvres de saint Antoine de Padoue est celle de Ratisbonne; 2° que néanmoins cette édition n'est que médiocrement estimée en Italie; 3° que les véritables écrits de l'Apôtre Franciscain ont été retrouvés dans le couvent de Padoue, où ils sont encore; mais qu'ils n'ont point été publiés, à l'exception des Sermons édités à Bologne, en 1757, par Azzoguidi. » Nous devons donc nous en tenir à la collection du P. de La Haye et au supplément fourni par Azzoguidi.

quam profitebatur, explanationem, tum conciones, quas haberet ad populos, cœlestium doctrinarum vi, et suavitate perfunderet, atque in salutem verteret animarum. Memorant istud, tum anonymus Legendæ, ut aiunt, satis vetustus auctor (1), tum reliqui omnes, qui Sancti vitam, ac res clare, sancteque gestas uberiori stilo scripserunt, quos inter, P. Lucas Waddingus (2), et novissime P. Angelicus de Vicentia, qui Italice scribit (3) : « Cum in cœnobio Montispessulani theologiam Antonius prælegeret, quidam aderat juvenis in Franciscanum ordinem recens adscitus, qui librum quemdam manu propria beati Antonii exaratum clam sustulit, se dein fugæ committens; qua re graviter dolens Antonius, quod liber expositionem, seu glossam in singulos psalmos Davidis contineret, eoque ad conciones sacras, rerumque theologicarum explanationem uti soleret, animum ad orationem adhibuit; factumque, ut latrunculo interfugienti ad ostium cujusdam pontis dæmon astiterit minatus necem, ni redux sublatum Antonio codicem restitueret : Quo hic codicem, ut optarat, recuperavit. »

Principio namque esse hunc inter germanos Antonii fœtus numerandum non obscure suadet illud, quod manifesto iis emicat duobus caracteribus, quos vetustissimus actorum ejus scriptor in ejusdem concionibus refulsisse testatur : mira videlicet animi constantia in principum præsertim, ac prælatorum peccatis arguendis : et uberrima quædam, ac singularis inter dicendum copia Scripturarum, qua audientium corda commoveri protinus, ac pene obrui viderentur. Et quod sane miram illam constantiam spectat, traditur in ejus Actis (4) : « Tangam succincte, quomodo cunctis æqualiter annuntiaverit veritatem. Hæc siquidem virtus in ipso claruit in oculis omnium... Tanta justitiæ libra singulis sua reddebat, quod sive magnis loquebatur, sive parvulis, æque cunctos veritatis jaculo feriebat. Nempe qui jam calicem antea passionis tam avido corde sitierat, nullius magnitudini nec metu mortis pro veritate cedebat, sed miranda strenuitate, etiam magnatorum tyrannidi resistebat. Tanta namque quasdam reprehensibiles, grandesque personas severitate corripuit, ut alii plerumque famosi prædicatores hoc audientes, ipsi ad intrepidam viri constantiam trepidarent; et quodam pusillanimitatis rubore perfusi, longe abesse potius, quam adesse volentes, confusas manu, vel veste frontes obducerent. » Quod vero alterum spectat, nescit nemo, quod in præcitatis Actis perhibetur (5). Eum nempe tantam desuper gratiam accepisse, ut memoria pro codicibus uteretur. Hinc præclarum illud Divi Bonaventuræ (6) : « Beatus Antonius habuit in se scientiam omnium antiquorum », humanas scilicet omnes, ac divinas facultates, quibus locupletissime universa ipsius scripta cumulantur. Hinc a Gregorio Papa IX singulari elogio, nullique adhuc inter Ecclesiæ magistros attributo, *Arca Testamenti* (7) conclamatus. Hinc denique laudatissimus idem Pontifex inter publica ipsius acta canonizationis spiritu exultans, veluti Doctorum albo illaturus intonuit (8) : *O Doctor optime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beate Antoni;* quo servatum est postea penes universum ordinem Franciscanum, ut Lectiones in Officio diei ipsi festæ, et in Missa Introitus, Epistola, et Evangelium Doctorum canerentur.

Jam autem in hoc, de quo agimus, Codice difficile dictu est, quæ sit sancte libera dicendi copia, Deum spirans, ac zelum in carnis et sæculi corruptelas, atqui irrumpens acrius in prælatos, quorum tanto graviores sunt noxæ, quanto alios splendore superant dignitatis. Sed est dictu difficilius, quæ sit humanarum quidem omnium litterarum, sed divinarum maxime ubertas, atque eruditio; proinde ut huc censeas confluxisse omnes, illudque ex hoc etiam in Antonio impletum agnoscas, quod celeberrimus ille Vercellensis Sancti Andreæ monasterii abbas, atque in theologica facultate insignis doctor, quocum summa illi familiaritas intercesserat, capite tertio Commentariorum in D. Dionysium de illo scriptum reliquit (9) : « Ut possim dicere de eo, quod scribitur de Joanne Baptista : *Ipse erat lucerna ardens, et lucens.* »

(1) Apud Bolland. 13 junii, tit. *Miracula S. Ant.*, c. 3, num. 21.
(2) Ad Ann. 1231, n. 14.
(3) Vita Sancti Ant., lib. I, cap. 11.
(4) Apud Bolland., in *Vita S. Ant.*, c. 2 num. 9.
(5) Ibid., c. 2, num. 7.
(6) Serm. 2 *de S. Ant.*
(7) Apud Bollan., tit. *Miracula Sancti Ant.*, c. 1. num. 1.
(8) Apud Wad., ad ann. 1232, n. 14.
(9) Apud Bolland. Vit., *Miracula S. Ant.*, c. 3, num. 19.

Erit nihilominus aliquis, qui isthæc animo perpendens, opus hoc germanum quidem Antonii fœtum concedat, autographum vero illud esse, atque ipsiusmet stilo, manuque exaratum vel intra se tacitus ambigat, vel etiam aperto fortassis ore diffiteatur. Is tamen, quicumque, poterit ei facile omnis tolli dubitatio, modo argumenta apodictica, et evidentia in id rei non exposcat, sed quod in rebus adeo obscuris magnum aliquid, multumque est, amplissimis, nitidisque conjectationibus contentus, iisdem æquo, docilique animo acquiescat. Enim vero has nostro huic Codici non deesse statim intelliget, si cunctas procul esse jusserit anticipationes; et ex multis, quæ in idem recidunt, duo saltem hæc, judicio nostro potissima animadvertat : Nempe ipsum serico villoso coccineo (1) haud ineleganter obtectum, argenteisque hinc inde fibulis obfirmatum, tanquam autrographum, ac originarium D. Antonii, inter cæteras Sanctorum reliquias religioso cultu a prioribus sæculis adhuc servatum, cum singulæ, quas vocant, Lipsanothecæ temporis injuria squallentes primævam in speciem anno 1722 revocarentur, ab eminentiss., ac reverendiss. D. Jacobo S. R. E. cardinali Boncompagnò Bononiensi archiepiscopo assertionem, probationemque, datis Litteris authenticis, meruisse. At, quod etiam magis ingenuum quemvis, et cordatum virum movebit, ineffabilis quidam odor ex ipso Codice emanat, certe naturam superans, attamen nec specie semper idem, nec vi sibi semper æqualis.

Cum foret olim, quo claudebatur, loculo eductus, nostræque fidei, ut exscriberetur, commissus, odorem forte ab illo fluentem copiose deprehendimus. Errorem, initio suspicati, integro unius anni decursu apertum, explicatumque, fenestris, ac foribus diu noctuque reclusis, intra cellam sincero aeri patere omnino permisimus, quæ nullius rei bene olentis effluvio tangeretur. Fuit autem constans usque in supremum anni diem observatio, perjucundum illinc odorem edi, licet is multo vividior qualibet sexta feria, ac in majoribus præsertim Nativitatis Domini, Paschatis, et Pentecostes, solemnitatibus appareret. Per totam imo majorem Hebdomadem, nec non Idibus juniis, quæ dies eidem Divò Antonio sacratur, mirum ita in modum suavis ille, ac plane cœlestis halitus per cubiculum fundebatur, ut intrantes præ stupore simul, et incursu fragrantiæ in ipso limine pedem figere cogeremur, donec, dato tempore, impressioni percellentis effluvii organum assuescens, eidem gratius excipiendæ idoneum redderetur. Admirationem nostram præ cæteris provocabat, quod reliquis anni tempestatibus non una, omnique vi sua, ut in aliis assolet, totus odor efflaret; imo sensim, ac per gradus saliens augeretur, quousque nares in ipsum constanter Codicem figebantur; sin autem illæ, ubi in summum creverat, abducerentur, quum mox eidem admovebantur rursus, non idem qui antea intensissimus percipiebatur, sed longe minor, ab eoque iterum initiali gradu proficiscens, quo, dum primo nares admovimus, incedebat, ea nihilominus lege ut succresceret denuo gradatim usque dum sese in pristinam acueret intensionem; haud secus ac si exsiccati flores revirescerent, et deperditam arescendo fragrantiam per gradus singulos recuperarent.

Quod sumus toties experti, quoties periculum pro libito facturi olfactum Codici adducebamus. Persimilem huic odorem nos ipsi persensimus, dum Auximi in Piceno concionatoris munere per Quadragesimam anni 1732 fungeremur, feria quarta Cinerum sacrum super altare facientes, quo beatus noster Joseph de Cupertino incruentam quotidie hostiam Deo Patri offerre solebat. Vix namque ventum erat ad Offertorium, quum odorem, qualis ab exsuccis, et aridis floribus exilire consuevit, veluti circa Aram ipsam leviter assurgentem hausimus, qui ad consecrationem usque magis semper increscens, intensissimus, et citra modum omnem suavis usque ad libatas Sacramenti species permansit; dein retrogado incessu cœpit tenuari, donec minor semper effectus, absoluto sacro, penitus evanesceret. Ejusmodi tandem est hujusce nostri Codicis odor, ut non cum rosarum, non cum liliorum, non cum ullo quovis terreno odore conferri queat, illi solum comparandus, quem ex ipsius Divi Antonii tumulo profluentem Fideles Patavium concurrentes experiuntur.

(1) Vellutium chermosinum dixissent medii ævi Scriptores.

Nos certe, qui hæc scribimus, fidenter apostolicum illud usurpamus : *Ecce coram Deo quia non mentior* (Gal., 1, 20). At si testes fidei nostræ adhuc quisquam optarit, vel testes damus omni exceptione majores, viros nimirum religiosissimos nostrum hoc S. Francisci Bononiæ cœnobium incolentes, tum probatissimos, lectissimosque aliorum ordinum professores, tum ecclesiasticos sæculares plurimos, aliosque demum insignes pietate, ac doctrina, quos inter, omni laudum genere ornatissimi Joannes Chrysostomus Trombellius canonicorum Rhenanæ congregationis SS. Salvatoris abbas, Hercules Isolanus Bononiensis patritius, Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii moderator et præsul, Paulus item Baptista Balbus philosophiæ, ac medicinæ doctor collegiatus, earumdem facultatum in Archigymnasio prælector, Anatomesque professor, atque in scientiarum instituto academicus Benedictinus.

Qua de re ut in suum sese pedem referat oratio, cum ab ecclesia nullis Sanctorum scriptis religiosus impendatur cultus, ni eadem fuerint proprio ipsorum calamo exarata, nec in eisdem scriptis Deus mirabilia operetur, ni sint autographa, aut quinimo talia isthinc esse probentur, futurum facile confidimus, ut quilibet tum genuinum Antonii opus hunc nostrum Codicem fateatur, cum simul etiam originarium agnoscere non detrectet; ut is merito ille censeri possit ac idem, quem ut e vestibulo præfati sumus, furto sublatum recuperavit Antonius, quemque fortassis postea e Galliis anno 1227 ad comitia generalia conveniens (1), ibique Longobardiæ provinciæ, tunc longe, lateque se protendentis minister renunciatus, inde Ariminum ad Albigenses profligandos, hinc in Aquileiam divertens, Goritiam, Utinum, Coneglianum, Tarvisium, ac Venetias, et anno 1228 Patavium, Ferrariam, atque Bononiam, hoc postremo loci reliquerit, ubi et per dimidium ferme ejus anni curriculum sacras conciones habuisse, et jampridem anno 1223 rem theologicam palam legisse perhibetur.

Sed ne tibi etiam eorum quidquam, amice Lector, deficere conqueratis, quæ ad ampliorem operis, Codicisve notitiam desiderentur, totus ille charta ex gossipio conflata compingitur, cujus erat familiaris usus sæculo XIII tunc cum inter vivos Antonius numerabatur, atque hinc tibi duarum subjicimus paginarum ære incisum exemplar, quo et ipsum Servi Dei characterem, et amplitudinem, si libet, foliorum, ac altitudinem contempleris.

Nec dissimulamus, eum ducentos septuaginta octo sermones, quondam continuisse juxta ordinem centum quinquaginta Psalmorum Davidis, ut abunde innuit vetustus index eadem manu, litterisque iisdem confectus, quem videre est ad calcem Codicis, quo ducenta septuaginta octo argumenta referuntur. Verum fecit hoc nobis intemperans fortasse pietas alicujus, ut unum, alterumque ex primis sermonibus, direptis tribus pagellis, doleamus amissos, quin cuinam personæ, vel tempori furtum sit imputandum, fuerit satis hactenus exploratum. Unum hoc non nescimus, quod dum primitus institueremur in ordine, quo quadragesimam secundam jam æstatem peregimus, a majoribus nostris ætate quidem grandævis reminiscimur accepisse, tres nempe priores paginas, quoad illorum memoriam esset, semper huic sacro operi defuisse.

Post hæc videtur dumtaxat reliquum, ut consilii, operæque nostræ rationem demus, quam et damus libenter. Accipe. Plura S. Antonii Patavini Opera variis temporibus, et locis fuere impressa. *Sermones Quadragesimales*, et *De Tempore* prodierunt primo Parisiis per Badium Ascensium anno 1521 testibus P. Luca Waddingo (2), P. Philippo Labbeo (3), et auctore Supplementi (4), cujus tamen editionis exemplar, licet in quamplurimis Bibliothecis diligentissime perquisitum, nusquam ullum reperimus : deinde Venetiis apud Joannen Antonium Bertanum duobus tomis in 8 anno 1574 et 1575 curante P. Raphaele Maffæo, non quidem *Minorita*, ut incaute cit. loc. scribit Waddingus, sed ordinis Servorum beatæ Mariæ Virginis theologo. Porro theologus iste nonnulla in commendationem sui ordinis iisdem sermonibus addidit, quæ S. Antonius nunquam somniasset. In Sermone etenim, qui inter quadragesimales *De*

(1) Vide P. Angelicum de Vicentia in *Vita S. Ant.*, lib. I, c. 15 et 16, et lib. II, cap. 1 et 2.
(2) In Biblioth. Ordin. Min., p. 34.
(3) Apud Bellarm., *De Scriptor. eccles.*, t. VII, edit. Ven., p. 419.
(4) Ibid., p. 420.

Transfiguratione Domini in beatissima Virgine (1) inscribitur, hæc leguntur (2) : *Admirabatur Propheta, quia nullus hunc montem ascendebat et conquerebatur dicens Psal.* 23 : *Quis ascendet in montem Domini? Sed ecce Christus ducens aliquos ad ipsum montem, dum voluit Virginem suos servos habere, ut vitæ altitudine essent in Ecclesia fratres Deiparæ Virgini servientes. Hujusce ordinis primus fuit gloriosissimus Gerardus martyr, episcopus Morisenæ. Quem æmulatus beatus Philippus Florentinus, quamplurimos duxit ad Virginem dicens juxta illud Isa.*, 2 : *Venite, ascendamus ad montem Domini, hoc est ad Religionem Virgini dicatam, ubi speciali privilegio beata Virgo adest ad protegendum, et juvandum... Gaude, cum te de numero Servorum Virginis videris effectum, et quod Christus induxerit te in montem sanctificationis suæ, montem quem acquisivit dextera ejus.* Ea sermoni S. Antonii a P. Maffæo assuta esse nemo non videt. Qui enim fieri potuit, ut sive inclyti Servorum ordinis, haud equidem a S. Gerardo martyre et episcopo Morisenæ, qui (3) ducentesimo prope anno ante Ordinis illius initium decesserat, sed a beatis septem viris anno MCCXXXIII primum mente fortasse concepti (4), anno postea MCCXXXIX habitu nigro sub regula S. Augustini per episcopum Florentinum indutis instituti (5) : sive beati Philippi Florentini, Servorum ordini (6) anno MCCLIII adscripti, et anno MCCLXXXV defuncti (7) mentionem suis in concionibus haberet Antonius, qui anno MCCXXXI in cœlum abierat? Ea itaque omnia Antoniano sermoni a P. Maffæo interpolata, in posterioribus editionibus jure, ac merito fuere omissa.

Prodiit igitur tertia editio Parisiis ex officina Caroli Rovillard in fol. anno 1641 studio P. Joannis de La Haye, qui Sermonibus Quadragesimalibus, et De Tempore adjecit *Sermones de Sanctis*, alias impressos teste Waddingo (8); *Expositionem mysticam* in omnes ferme Sacræ Scripturæ libros, quam ex Antonianis sermonibus ab aliquo Viro docto potius excerptam, quam a S. Antonio elaboratam recte arbitratur; *Concordantias* denique *Morales Sacrorum Bibliorum*, quas ex MS. antiquissimo Codice P. Lucas Waddingus Romæ anno 1624 ediderat. Parisiensem editionem geminæ aliæ sunt subsecutæ; Lugduni altera in fol. anno 1653 sumptibus Petri Rigaud; altera Pedeponti prope Ratisbonam sumptibus Joannis Gastl anno 1739. Utraque tamen ejusdem Parisiensis anni 1641 editionis Opera tantum præsefert, præterea nihil.

Sermonibus S. Antonii supplementum addere arbitratus est P. Antonius Pagi senior, nostri Ordinis doctor theologus, et ecclesiasticorum Annalium celeberrimus illustrator. Verum *Sermones* illi *de Sanctis in particulari, et Sermones de diversis;* sic enim inscribuntur, quos ex MS. Bibliothecæ Florentinæ Codice edidit Avenione apud Petrum Offray anno 1684 in 8, Antonii stylum certo certius non sapiunt, et a viris doctis (9) velut supposititii rejiciuntur.

Unum itaque desiderabatur (neque enim lucem adhuc aspexerat) egregium illud in centum quinquaginta Davidicos Psalmos a S. Antonio de Padua elaboratum, et in ejus Vitæ Actis commemoratum Opus, quod nobis divino forte consilio nunc datur e tenebris in omnium conspectum educere. Illud autem, antequam prælo committeremus, cum editis ejusdem Sancti indubiis Operibus accurate comparavimus, eamdemque indolem, eamdem methodum, ipsum denique stilum utrobique animadvertimus. Singulos deinde Scripturæ textus ad lectionem tum Vulgatæ nostræ contulimus, tum Græcæ, Syriacæ, Arabicæ, ac paraphraseos Chaldaicæ, quibuscum apparet Sancto Viro non mediocrem fuisse familiaritatem; librum, caput, atque versiculum singulorum textuum ad paginarum marginem consignantes, ibique insuper, quo modo legat Vulgata, adnotantes, si quando ipse diversis ab eadem verbis utatur.

Quas passim adhibet, haud locum memorans, Sanctorum Patrum locutiones, opera eorum omnia collustrantes, labore pene incredibili conquisivimus, easque demum fere universas obtigit invenisse. Quam in rem

(1) Pag. 117.
(2) Pag. 118 et 119.
(3) Annal. Ord. Serv. Centuria I, l. III. Annotat. 4 in cap. 15.
(4) Ibid., l. I, cap. 1.
(5) Ibid., l. I, cap. 15.
(6) Ibid., l. II, cap. 17.
(7) Ibid., l. IV, cap. 18.
(8) In Bibl., loc. cit.
(9) Apud Bellarmin., t. VI; edit. Ven., p. 420.

ubi ille sententias tantum : quippe utebatur memoria pro codicibus, non Patrum verba producit, cujus observandæ licentiæ fuit satis frequens occasio : optimum factu duximus, si integra et castigatior juxta probatissimas clarissimorum præsertim Congregationis S. Mauri Monachorum editiones auctoritas in Notis apponeretur.

Nonnulla Sancti Viri asserta, sententias, certosque dicendi modos, quibus delicatulus aliquis vel novitatem, vel levitatem facile succenseret, anterioris cujuspiam ex Sanctis Patribus testimonio honestavimus, adhibitis in id etiam sæpissime utraque Glossa, interlineari scilicet, ac ordinaria ; quo fortasse fiet, ut qui legis, non semel in Antonio admirere, quod in scriptis magni Chrysostomi Ecclesia suspexit semper, et laudat, *interpretandi* nempe *rationem* (1), *et inhærentem sententiæ sacrorum librorum*, et Patrum *explanationem*. Et profecto mirum, ut qui præpropero fato sublatus vix triginta et sex annos natus hac vita cessit, esset adeo humanarum æque, ac divinarum rerum omnium eruditione confertus, ut in eo visus sit ditiores se nullos, æque divites paucos admodum habuisse.

Cæterum, qui rati sumus, Patrum, ac interpretum auctoritatem sat esse posse cuivis, ut quæ forent cuncta a Viro Sancto inter hos sermones, vel, si mavis, in hoc promptuario sermonum prolata, eadem et honestata, et confirmata intelligerentur : veluti syrtes, et scopulos declinavimus quæcunque concrearent aliis invidiam, aut quibus ad controversiam se provocatum quispiam arbitraretur. Neque enim in hujusmodi nos laborem subeundum aut amor laudis, aut contentionis, sed amicorum vota, quos multi facimus, et studiosa potissime in beatissimum Antonium voluntas, cujus patrocinium quærimus, impulerunt.

Cum autem qui erat pridem huic sacro volumini titulus : *Expositio in Psalmos*, non is videretur, qui operi, ut par est, responderet : suffecimus aptiorem alium : *Sermones in Psalmos*. Re quippe vera sunt sermones in Psalmos, qui, præjacto versiculo, ceu argumento dicendi, reliquum ita psalmi percurrunt, ut identidem materiam sumant, quo in orationem formentur. Ipsum tamen originarium Codicem integerrime, quantum hominis est, exscripsimus; immutavimus nihil, nihil demsimus, nec apicem apici intra ipsum postremo Opus addidimus. Placuit præstare dumtaxat, quo numeris omnibus absolutum prodiret, argumentum scilicet sermonibus singulis præfigendum. Sed et indicem, quo argumenta notantur, alio triplici indiculo : accessisset quartus interpretationis vocabulorum Sacræ Scripturæ, abstinuimus tamen, quippe habes apud Divum Hieronymum, quin apud Bedam etiam uberius, cumulavimus, quorum primo Scripturæ textus ad moralem sensum perducti, altero sententiæ, ac dicta memorabilia, tertio ipsa materies operis in suos articulos resoluta, atque digesta continetur; ex quibus priores duos nobis, ultimum viro Clarissimo Ferdinando Verato sacræ theologiæ doctori collegiato, a sacris Confessionibus monialium Sanctæ Mariæ Angelorum, ejusdemque monasterii perpetuo moderatori acceptum referes, qui devoto in Sanctum Antonium animo plurimum tactus nec labori, nec solertiæ ad id perficiendum pepercit. Libuit denique Sicconis Polentoni scriptoris præstantissimi in scriniis usque adhuc latentem de Sancti vita, et miraculis Commentarium huic volumini adjicere, quem etiam notis illustrare operæ pretium duximus. Reliquum vero quodcunque sit; hujusce sacri operis editio singulari P. Herculis Isolani, quem prælaudavimus, pietati, ac studio debetur. Is enim et consilium excivit primus, et instanter promovit, et proprio demum ære perfecit ad majorem Dei gloriam, Antonii laudem, ac animarum salutem. Cura, ut valeas, lector.

SEQUUNTUR PERMISSIONES EDENDI.

Editio Azzoguidiana sic titulatur :

Sancti Antonii Ulyssiponensis *Sermones in Psalmos* ex autographo nunc primum, cum Præfatione, annotationibus et indic[e, ibus?] edit. Accedit Sicconis Polentonii de sancti Antonii Patavini Vita et miraculis commentarius, cum animadversionibus Ant. Mariæ Azzoguidii, Bononiæ, 1757 (2 vol. in-4, cum fac-simile).

(1) *Brev. Rom.* in festo S. Joan. Chrysost.

Fr. Carolus Antonius Calvi de Bon. Artium, et S. theologiæ doctor, totius Ord. Minorum sancti Francisci conventual. post Seraph. patriarcham minister generalis LXXXV.

Cum opus, cui titulus, *S. Antonii de Padua Sermones in Psalmos*, Præfatione, etc. a P. magistro Antonio Maria Azzoguidi de Bononia ex Assistenti generali Ordinis locupletati, etc., duo Ordinis nostri theologi jussu nostro recognoverint, et in lucem edi posse testati fuerint: facultatem impertimur, ut typis tradatur, si iis, ad quos attinet, videbitur. In quorum, etc.

Dat. Romæ, die 29 aprilis 1753.

Fr. Carolus Antonius Calvi minister gener. Ord.

L. S.

Fr. Joseph Antonius Martinelli secret., et Assistens Ordinis, ac provincialis Angliæ.

Vidit D. Salvator Corticellius Cler. Regul. Sancti Pauli, et in ecclesia metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro SS. Domino D. N. Benedicto XIV, archiepiscopo Bononiæ.

Die 1 augustini 1753.

Sancti Antonii Sermones in Psalmos una simul cum eorum præfatione videant pro S. Officio et referant excell. D. sac. theologiæ doctor collegiatus Ferdinandus Verati, et A. R. P. sac. theologiæ et in provincia magister Fr. Joseph Maria Elena Ordinis Prædicatorum.

Fr. Thomas Maria de Angelis S. Officii Bon. gener. inq.

Pridie nonas januarii 1754.

Pro munere mihi a reverendissimo Patre magistro Thoma Maria de Angelis S. officii Bononiæ generali inquisitore demandato nihil diligentiæ in legendo, perpendendoque libro, cui titulus *S. Antonii Ulyssiponensis de Padua nuncupati Sermones in Psalmos*, prætermisi. Opus hoc si cum aliis jam antea evulgatis ejusdem sancti quis comparaverit, nemo erit qui tanto auctori non tribuat. In eo artium pene omnium, atque disciplinarum peritia, illarumque nitor elucescit, ut fidei dogmata exarata, theologiæ difficilimas quæstiones solutas, divinarum litterarum uberrimos fontes, earumque varios sensus, præsertim morales, et mysticos quisquis legerit profecto agnoscat, et admiretur, adeoque sanctissimum, sapientissimumque Antonium juremerito a Gregorio IX Arcam Testamenti fuisse appellatum fateatur. Notæ item a Rever. admodum P. magistro Antonio Maria Azzoguidi Viro bonis artibus, atque ecclesiasticis disciplinis eruditissimo sedulo labore, et diuturno studio conscriptæ accesserunt, quibus Sermones, et Vita Sancti illustrantur. Hinc haud modicum catholicæ religioni ornamentum, ecclesiasticis studiis præclara dignitas, eruditis viris egregium præsidium, ac demum omnibus Christi fidelibus magna utilitas accedet, si approbante reverendiss. patre inquisitore liber in lucem prodierit.

Ita ego Ferdinandus Verati S. Theologiæ doctor colleg., et ven. monasterii monialium S. Mariæ Angelorum perpetuus confessarius.

Vidi jussus a Reverendiss. P. Thomas Maria de Angelis sacræ theologiæ et in provincia magistro, Bononiæ generali fidei quæsitore librum cui titulus est : S. Antonii Ulyssiponensis de Padua nuncupati Sermones in Psalmos ex autographo nunc primum in lucem editi, etc., cuique post præfationem, brevemque historiam ejusdem sancti Antonii, accedunt laboriosæ non minus, quam eruditæ notæ clarissimi editoris : et plane censeo librum, quem summa cum voluptate pervolvi, dignum esse doctrina, zelo, sanctitate ejus cui tribuitur; notas vero dignas pietate, judicio, eruditione Rever. admodum P. M. Antonii Mariæ Azzoguidi, viri nimirum elaboratissimi : quare id solum nunc merito superest; ut tam pretiosum, tamque a bonis et doctis viris exoptatum venerandæ antiquitatis monumentum communi bono e tenebris erutum, tamque accurate illustratum in publicam lucem prodeat. Atque censebat in hunc modum kalendis augusti anni 1754.

Fr. Joseph M. Elena Ord. Prædic. S. Theologiæ Mag., professor archigymnasi Bonon., et doctor colleg.

Die 30 augusti 1754.

Attentis suprapositis attestationibus.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas M. de Angelis S. Off. Bonon. gen. inquisitor.

S. ANTONII PADUANI
OPERA OMNIA

PARS PRIMA.

EXPOSITIO IN PSALMOS.

Juxta Azzoguidi edit. ann. 1757.

Primi, et alterius in priorem Psalmum sermonis, cum uterque in autographo, ut diximus, desideretur, sola supersunt argumenta, in calce ejusdem Codicis distincte, et ordinate disposita, quæ hic exhibemus.

SERMONIS I.

ARGUMENTUM.

De triplici mala sapientia, scilicet mundi, carnis, diaboli; de mala via contra Prælatos, et de malitia eorum; et de bonis Prælatis.

SERMONIS II.

ARGUMENTUM.

Ad religiosos de bono ligno, in quo notantur tria, scilicet sustentatio, constantia, et fecunditas.

SERMO III.

Ad prælatos, de constitutione boni prælati.

Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. (Psal. 2, 6.)

Quoniam versus iste cantatur de martyribus, et confessoribus, ideo in prælaturam, et in prælaturæ officium constitutionem istam intelligamus. *Ego autem constitutus sum:* Ecce constitutio. *Prædicans præceptum ejus:* Ecce officium. Per hoc autem quod ait : *Constitutus sum*, non, constitui, notantur, et reprobantur, qui seipsos constituunt, et ab aliis non constituuntur, contra illud ad Hebræos : Nemo sibi assumat honorem (1), sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Constitutus non pretio, sicut Jason ab Antiocho (2), quo vendente sacerdotium, extinctus est ignis sacrificii, qui in puteo extiterat per septuaginta duos annos (3). Non rapui, ut Coritæ, qui sacerdotium rapere voluerunt; et ideo perierunt. Non usurpavi, ut Ozias, et ideo in fronte percussus est lepra, et a regno ejectus a Deo (4). Non a sanguine, ut per Micham, de quo legitur Judicum, qui implevit manum unius filiorum suorum, et fecit eum Sacerdotem (5). Non per regiam potestatem, per quam constitutus est Alcimus, ut legitur in primo Machabæorum (7, 9), et interpretatur luctus fortis. *Constitutus sum ab eo*, scilicet forma, qua sequitur : *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Tunc enim prælatus constituitur, cum ordinatur. Tunc dies natalitia ejus est: tunc generatur. Videat ergo, ne dici possit illud Ezechielis (16, 4) : *In die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus.* Per umbilicum carnalis junctura ad parentes intelligitur, quæ debet præcidi in die

(1) *Vulg.* Nec quisquam sumit sibi honorem, Hebr. v, 4.
(2) II Machab. 4, 7, ad 14.
(3) Num. 16, 1, ad 35.
(4) II Paral. 26, 16, ad 21.
(5) Judic. 17, 12.

ortus, sicut a puero præciditur; alioquin periclitabitur. Ideo dicit : *Ego hodie genui te* : In promotione hodierna, et amodo filius meus es tu. Si igitur filius ejus, ergo Pater ipse tuus; ut dicitur Jeremiæ (3 19) : *Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis*. Si illum Patrem tuum vocas, et Pater tuus spiritualis est, oportet, quod abjicias omnes parentes carnales, ut dicas patri et matri : nescio vos. Qui enim alium confitetur patrem præter proprium, inhonorat patrem suum; ut enim dicitur Ecclesiastici (3, 13). *Gloria hominis ex honore patris sui, et dedecus filii pater sine honore*.

Constitutus sum rex. Ad regem tria pertinent, scilicet ut sit prudens contra insidias, fortis contra hostes, bonus ad subditos, sive cives. De prudentia habemus Proverbiorum (20, 8) : *Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo*. Fortis debet esse in hostes, ne exprobretur Ezechielis (13, 5) : «Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis vos murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini. » Bonus in cives, ne audiat illud, quod in eodem legitur : *Quasi vulpes in deserto; prophetæ tui, Israel, erant* (1). Vulpes indisiantur pullis gallinæ : sic mali prælati subditis, quos deberent, tanquam gallina pullos, fovere; et Ezechielis : Pro eo quod lateribus, et humeris impingebatis, scilicet impinguati, incrassati, dilatati, et cornibus vestris, quasi tauri ventilabatis omnia infirma pecora, scilicet subditos, donec dispergerentur foras.

Super Sion. Sion interpretatur speculatio, de qua Isaiæ (56, 9 et 10) : «Omnes bestiæ agri venite ad devorandum, universæ bestiæ saltus, speculatores ejus cæci omnes ». Hic invitantur dæmones ad devorandum speculatores : Imo speculatorum taciturnitas eorum invitatio est ad eos devorandum. Item in Threnis (5 18) : «Propter montem Sion, qui (2) disperiit, vulpes habitaverunt in eo.» Sicut a montibus aqua descendit, et lux ad convalles, sic a prælatis scientia, et lux spiritus ad minores. Inde est quod conqueritur in Threnis (5, 4) : *Aquam nostram pecunia bibimus, ligna nostra pretio comparavimus*. Hoc dicunt minores conquerentes de prælatis, cum aquam sapientiæ, et ligna sacræ Scripturæ, vel Sacramentorum, et Spiritus Sancti dona, quibus quotidie ignis nutritur, pecunia oportet comparari. Dicebant majores subditis suis, quod Isaac patri suo dixisse legitur : Ecce ignis, et ligna : ubi est victima holocausti? Quoniam Sacramenta, et doctrinam vobis gratis proponimus, tantum ea suscipere velitis. Hodie autem dicunt subditi : Ecce victima holocausti : O prælati, ubi est ignis, et ligna, quæ nobis infundatis?

Sequitur : *Montem sanctum ejus*. Solvas ergo calceamenta de pedibus, idest affectiones carnales de operibus : locus enim, in quo stas, terra sancta est (3), scilicet Ecclesia. *Prædicans*, contra illos, de quibus Isaias (56, 10) : « Universi canes muti non valentes latrare.» Præceptum est eis, ut non liniant parietem, sed prædicent præceptum, ne sint de illis, de quibus dicitur Ezechielis (13, 10 et 19) : «Ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis» ; Et sequitur : « Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, et fragmen panis, ut interficerent animas, quæ non moriuntur. »

SERMO IV.

Contra prælatos dilacerantes subditos; de providentia prælatorum contra vitia subditorum; de ebrietate, et malitia prælatorum.

Et nunc reges intelligite : erudimini qui judicatis terram. (Psal. 2, 10.)

Qui prælati sunt in regimine aliorum, videlicet ut eos prudenter regant, invitantur in hoc versu ut intelligant, et intellectum amabilem ad eos vel ad alios infundant, ne sint sicut lamiæ, de quibus dicitur in Threnis (4, 3) : *Lamiæ nudaverunt mammas* (4), *lactaverunt catulos suos;* per quas intelliguntur mali prælati, qui pravis exemplis suis laniant filios suos spirituales; nudantes mammas, dum peccata sua manifestant; lactantes *catulos*, dum per pravum exemplum in errorem mittunt, et confirmant. Bene autem dicitur *catulos*, non parvulos, non homines. Catuli enim sugunt ubera a posteriori parte. Lamiæ et bruta

(1) Ezech. 13, 4, Vulg. *desertis*.
(2) Vulg. *quia*.

(3) Exodi 3, 5.
(4) Vulg. *mammam*.

animalia mammas habent a posteriori parte. Homo habet ubera in pectore, ut insinuetur, quod cum lacte doctrinæ infundere debet intelligentiam naturalem, ut inde parvuli confortentur per exemplum boni operis. Sed ipsi prælati non jam a pectore, sed a posterioribus more brutali lac, idest exemplum fœditatis suæ effundunt subditis, et mittunt in errorem.

Sequitur : *Intelligite*. Sed quid debent intelligere? Hoc, scilicet : *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?* Per *gentes* vitia carnalia, per *populos* vitia spiritualia intelliguntur. Fremere autem, ferarum est ; quod pertinet ad illa vitia, quæ nulla ratione sunt palliata. Prælati autem tam ista, quam illa, quæ aliquam rationem videntur habere, licet non habeant, debent intelligere, et intelligendo fugere, et ut subditi fugiant, prædicare. Unde Job (39, 25) : « Procul odoratur bellum, exhortationem ducum, et ululatum exercitus. » Procul odorari bellum est adversantia adhuc longe cogitando prænoscere, ne forte valeant improvisa superare. Exhortari autem duces, et ululare exercitum dicit, quia, ut dicit Gregorius (1). Quædam sunt vitia, quæ sub quadam ratione menti deceptæ se mergunt, et ita dicuntur exhortari : sunt alia, quæ ad omnem insaniam pertrahunt, et bestiali clamore confundunt. De hoc in Canticis (7, 4): « Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum. » *Turris* per fortitudinem, et virtutis celsitudinem : *Libani* per odorem bonæ famæ : *Quæ respicit contra Damascum*, qui interpretatur potus sanguinis ; hoc est contra diabolum insidiantem sanguini nostro : *Nasus* autem dicit, quia ejus insidias bonus prælatus præsentire debet sicut nasus odorem præsentit.

Sequitur : *Erudimini*. Jeremiæ (6, 8) : *Erudire Jerusalem, ne forte recedat anima mea a te*. Cujusmodi sit ista eruditio, docet alia translatio (2), quæ dicit : *Per omnem dolorem, et flagellum erudieris Jerusalem*. Ad hanc eruditionem invitantur hic reges, qui se, et alios debent regere. Verumtamen ut dicit Bernardus (3), quidquid in omni genere (4) hominum deliciosum est, nobis assumimus ; a mulieribus mollitiem vestium ; a militibus phaleras ; a trapezitis pecuniam ; a regibus, et principibus potestatem, et honores. Et ideo quia cum hominibus non (5), *cum hominibus non flagellabuntur* ; quia non pœna istius (6), vel illius, sed pœna omnium punientur. Proverbiorum in fine : « Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum, quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas » (Prov., 31, 4). Talibus regibus, de quibus præmissum est, non est dandum vinum temporalis prosperitatis, unde inebrientur, sed austeritatis, unde erudiantur : Quia nullum secretum ubi regnat ebrietas ; et si nullum secretum nulla sapientia. Sequitur : « Ne forte bibant, et obliviscantur judiciorum, et mutent causam filiorum pauperis » (*Ib*., 31, 5). Quod hodie fit : Majores enim inebriati temporalibus obliviscuntur judiciorum, et subvertunt causam filiorum pauperum Christi. Unde Isaias (28, 7) : « Sacerdos, et Propheta nescierunt præ ebrietate, absopti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, » illum scilicet, qui dixit Nathanaeli : *Antequam esses sub ficu, vidi te* (7), et ipsi putant ab eo non videri. Et Jeremias (50, 11) : « Effusi estis sicut vituli super herbam. » Effunduntur vituli, idest mali prælati per pravum exemplum lascivientes ut vituli super herbam temporalium : *Et mugistis sicut tauri* ; quia subditis feroces se exhibent, et terribiles illis fiunt. Sequitur : « Confusa est mater vestra nimis, et adæquata pulveri, quæ genuit vos. » (*Ibid*., 12.) Confunditur quasi in eis mater Ecclesia, adæquatur ita ut jam non habeat lapides, qui ædificentur in Ecclesiam

(1) Moral., lib. XXXI in cap. 39 Job, num. 90. Quædam sunt vitia, etc. In edit. Maur. Paris., t. I, col. 1036, ita legitur : « Prima vitia deceptæ menti quasi sub quadam ratione se inserunt, sed innumera quæ sequuntur, dum hanc ad omnem insaniam pertrahunt, quasi bestiali clamore confundunt ».

(2) Versio Græca LXX, apud Hieron.

(3) *Declam. in illud :* Ecce nos rel. om., 10.

(4) Quidquid in omni genere, etc. Noster auctor non exhibet hic verba genuina Bernardi, sed sensum. Ceterum neque Bernardus auctor est Opusculi citati in margine, ut recte adnotavit P. Mabillonius, vol. IX Operum sancti Bernardi, edit. Paris., in Admonitione prævia, post col. 295, sed Gaufridus Bernardi discipulus, qui illud ex variis ejusdem sancti Sermonibus contexuit, uti ipse asserit initio Prologi.

(5) *Deest :* laborant. *Psal.* 72, 5.

(6) Quia non pœna istius, etc. Bernardus, Ser. 23 in Cantica habet : Qui in labore hominum non sunt, in labore dæmonum profecto erunt. Edit. Maur. Paris., vol. I, col. 1349, num. 13.

(7) *Vulg.* Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub Joann., 48.

triumphantem, sed pulverem, quem rapit ventus a facie terræ. Et in eodem : « Cerva in agro peperit, et reliquit : quia non erat herba » (Jer., 14, 5). Per cervam prælati intelliguntur, qui generant filios spirituales in agro alicujus parochiæ, et relinquunt eos, quia videtur eis, quod non habeant herbam temporalium, nisi habeant ad superfluitatem; et ideo dimittunt eos, et dimissi pereunt.

Servite Domino in timore (1), non dominantes in clero, ut dicit Petrus, *sed forma facti gregis ex animo* (2) (Job, 34, 18) : « Qui dicit regi, apostata : qui vocat duces, impios. » Superbus est prælatus, ut dicit Gregorius : Toties ad culpam apostasiæ dilabitur, quoties præesse hominibus delectatur (3); et dum dominando præit exemplo superbiæ, subditos ad impietatem pariter trahit. *Apprehendite disciplinam*, ne vobis dicatur illud Matthæi : *dicunt enim, et non faciunt. Alligant onera gravia, et importabilia in humeros hominum : Digito autem suo nolunt ea movere* (Matth., 23, 3 et 4).

SERMO V.

De salute veri Elisei, scilicet Christi; de benedictione ejusdem.

Domini est salus : et super populum tuum benedictio tua. (Psal. 3, 9.)

Est multiplex salus a Domino, quod notatur in nomine, et in factis Elisei, qui significat Dominum Jesum Christum. Eliseus enim interpretatur Dei mei salus. Et vere salus est. Ipse enim sanat aquas Jericho, ut non sit ultra in eis mors, neque sterilitas, ut habetur quarto Regum, ubi « dixerunt viri Jericho ad Eliseum : Ecce habitatio hujus civitatis optima est, sicut tu, Domine, perspicis : Sed aqua pessima, et terra sterilis. » At ille misit sal in vas novum, et ait : « Hæc dicit Dominus : Sanavi aquas has, et non erit in eis altra mors, neque sterilitas » (4). Per Jericho significatur mundus, eo quod habitatio optima est, sed aqua, idest homines sunt pessimi. Mittitur sal in vas novum, cum Divina Sapientia incarnatur. Ad hoc autem missio ista facta fuit, ut non sit ultra in hominibus mors, nec sterilitas. Usquequo igitur erit mors? Nunquid, ut dicit Jeremias (8, 22) : « Resina non est in Galaad? aut medicus non est ibi? » Ibi est resina pretiosa, et supereminens medicina, quæ fluxit de latere Christi. Ibi supernus medicus Christus. Quare ergo est mors ibi? et « quare non est obducta cicatrix filiæ populi mei. » (*Ibid.*) Missus sal in vas novum, ut non sit sterilitas in terra : quia Ephraim susceptio capitis mei (5). Ephraim interpretatur fructificatio. Susceptio enim capitis est Ephraim, quia ad hoc caput Christi spinis exornatum est, coronam spineam suscipiendo, ut fructificaret, Ecclesiam acquirendo, et salvando. Sanavit Eliseus Naaman, cui dixit, ut habetur quarto Regum, quod lavaret se septies in Jordane, cui obtemperando recepit sanitatem caro, et a lepra mundatus est. Naaman interpretatur decorus, et significat hominem, qui a prima conditione fuit decorus, sed per lepram culpæ factus est indecorus. Huic dicitur, si sanari velit a lepra, ut lavet se in Jordane, qui dicitur rivus judicii, hoc est in confessione, per quam mediante lacrymarum fluvio se judicet, et condemnet. Hoc autem non semel, sed septies faciendum est. Hoc est quod dicitur secunda ad Corinthios (7, 11) : « Ecce hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem : sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam. Ecce rivus judicii in quo debemus lavari. In contristatione videlicet secundum Deum de peccato. Septies autem secundum septem, quæ sequuntur, quæ in nobis hæc pœnitentiæ contristatio operatur : *solicitudinem* emendandi quæ deliquimus, et ne iterum peccemus : *sed defensionem*, ut nos non excusemus, sed potius accusemus; hæc est enim apud Deum bona defensio, cum pœnitentem suorum peccatorum armat accusatio : *sed indignationem* contra ea, quæ male gessimus : *sed timorem*, ne in futuro pro eis puniamur : *sed desiderium* æternorum : *sed æmulationem* bonorum virorum, ut eos in operatione bona imitemur : *sed vindictam*, ut ipsi de nobis pro commissis vindictam sumamus. Fecit etiam Eliseus salutem tribus regi-

(1) *Psal.* 2, 11.
(2) 1 Pet. 5, 3.
(3) Moral., lib. XXXIV, in c. 34 Job, num. 52.
(4) IV Reg. 2, 19 ad 21.
(5) Psal. 107, 9.

bus contra regem Moab, ut habetur quarto Regum, regi videlicet Edom, regi Juda, et regi Israel. Per tres reges quilibet homo, qui in tribus bene se regit, intelligitur. Qui enim membra sua ita regit, ut sint arma justitiæ in salutem, rex est Edom. Qui autem inferiorem partem rationis, idest sensualitatem ita regit, ut superiori consonet, rex est Juda. Qui superiorem ita regit, ut versetur circa ea, quæ sursum sunt, non quæ super terram, rex Israel est. Huic igitur, qui in his tribus se bene regit, salutem facit Eliseus verus, scilicet Christus contra regem Moab, idest diabolum, secundum id, ut legitur quod dixit Eliseus : « Facite alveum torrentis hujus fossas et fossas » (1). Alveus torrentis mens est, per quam jugis torrens lacrymarum emanat : sed quandoque deficiunt aquæ istæ. Jeremiæ (31, 9) : « In fletu venient, et in misericordia reducam eos per torrentes aquarum. » Deficientibus autem his aquis fodienda est mens fossorio confessionis, et facienda est fossa, ut iterum, et iterum confiteamur, ne quid remaneat de sordibus terrenorum.

Hoc est quod dicit Jeremias (4, 3) : *Novate vobis novale, et nolite serere super spinas*. Novate novale vobis per confessionem, sentes peccatorum amoventes. Et nolite serere bona opera super spinas vitiorum, quia non fructificarent, sed suffocarentur ab eis. Et attendendum est quod sequitur in eodem capite Regum, quod Moabitæ « primo mane surgentes orto jam sole ex adverso aquarum viderunt aquas rubeas quasi sanguinem, et dixerunt : sanguis gladii est : pugnaverunt reges contra se, et cæsi sunt mutuo : nunc perge ad prædam Moab (2). Aquæ rubeæ quasi sanguis, sunt lacrymæ, quæ sunt sanguis animæ in pœnitente, quæ orto sole gratiæ in homine apparent, et procedunt ex hoc, quod reges pugnant contra se, et mutuo se cædunt. Pugnat enim inferior pars rationis cum superiore, ut eam subjiciat. Pugnat superior cum inferiore, ut eam obedire faciat; et hujusmodi. Ex hoc procedunt lacrymæ ab anima pœnitentis, quas videntes Moabitæ, idest dæmones dicunt : *nunc perge ad prædam Moab*. Hoc est quod dicitur Job (3, 8) : « Maledicant illi, qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan. » Quanto enim aliquis ad bonum properat, tanto eum diabolus pugnare non cessat.

Sequitur : *Et super populum tuum benedictio tua*. Illa utique benedictio, de qua Deuteronomii (33, 16) : « Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Joseph, et super verticem Nazaræi. » Qui apparuit in rubo dicit, non in Angelo qui apparuit Abrahæ, et multis aliis, propter significationem. In apparitione enim ignis in rubo significatum est qualiter conservat Dominus suos in tribulatione. Ignis in rubo ardebat, sed non comburebat : erat enim non ad consumptionem, sed ad illuminationem. Sic et viris justis tribulatio valet ad illuminandum, non ad consumendum. Benedictio hæc est *super caput Joseph*, qui interpretatur accrescens : tanto enim vir justus in virtutibus, et in bonis operibus augmentatur, quanto magis tribulatur; quoniam juxta Apostolum : *Tribulatio patientiam operatur, patientia spem, spes autem non confundit* (3), imo de præmio securum facit. Augmentum istud notatur secunda Petri in principio : « Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate amorem fraternitatis, in amore fraternitatis caritatem (4). » Ecce gradus, quibus ascendit, et proficit vir justus. Sequitur : Et super verticem Nazaræi, qui interpretatur floridus. Super enim hos, qui florent virtutibus, et bonis operibus, descendit benedictio Dei, de quibus habemus Ecclesiastici (39, 18 et 19) : « Quasi Libanus odorem suavitatis habete : florete flores quasi lilium, et date odorem, et frondete in gratiam. » *Quasi Libanus odorem suavitatis habete* per orationem : *florete flores* bonorum operum, et virtutum : *quasi lilium* per castitatem : *date odorem* bonæ famæ : *et frondete in gratiam* de bonis vestris Deo grati existentes.

(1) IV Reg. 3, 17.
(2) IV Reg. 3, 22 et 23.

(3) Rom., 5, 3 ad 5.
(4) II Pet., 1, 5 ad 7.

SERMO VI.

De uno martyre, vel confessore, qui dicitur vas admirabile.

Scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum. (Psal. 4, 4.)

Psalmus iste in festivitate alicujus martyris, vel confessoris cantatur, cui competit illud quod dicitur hic : *Mirificavit Dominus Sanctum suum.* Mirificavit Dominus, idest admirandum, et mirabilem fecit : de qua mirificatione habemus Ecclesiastici (43, 2 et 3) : « Vas admirabile opus Excelsi. In meridiano exurit terram, et in conspectu ardoris ejus quis poterit sustinere? » Vas dicitur sanctus per capacitatem humilitatis. Tumor enim infusa repellit : humilitas autem quæ per concavitatem vasis significatur, receptiva est infusorum. Est igitur iste sanctus vas per capacitatem, quia est gratiæ cœlestis armarium, Spiritus Sancti sacrarium, totius Trinitatis reclinatorium. Ecclesiastici (50, 10) : « Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. » Ecce quod hic dicitur *vas* per capacitatem humilitatis; *auri* per fulgorem caritatis; *solidum* per constantiæ donum : *ornatum omni lapide pretioso*, quia circumamictum varietate virtutum. *Admirabile* est istud vas, quia artificiosum, et artificiose compositum, quia *opus Excelsi*. De hoc Isaiæ (54, 12 et 13) : « Fundabo te in sapphiris, et ponam jaspidem propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos. » Per *sapphirum*, qui est ætherei coloris significantur illi, quorum conversatio in cœlis est. Per *jaspidem*, qui est viridis, illi, quorum fides est immarcescibilis, et invincibilis. Per *portas* illi, per quos alii introducuntur ad regnum, sicut prælati, et prædicatores. Hæ autem portæ debent esse sculptæ sculptura illa, de qua tertio Regum dicitur, quod Salomon fecit « duo ostia, et sculpsit in eis picturas Cherubim, et palmarum species, et anaglypha valde prominentia (1). Duo fecit ostia propter duplicem caritatem, scilicet dilectionem Dei, et proximi, quam debent habere qui sunt ostium in Ecclesia. Utrumque autem ostium duplex est, quia dilectio Dei debet habere fidei virtutem, et operum puritatem : *Sine fide enim impossibile est placere Deo* (2). Dilectio proximi patientiam, et humilitatem : videlicet quia caritas patiens est, benigna est, etc. Et sculpsit in eis Cherubim, et palmarum species, et anaglypha. In *Cherubim*, vita angelica, et scientiæ plenitudo designatur. In *palmis*, in agone certaminis constantia triumphalis. In *anaglypha*, videlicet non picturis, sed sculpturis valde prominentibus virtutes excellentes, et certissima bonorum operum documenta, quæ nemo sinistre valeat interpretari.

Hoc est artificium admirabile in viro sancto, opus excelsi Dei : *In meridiano exuritur terra.* Quod exuritur, consumitur, et denigratur. Terra ergo exuritur, cum in viro sancto affectio terrena ita consumitur, quod consumpta, ne iterum ad eum desiderium redeat, denigratur. In meridiano notatur fervor, illuminatio orientis, et occidentis inspectio, quia sol in meridiano positus orientem partem respicit, et occidentem. De fervore habemus Ecclesiastici (38, 29) : « Vapor igneus exurit carnes eorum, et in calore ignis concertatur (3); » fervor enim caritatis consumit in eo mollitiem carnalitatis. De illuminatione dicit Gregorius (4) super illum locum Job : « Cum spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ; ubi : Cum pulchrum intuetur (5) omne quod supra se appetit, districte judicat quidquid infirmum prius in se tanquam leve toleravit. De respectu ortus, et occasus habemus Ecclesiastici (7, 40) : *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* Et Sophoniæ (1, 9) : « Visitabo super omnes, qui transiliunt limen » (6). Limen transiliunt, qui ingressum in hanc vitam, et exitum non attendunt. Sequitur in Ecclesiastico (43, 4) : *Tripliciter exurens montes*, idest terrenam altitudinem, et amorem, sicut prædictum est : *Fornacem custodiens in operibus ardoris.* Considerans enim prælatus materiam esse ferream, scilicet corda

(1) Reg., 6, 32.
(2) Hebr., 11, 6.
(3) *Vulg.* Vapor ignis uret carnes ejus, et in calore fornacis concertatur.
(4) *Moral.*, lib. V, in cap. 4 Job., n. 60.
(5) Cum pulchrum intuetur, etc. In edit. Maur. Paris., tom. I, col. 166, ita legitur : Cum pulchrum intuetur hoc quod super se appetit, districte judicat quidquid in se infirmum prius tranquille tolerabat.
(6) *Vulg.* Visitabo super omnem, qui arroganter ingreditur super limen.

subditorum dura, et quasi inflexibilia, semper debet habere succensam fornacem, ut ardentibus operibus caritatis emollire possit, et ignire corda ferrea subditorum. « Ignis in altari meo semper ardebit, dicit Dominus in Levitico (6, 12) quem nutriet sacerdos subjiciendo ligna, idest opera bona per dies singulos. » Ecclesiastici (38, 29) : « Sic faber ferrarius sedens juxta incudem, et considerans opus ferri, » supple, debet habere ardoris opera, ut possit operari commodius in materia, et de materia. Talis erat Elias, de quo Ecclesiastici (48, 2) : « Surrexit Elias quasi ignis, et verbum illius quasi facula ardebat. » In se ardebat, et nihilominus alios accendebat per prædicationem, et opera exteriora.

SERMO VII.

De multiplici Justitia.

Sacrificate sacrificium justitiæ, etc. (Psal. 4, 6.)

Quoniam multiplex est justitia, multiplex est offerendum sacrificium justitiæ. Est enim justitia appendens : justitia unicuique, quod suum est, reddens : Et est justitia retribuens. Justitia appendens est pondus in statera æquitatis, cum quis de peccatis suis, et peccatis aliorum eodem modo judicat, cum æqua libra judicii errores suos, et alienos ponderans, de qua in Deuteronomio (25, 15) : « Pondus habebis justum, et verum, et modius æqualis, et verus erit tibi. » Hanc justitiam non habebant illi, quibus dicebat Dominus in Evangelio (Matt., 23, 23 et 24) : « Væ vobis Scribæ, et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, et anetum, et cyminum, et relinquitis quæ gravia sunt legis, judicium, misericordiam, et fidem : hæc oportuit facere, et illa non omittere. Duces cæci, colantes culicem, et camelum glutientes (1). » Ecce quod non habebant pondus æquum, cum camelum, idest peccata majora glutirent, et culicem minorum peccatorum colarent. Michææ (6, 11) : « Numquid justificabo stateram impiam, et saccelli pondera dolosa? » Stateram dolosam habent qui peccata sua levigant, et aliorum peccata gravia judicant. Et paulo supra : « Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, et mensura minor iræ plena. » Quasi diceret : Quod minus pensat impius in mensura Dominus implebit, et supplebit de ira sua. Contra tales dicit Dominus in Evangelio scribens in terra : *Qui sine peccato est, primus in illam lapidem mittat* (2). In terra scribebat docens quemlibet in terra cordis sui prius inquirere ut sine peccato sit, antequam audeat de alio judicare.

Et justitia unicuique quod suum est, reddens. Unde prima ad Thessalonicenses in fine (5, 23) : « Ipse Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur? » Spiritus servatur integer, si sensualitas rationi serviat. Corpus servatur sine querela, si nihil, unde conqueri possit proximus, agat. Hæc est justitia, quæ reddit Deo tanquam Patri honorem, tanquam Domino timorem, juxta illud Malachiæ (1, 6) : « Si Pater ego sum, ubi est honor meus? Si Dominus ego sum, ubi est timor meus? » Proximo reddit amorem; unde Joannes : *In hoc cognoscimus, quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus, et mandata ejus custodiamus* (3). Peccato reddit odium : mundo contemptum. Si enim peccato non reddimus odium quod suum est, nunquam exigere a nobis tributum pravorum operum cessabit. Unde Sapientiæ (14, 31) : « Peccantium pœna perambulat semper injustorum prævaricationem. » Pœna, idest peccatum, quod est pœna peccati, perambulat circumeundo, et exigendo prævaricationem injustorum; quia peccatum, quod per pœnitentiam non diluitur, ut dicit Gregorius (4), suo pondere ad aliud trahit (5). Mundo contemptum reddamus, quem donec reddiderimus, nunquam cessabit exigere tributum sollicitudinum sæcularium. Jeremiæ (20, 15) : Maledictus vir, qui nuntiavit patri suo (6) dicens : Natus est tibi puer masculus : et quasi gaudio lætificavit eum. » Pater iste mundus est. Vir, qui natum masculum nuntiat, et patrem lætificat, diabolus est, qui enim,

(1) *Vulg.* Væ vobis, etc., et reliquistis, quæ graviora sunt legis, judicium, et misericordiam, etc. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.
(2) Joan., 8, 7.
(3) I Joan., v, 2 et 3.
(4) Moral., lib. XXV, in cap. 34 Job, n. 22.
(5) *Ad aliud trahit, etc.* In edit. Maur. Paris., tom. I, col. 799, ita legitur : Peccatum namque, quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit.
(6) *Vulg.* : qui annuntiavit patri meo.

quem suggestionibus suis decipit, factum masculum, idest viriliter agentem se circa temporalia per sollicitudinem, et innocentiæ corruptionem mundo demonstrat. Masculi enim est virginem corrumpere. Nam sicut dicit Gregorius (1) : « Cum cuilibet peccanti, ac superbienti dicitur : Fecisti sicut vir : quid aliud, quam natus masculus mundo denunciatur (2)? »

Est Justitia retribuens. Hæc est justitia vindictæ, per quam homo in se judicat, et vindicat quæ commisit. De hac Isaias (18, 17) : « Ponam in pondere judicium, et justitiam in mensura. » *In pondere* : ecce justitia appendens; de qua supra diximus. *Judicium* : Ecce justitia unicuique quod suum est reddens. *Et justitiam in mensura* : Justitia in mensura ponitur, cum pœna culpæ commensuratur; et ecce justitia retribuens, juxta illud : *Facite dignos fructus pœnitentiæ* (Lucæ, 3, 8). Non enim par debet esse pœna ejus qui multum, et ejus qui parum peccavit. Et attendendum est illud, quod dicitur in Levitico (5, 11) : « Quod si nequiverit manus ejus duos offerre turtures, offeret similam partem ephi : non mittet in eam oleum, nec thus (3). » Per duos turtures duplex continentia, scilicet mentis, et corporis designatur, quam si non poterit quis offerre in vita ista, offerat, saltem *similam*, videlicet confessionem per singula peccata comminutam ad modum farinæ. Cum manu etiam offerat, quia sine bonis operibus confessio facienda non est. Unde Augustinus (4). Est confessio (5), quam non comitatur boni operis fructus, sicut videmus multos timore mortis confiteri. Utrum quod vera, vel falsa sit eorum pœnitentia, non diffinio. Nunquid damnabuntur? Sed nec dico, liberabuntur. Non *mittet in eam oleum*. Per oleum misericordia : per thus oratio intelligitur. Non ergo confitens oleum in oblationem mittat, ut se dignum misericordia Dei esse judicet : Neque thus, ut non audacter, sed cum timore veniam postulet; ut quasi desperando speret, et sperando desperet. Ut enim ait Joel (2, 14) : *Quis scit, si convertatur, et ignoscat* Deus, *et relinquat post se benedictionem*?

SERMO VIII.

Qualiter astare debemus mane Domino; et de multiplici iniquitate.

Mane astabo tibi, et videbo : Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es (Ps. 5, 5).

Astare significat perseverantiam, operationem, et rectitudinem. Mane autem est nostræ nativitatis initium. Dicit ergo : *mane astabo tibi*, quasi dicat : Consideravi nativitatis meæ, quam ab initio contraxi, miseriam. *Astabo tibi*, idest tecum perseverabo, Domine Deus meus; non separabor a te, juxta illud : « Ego dixi, in abundantia mea non movebor in æternum (6). » Ego dixi, non movebor in abundantia, idest in ærumna, quæ bene erit abundantia, ut dicit Augustinus (7). Nil abundat (8) in homine, nisi ærumna. In ærumna igitur constitutus non movebor in æternum a te. Movit se primus parens a te in abundantia sua, idest in sufficientia sua : Ego autem non movebor in abundantia mea, sed perseverabo. Astabo enim tibi tanquam operans, quod non fecit Adam, qui cum positus esset in paradiso, ut operaretur, non est operatus, sed manducavit. In quo multos hodie habet imitatores, quos in Ecclesia Deus posuit ad operandum : Ipsi autem ventri, et gulæ, ac deliciis vacant. Astabo etiam tibi permanens rectus, sicut me fecisti. Ecclesiastes (7, 30) : « Deus fecit hominem rectum : Ipse autem se miscuit infinitis quæstionibus (9). » Rectum fecit Dominus, sed ipse immiscens se quæstionibus, se curvavit; unde potest dicere : *Miser factus sum, et curvatus usque in finem* (10). Hæc est illa mulier Evangelica, quæ incur-

(1) Moral., lib. IV, in cap. 3 Job, in calce Præfat.

(2) *Mundo denunciatur?* In edit. Maur. Paris., tom. I, col. 104 legitur : *in mundo perhibetur?*

(3) *Vulg.* Quod si non quiverit manus ejus duos offerre turtures, aut duos pullos columbarum, offeret pro peccato suo similæ partem ephi decimam : non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet.

(4) Serm. 393, de pœnitentibus.

(5) *Est confessio*, etc. In edit. Maur. Antwerp., tom. V, col. 1056, ita legitur : Agens pœnitentiam, et reconciliatus cum sanus est, et postea bene vivens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam ad ultimum et reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. Et paulo infra : Numquid dico, damnabitur? Non dico. Sed nec dico etiam, liberabitur.

(6) Psal. 29, 7.

(7) Enar. 2 in Psal. 29, n. 17.

(8) *Nil abundat, etc.* In edit. Maur. Antwerp., tom. IV, col. 106 ita legitur : Abundantia hominis quæ est? Ærumna, calamitas.

(9) *Vulg.* Inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, et ipse se infinitis miscuerit quæstionibus.

(10) Psal. 37, 7.

vata multis annis non poterat sursum aspicere.

Ut igitur astemus Domino, invitat nos *mane*, idest consideratio nativitatis nostræ. Invitat nos *mane* Dominicæ passionis, in quo Dominus interrogatus non respondit Pilato, cum festinantia currens ad mortem, ne forte ejus responsio, mortis suæ (1), imo salutis nostræ posset esse deletio, vel dilatio. Item ut astemus, invitat nos *mane* judicii, de quo Sophonias (2, 3 et 4) : « Quærite justum, quærite mansuetum : si quo modo abscondamini in die furoris Domini. Quia Gaza destructa erit, et Ascalon in desertum, Azotum in meridie ejicient, et Accaron eradicabitur. » Quærendus est justus, quærendus est mansuetus Dominus, ut possimus abscondi sub alis protectionis ejus, et in die furoris, scilicet judicii abscondamur. Quod cum difficultate fiet, quod notatur per hoc quod dicit : *Si quo modo;* quoniam *vix justus salvabitur :* quia *Gaza*, quæ interpretatur robusta Domini, vel fortitudo solaris, apparente Domino in judicio, destruetur. Per *Ascalon*, qui interpretatur ignis homicida, iniquitas avaritiæ, quæ cruenta est, designatur. Unde Habacuc (2, 6, 8) : « Væ ei, qui multiplicat non sua, usquequo aggravat contra se densum lutum ? Numquid non repente consurgent, qui mordeant te : et suscitabuntur lacerantes te, et eris in rapinam eis ? Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populis, propter sanguinem hominis, et iniquitatem terræ civitatis, et omnium habitantium in ea. » Ecce qualiter cruenta est avaritia, et congregat sibi *non sua :* sed ipsa *in desertum* ponetur, quia omnis abundantia avarorum in egestatem convertetur. *Azotus* interpretatur succendens ignis, vel incendium generationis, et significat luxuriosos. Ipsi *in meridie* ejicientur. Qui enim hic illecebris, vel latebris luxuriantur, *in meridie*, idest cum Sanctis æterna dabitur claritas, in tenebras exteriores ejicientur. *Accaron* eradicatio, vel sterilitas interpretatur, de quo Job (19, 30) : *Quasi, avulsæ* (2) *arbori abstulit spem meam.* Qui enim a spe cœlestium avellitur, et in fœce temporalium spem suam, quasi radicem fixerit, de facili spes ejus eradicabitur. Unde idem Job (18, 14) : Avellatur de tabernaculo suo fiducia ejus, et calcet super eum, quasi rex interitus. Fiducia avellitur, cum per mortem ejus, qui multa in hac vita paraverat, omnia dissipantur : et calcat super eum interitus, cum hic vitiis premitur, et in inferno morti perpetuæ subjugatur.

Sequitur : *Et videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Iniquitas communiter se habet ad ea, quæ sequuntur, et specificantur in sequentibus versibus : *Neque habitabit juxta te malignus : neque permanebit injustitia* (3) *ante oculos tuos. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem : perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Malignus est qui malum vult, et si non faciat illud. Michææ (2, 1) : « Væ qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris : in luce matutina faciunt illud ; » quasi dicat : Malum cogitatis in cordibus, et latere putatis, tamen quasi in luce matutina factum Domino innotescit, et pro ipso puniemini. Injustus est, qui non dicit proximo sicut Job : « Oculus fui cæco, et pes claudo. Pater eram pauperum : et causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam. Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam (4) ». Hoc faciebat Job contra injustos : Hoc enim facere, erat justitiæ. Justitiæ autem facere, est quod dicitur secunda ad Corinthios (8, 14) : « Vestra abundantia eorum inopiam suppleat, ut eorum abundantia, vel beneficentia vestræ inopiæ sit supplementum. » Mendaces sunt, qui mundo, vel peccato renunciantes, ad ipsum redeunt, de quibus in Psalmo (80, 16) : « Inimici Domini mentiti sunt ei : et ita erit eorum tempus, » idest migratio de pœna in pœnam in sæcula. *Virum sanguinum, et dolosum abominabitur Dominus.* Viri sanguinum sunt, ut dicit Beda, qui cum Juda Dominum vendunt (5). Non infirmitate, non ignorantia, sed judicio quærunt opportunitatem, ut amotis arbitris menda-

(1) *Mortis suæ*, etc. Glossa interlin. in illud Matth. *et non respondit ei*, etc., habet : Ne crimen diluens dimitteretur a Præside et crucis utilitas differretur.

(2) *Vulg.* evulsæ.

(3) *Vulg.* Neque permanebunt injusti.

(4) Job. XXIX, 15 ad 17.

(5) *Dominum vendunt*, etc. Testimonium Bedæ satis prolixum paucis complectitur Sanctus noster; quod in omnibus Sanctorum Patrum paulo fusioribus sententiis, ad rem suam pertinentibus, passim usurpat.

cio veritatem, crimine mutent virtutem. Et iterum : Illi Dominum vendunt, qui ejus amore neglecto, terrena pro illo, et caduca, imo criminosa diligere, et curare non metuunt. Dolosi sunt, qui, sicut Judas, mittunt manum in paropside, et Christum tradunt, utpote pravi sacerdotes. Dolosi sunt, qui panem Domini comedunt, utpote clerici prœbendati, et tamen Christum supplantare nituntur in pauperibus, de quibus ipse Dominus dicit : *Homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* (Psal. 40, 10.)

SERMO IX.

De multa misericordia Dei. De ædificio Dei, et de lapidibus hujus ædificii.

In multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam. (Psal. 5, 8.)

In dedicatione ecclesiæ potest valere istud. *Introibo in domum tuam*, sicut lapis intrat in ædificium; hoc autem fiet *in multitudine misericordiæ.* Cum enim quis intrat in cœlestis domus ædificium, multiplicis est, et multæ misericordiæ Domini beneficium. Misericordia Dei est, quod flagitiis, vel flagellis suis non consumimur; unde in Threnis (3, 22) : *Misericordia Domini est* (1), *quia non sumus consumpti;* quia sicut dicit Isaias : « Succensa est enim quasi ignis impietas, et vepres, et spinas (2) vorabit. » Si ergo impietas ignis est, et vepres sunt peccatores, cum non consumantur, misericordia Domini est, qui tenens in manu fulgura, in pluviam fecit, et per ipsam ignem extinguit iniquitatis, ut eo extincto homo sit idoneus poni in ædificio. Misericordia Domini est etiam, quod Dominus expectat. Isaiæ (46, 3 et 4) : « Audite me domus Jacob, et omne residuum domus Israel, qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva, usque ad senectam ego ipse, et usque ad canos ego portabo. Ecce quandiu portat Dominus in utero patientiæ suæ peccatorem, quandiu gestat in vulva suæ clementiæ : scilicet usque ad senectam, et canos. Et statim sequitur verbum dulce : « Ego feci, et ego feram : Ego portabo, et salvabo. »

(1) *Vulg.* Misericordiæ Domini, quia.
(2) *Vulg.* Impietas, veprem, et spinam vorabit. (Isa. IX, 18.)

Item misericordia Domini magna est, quæ trahit lapides de profundo, ut erigat in ædificium. *Convertam*, dicit Dominus, *ex Basan, convertam in profundum maris* (3), eos scilicet, qui sunt in profundo maris, idest vel a mari sæculi, vel a mari iniquitatis extrahendo, ut eos ponam in ædificium. Similiter et eos, qui sunt in *Basan*, quod interpretatur confusio, vel ignominia, quia et eos convertam, qui sunt in confusione ignominiosa, et aptabo in ædificio meo, de quibus Deuteronomii : *Catulus leonis fluit largiter de Basan* (4). Catulus leonis fletus est pœnitentis, qui quasi rugitus leonis procedit largiter de Basan, idest confusione peccati ignominiosi. Hoc est quod Job dicit (3, 24) : *Quasi inundantes, aquæ, sic rugitus meus.* Inundantes aquæ cum abundantia, et impetu magno feruntur ita quod omnem obicem interrumpunt. Sic fletus veri pœnitentis largas effundens aquas, cum rugitu, et singultibus impetuose irruens, omnem tentationis frangit obicem. Tales apti sunt poni in ædificio Beatorum. Item misericordia Domini est, quod hæc ligna præciduntur de libano, saxa vero de montibus; de libano, idest de candore sæculi : saxa de montibus superbiæ, et eminentia sæculari; unde Deuteronomii (8, 9) : « Cujus lapides ferrum sunt, et de montibus ejus æris metalla fodiuntur. » Lapis ferrum efficitur, cum mentis duritia per Spiritus Sancti gratiam emollitur, et accenditur velut ferrum : ferrum vero igne succensum totum est ignis. *De montibus* igitur humanæ, vel mundanæ superbiæ, *cujus lapides ferrum sunt*, et ipsum igne peccati totum succensum, *æris metalla*, idest corda per confessionem sonantia *fodiuntur*, et in ædificio adaptantur. Item misericordia Domini est, quod lapides isti in peccatis obdurati quadrantur, ut sint apti poni in ædificio.

Quadrantur autem per quatuor virtutes cardinales, Justitiam, Temperantiam, Fortitudinem, et Prudentiam. De Justitia habemus in Job (39, 25) : Justitia indutus sum, et vestivi me sicut vestimento, et diademate judicio meo. De Prudentia in eodem : *Procul odoratur exhortationem ducum, et ululatum exercitus* (29, 14). De Fortitu-

(3) Psal. 67, 23.
(4) Deut., 33, 22. *Vulg.* : fluet.

dine dicitur (1) : *supra dorsum meum fabricaverunt peccatores;* quasi dicat, fabricaverunt supra dorsum malleis flagellorum, et persecutionum, non tamen dorsum fregerunt, sed prolongaverunt iniquitatem suam. De Temperantia habemus Ecclesiastici (27, 30, 31) : « Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. » Hæc quadratura debet habere sex facies, sicut contingit hodie videre in qualibet quadratura. Sex facies sunt sex opera misericordiæ (2), quibus informatus lapis cum præcedenti quadratura virtutum aptus erit poni in ædificio Beatorum.

Et attendendum quod dicitur tertio Regum (6, 7) : Quod « cum domus ædificaretur, de lapidibus dolatis, atque perfectis ædificata est : et malleus, vel securis, et omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur ». Sic et in præsenti vita quod secandum est, et poliendum in lapidibus poliatur, ut sine omni strepitu in ædificio triumphantis Ecclesiæ collocetur, ne veniente perpendiculo dignus sit reprobationis judicio; de quo perpendiculo habemus Zachariæ (1, 16) : « Revertar ad Jerusalem in misericordiis, dicit Dominus : Domus mea ædificabitur in ea, ait Dominus exercituum : Perpendiculum extendetur super Jerusalem. » Et in eodem (2, 1 et 2) : « Ecce vir, et in manu ejus funiculus mensorum. Et dixi : Quo tu vadis ? et dixit ad me : Ut metiar Jerusalem, et videam quanta sit latitudo ejus, et quanta longitudo ejus. » Latitudo consideratur in extensione manuum quantum ad charitatem, ut extendas eas tam ad amicum, quam ad inimicum. Longitudo in rectitudine operis; hoc est ne curves genua ante Baal, et curvatis genibus bibas aquas fluminis cum illis, qui reversi sunt a prælio Gedeonis. Baal interpretatur devorans, vel superior. Ante Baal curvat genua qui pro gula, vel honore sæculari a bono declinat, et justitia; et curvatus bibit aquas fluminis, idest delicias hujus mundi. Talis non est aptus in ædificio.

Item notandum, quod in eodem tertio Regum legitur, lapis sic veniebat in ædificio, ut vestiretur cedro, et cedrus vestiretur auro purissimo. In lapidibus fides immutabilis : in cedris operatio virtutis : in auro supereminentia charitatis designatur. Item in lapidibus hoc notandum, quod lapis contemptus, vel honoratus non movetur ad contemptum, vel honorem. Sic et tu, si velis esse lapis in ædificio Jesu Christi. Ezechielis (3, 9) : *Ut adamantem, et ut silicem dedi faciem tuam.* Silex conculcatus non dolet, honoratus non intumescit, sic nec tu ad contumeliam doleas, nec ad honorem exhibitum te extollas. Cedrus in igne non uritur. Cedrus ergo eris, si in fornace Babylonis missus cum pueris, quantumcumque incendatur, illæsus permanseris. Habebat etiam domus illa tornaturas suas, et juncturas fabrefactas, et cælaturas eminentes (3). Tornatura fit cum celeritate, et sine errore. Sic et opus, quod tu facis, fac sine pigritia ; quia sicut dicitur Proverbiorum (18, 9) : « Qui mollis, et dissolutus est in opere suo, frater est opera sua dissipantis; » et sine errore illud facias, ut in eodem (4, 25) : Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Per cælaturas eminentes memoria passionis Jesu Christi signatur : ut recorderis, qualiter spinis, flagellis, clavis, et lancea fuit lanceatus. Auro vestiebatur cedrus. In auro, quod lucidum est, et solidum, lux bonæ opinionis, et soliditas operationis signatur. Item aurum signat sapientiam, et charitatem, quæ debent esse conjunctæ : *Scientia* enim sine charitate *inflat, charitas ædificat.* Item aurum pretiosum est, et tractabile. Sic et tu per obedientiam pretiosum, et tractabilem te præbe; ut enim dicitur in Proverbiis (21, 8) : *Vir obediens loquetur victoriam.*

SERMO X.

De triplici scuto contra insidias hostium.

Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. (Psal. 5, 13.)

Multiplex habemus scutum contra hostes nostros, videlicet scutum fidei, scutum humanitatis Christi, et scutum bonæ voluntatis ejus. De scuto fidei dicit Apostolus

(1) Psal. 128, 3.

(2) Sex opera misericordiæ, etc. In Matthæi Evangelio sex tantum commemorantur misericordiæ opera. Septimum autem sepeliendi corpora defunctorum commendatur Tobiæ cap. 12, vers. 12. Vide infra Serm. XXX, ubi auctor noster septem enumerat misericordiæ corporalis opera.

(3) II Reg., 6, 18.

ad Ephesios (6, 16) : « In omnibus scutum fidei sumentes, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. » In omnibus scilicet præliis contra hostes nostros sumentes scutum fidei, quod protegit : imo tela inimici ignea extinguit; unde sequitur : « In quo possitis tela inimici ignea extinguere. » Cum dicit *ignea tela*, duo signantur, scilicet ignis, et telorum acies. Ignis autem in scuto fidei extinguitur, quia fides in aquis baptismi nutritur, ubi diabolo, et omnibus pompis ejus abrenunciatur, et ita ignis extinguitur. Cum ergo extinctus fuerit, quare reviviscit? Item in eodem scuto acies telorum retunditur, quod patet in Moyse, ubi ad Hebræos : « Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias existimans (1) thesauro Ægyptiorum, improperium Christi : aspiciebat enim remunerationem (2). » Ecce qualiter gloria sæculi, et potentia divitiarum, et abundantia, quæ sunt diaboli tela usque ad cor hominis penetrantia, retusa fuerunt in scuto fidei Moysi.

Humanitas etiam Christi est nobis scutum; unde Isaias (4, 6) : « Erit tabernaculum in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem, et absconsionem a turbine, et a pluvia. » Hoc *tabernaculum* est humanitas Christi, in qua christiani militant contra diabolum, qui est *in umbraculum*. Contra æstum temporalis felicitatis : Hoc signatum est in puero, super cujus caput æstuavit sol, et clamavit : « Caput meum doleo, et mortuus est (3). » Eliseus autem incurvatus super eum, suscitavit eum, et sanitati restituit. Incurvatur Eliseus, quando Dei Filius a divinitate ad humanitatem se conjunxit, quod alicui consideranti, prosperitatis æstubus æstuanti, et mortuo gratiæ fit in salutem, et securitatem : quia si « Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo » (4). In absconsionem; unde protegar in velamento alarum tuarum (5). A turbine judicii, de quo Job (9, 17) : « In turbine enim conteret me, et multiplicabit vulnera mea sine causa. » A pluvia illa, de qua idem (20, 23) : « Emittat in eum iram furoris sui, et pluat super illum bellum suum, » quod erit in inferno inter damnatos, vel damnatum et damnatum, vel damnationem. De hoc scuto habemus secundo Regum (1, 21), ubi dicit David : « Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia, veniant super vos, neque sint agri primitiarum : quia ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul. » Gelboe interpretatur decursus, et significat decursum divitiarum. Saul interpretatur petitus, et significat Christum petitum desiderio sanctorum, cujus clypeus est clypeus fortium. In eo enim viri sancti fortitudinem suam constituunt, quia per ipsum sunt fortes. Clypeus autem Saul in montibus Gelboe abjicitur, quia fortitudo Dei, quæ in sanctis est, in abundantia divitiarum deperditur, et abjicitur : non enim divites pugnare volunt cum Josue contra Hai, idest confusionem. Clypeus est perforatus, et tunc in eo melius pugnatur. Servavit autem Christus in isto clypeo cicatrices ad terrorem diaboli, in quo multum retunditur ejus potentia, et malignitas dissipatur.

Est tertium scutum bonæ voluntatis, quod scutum est et corona; unde Ecclesiastici (6) : « Protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, et umbraculum meridiani, deprecatio offensionis, et adjutorium casus, exaltans animam, et illuminans oculos. » Ecce quod scutum est. Sequitur de corona : *dans sanitatem, vitam, et benedictionem.* Ad scutum pertinet quod dicitur : *Protector potentiæ;* unde Osee (13, 9) : *Perditio tua, Israel : tantummodo ex me auxilium tuum. Firmamentum virtutis;* unde Apostolus prima ad Corinthios (10, 13) : « Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. » *Tegimen ardoris* contra tentationem : *Umbraculum meridiani* contra persecutionem : *Deprecatio offensionis*, propitiatio scilicet pro peccatis nostris : *Adjutorium casus* juxta illud : *Qui exaltas me de portis mortis* (7) : *Exaltans animam* ad perfectionem virtutis : *Illuminans oculos*, præstando lumen contemplationis. Quod sequitur, pertinet ad coronam : *Dans sanitatem* incor-

(1) *Vulg.* : æstimans.
(2) Hebr., 11, 24 ad 26.
(3) IV Reg., 4, 19 ad 34.
(4) Psal. 117, 6.
(5) Psal. 60, 5.
(6) Eccli., 34, 19 et 20.
(7) Psal. 9, 15.

ruptionis, vel incorruptibilitatis, juxta illud : *Dominus illuminatio mea, et salus mea* (1). Dans *vitam; quoniam apud te est fons vitæ* (2). Dans *benedictionem*, de qua Ecclesiastici : *Benedictio illius quasi fluvius inundabit* (3).

SERMO XI.

De insania peccatoris, et furore. De vetustate peccati. De triplici hoste hominis.

Turbatus est a furore oculus meus : inveteravi inter omnes inimicos meos. (Psal. 6, 8.)

Furor est insania mentis inebriatæ a calice Babylonis, a potu scilicet terrenæ voluptatis, quæ turbat oculum rationis. De hac insania dicit Isaias (24, 6) : « Maledictio, idest iniquitas, vorabit terram, peccaverunt habitatores ejus : ideo (4) insanient cultores ejus. » Bene dicit *insanient*. Qui enim comedunt colocynthidas, insaniunt, et clamant : *Mors in olla*, ut legitur quarto Regum (4, 40). Colocynthides sunt fructus vitis agrestis, et signant peccata ex voluptate temporali procedentia, quæ si quis comedat, potest clamare : *Mors in olla*. De hac insania in Evangelio Lucæ legitur de dæmoniaco, qui non utebatur vestimento, nec manebat in domo, sed in sepulcris, et concidebat se lapidibus, et ruptis vinculis agebatur in deserta. Dæmoniacus sine vestimento signat peccatorem offendentem, et sine rubore peccantem, de quo dicitur Ezechielis (23, 18) : « Denudavit fornicationem (5) suam, et discooperuit ignominiam suam. » Nec manet in domo, sed in sepulcris, quæ loca cadaverum sunt : in quo, quod peccator nonnisi cadaver sit, ostenditur. Quotidie se lapidibus concidens, peccati obstinatione insensibilis factus; unde in Proverbiis : Verberaverunt me, et non dolui : traxerunt me, et non sensi (6). » Ruptis vinculis mandatorum, et consiliorum Dei, agitur in deserta, idest conversationem hujus mundi, ubi est scorpio, scilicet diabolus, capite blandiens, et cauda pungens, *dispas, et situla* (7), idest avaritia, et luxuria, quæ siti voluptatis interficiunt, et ubi nulla aqua est refrigerii, sed incendium voluptatis.

(1) Psal. 26, 1.
(2) Psal. 35, 10.
(3) Eccli., 39, 27; Vulg. : inundavit.
(4) Vulg. : vorabit terram, et peccabunt habitatores ejus : ideoque.
(5) Vulg. : fornicationes suas.
(6) Prov., 23, 35. Vulg. : sed.
(7) *Dipsas, et situla*, etc. In dipsade, et situla duplex aspidum genus nequaquam sanctus noster agnovit, qui Sermone LXXVII aperte ait : Dipsas interpretatur situla; et Serm. CLX : Dipsas, qui et situla dicitur a sitiendo; et rursus Serm. CCII : Dipsas, et situla idem est serpens, qui siti interficit. Itaque hic ex duplici illo vocabulo, idem omnino sonante, nam *dipsas* græce, latine *situla* dicitur, duplicem hausit moralis explanationis materiem. In Vulgata autem legitur : « In qua erat serpens flatu adurens, et scorpio, ac dipsas; » in versione vero Arabica : « In qua erant serpentes urentes, et scorpiones, et sitis. »

Item alius est furor, de quo potest illud intelligi : *Turbatus est a furore oculus meus :* Ille scilicet, de quo dicitur : « Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, et obturantis aures suas » (Psal. 57, 5). Hic est furor obstinati, qui obturat aures suas, alteram terra, idest amore terrenorum, alteram cauda, idest recordatione, et refricatione peccati, ne convertatur ad vocem prædicatoris. Potest etiam intelligi de furore judicii, de quo Jeremias (30, 23) : « Ecce turbo Domini, furor egrediens, procella ruens, in capite impiorum conquiescet. »

Inveteravi inter omnes inimicos meos. De hac vetustate habes in Threnis : « Vetustam fecit pellem meam, et carnem meam, contrivit ossa mea. » Contritis ossibus non potest homo assurgere ad superiora. Ossa enim firmamentum sunt corporis. Sic nec homo, confractis virtutibus, quæ firmamentum sunt animæ, potest assurgere ad bona opera, et ea quæ sursum sunt, quærenda. *Vetustam fecit pellem meam.* Pellis vetusta, si sæpius dissuta fuerit, et iterum consuatur, tandem per vetustatem, et frequentem suitionem, acum non poterit sustinere. Acus est pœnitentia : Pellis vetusta est anima in peccatis inveterata, quæ sæpius dissuta per vitium, et dissoluta, et per acum pœnitentiæ iterum, et iterum consuta, et resarcita, tandem propter nimiam vetustatem, et suitionem (8), pœnitentiæ nullatenus poterit sustinere; et ita vetusta remanet, et dissuta. *Vestustam* etiam *fecit carnem* nostram. Caro vetus non potest decoqui, nec ad ignem demolliri; sic et anima in peccatis inveterata non recipit coctio-

(8) Deest : acum.

nem, vel aliquam mollitiem ad ignitam prædicationem verbi Dei.

Sequitur : *Inter omnes inimicos meos ;* qui sunt tres, Caro, Mundus, et Dæmones. De primo habetur Ecclesiastici (12, 10) : « Non credas inimico tuo in æternum : sicut enim æramentum æruginat nequitia illius.» Æramentum, sive æs, quod æruginat, et rubiginem contrahit, sed non consumitur, caro est, quæ per macerationem potest rubiginem contrahere, sed non consumitur, quia caro semper est caro, et causa titillans tibi, et suggerens voluptatem; cui titillanti, et suggerenti credendum non est tamquam inimico. Unde de eodem sequitur ibidem (12, 18) : « In oculis tuis lacrymabitur (1) inimicus, et quasi adjuvans suffodiet plantas tuas. » In nostris oculis carnalis voluptas *lacrymatur*, cum caro affligitur, et maceratur : et volens sibi parci, quasi adjuvans hominem dicit : Nimis affligis te, nimis laboras; jam vis deficere. Quod si exaudiatur, supplantat hominem, ut cadat in voluptatem. De Diabolo inimico, in eodem (12, 13) : « In labiis suis indulcat inimicus, et in corde suo insidiatur, ut subvertat te in foveam. » De Mundo inimico habetur Ecclesiastici (37, 7) : « Noli consiliari cum Socero tuo (2), et a zelantibus te absconde consilium. » Socer est pater uxoris. Mundus pater est concupiscentiæ mundanæ, quæ est uxor viri injusti. Cum Socero ergo non est consiliandum, idest cum mundo, quia ejus consilium est ut uxor viri injusti, idest concupiscentia mundana in homine dominetur. Zelantes enim nos sunt dæmones, qui semper invident nobis, volentibus occupare locum, quem ipsi amiserunt.

SERMO XII.

De leone diabolo, et de proprietatibus ejus.
De persecutione inimicorum.

Libera me, ne quando rapiat ut leo animam meam, etc. (Psal. 7, 3 et 6.)

Petit vir justus liberari a leone, idest diabolo, qui leoni comparatur propter superbiam. Unde Job (41, 25) : *Ipse est rex super omnes* (3) *filios superbiæ.* Item propter atrocitatem, de qua Habacuc (1, 6) : « Ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram, et velocem, ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua. » Chaldæi interpretantur quasi ubera, vel quasi feri, vel quasi dæmones; et signant dæmones, qui quasi lactant ubere per delectabilis rei suggestionem : feri sunt, dum retinent, et vinculant peccatorum inviscatione : dæmones in pœnæ exactione : amari per pœnas illatas : veloces ad suggerendas culpas : ambulantes *super latitudinem terræ,* super eos scilicet, qui ambulant lata via, quæ ducit ad mortem : *Ut possideat tabernacula, non sua,* sed Dei : sed ipsi *sua* faciunt. Dicitur et diabolus *leo,* quia fortis. Unde Joelis (2, 5 ad 7) : « Sicut sonitus flammæ ignis devorantis stipulam, sicut populus fortis præparatus ad prælium. A facie ejus cruciabuntur populi : omnes vultus redigentur in ollam. Sicut fortes current : quasi viri bellatores ascendent murum. » *Sicut sonitus,* quantum ad stridorem suggestionis; *Flammæ,* quantum ad ardorem consensus, et perpetrationis; *Ignis devorantis,* per cruciatum æternæ damnationis. *Sicut populus fortis : quasi viri bellatores* ascendunt *murum* virtutum, et expugnant in multis. Dicitur etiam *leo,* quia rugit ad modum leonis, sitiens sanguinem ; unde in eodem Habacuc (1, 8) : *Velociores lupis vespertinis.* Circuit etiam sicut *leo,* in quo calliditas insidiarum notatur, de quibus Job inquit (25, 3) : *Nunquid est numerus militum ejus ?* Sed alia translatio (4). *Nemo putet moram esse piratis. In quem enim non venerint insidiæ ab eo ?* Dicitur etiam *leo,* quia leo æger simiam quærit : sic diabolus æger per invidiam quærit sibi simiam; de qua tertio Regum (10, 22), ubi legitur, quod Salomon mittebat *in Tharsis,* et faciebat inde adduci simias, et pavos. Pavo laudatus facit rotam, et ostendit gloriam pennarum suarum : ostendendo autem denudat posteriora sua. Per pavos autem intelliguntur qui gloriam amant sæculi hujus, qui ad favorem humanum se ostentant; et sic quod turpius, et inhonestius est in eis, aliis revelant. Simia autem gestus hu-

(1) *Vulg.* In oculis suis lacrymatur.
(2) *Vulg.* Noli consiliari cum eo, qui tibi insidiatur. Glossa tamen ordinaria cum pluribus MS. Codicibus, quam sequitur etiam Lyranus, legit : Noli consiliari cum Socero tuo.
(3) *Vulg.*: universos.
(4) Versio Græca LXX.

manos imitatur, sed ratione caret : per quam intelliguntur illi, qui imaginem sanctitatis habent, non existentiam; bonis se præferunt quantum ad exteriora, sed irrationales sunt quantum ad interiora. Tales quandoque transferri facit verus Salomon, idest Christus de Tharsis, idest de exploratione gaudii temporalis in ministerium suum. Item leo naturaliter veretur gallum, et maxime album. Sic diabolus prælatum, sive prædicatorem, et maxime continentem, de quo Proverbiorum (30, 31 et 32) : « Gallus succinctus lumbos; et aries : nec est qui resistat ei. Et qui stultus apparuerit (1), postquam elevatus est in sublime. Et Job (38, 36) : *Quis dedit gallo intelligentiam?* Gallus se alis primo excitat, et sic lucem venturam denunciat. Sic prædicator prius se feriendo vigilantiorem se reddit, sicque deinde, lucem venturam aliis denunciando, vocem prædicationis emittit. « Persequatur inimicus animam meam, et comprehendat, et conculcet in terra vitam meam, et gloriam meam in pulverem deducat. » Hoc est quod dicitur in Cantico Exodi (15, 9) : « Persequar et comprehendam, dividam spolia; » idest membra a divinis ministeriis separata, iniquitatis faciam instrumenta : Evaginabo gladium meum; idest omnem nocendi modum explicabo. Sequitur : *comprehendat;* de qua comprehensione in Threnis (1, 3) : *Omnes persecutores ejus comprehenderunt* (2) *eam inter angustias.* Tunc enim anima a persecutoribus facile comprehenditur, cum ex animo adipiscendi quod delectat, et evitandi quod cruciat, angustiatur. Sequitur : *Et conculcet.* Ecclesiastici (9, 10) : Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via ab omnibus prætereuntibus conculcabitur. Sequitur : *Et gloriam meam in pulverem deducat.* Unde primo Machabæorum (2, 62 et 63) : « Gloria peccatoris stercus, et vermis est : hodie extollitur, et cras non invenietur : quia conversus est in terram suam, et cogitatio ejus periit. »

SERMO XIII.

De iniquitate Avari.

Deus judex justus, fortis, et patiens, etc. (Psal. 7, 12 ad 16).

Deus siquidem judex, et justus est; de cujus judicii justitia dicit Job (9, 19 et 20): « Si æquitas judicii quæritur, nemo audet pro me testimonium reddere. Si justificare me voluero, os meum condemnabit me : Si innocentem me ostendero, pravum me comprobabit. » Et vere pravum : Omnes enim justitiæ meæ tanquam pannus mulieris menstruatæ (Isa. 64, 6). *Et fortis;* unde in eodem Job (9, 19) : « Si fortitudo quæritur, robustissimus est; » et iterum : Deus, cujus iræ nemo resistere potest. *Et patiens : Nunquid irascitur per singulos dies?* Quamvis sit *patiens*, numquid non *irascitur?* De patientia ejus, et ira, Isaiæ (27, 3 et 4) : *Nocte, et die servo eam:* Ecce patientia. Et indignatio non est mihi : quasi dicat, *est;* unde sequitur statim : quis dabit me spinam, et veprem? quasi dicat: Iniquitas vestra me naturaliter mitem, et misericordem, faciet durum, et crudelem (3), ut vincat naturam meam. *Gladium suum vibrabit.* In gladio figura judicii declaratur. Gladius enim pungit, scindit, et conterit. Et sic in prima porta erit punctio, in secunda scissio, et divisio. Sophoniæ (1, 10) : « Vox clamantis a prima porta (4), et ululatus a secunda, et contritio magna a collibus. » Prima porta erit in exitu de sepulcris, cum clamabitur : Surgite mortui, qui jacetis in sepulcris etc. Tunc erit punctio hujus gladii. Quod autem sequitur, declarat judicium disceptationis, dicendo malis : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare : sitivi et non dedistis mihi bibere* (5). Bonis vero e contrario : *Esurivi, et dedistis mihi manducare etc.* Et tunc fiet scissio, et divisio inter eos. Tandem inferetur *contritio magna a collibus*, cum dicetur : *Ite maledicti, in ignem æternum.*

Arcum suum tetendit, et paravit illum.

(1) *Vulg.* Nec est rex, qui resistat ei. Et, qui stultus apparuit.

(2) *Vulg.* : apprehenderunt.

(3) *Faciet durum, et crudelem.* Sic Job cap. 30, vers. 21, ait : *Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi.* Quem locum S. Gregorius lib. 20, Moral. tom. I, edit. Maur. Paris., col. 667, num. 64, ita interpretatur : Qui in teipso crudelitatis nihil habes, mihi quem respirare a percussione non sinis, crudelis videris; paucisque interjectis, addit : Ut ipsa hæc crudelitas atque immutatio, non sit in qualitate judicis, sed in mente patientis. Quod verbis quoque aliis retexit, dicens : Et in duritia manus tuæ adversaris mihi. Manus etenim Dei dura creditur, cum voluntati nostræ contraria, hoc quod ei in nobis displicet, feriendo persequitur; et flagella ingeminat, cum dolentis anima clementiam expectat.

(4) *Vulg.* Vox clamoris a porta piscium.

(5) Matth. 25, 42.

De hoc arcu, Zachariæ (3, 13 et 14) : « Extendam (1) mihi Judam quasi arcum, implevi Ephraim : et suscitabo filios tuos Sion super filios tuos Græcia : et ponam te quasi gladium fortium. Et Dominus Deus super eos videbitur ; et exibit sicut fulgur gladius, vel jaculum ejus, et Dominus in tuba canet, et vadet in turbine Austri. » Extendam *mihi Judam*, idest Christum, *quasi arcum*, cujus sagitta impletus est *Ephraim*, idest abundantes, et potentes hujus mundi. A Christo enim quasi ab arcu procedunt sagittæ humilitatis contra superbos, mansuetudinis contra iracundos, sagittæ paupertatis contra copiosos : et sic multoties suscitantur filii *Sion*, idest Dei de filiis *Græciæ*, idest sapientiæ hujus mundi. *Quasi gladius fortium* erit malis, et *super eos videbitur* in judicio, contra quos vadit *in turbine Austri*. Quia sicut turbo ex diversis partibus pulverem dispersum in unum colligit : sic in voce virtutis suæ omnes ex omnibus mundi partibus in unum congregabit. *Et exibit ut fulgur gladius ejus*, in igne et fœtore percutiendo. *Et canet in tuba*. Tuba vocat ad solemnitates, et epulas : vocat etiam ad bella. *In tuba* igitur *canet* vocando bonos ad solemnitatem, et epulas : malos vero et dæmones vocando ad bella cum bonis Angelis. Unde Apocalypsis (12, 7 et 8) : « Factum est prælium magnum in cœlo, Michael, et Angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et angeli ejus præliabantur : et non prævaluerunt (2), neque locus inventus est eorum amplius in cœlo. »

Et in eo paravit vasa mortis ; de quibus vasis habes Ezechielis. Ezechiel autem vidit sex viros, et uniuscujusque vas interitus in manu ejus ; et virum in medio eorum vestitum lineis. Et dictum est ei : Transi per mediam civitatem, et signa thau super frontes gementium, et dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus. Et illis dixit, audiente me : Transite per civitatem sequentes eum, et percutite (Ezech., 9, 2, 4 et 5). » Hoc supra expositum est. *Concepit dolorem, parturiit injustitiam, peperit iniquitatem.* Dolor iste est appetitus temporalium, quem avarus concipit. Iste dicitur tristitia. Ecclesiastici (30, 24 et 25) : « Tristitiam longe expelle (3) a te : multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in ea ; » Et iterum (38, 19) : « A tristitia festinat mors, et cooperit virtutem, et tristitia cordis flectit cervicem. » Cooperit, quasi submergendo virtutem, et *flectit* ad inferiora mentis altitudinem. *Parturiit injustitiam.* Unde qui concipit dolorem, parturit injustitiam. Qui enim libenter appetitum temporalium concipit, ab avaritia concepta ad injustitiam perpetrandam quasi parturiendo trahitur. Unde super illum locum Job (20, 16) : *Caput aspidis* (4) *suget, et occidet eum lingua viperæ*, Gregorius (5) : Aspis est parvus serpens. Vipera (6) prolixioris est corporis, et sic nascitur, ut in violentia exeat. Caput itaque aspidis sugit, et occidit eum lingua viperæ, quia initium suggestionis occultæ libenter suscipitur, violentis postmodum tentationibus devictus cedit, vel cadit. *Et peperit iniquitatem*, de qua Proverbiorum (4, 16 et 17) : « Non dormiunt, nisi male fecerint, et rapitur somnus ab eis, nisi supplantaverint, comedunt panem iniquitatis (7), et vinum impietatis (8) bibunt. Lacum aperuit, de quo lacu Habacuc (2, 5) : « Dilatavit quasi infernus animam suam, et ipse quasi mors, et non adimplebitur (9). Avarus lacum aperuit, quia adeo dilatavit cor suum ad avaritiam, quod non satiatur. Unde Ecclesiastici (14, 9) : « Insatiabilis est oculus cupidi in parte iniquitatis : non satiabitur, donec consumat arefaciens animam suam » ; quasi dicat : Non sufficit ei in parte iniquitatem facere, sed totum vult complere, unde sequitur : *donec consumat* injustitiam, arefaciens animam suam. *Et effodit eum.* Effodiens, quod solidum est, a fovea ejicit, et de pleno vacuum facit. Sic avarus per appetitum temporalium, quod solidum erat in eo, a se expellit,

(1) Vulg. Extendi.
(2) Vulg. Valuerunt.
(3) Vulg. Repelle.
(4) Vers. syr. et arab. Vulg. : aspidum.
(5) *Moral.*, lib. XV, in cap. 29 Job, n. 19.
(6) Aspis est parvus serpens. Vipera, etc. In edit. Maur. Paris., tom. I, col. 475, ita legitur ; Aspis parvus est serpens ; vipera vero prolixioris est corporis... Vipera itaque sic nascitur, ut violenter exeat... Caput itaque aspidum sugit : quia initium suggestionis occultæ parvum prius in corde nascitur, sed occidit eum lingua viperæ : quia postmodum capta mens veneno violentæ tentationis necatur.
(7) Vers. syr. Vulg. : impietatis.
(8) Vulg. : iniquitatis. Psal. 7, 16. Habac., 2, 5.
(9) Vulg. : adimpletur.

scilicet virtutes, et ipsum Deum, et eis se vacuat, ut dicitur Sapientiæ (1, 5) : « *Spiritus Sanctus corripietur a superveniente iniquitate* : non enim possunt simul esse justitia, et injustitia. *Et incidit in foveam, quam fecit* (Psal. 7, 16). Sicut enim rapitur usus bonorum aliis per injustitiam, sic rapitur in eis usus gratuitorum per avaritiam. Unde Ecclesiastici (14, 3) : « Viro cupido, et tenaci sine ratione est substantia. » Et iterum (14, 4): Qui acervat ex animo suo injuste, aliis congregat, et in bonis illius alius luxuriabitur. Ex animo suo congregat, qui dum pecuniam foris inutiliter multiplicat, quasi aranea telam faciendo seipsum eviscerat. Item in eodem (14, 6) : « Qui sibi invidet, nihil est eo nequius; et hæc est redditio malitiæ illius. De hoc Ecclesiastes (2, 26) : « Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, et scientiam, et intelligentiam (1) : Peccatori autem dedit afflictionem, et curam superfluam, ut addat, et congreget, et tradat ei, qui placuit Deo. » Et iterum : « Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole : divitiæ servatæ (2) in malum domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima; Et ita : Quid ergo prodest ei, quod laborat in vanum cunctis diebus vitæ suæ, comedit in tenebris, et curis multis, in ærumna (3), atque tristitia (Eccl., 5, 12, 13, 15, 16).

SERMO XIV.

De admirabili Nomine Dei, et de triplici terra, quam visitavit.

Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra (Psal. 8, 2).

Nomen Domini est Emmanuel, quod interpretatur, *nobiscum Deus*. Hoc autem nomen *admirabile est in universa terra*, quæ est triplex, scilicet : Uterus beatæ Virginis, Terra Ecclesiæ milantis, et Ecclesiæ triumphantis. In qualibet ista *est admirabile nomen* istud *Emmanuel* propter multiplex beneficium sibi collatum, juxta quod dicitur in alio Psalmo (64, 10): *Visitasti terram, inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam*. Visitasti siquidem Emmanuel primam *terram*, scilicet Virginem gloriosam angelica scilicet salutatione. In adventu Verbi lætificavit. Inebriavit Sancti Spiritus obumbratione, ut fomitem peccati extingueret. Multiplicavit *locupletare eam* sui Incarnatione, in qua ita multipliciter exuberavit ejus beneficium, ut dicatur illud Canticorum (4, 13) : *Emissiones tuæ paradisus*; quasi dicat : Partus tuus paradisus est. Et iterum : *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano*. Libanus interpretatur candor, vel thus. Beata igitur Virgo *fons* est, de cujus abundantia horti universalis Ecclesiæ irrigantur : *puteus* est *aquarum viventium* in vitam æternam salientium, *quæ fluunt* in *impetu de Libano*, idest de ipsa per caritatem, vel castitatem candida, et odore virtutum famosa.

Item in secunda *terra*, idest Ecclesia militante *admirabile est nomen* Domini, quia eam visitavit, quando *missus est* Joseph *de valle Hebron in Sichem*, deinde *in Dothain* (4) Hebron interpretatur visio : Sichem humerus, vel labor : Dothain defectus. Verus igitur Joseph Christus visitavit Ecclesiam quando de æterna visione, ubi erat, et videbatur ab Angelis cum Patre, missus est in uterum Virginis gloriosæ, in quo labores nostros suscepit, et deinde venit in defectum mortis. Et nota, quod æterna visio *vallis* dicitur propter profunditatem, et occultationem, quæ nobis in præsenti absconditur. In hac *terra* visitavit nos, ut dicitur in sequenti Psalmo : quoniam convertit *inimicum retrorsum*; et iterum : *quoniam fecisti judicium, et causam meam* (5). Habebat homo *judicium* cum diabolo, quoniam ipse diabolus firmaverat chaos peccati inter exilium, et patriam, ruperat fædus inter creaturam, et Creatorem, posuit inimicitias inter Deum, et hominem. De quo Isaias (33, 8) : « Dissipatæ sunt viæ, cessavit transiens per semitam, irritum factum est pactum, projecit civitates, non reputavit homines. » Assignantur tria præmissa his tribus. Dissiparæ sunt viæ, cessavit transiens per semitam : Ecce chaos firmatum inter exilium, et patriam. Irritum factum est pac-

(1) Vulg. Lætitiam.
(2) Vulg. Conservatæ.
(3) Vulg. Quid ergo prodest ei quod laboravit in ventum? Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, et in curis multis, et in ærumna, atque tristitia.
(4) Gen., 37, 14 et 17.
(5) Psal. 9, 4 et 5.

tum, projecit civitates : Ecce fœdus ruptum inter Creatorem, et creaturam. Et non reputavit homines : Ecce inimicitiæ inter Deum, et hominem. Sic fecerat diabolus : unde homo judicium, et causam cum eo habebat. Dominus autem fecit judicium, et causam ejus, scilicet hominis, *solvens inimicitias in carne sua*, ut dicitur ad Ephesios (2, 14). Et effundens sanguinem suum, delevit chirographum decreti, quod erat contra eum. Hanc terram inebriavit liquoribus de carne sua profluentibus, videlicet aqua et sanguine in passione, sudore et lacrymis in oratione. In aqua, mundatio : in sanguine, purpuratio designatur. Non solum enim mundos nos esse voluit, sed ut cum eo veste regia induamur. In oratione sudor fuit cum lacrymis : *Et factus est*, inquit, *sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram* (1) ; unde et meruit exaudiri *pro sua reverentia :* ut et nos in oratione nostra simul interius, et exterius. in carne videlicet, et anima resolvamur. Liqueflat caro in sudorem : anima in sanguinem resolvatur per lacrymas, quæ sunt sanguis animæ ; et sic merebimur exaudiri. Multiplicavit, locupletare terram istam, sicut dicitur Ecclesiastici (24, 26) : *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplemini* (2). Non tantum dicit, implemini, sed, *adimplemini*. Ecce multiplex locupletatio.

Item in tertia terra est nomen Domini *admirabile*, scilicet Ecclesia triumphante, quia eam visitavit, cum reædicavit muros Jerusalem, quando solvens inimicitias reconciliavit quæ in cœlis, et in terra sunt, faciens utraque unum. Inebriavit in amaritudine, de qua Isaias (63, 1) : *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Multiplicavit locupletare eam, quando gaudio, quod erat de contemplatione divinitatis. adjunxit gaudium de visione glorificatæ humanitatis.

(1) Lucæ, 22, 44.
(2) Vers. Græca LXX. Vulg. implemini.
(3) Vulg. Gladius exacutus est, et limatus. Ut cædat victimas, exacutus est : ut splendeat, limatus est.

SERMO XV.

De insidiis diaboli, et de deceptione peccati. De multiplici fine, et quod cor peccatoris dicitur civitas.

Inimici defecerunt frameæ in finem et civitates eorum destruxisti. (Ps. 9, 7.)

Framea diaboli est delectatio sæcularis, et tentatio, sive prosperitas. De framea prosperitatis dicitur Ezechielis (21, 9 et 10). « Gladius exacutus est, et limatus (3), ut cædat victimas. Exacutus est, ut scindat : limatus est ut splendeat. » Decipitur autem stultus, qui splendorem considerat, et aciem non attendit; de qua Ecclesiastici (21, 2, ad 4) : « Quasi a facie colubri fuge peccata : et si accesseris ad illa, suscipient te. Dentes leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum. Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas. » In hac auctoritate tria notantur. Comparatur enim peccatum colubro, leoni, et romphææ : quia decipit, ut coluber ; fortiter tenet, ut leo ; et ut romphæa, occidit non solum in corpore, sed in anima. De romphæa tentationum in eodem Ezechiele (21, 15). « In omnibus portis eorum dedi conturbationem gladii acuti, et limati (3) ; limati ad fulgendum, acuti ad occidendum. » In omnibus enim *portis* sensuum ponit diabolus gladium tentationum, limatum ut splendeat, acutum ut occidat. Fulget enim quod delectat, operitur quod cruciat. Unde in eodem (Ibid., 16) sequitur : « Exacuere, vade ad dexteram, sive ad sinistram, quocumque faciei tuæ est appetitus ; ad dexteram scilicet versus *Jerusalem*, idest viros ecclesiasticos, vel sinistram versus *Rabbath*, quod interpretatur grande peccatum, idest homines sæculares. » Et cecidit sors super Jerusalem et *interrogavit idola, et consuluit exta.* Idola sunt figmenta mala in mente cogitata, quæ non possunt perfici, vel ad effectum duci : *Exta* sunt amor carnalium ; quibus interrogatis, et consultis armatur diabolus contra Jerusalem.

Frameæ istæ deficiunt *in finem*, idest ex consideratione finis multiplicis. Attendendus est enim finis novissimorum, de quibus

(4) Vulg. gladii acuti, et limati ad fulgendum amicti ad cædem.

Ecclesiastici (7, 40) : *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* Finis vitæ, de quo ibidem (7, 18 et 19) : « Memento iræ, quoniam non tardabit. Humilia valde spiritum tuum : quoniam vindicta carnis impii, ignis, et vermis. » Finis delectationum ; unde Apocalypsis (18, 7). « Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, et luctum », Finis prosperitatis ; unde Isaiæ (32, 11, ad 13) : « Accingite (1) super regione desiderabili, super vinea fertili. Super humum populi mei spinæ et vepres ascenderunt (2) ; quanto magis super omnes domos gaudii civitatis exultantis? Finis mortis ; unde Isaias (66, 15) : « Ecce Deus (3) in igne veniet, et quasi turbo quadrigæ ejus : reddere in indignatione sua furorem, et increpationem (4) in flamma ignis. »

Civitates eorum destruxisti. Civitas est cor peccatorum fundata super nihil, quia super ventum, super inane; et ideo non est mirum, si corruat. Job (30, 22) : « Elevasti me, et quasi super ventum ponens elisisti me valde » (5). Murus hujus civitatis est iniquitas ; unde Job (41, 6, ad 8) : « Corpus ejus quasi scuta fusilia (6), et compactum squamis sese prementibus. » Una uni conjungitur, et nec spiraculum quidem incedit per eas. Una adhæret alteri, et tenentes sese nunquam separabuntur. Fossata sunt profundum desperationis, vel contemptus ; unde in Threnis (3, 53) : « Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me. » Portæ sunt timor mundi, et amor mundi, de quibus : *Attollite portas, Principes, vestras, et elevamini portæ æternales* (7). Turris est fluxa peccandi libertas. Hæc est turris Babel, quæ ædificata est in campo Sennaar, idest fœtoris. Et vere turris Babel, idest confusionis ; ubi enim quis effluit ad peccandum, tot habet voluntates, tot desideria, quod confusum est labium ita derisorum, vel desideriorum.

SERMO XVI.

De affectu, quem habet Deus circa nos. De patientia, et exemplo patientiæ nostræ.

Quoniam non in finem oblivio erit pauperis : patientia pauperum non peribit in finem. (Psal. 9, 19.)

Vere non erit oblivio pauperis, quia justorum animæ in manu Dei ; et sic sunt coram oculis ejus, ne possit eorum oblivisci. Isaiæ (49, 15) : « Numquid potest oblivisci mulier infantem suum, ut non misereatur filio ventris (8) sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen nunquam (9) obliviscar tui. » Hic ostendit Dominus affectum suum circa suos per affectum mulieris circa filium ventris sui, quæ non meminit pressuræ propter gaudium in Ecclesia, quod habet, quando nascitur rationalis homo. Et in eodem Isaia (49, 16) : « Ecce in manibus meis descripsi te : muri tui coram oculis meis semper ». Nihil habet melius aliquis, quam id, quod habet in manu. Habet nos Deus in manibus suis, quia in eis descripsit nos, cum pro nobis eas clavis affixit ; et sic voluit semper habere præ oculis, ne possit oblivisci, nostri misertus. Unde Osee (11, 3): « Ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis : et nescierunt, quod curarem eos ». In brachiis portamur, non humeris, ut significet diligentiam ; quod enim in brachiis est, coram oculis est. Sic et nos debemus eum habere, ut dicit Bernardus : « Habete eum, non retro in humeris, sed ante præ oculis, ne portantes, et non odorantes, et onus premat, et odor non erigat » (10). Et nescierunt, quia curavi eos livore vulnerum meorum ; ut Isaiæ (46, 3 et 4) : « Audite me, domus Jacob, et omne residuum domus Israel, qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva. Usque ad senectam ego ipse, et usque ad canos ego portabo. » Idem affectus ostenditur in Canticis (2, 10, 13 et 14) : « Surge, propera, amica mea, sponsa (11) mea, et veni : Columba mea in foraminibus petræ, in ca-

(1) Vulg. Accingite lumbos vestros. Super ubera plangite, super regione desiderabili, etc.
(2) Vulg. ascendent.
(3) Vulg. Dominus.
(4) Vulg. in indignatione furorem suum, et increpationem suam, etc.
(5) Vulg. valide.
(6) Vulg. fusilia, compactum squamis se prementibus. Una uni conjungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas. Una alteri adhærebit, et tenentes se nequaquam separabuntur.
(7) Psal. 23, 7.
(8) Vulg. uteri.
(9) Vulg. non.
(10) Serm. 43 in Cant., n. 5.
(11) Vulg. speciosa.

verna maceriæ; » cui concordat illud Jeremiæ (48, 28): « Relinquite civitates, et habitate in petra, habitatores Moab: et estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis. » Relinquite civitates, idest tumultus hujus mundi, et habitate in petra, de qua dicitur: *Petra autem erat Christus* (1). Quasi columba nidificans, non solum in foraminibus petræ, videlicet in vulneribus manuum Christi, et pedum, sed in summo ore foraminis, hoc est in profundo vulnere lateris ipsius. Talem ac tantum affectum habet circa nos Deus. Et ne obliviscatur pauperis, dicit Propheta ad eum: *Respice in testamentum tuum* (2), quod scriptum est in monte, confirmatum est autem morte testatoris; et confirmatur quotidie cicatricibus vulnerum, quibus tanquam bulla incorruptibili, vel imputribili ostensis Patri, provocatur, ne fiat in oblivionem coram oculis ejus misericordiæ.

Patientia pauperum non peribit in finem; et quia non peribit patientia, ideo ipsa remuneratio debet invitare ad patientiam passionis; unde Jacobi (5, 11): « Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis, quoniam miserator (3), et misericors Dominus »; et Apostolus ad Hebræos (12, 1 et 2): « Deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta. » Pondus vocat ipsum peccatum, quod deprimit: circumstans quantum ad circumstantias, quæ alligant et irretiunt hominem, ne possit se evellere a peccato. Item Jacobi (5, 10): Exemplum accipite, fratres, exitus mali, et longanimitatis, et laboris, et patientiæ prophetarum (4), qui locuti sunt in nomine Domini. Et iterum ad Hebræos (12, 3 et 4): « Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus (5) semetipsum contradictionem: ut non (6) fatigemini, animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis adversus (7) peccatum repugnantes. » Pro bono autem patientiæ, ut dicit Petrus (I Pet., 1, 7): *Inveniatur in laudem, gloriam et honorem.* In laudem, cum dicetur: *Esurivi, et dedistis mihi manducare, etc.* In gloriam: *Venite benedicti Patris mei, etc.* Et honorem, cum discernentur boni a malis, et dicetur: *Tollatur impius, ne videat* (8) *gloriam Dei.*

(1) I Cor., 10, 4.
(2) Psal. 73, 20.
(3) Vulg. misericors Dominus est, et miserator.
(4) Vulg. exitus mali, laboris, et patientiæ, Prophetas, qui locuti.
(5) Vulg. adversum.
(6) Vulg. ne.
(7) Vulg. adversum.
(8) Vulg. misereamur impio, et non discet justitiam: in terra Sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini. At Versio Græca LXX legit: Auferatur impius; ut non videat gloriam Domini, et Arabica: Auferetur impius, ne videat gloriam Dei. (Isa. 26, 10).

SERMO XVII.

Qualiter peccatores Dominum irritant patientem, exacerbant lenem, amaricant dulcem. Et de ira ejusdem.

Exacerbavit Dominum peccator.
(Psal. 9, 25.)

Peccatores exacerbant Dominum, irritant, amaricant: irritant patientem: exacerbant lenem: amaricant dulcem. De irritatione patientis habetur Jeremiæ (44, 22): « Non poterat Deus ultra portare vos propter malitiam studiorum vestrorum, et propter abominationes, quas fecistis. » Et capite (23, 33): « Vos estis onus Domini, projiciam quippe vos, dicit Dominus; » quasi dicat: Hucusque sustinui, sed adeo patientiam meam irritastis, quod ego projiciam vos, et non possum de cetero sustinere. De exacerbatione lenis habetur Isaiæ (28, 21): « Sicut in valle, quæ est in Gabaon, irascetur: ut faciat opus suum, alienum est (9) opus ejus: ut operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo ». Quasi (10): Sicut pugnante Josue *in valle Gabaon* Dominus iram suam misit destruendo Amorrhæos, sic faciet contra impios exacerbantes eum. Dominus *opus suum*, scilicet ut eos destruat, quod tamen *alienum est* ab eo, quia ut ibi dicit Glossa: « Opus Domini proprium est misereri, parcere, condonare. Non suum, sed alienum, irasci, vel punire. » Item Osee (11, 8): « Quomodo dabo te Ephraim, protegam te Israel? quomodo dabo te sicut Sodomam (11), et ponam te ut Seboim? Quasi dicat: Ita exa-

(9) Vulg. alienum opus.
(10) Deest *dicat*.
(11) Vulg. Adama, ponam.

cerbastis me, quod ponam vos sicut Sodomam, et Seboim : sed lenitas mea istud me facere non permittit; unde statim subdit : « Conversum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea. » De amaricatione dulcis habemus Psalmo quinto (v. 11), *Expelle eos, quoniam amaricaverunt* (1) *te, Domine*, idest peccando, ut dicitur in glossa : Te cibum veritatis suavem (2) sibi amarum fecerunt. Item Sapientiæ (2, 15) : « Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita ipsius, et in veritate (3) sunt viæ ejus. » Sed filii Israel fastidientes quod dulce est; elegerunt sibi amarum; abjicientes enim manna, porros et cæpas optaverunt, quæ sine lacrymis non manducaverunt. Et tamen cum lacrymis amantur.

Secundum multitudinem iræ suæ non quæret. Hæc ira magna Dei, qua non requirit Dominus peccatorem castigando, flagellando, convertendo. Unde Ezechielis (16, 42) : « Requiescet indignatio mea in te : et auferetur zelus meus a te, et quiescam, nec irascar amplius. » Glossa ibi : Magna ira Dei, non irasci, cum semel contempserit fornicantem. Et Jeremias (12, 1 et 2) quærit sic : Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus, qui prævaricantur, et inique agunt? Plantasti eos, et radicem miserunt : proficiunt, et faciunt fructum. Et ipse sibi respondet (v. 3) : Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis; quasi dicat : Ad hoc facis, ut eos destruas; et sanctificas, idest firmiter proponis, ut eos pœnis æternis interficias. Et alibi (6, 29 et 30) : « Frustra conflavit conflator : malitiæ enim eorum non sunt consumptæ. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos. » Idem alio in loco (51, 39 et 40) : « In calore eorum ponam potus eorum, et inebriabo eos, ut sopiantur, et dormiant somnum sempiternum, et non consurgant, dicit Dominus »; et statim sequitur conclusio : « Et deducam eos quasi agnos ad victimam. » Ideo e contra dicebat Job (6, 8, ad 10) : « Quis det ut veniat petitio mea : et quod expecto, tribuat mihi Deus? » Et quid sit illud, supponit : « Qui cœpit, ipse me conterat : solvat manum suam, et succidat me? et (4) affligens me dolore, non parcat. » Solvat manum, idest exerceat affectum; dum enim inflans longa prosperitate (5) amorem suum per flagella non exercet, quasi manum ad ferienda vitia ligatam tenet. *Et hæc sit consolatio mea, ut affligens me dolore, non parcat*. Timent enim sancti hic sibi parci, ne dum vindicta in præsenti suspenditur, gravior in futuro servetur.

SERMO XVIII.

Contra avaros impios, qui per avaritiam Deum irritant. De ebrietate, et delectatione.

Propter quid irritavit impius Deum? Dixit enim in corde suo : Non requiret. (Psal. 9, 34.)

Impius iste avarus est, qui irritat Dominum, congregando quæ non sua sunt, sed pauperum. Unde Ambrosius (6) : Nemo dicat proprium (7), quod commune omnibus, sumptum violenter, obtentum est. Quis tam injustus, tam avarus, quam qui multorum alimenta, non suum usum, sed abundantiam facit, et delicias? Nec enim minoris criminis est habenti tollere, quam cum possis, et habeas, indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines : Indumentum nudorum, quod tu recludis : Miserorum redemptio pecunia est, quam in terra defodis. Tantorum igitur bona te scias invadere, quantis potes præstare. Propter quod dicit Psalmista : *Propter quid irritavit Deum impius?* quasi dicat : Quem finem habebit ex congregatis injuste, nisi ruborem? Vel *propter quid?* scilicet propter quantum? Nihilum. Quam nihilum, et quam inane ostendit Jeremias (4, 23) : *Aspexi terram, et ecce vacua erat, et nihil* (8). Ex eo quod vacuum est, nihil potest impleri.

(1) Vulg. irritaverunt.
(2) Glossa interlinearis habet : vel amaricaverunt. Aug. : Panis de cœlo qui dulcis, ægris per peccata ita amarus est, ut sustinere non possint. Sumpta est sententia ex S. Augustino *Enar.* in Psal. 5, *qui legit :* Quoniam inamaricaverunt te Domine.
(3) Vulg. Et immutatæ.
(4) Vulg. Et hæc mihi si consolatio, ut.
(5) Ex S. Greg., Moral., lib. VII, in cap. 6 Job, num. 21.
(6) Lib. II de Fide Resurrect.
(7) Nemo dicat proprium, etc. In edit. Maur. ven., tom. IV, col. 212, num. 46, ita legitur : Non solvendus ordo naturæ ; quod enim commune est omnibus, exceptum in singulis esse non potest.
(8) Versio Græca et Arabica. Vulg. nihili.

Terra igitur *vacua*, et *nihil* est quia temporalis abundantia non implet nec satiat, et ideo *nihil* est. Unde Sapientiæ (5, 8) divites mali dicunt : *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia?* Non dicunt : Divitiæ quin profuerunt; sed divitiarum jactantia : Non enim sunt vere divitiæ, sed divitiarum jactantia, quæ nihil est. Sequitur (5, 9 et 10) : « Transierunt quasi (1) umbra, et tanquam nuncius percurrens, et tanquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cujus, cum præterierit, non est invenire vestigium. » Temporalis prosperitas umbræ comparatur, quia sicut umbra non habe soliditatem, sed frigiditatem, et obscuritatem; sic nec divitiæ temporales veritatem habent, nec soliditatem, quia *nihil invenerunt viri divitiarum in manibus suis* (2). Hoc dicitur; quia cum putant aliquid tenere, nihil tenent. Unde Ecclesiastici (34, 2) : « Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum ; sic et qui attendit ad visa mendacia », quæ vanitatem frigiditatis et obscuritatis habent. Charitatem enim refrigerant in homine, et obumbrant oculum rationis. Job (38, 30) : *In similitudinem lapidis aquæ durantur, et superficies abyssi constringitur.* Item nuncio præcurrenti comparatur, qui nunciat quod futurum est : sic lætitia, et prosperitas temporalis inopiam, et dolorem futurum; quia *extrema gaudii luctus occupat, et risus dolore miscebitur* (3). Comparatur navi transeunti. Navis angusta est in utraque extremitate sui; in medio vero ampla, et dilatata. Sic vita humana angusta est in nativitate, et morte : in medio autem prosperitate dilatatur. Item qui regit navem, non bene regit, nisi sedeat in puppi. Sic nisi sederis per considerationem in fine vitæ tuæ, non bene reges navem vitæ tuæ. Item non bene dirigetur, nisi explicetur, et exponatur velum ad ventum, quo hausto, melius, et velocius dirigetur. Sic oportet quod et tu explices, et dilates cor tuum, ut impletum Spiritu Sancto citius dirigatur. Aquam, per quam transit navis nostra, est fluxus fragilitatis nostræ, de qua Osee (10, 7) : « Transire fecit Samaria regem suum, quasi spumam super faciem aquæ. » Cujus, cum transierit, non est invenire vestigium : *Periit enim memoria eorum cum sonitu* (4), idest ita transitorie, sicut sonitus dum auditur, et statim esse desinit; vel cum sonitu, idest cum planctu, et gemitu, qui fit in morte ipsius. Cessante enim gemitu, cessat memoria ipsius mortui.

Præmissa stultitia hominis avari, et injusti, qui Deum per avaritiam suam irritat, subdit Propheta de alia ejus stultitia, qui credit quod peccatum ejus Dominus non sciat, neque requirat. De hoc Job (22, 13 et 14) : « Quid enim novit Deus? et quid (5) per caliginem judicat? nubes latibulum ejus, nec nostra considerat. » Idem dicunt stulti; sed non est verum : Imo sicut dicit Sapiens in Proverbiis (15, 11) : « Infernus, et perditio coram Domino : quanto magis corda filiorum hominum? »

SERMO XIX.

Quod tres sunt status in Ecclesia Dei, qui significant, quod non est utile quibusdam a contemplatione ad prælationem, vel ad prædicationem transferri; Et quid per passerem significatur; Et de nido passionis; Et qualiter per mortem Christi peccator quilibet vivificatur, quod significatum est per duos passeres in Levitico.

Quomodo dicitis animæ meæ : transmigra in montem sicut passer? (Psal. 10, 2.)

Tria loca tribus avibus deputantur in Psalmo (6), desertum pellicano; domicilium, sive parietina (7), quæ sunt domus ruinosæ, nycticoraci; et tectum passeri. Per desertum signantur, qui fidem non receperunt : per domicilium, vel parietina illi, qui eam receperunt, sed ab ea corruerunt : per tectum illi, qui in ædificio fidei, et charitatis persistunt. Est igitur aliquis, qui utilis est, et deputatus deserto, sicut pellicanus, ut eos, qui nondum fidem acceperunt, Domino acquirat. Est alius, qui est nycticorax utilis

(1) Vulg. tanquam.
(2) Psal. 75, 6.
(3) Prov., 14, 13.
(4) Psal. 9, 8.
(5) Vulg. quasi.
(6) Psal. 101, 7, et 8).
(7) *Sive parietina, etc.* Textus Psalmi 101, vers. 7, et 8, est, qui sequitur : « Similis factus sum pellicano solitudinis : factus sum sicut nycticorax in domicilio : factus sum sicut passer solitarius in tecto. » Ubi Glossa ord. ex S. Augustino *Enarrat.* in eumdem Psalmum, serm. 1, hæc habet : Domicilio, vel parietinis, quæ vulgo dicuntur ruinæ, ubi parietes stant sine tecto : ubi habitat nycticorax avis, quæ noctem amat.

parietinis, ut eos, qui per hæresim ceciderunt ad fidem erigat. Est alius, qui nec sicut pellicanus in deserto, nec sicut nycticorax in domicilio esse potest, sed sicut passer habitans in tecto, utilis est, ut eos ad perseverandum invitet, qui in ædificio fidei, et religione sunt fundati. Si igitur qui passer est, vocetur, et invitetur ad desertum, vel domicilium, ut sit pellicanus, vel nycticorax, aliquibus ei dicentibus : *Transmigra in montem sicut passer*, in altiorem, et eminentiorem fructum, prædicando, et regendo eos, qui sunt in solitudine, vel domicilio, debet respondere : *Quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem sicut passer?* Non sufficio, nec idoneus sum ad acquirendum non habita, nec ad recuperandum perdita, sed ad ea, quæ perstiterunt, consummanda. Hujusmodi persuasionem, et responsionem habemus Isaiæ (3, 6): « Vestimentum tibi est, esto Princeps noster, ruina autem hæc sub manu tua » ; quasi dicat : Si transieris in regimen hujus ecclesiæ, ruinam ejus restaurare poteris. Et (3, 7) « respondebit in illa die dicens, ut passer : non sum medicus, et in domo mea non est panis, neque vestimentum : nolite me constituere principem populi. » Concorditer habemus primo Regum (1), ubi legitur, quod David insecutus est Amalecitas, qui prædam duxerant de terra sua, usque ad torrentem Besor; et ibi remanentibus quibusdam de suis, qui non valebant transire Besor, transivit ipse cum aliis. Amalecitis devictis, prædam reduxit ; aliis, qui remanserant, æquam partem de præda divisit, ipsi enim sarcinas custodierant. Amalec interpretatur lingens sanguinem, et significat dæmones, qui sæpe ducunt prædam de terra David, idest Ecclesia. David autem, idest Christus cum quibusdam de suis insequitur eos usque ad torrentem Besor, qui interpretatur tribulatio ; et ibi quibusdam remanentibus, nec valentibus tribulationis impetum transmeare, sarcinas Ecclesiæ custodiunt. Fortioribus autem, et perfectioribus transeuntibus, et prædam reducentibus, æquam partem de præda, qui remanserant, et sarcinas custodierant, cum redeuntibus recipiunt. Qui enim ad ardua non sufficiunt, si faciunt quod possunt, mercedem non amittunt. « Saturabuntur ligna campi, et cedri Libani, quas plantavit (2). » Ligna campi sunt minores et fide steriles, et in latitudine vitiorum commorantes. Hi saturantur per fidem, et bona opera, aliquorum prædicatione ; et cedri Libani, idest majores, qui plantati sunt in fide, saturabuntur prædicatione aliorum : et illic, scilicet in cedris, et lignis sic saturatis passeres nidificabunt, in eis quiescentes, et ad perseverandum tantum monentes. Passer fugit a filiis, et ne capiatur a laqueis domum intrat. Sic minores prædicatores, et viri boni a sterilitate malorum fugiunt, et ne capiantur a laqueis tentationis, in domum se recludunt, de qua Psalmus (83, 4) : « Passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos, altaria tua, Domine virtutum. » Invenit sibi domum, scilicet altaria tua, Domine : altare scilicet holocausti, et altare thimiamatis. Ad altare holocausti fugit, ut offerat macerationem carnis : ad altare thimiamatis, ut offerat suavitatem orationis. *Et turtur nidum.* Eumdem vocat turturem, quem et passerem, idest virum justum. Christus in altari crucis obtulit fœnum, idest carnem non glorificatam ; et in hoc fœno facit *sibi nidum* vir justus, requiescens in eo ad præsens per memoriam, ut tandem poscit requiescere per gloriam, et *ponat* in eo *pullos* bonorum operum.

Sicut homo dicitur *passer*, sic et Christus, qui se vocat passerem solitarium in tecto. Unde in Levitico (3) præcipitur, quod leprosus mundatus « offerat duos passeres vivos, quibus vesci licitum est, et lignum cedrinum, vermiculumque, et hyssopum, et unum de passeribus immolet in vase fictili, et alium cum ligno cedrino, et cocco, et hyssopo intingat in sanguine passeris immolati, et dimittat passerem vivum, ut avolet in agrum. » Duo passeres vivi sunt Christus, et peccator. Christus passer vivus, quia vita : peccator vivus, quia pœnitet ; tunc enim incipit vivere. *Quibus licitum est vesci.* Corpore enim Christi vescitur et peccator, dum pœnitet. *Unus passerum*, scilicet Christus immolatus est *in vase fictili*, quia passus in carne fragili: alter autem, peccator videlicet, tingendus est per recordationem, et passionis imita-

(1) I Reg., 30, 9, ad 24.
(2) Psal. 103, 16 et 17.

(3) Levit., 14, 4, ad 7.

tionem cum hyssopo fidei, et vermiculo caritatis, et cedro spei; et sic dimittitur, *ut avolet in agrum* bonæ operationis. Et nota, quod dum unus passer occiditur, alter vivus dimittitur. Sic occiso agno paschali, luna pleno lumine illuminatur, quia occiso Christo, luna, idest Ecclesia gratiæ plenitudine irradiatur. Leprosus mundatus recipitur intra castra, sed non statim intra tabernaculum suum; quia peccator, quamcito pœnitet, intra societatem sanctorum recipitur, sed nondum habet conscientiæ serenitatem: imo multo tempore turbatur, et concupiscentias, et phantasias criminum patitur, sicut legitur de Ægyptiaca, quæ usque ad decimum octavum annum non potuit oblivisci carnales delectationes, sed postea quasi lignea, et insensibilis facta est. Proverbiorum (24, 27): « Præpara foris opus tuum, et diligenter exerce agrum tuum, ut postea ædifices domum tuam; » quasi dicat: Cum manum tuam a malis operibus traxeris, et agrum, multas spinas vitiorum radicitus evellendo, per diuturnam bonam conversationem exercueris, tunc domum ædificabis, idest quietem in mente habere poteris.

SERMO XX.

Qualiter corda nostra relinquuntur a Deo. De diminutione triplicis veritatis. De prædicatoribus.

Salvum me fac, Domine, quoniam defecit Sanctus: quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum. (Psal. 11, 2.)

Defecit Sanctus, idest Deus in hominibus, unde conqueritur Dominus in Evangelio: « Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet» (1). In vulpibus dolositas; in volucribus superbia, vel vanitas. Hæ autem habent foveas, et nidos in cordibus hominum: « Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet », qui est misericordia, justitia, et veritas. Jeremiæ (25, 38): « Reliquit quasi leo tabernaculum suum, quia facta est terra (2) in desolationem a facie iræ columbæ, et a facie iræ furoris Domini. » Domino enim deserente hominem per peccatum suum, fit terra mentis ejus in desolationem omnium virtutum. *A facie iræ columbæ*, idest Christi; sed quia dixerat *columbæ*, ne videretur ex mausuetudine graviter irasci, cum columba careat felle, addit: *a facie furoris Domini.*

Diminuta est a filiis hominum veritas triplex, scilicet veritas vitæ, justitiæ, et doctrinæ. Veritas vitæ diminuta est; unde Michææ (7, 1 et 2): « Væ mihi, quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ, non est botrus ad comedendum, præcoquas ficus desideravit anima mea. Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est: omnes in sanguine insidiantur, vir fratrem suum venatur ad mortem; et post pauca (7, 4): Qui optimus est in eis, quasi paliurus, et qui rectus, quasi spina de sepe. » Veritas justitiæ diminuta est; unde in eodem (7, 3): « Princeps postulat, et judex in reddendo est »; et Isaiæ (59, 14): « Conversum est retrorsum judicium, et justitia longe stetit: quia corruit in platea veritas, et æquitas non potuit ingredi. » Hoc est quod dixerat (1, 21): « Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii? Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ »; et iterum (1, 23): « Principes tui infideles, socii furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non judicant: et causa viduæ non ingreditur ad illos; » et Sophonias (3, 3): Principes ejus in medio ejus quasi leones rugientes: et judices ejus lupi vespere, non relinquebant in mane; » qui tantum rapiebant in vespere, quod aliis nihil rapiendum relinquebant in mane.

De veritate doctrinæ habemus hic: « Eloquia Domini, eloquia casta; quasi dicat: Eloquia prædicatorum debent esse Domini. Prædicatores enim debent sumere materiam, et corroborationem a verbis Domini. Hoc est quod alibi dicitur: De medio petrarum dabunt voces (3), et iterum: In Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel (4). Quod dixerat de medio petrarum: Hoc est enim quod dixerat Zacharias (6, 1): « Vidi, et ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium: et montes (5) ærei. Duo montes, sunt novum, et vetus Testamentum. Montes propter altitudinem, et eminentiam, ærei,

(1) Matth. 8, 20.
(2) *Vulg.* Dereliqui quasi leo umbraculum suum, qui facta est terra eorum.

(3) Psal. 103, 12.
(4) Psal. 67, 27.
(5) Vulg. : et montes, montes ærei.

propter sonoritatem, et perpetuitatem. Casta sint eloquia Domini. Non enim debet esse prædicator seminiflus : Talis enim immundus judicatur : sed tempus et locum observet. Est tempus tacendi et tempus loquendi, ut dicit Ecclesiastes (3, 7) : Item casta sint, ne sit sicut spado, delectationem, non fructum quærens, de quo Ecclesiastici (20, 2) : « Concupiscentia spadonis devirginavit (1) juvenculam. » Cavere etiam debet prædicator, ne sit sicut Her nequam in conspectu Domini, qui non quærens fructum (2), sed delectationem, abutebatur vasculo uxoris suæ; et interpretatur pollutus : nec sicut Onan, qui semen fundebat in terram; et interpretatur mœror doni, vel dolor gratiæ. Qui enim hæc facit, pollutus, et versutus est; et deplorandum est donum gratiæ, et dolendum, eo quod male utitur; et percutietur, sicut illi percussi sunt a Domino. Argentum igne examinatum, purgatum septuplum. Argentum enim divini eloquii frequenti exercitio est purgandum, alioquin per dissuetudinem nigrescit, per exercitium vero fulgescit. Purgatum (3) terræ, idest a terra; nisi enim a propinquitate terræ remotum fuerit, contrahit rubiginem. Proverbiorum (25, 4) : « Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum. »

SERMO XXI.

De multiplici cæcitate, et illuminatione.
De triplici dormitione, et morte.

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte. (Psal. 12, 5.)

Aliter illuminatus est cæcus evangelicus; aliter Tobias; aliter Paulus; aliter Angelus Laodiciæ. Cæcus evangelicus illuminatus est luto; lutum enim Dominus fecit super oculos cæci, et visum recepit. Tobias illuminatus est felle piscis. Paulus ad jussionem Ananiæ : Angelus Laodiciæ per collyrii appositionem. Cæcus luto illuminatus significat aliquem, qui vitio superbiæ est cæcatus, sed tandem consideratione propriæ infirmitatis sanatur. Inde est quod in Levitico (1, 16) præcipitur, ut vessicula gutturis, et plumæ ad orientalem plagam projiciantur in loco cinerum. In pluma levitas, in vessica tumor superbiæ, et sollicitudo avaritiæ designantur. Hæc projiciuntur ad orientem in loco cinerum, si consideremus, a quanta luce felicitatis per primos parentes cecidimus; et quod cinis, et pulvis in cinerem, et pulverem revertentur. Tobias excæcatus stercore hirundinum, felle piscis sanatur. Per hirundinem, quæ omnibus aliis avibus citius transvolat, temporalis felicitas præ omnibus transitoria notatur. Unde Sapientiæ (5, 9) : « Transierunt omnia sicut (4) umbra; et infra (5, 11) : Aut sicut (5) avis, quæ transvolat in aere (6). Nullum invenitur argumentum itineris illius. » Hæc stercora sunt abundantia in oculis hominum, et eos excæcant; sed sanantur felle piscis. Piscis vivit, ac nutritur in aqua : sic delectatio carnalis in fluxu sæculari, et abundantia. Item piscis dulces habet carnes, sed fel amarum : sic et delectatio carnalis dulcis, sed si respergatur fellis amaritudine, idest peccati, quod habet in se, considerando quæ pœna debeatur peccato, totum quod erat delectabile, fit amarum, et sic sanabitur. Job (30, 4) : « Radix juniperorum cibus eorum erat. » Radix juniperorum quasi levis, et mollis est; et tamen ex se producit spinas in junipero, quas habet pro foliis. Sic et delectatio hujus sæculi dulcis est, sed producit pœnarum spinas pungentium in hoc sæculo, vel futuro. Paulus illuminatus ad jussionem Ananiæ, qui interpretatur ovis, significat crudeles, qui per bonum simplicitatis, et obedientiæ curantur a crudelitatis excæcatione. Angelus Laodiciæ curatur per collyrium, ut legitur Apocalypsis (3, 18) : cui dicitur « Pauper, et cæcus et nudus es. Suadeo tibi emere aurum ignitum a me probatum, ut locuples fias, et vestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuæ, et collyrio unge oculos tuos, ut videas. » Pauper est virtutibus : cæcus doctrina : nudus

(1) Vulg. : devirginabit.

(2) Qui non quærens fructum, etc. Inhæret dicto Hebræorum interpretum, quod refert Lyranus in hunc locum Genesis scribens : Fuit quoque Her, etc. Quæ autem fuerit ejus nequitia, in textu non exprimitur, sed dicunt Hebræi, quod fuit similis cum nequitia fratris sui Onan.... sed hoc faciebat alio motivo. Quia iste Her libidinose afficiebatur ad suam uxorem Thamar, et ideo cavebat, ne imprægnaretur, etc.

(3) Vulg. : probatum.

(4) Vulg. : tanquam.

(5) Vulg. : tanquam.

(6) Vulg. : cujus nullum invenitur argumentum itineris.

vestimentis bonorum operum. Sume aurum sapientiæ, et ignitum, scilicet charitate, et unge oculos collyrio pœnitentiæ.

« Ne unquam obdormiam in morte. » Aliud est dormitare, aliud dormire, aliud obdormire. Qui dormitat, caput inclinat, et relevat; et significat illum, qui quandoque per peccatum inclinatur, quandoque per pœnitentiam relevatur. Dormit, qui per consuetudinem in peccato moratur. Obdormit, qui per contemptum in peccato obstinatur. Hi tres status notantur in Ecclesiastico (43, 22) : « Frigidus ventus aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aqua. » Ecce tria tanguntur hic, aqua, glacies, crystallus. Qui dormitat, est quasi aqua, quam ventus hac illac impellit : qui dormit per consuetudinem, quasi aqua indurata per glaciem : qui obdormit per obstinationem, quasi glacies indurata in crystalli rigorem.

Sequitur : *in morte*, scilicet triplici, carnalis delectationis, peccati mortalis, et desperationis. De hisce tribus habetur concordantia in Threnis (3, 53 et 54) : « Inundaverunt aquæ super caput meum » : Ecce de prima. « Lapsa est in lacum vita mea » : Ecce de secunda. « Posuerunt lapidem super me » : Ecce de tertia. In Psalmo (68, 16) : Non me demergat tempestas aquæ per delectationem : Ecce de prima. Non absorbeat me profundum per peccati actum : Ecce de secunda. Neque urgeat super me puteus os suum per desperationem. In Threnis (3, 5 et 6) : Ædificavit in gyro meo, hoc est in carne, quæ girat, et circumdat animam, in qua sunt tentationes animam obsidendo : Ecce delectatio. Circumdedit me felle, et labore : Ecce peccatum mortale. Collocavit me quasi mortuos sempiternos : Ecce desperatio. *Ne quando dicat inimicus meus : prævalui adversus eum.* Non possit mihi illudere diabolus, dicens : « Iste cœpit æditicare, et non potuit consummare » (1). De hac illusione habemus in Threnis : Plauserunt super te manibus omnes transeuntes (2) viam ; sibilaverunt, et moverunt capita sua (3). Et iterum : « Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui : sibilaverunt, et fremuerunt dentibus suis ». (Thren., 2, 15 et 16).

(1) Luc., 14, 30.
(2) Text. hebr. Vulg. : per *viam*.
(3) Paraphr. Chald. Vulg. : caput suum.
(4) Levit., 21, 17, ad 20 ; Vulg. panes.

SERMO XXII.

De macula peccati.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? (Psal., 14, 1.)

Propheta ante propitiatorium quasi sacerdos constitutus, responsum petens a Domino, quærit : *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* Et respondet Dominus : *Qui ingreditur sine macula.* Ad ministrandum enim in tabernaculum non debent ingredi, nisi qui sunt sine macula; Unde in Levitico ad Aaron : « Homo de semine tuo per familias (4), qui habuerit maculam, non offeret panem Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus ». Quam multiplex sit macula, ostenditur, cum subditur : « Si cæcus fuerit, si claudus, si parvo, vel grandi naso, et torto (5), si fracto pede vel manu, si gibbosus (6), si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel ponderosus, vel herniosus. » Cæcus est qui scientiæ lumen non habet ; unde Isaiæ (56, 9 et 10) : « Omnes bestiæ agri venite ad devorandum, universæ bestiæ saltus. Speculatores ejus, scilicet prælati, cæci omnes, nescierunt ; » et licet sint cæci ad speculationem, oculati tamen sunt ad vanitatem ; unde sequitur : « Vana videntes, dormientes, et amantes somnia. » Claudus est, qui in divinis mandatis non recta via incedit. Hic est Miphiboseth claudicans utroque pede et interpretatur os confusionis ; quod bene convenit prælato in duas partes claudicanti, Deo scilicet, et principi sæculari servire volenti, qui jurat in Deo, et Melchom, ut legitur in Sophonia (1, 5) ; unde os ejus aliquando confunditur. Parvo, vel grandi, vel torto naso est, qui modica, vel grandi et torto, idest immoderata, vel distorta discretione utitur ; propter quod dicitur in Epistola secunda ad Corinthios (10, 4 et 5) : « Consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Jesu Christi. » Item contra grandem, et tortum nasum habetur ad Ephesios (4, 31) : « Omnis amaritudo, et indignatio, et ira,

(5) Vulg. vel torto naso.
(6) Text. Hebr. et Vers. Græca et Arab. ; Vulg. gibbus.

et clamor, et blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia. » Etsi enim prælatus grandem habet nasum, idest discretionem, non debet esse contumeliosus, et indignans ad subditos, sed cum rectitudine, et mansuetudine se habere. Fracto pede, vel manu est, qui via, quam docet, omnino non incedit : qui non ut claudus, vel saltem cum infirmitate pergit, sed omnino ab ea alienum se facit, non servans opere quod docet sermone; ad quem dicit Dominus per Isaiam (35, 3) : *Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate*. Gibbosus est, quem terrenæ cupiditatis pondus, et sollicitudo deprimit, ne ad superna respiciat, sed ad ea, quæ in infimis sunt, intendat. Hic est mulier illa curva, quæ in Evangelio se erigere non poterat, sed multis annis inclinata juxta terram, curva manebat. Lippus est, cujus ingenium emicat, sed illud, vivendo carnaliter, obscurat. Lippus palpebras habet inflatas ex fluxu humorum continuo. Sic et dum temporalis abundantia effluit, discretionis palpebris per superbiam tumescentibus, lippitudo spiritualis succrescit. Albuginem habet in oculo, qui de scientia sua per arrogantiam excæcatur. Pupilla enim nigra videt, alba non videt, quia qui se stultum, et peccatorem intelligit, cognitionem internæ charitatis, vel claritatis apprehendit. Si autem candorem justitiæ, et sapientiæ suæ sibi tribuit, a luce supernæ cognitionis se excludit. Jugem scabiem habet, cui carnis petulantia incessanter dominatur. In scabie enim fervor viscerum ad cutem trahitur, per quem luxuria designatur. Dum fervor carnis intimius vivit, usque ad operationem extra derivatur. Impetiginem habet in corpore quisquis avaritia vastatur in mente. Impetigo quippe sine dolore corpus occupat, et membrorum decorem fœdat. Sic avaritia animum, quem delectat, exulcerat, et virtutum decorem deturpat. Ponderosus, sive herniosus est, qui turpitudinem non habet in opere, sed adhuc cogitatione gravatur in mente. Non enim ad opus nefarium rapitur, sed animo in luxuria delectatur. Vitium ponderis est, cum humor viscerum ad virilia labitur. Ponderosus igitur est, qui totis cogitationibus in lascivia defluens, pondus turpitudinis gestat in corde; et quamvis prava opera non exerceat, ab iis tamen non elevatur in mente. Quisquis igitur quolibet horum vitio laborat, non est dignus ingredi in tabernaculum ad ministrandum, ut offerat panes Domino Deo.

SERMO XXIII.

De clericis, et de portione hæreditatis eorum.

Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei. (Psal. 15, 5.)

Quando primam tonsuram recipimus, Dominum partem hæreditatis nostræ sortimur; unde et hunc versum tunc dicimus. Habentes igitur Dominum hæreditatem, cessare ab ambitione omnis alterius rei debemus. Hoc est, quod Dominus præcepit in Numeris (18, 20) : « In terra eorum nihil possidebitis, nec hæreditabitis (1) partem inter eos. Ego pars et hæreditas vestra (2) in medio filiorum Israel. » Stulti ergo sunt, qui hæreditatem suam in terra constituunt, et Deum promissam sibi hæreditatem relinquunt, ut dicit Hieronymus (3). Rogo, quo pudore (4) Deum mercedem obsequii, vel laboris speret in cœlo, cujus omnis sollicitudo fuerit in terra? Et postea subdit : « Mercenarius sæculi non potest accipere præmium Christi. » Dicit igitur vir justus : « Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei. Pars, idest merces : calicis, idest tribulationis, et passionis, quam pro nomine ejus sustineo, et cum delectatione, quasi calicem bibo. Unde Hieronymus : « Christiano vexilla crucis sunt deliciæ, et trophæa vitæ nostræ non pompis, sed miseriis reportantur. » Hoc est quod in Numeris (18, 19) legitur : « Pactum salis est sempiternum coram Domino, tibi, ac filiis tuis. » Quid est pactum salis, nisi pactum pœnitentiæ, et macerationis carnis? Sale enim saliuntur carnes, ne vermescant; ideo Marci (9, 48) : *Omnis enim igne salietur, et omnis victima sale salietur;* quasi dicat : Omnis enim, qui se Deo vult victimam facere, sale macera-

(1) Vulg. : habebitis.
(2) Vulg. : tua.
(3) Epist. de scientia divinæ legis.
(4) *Rogo, quo pudore*, etc. Epistolam, qua inscribitur amicus in scientia divinæ legis, incerti esse quidem auctoris, Hieronymo tamen fuisse olim adscriptam editores fatentur. In editis porro ita legitur : « Rogo, quo pudore obsequii, aut laboris sui mercedem sperabit in cœlo, cujus fuerit sollicitudo omnis in terra? »

tionis, et pœnitentiæ salietur, ne in ea oriantur vermes concupiscentiæ; et igne tribulationis consolidabitur, ne diffluat, et dissolvatur deliciis mundanæ gloriæ. Hoc est pactum salis coram Domino, quod filii debent ei servare.

Sed quoniam dicit Apostolus prima ad Timotheum (5, 17) : « Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, et maxime qui laborant in doctrina, et verbo Dei : Ideo dicit Dominus in Numeris, eodem capite (v. 12) : Omnem medullam olei, et vini, et frumenti dedi tibi, et quidquid primitiarum offerunt. » Clerici enim medullam habent; alii non nisi corticem : Unde ipsi impinguati, incrassati, et dilatati recalcitrant contra suum largitorem. Sed attendendum quod sequitur : « Qui mundus est in domo tua, vescetur eis. » Caveat igitur qui immundus fuerit, ne vescatur; alioquin multum timendum est ei. Voluit etiam Dominus dari ei a populo decimas, et primitias, unde viveret, et sustentaretur; per hoc significans, quod in exordio bonæ conversationis, et perfectione bonorum operum, quæ offeruntur a subditis, prælati eorum spiritualiter sustententur, et vivant. Boni enim prælati non arbitrantur se vivere, nisi vivant eorum subditi; unde Apostolus : *Sic vivimus si vos statis in Domino* (1). Ecce, quod non reputabat se vivere Apostolus, nisi starent in fide, et operibus bonis, quibus ipse ministrabat verbum Dei.

Sequitur in Numeris (18, 18) : « Pectusculum consecratum, et armus dexter, tua erunt. » In pectusculo, scientia cum humilitate notatur, quam debent clerici habere. Hoc enim Levitis dictum est, sicut et supra dicitur. *Consecratum* ergo dicit, non execratum, ut sacram insinuet scientiam, theologiæ scilicet, qua imbuti debent esse ministri Dei, non scientiam, quæ deorsum est, terrenam, animalem, diabolicam. In armo dextero fortis et sancta operatio designatur, quam similiter debent habere; et ideo dicit : dexter, non sinister. Unde Jeremiæ (12, 13) : « Hæreditatem acceperunt, et non eis proderit. » Hæreditatem quidem accipiunt a Domino etiam in temporalibus, sed non prodest eis; et per hoc subdit : « Confundemini a fructibus vestris, propter iram furoris Domini. » Amos (6, 1 ad 6) : « Væ vobis, qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ : Optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel. Transite in Chalane, et videte, et ite inde in Emath magnam : et descendite in Geth Palæsthinorum, et ad optima quæque regna eorum : si latior terminus eorum termino vestro est. Qui separati estis in diem malum, et appropinquatis solio iniquitatis. Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris, et (2) comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem Psalterii : sicut David putaverunt se habere vasa cantici, bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti : et nihil compatiebantur (3) super contritione Joseph. » Illud de prælatis potentibus, et opulentis, in monte sancto, idest excellentia Ecclesiæ ad custodiendum constitutis, qui tamen existentes in capite populorum ingrediuntur pompatice, non cum humilitate domum Dei, eis, inquam, dicitur : Transite in Chalane. Chalane interpretatur omnes; Emath sanguis; Geth torcular; quasi dicat : Considerate superbos divites, qui propter divitias suas non putant se esse unum quid, sed omnia. Considerate etiam potentes, et nobiles, qui in sanguine suo acquirunt sibi temporalia : et postmodum descendite ad minores, ad officiales, et ministros potentium, qui sunt torcular majorum per vexationes, et immoderatas coactiones. His consideratis, videte vos clerici, vos prælati, si latior est terminus eorum termino vestro; quasi dicat : Non est latior. Qui separati estis per dignitatem prælationis ab aliis, et appropinquatis solio iniquitatis, idest malæ prælationis, scilicet per malitiam vestram adeptæ : sed hoc servabitur in vobis in diem malum, qui dormitis in lectis vestris, qui plumei sunt. Et nihil compatiebantur super contritione Joseph, idest populi sibi subditi. De eorumdem aversione dicit Hieronymus super Matthæum (4). Qui rebus Ecclesiæ (5) abutuntur in rebus aliis, quibus

(1) I Thess., 3, 8. Vulg. : nunc.
(2) Vulg. : qui.
(3) Vulg. : patiebantur.
(4) *Comment.* in Matth., lib. IV, cap. 28.
(5) *Qui rebus Ecclesiæ*, etc. In editis legitur : « Omnes igitur, qui stipe templi, et his quæ conferuntur ad usus Ecclesiæ abutuntur in aliis rebus, quibus suam explent voluntatem, similes sunt scribarum, et sacerdotum, redimentium mendacium, et Salvatoris sanguinem. »

suam expleant voluntatem, similes sunt scribarum, et pharisæorum, redimentium mendacium, et sanguinem Salvatoris.

SERMO XXIV.

De sancto Laurentio, vel martyre. De probatione cordis. De purgatione justorum. De iniquitate divitiarum.

Probasti cor meum, et visitasti nocte: igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas. (Psal. 16, 3.)

Illud cantatur de beato Laurentio; et dicuntur tria, scilicet, quod probavit Deus cor ejus; visitavit nocte; igne examinavit, et non est inventa in eo iniquitas. Dicit ergo beatus Laurentius specialiter, vel alius martyr : *Probasti cor meum;* idest cordis integritatem, cordis constantiam, et cordis fortitudinem. Cordis integritatem : non enim habui cor separatum a te, vel divisum ad plura. Cujus enim cor divisum est ad plura, divisum est, et separatum a singulis. Sic enim divisum non erat cor Apostoli, cum dicebat ad Romanos (8, 35) : « Quis me (1) separabit a caritate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Et iterum (v. 38 et 39) : Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterunt me (2) separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu. » Ecce, quod probatum erat cor istius per integritatem, non divisum in pluralitatem, sicut et cor beati Laurentii, unde a Christo non potuit separari. Item *probasti cor meum,* idest cordis constantiam, de qua Job (39, 22 ad 25) : « Contemnit pavorem, nec cedit gladio. Super ipsum sonabit pharetra, vibrabitur (3) hasta, et clypeus. Fervens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem. Ut (4) audierit buccinam, dicit : Vah. » In pavore futura pœna : in gladio vero pœna præsens notatur. Has duas beatus Laurentius non timuit, quia nec supervenientibus territus est, nec imminenti gladio cessit. « Super ipsum sonabit pharetra. » Per pharetram, in qua latent sagittæ, adversariorum machinatio occulta designatur : In hasta vero vibrata, aperta violentia : in clypeo obstinatio.

Adversus beatum Laurentium non latens machinatio lictorum valuit, nec aperta violentia adversarii potuit, nec obstinatis eorum consiliis Martyr gloriosus a fidei constantia declinavit : imo fervens cælesti desiderio terram absorbuit, quando Hippolytum, et Romanum Ecclesiæ incorporavit. Item probasti cordis fortitudinem, ut in eodem sequitur : « Nec reputat tubæ sonare clangorem. Ut audierit buccinam, dicit : *Vah.* » In tuba, terror et persecutio malorum : in buccina, minæ, et instantia minarum. Quæ duo beatus Laurentius non reputavit, imo ad eorum instantiam exultavit. Unde, dicit : *Vah;* quæ vox est exultationis. Et iterum in eodem (39, 20) : « Nunquid suscitabis eum quasi locustas? » Locusta in matutina hora vix se a terra sublevat, sed cum æstus Solis exarserit, altius volat. Sic beatus Laurentius in initio persecutionis suæ humiliter se habuit, sed instante gravioris persecutionis fervore, excrescentibus tormentis, et prunarum ardentium calore commotus, quantæ fortitudinis, et sublimitatis fuerit, ostendit dicens : *Assatum est* (5) *jam versa, et manduca.*

Et visitasti nocte. Cui lux supplicium est, idest prosperitas, et nox visitatio est, idest adversitas. Inde est quod Job dicit (3, 20) : « Quare data est misero lux, et vita his qui in amaritudine animæ sunt? » Ideo conqueritur de luce sibi data, quia ut dicit Gregorius.

(1) Vulg. : nos.
(2) Vulg. : poterit nos.
(3) Vulg. : vibrabit.
(4) Vulg. : Ubi.
(5) Assatum est, etc. Prudentius Περὶ Στεφάνων hymno 2, vers. 397 ad 408 canit : « Postquam vapor diutinus Decoxit exustum latus, Ultro e catasta judicem Compellat affatu brevi. Converte partem corporis Satis crematam jugiter. Et fac periclum, quia tuus Vulcanus ardens egerit. Præfectus inverti jubet. Tunc ille : Coctum est, devora; Et experimentum cape, sit crudum an assum suavius. » Et S. Augustinus, tom. V, edit. Maur. Antwer., Part. I, serm. 303, qui est de S. Laurentio, col. 860, num. 1 ait : « Cum ex uno latere arsisset, dicitur tanta tranquillitate illa tormenta tolerasse, ut impleretur in eo, quod modo in Evangelio audivimus : In patientia vestra possidebitis animas vestras. Denique flamma ustus, sed patientia tranquillus : Jam, inquit, coctum est; quod superest, versate me, et manducate. » Hinc, in secundis Vesperis Festi S. Laurentii canit Ecclesia : Assatum est, jam versa, et manduca.

rius (1) : Etsi (2) prosperitas justum penitus non opprimit, mentem tamen in amorem Dei et in (3). « Et vita his qui in amaritudine animæ sunt » Vir bonus a mundo abesse optat, et ut mundus eum, quasi vivum non teneat, sed quasi cadaver mortuum a se abjiciat. Beatus igitur Laurentius lucem prosperitatis fugiens, et nocti martyrii se exponens, visitatus est a Domino, et in vita per constantiam, et post mortem per coronam.

Igne me examinasti. Quidam sunt in igne sicut plumbum, quod in igne consumitur; et tales fuerunt, qui per ignem probati, in fide defecerunt. Alii sunt ut testa, quæ nigredinem ab igne contrahit. Hi sunt, qui per ignem tribulationum deteriores, et sordidiores fiunt, de quibus Ezechielis (24, 12): « Multo labore sudatum est, et non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem. » Alii sunt ut aurum, quod in igne purgatur, si quid in eo purgandum est; purum autem, magis ac magis purificatur. De hoc prima ad Corinthios (3, 13) : « Uniuscujusque opus, quale fuerit ignis, scilicet tribulationis probabit. » Et vere, quia *Si cujus opus manserit, et superædificaverit* (4) *mercedem accipiet.* Ecce aurum purum, quod magis ac magis purificatur per ignem. Talis fuit beatus Laurentius : « Si cujus opus arserit, detrimentum patietur : ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. » Ecce aurum, in quo quod purificandum est, expurgatur. Item de eodem, Sapientiæ (3, 6) : Tanquam aurum in fornace probavit illos.

Et non est inventa in me iniquitas. Hoc etiam bene convenit beatissimo Laurentio, in quo iniquitas illa non fuit, quæ divites solet concomitari, de qua dicitur (5) : Omnis dives, aut est iniquus, aut hæres iniqui. Hæc est iniquitas in divite, quem facit miserum, vel relinquit. Hæc non fuit in beato Laurentio : imo dedit, et dispersit pauperibus, sicut de ipso legitur. Item Lucæ (16, 11) : Si iniquo mammona infideles fuistis : quod vestrum est, vel quod verum est, quis dabit (6) vobis ? quasi dicat : Si carnales divitias qui labantur, non bene dispensastis : cœlestes divitas quis dabit vobis ? Iste autem, tanquam beatus servus, et prudens fideliter dispensavit terrenas divitias, unde cœlestes meruit possidere. Hinc est quod convenit illi illud Job (39, 21) : « Terram ungula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis. » Equus ungula terram fodiens huc illuc eam dispergit. Sic beatus Laurentius thesauros Ecclesiæ amplius latere non sinens, dispensavit, et dedit pauperibus ; unde nunc exultat in gloria, et audacter in occursum pergit, hostes reputans omnes, qui armantur in pauperes per avaritiam, de quibus Isaias (3, 14 et 15) : « Vos depasti estis vineam meam, et rapina pauperum (7) in domo vestra. Quare atteritis populum meum, et pauperum faciem (8) commolitis ? » Super quem locum dicit Hieronymus (9). Rapinæ pauperum (10) in domibus eorum sunt, dum Ecclesiæ opes thesaurizant sibi, et in deliciis abutuntur his, quæ ad sustentationem pauperum dantur, et sibi reservant, vel propinquis distribuunt, et aliorum inopiam suas, vel suorum divitias faciunt.

(1) Moral., lib. V, cap. 2.

(2) *Etsi prosperitas, etc.* In edit. Maur. Paris., tom. I, col. 140, cum paulo superius dicantur justi, claritatem transitoriæ prosperitatis accipientes, valde deflere, « quia tarde ad patriam redeunt, tolerare insuper honoris onera compelluntur ; » ita consequenter legitur : « Prosperitatis suæ mœrore mordentur; quia etsi vident nequaquam se ab ea funditus opprimi, pensant tamen solicite cogitationem suam in amore Domini, et in ejus dispensatione partiri. »

(3) Lacuna in Codice.

(4) *Vulg.* quod super ædificavit.

(5) *De qua dicitur, etc.* Hieronymus in epistola ad Hebidiam, seu Hedibiam, quæ in edit. Antwerp. est 150, tom. III, vol. I, pag. 415, col. 2, scribit : « Igitur et tu, quia paucos habes filios, plurimos fac tibi amicos de iniquo mammona, qui te recipiant in æterna tabernacula. Pulchre dixit, de iniquo : omnes enim divitia de iniquitate descendunt; et nisi alter perdiderit, alter non potest invenire. Unde et illa vulgata sententia mihi videtur esse verissima : Dives aut iniquus, aut iniqui hæres. » Et lib. II *Commentar.* in Jeremiam, tom. IV, ejusdem edit., pag. 244, col. 1, exponens illud capitis V. « quia inventi sunt in populo meo impii, insidiantes quasi aucupes, » inquit : « Dum invicem se venantur ad mortem, et aliorum damnis, atque dispendiis suas complent domos, ut impleatur Philosophorum illa sententia : Omnis dives, aut iniquus aut hæres iniqui. »

(6) *Vulg.* credet.

(7) *Vers. Syriaca. Vulg.* pauperis.

(8) *Vers. Græca* LXX. *Vulg.* facies.

(9) Lib. II *Commentar. in Isa.*, cap. 3.

(10) *Rapinæ pauperum, etc.* In edit. mox laudata, tom. IV, pag. 14, col. 2, ita legitur : « Rapina pauperum in domibus eorum est, quando replent thesauros suos, et Ecclesiæ opibus abutuntur in delicias : publicasque stipes, quæ ad sustentationem pauperum datæ sunt, vel sibi reservant, vel propinquis distribuunt : et alienam inopiam, suas suorumque faciunt esse divitias.

SERMO XXV.

Contra illos, qui deserentes sacras paginas spem ponunt in lucrativis scientiis. De triplici malo oculo, et de superbia.

Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem suum concluserunt : os eorum locutum est superbiam. (Psal. 16, 10.)

Inimici Domini sunt illi, de quibus Job (27, 7) : « Sit quasi impius inimicus meus, et adversarius meus quasi iniquus. Impius est infidelis, qui nunquam fidem suscepit : Iniquus, qui per pravitatem operis ab ea discordat. Tales sunt inimici Domini; unde Gregorius (1). « A me etiam fide discrepat, qui mihi opere non concordat. » Inimici Domini sunt illi, de quibus sequitur hic : *Projicientes me nunc, circumdederunt me.* Hi sunt illi, qui dixerunt Deo, ut legitur Job (21, 14 et 15 : « Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est Omnipotens, ut serviamus ei? » Et quid prodes nobis, si oraverimus eum? Sic hodie dicunt multi : Recede a nobis Domine, scientiam Theologiæ, quæ docet vias tuas, nolumus : lucrativas scientias addiscemus. Quid nobis prodesset, et quam utilitatem nobis afferret, si serviremus ei? Pocul dubio tales inimici sunt Domini. Isti sunt qui dicunt Jeremiæ (44, 18) : « Ex eo tempore, quo cessavimus sacrificare reginæ cœli, et libare ei libamina, indiguimus (2) omnibus, et gladio, et fame consumpti sumus. Reginam cœli vocant lunam per quam intelligitur defectiva, vel fluens mundi prosperitas. Hanc tanquam Deum sibi constituunt, et honorant; quod si ab ea cessaverint, Domino serviendo, putant se deficere, et omnino fame consumi, et perire, tanquam omnipotens nequeat illis providere. De hujusmodi projicientibus, et quasi Deum conculcantibus dicit Apostolus ad Hebræos (10, 29) : *Quanto magis deterioria putatis mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit?* Filium Dei conculcat, qui contempto redemptionis pretio pro vili peccato se vendit diabolo. Sanguinem testamenti pollutum ducit, qui post sanguinem Jesu Christi, in quo tinctus est per baptismum, ex quo mundatus est, ad vomitum peccati redit, per quod inhabitantem in se Deum projecit, et abdicavit.

Inimici Dei, et projicientes in terram sunt, qui oculos suos statuerunt declinare in terram, de quibus in Proverbiis (17, 24) : Oculi stultorum in finibus terræ; contra quod dicebat Job (31, 1) : Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. » Oculus elatus tendit in finem vanitatis; unde Proverbium (30, 13) : « Generatio, cujus excelsi sunt oculi, et palpebræ ejus in altum (3) surrectæ. » Hi sunt oculi Jonathæ, qui post victoriam gustavit paululum mellis, et illuminati sunt oculi ejus, ut legitur primo Regum (14, 27) : Sic quibusdam contingit : cum enim de vitiis victoriam habuerint, et parum de dulcedine contemplationis gustaverint, statim illuminantur per elationem oculi interiores, ut soli sibi videantur boni, soli placeant in oculis suis. Oculus nequam tendit in fines malignitatis. Tales fuerunt oculi Balaam, qui per mulieres induxit populum Dei ad luxuriam, et idololatriam, et ipse de se dixit : Homo, cujus obturatus est oculus (4). Animam meam circumdederunt. Animam meam id est vitam circumdederunt; et post sequitur : Nunc circumdederunt me. Judæi enim prius Christi vitam carnalem circumdederunt, et nec sic quieverunt : imo ipsum in morte iterum circumdederunt, et in mortuum desævierunt; unde Jeremiæ (12, 7 et 8) : « Dedi dilectam animam meam in manus (5) inimicorum ejus. Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva. » Alia translatio (6) : Spelunca hiænæ hæreditas mea mihi. Leo rugit in silva, et ejus præda sunt animalia viva. Leo igitur fuerunt Judæi rugiendo, et clamando pariter : Crucifige. Sed nec sic quieverunt : imo sunt quasi hiæna; quæ est nocturna bestia cunctis vescens sordibus, et desævit in corpora mortuorum. Sic et Judæi post mortem Christi in mortuum desævierunt, non solum persecuti sunt vitam, sive vivum. Sic et hodie multi faciunt, in hoc judaizantes, qui circumdant justum, in quo vivit Christus, sicut dicit Apostolus : « Vivo ego, jam non ego : vivit autem in me Christus (7) », qui, inquam, talem circumdant, id est Jesum

(1) *Moral.*, lib. XVIII in c. 27 Job, n. 12.
(2) *Paraph. Chald. Vulg.* indigemus.
(3) Vulg. : alta.
(4) Num. 24, 15.
(5) Vers. græca et syr. Vulg. : manu.
(6) LXX, ap. Hieron.
(7) Gal., 2, 20. Vulg. : vero.

Christum, qui habitat in illo, et ideo dicit: *Animam meam circumdederunt.*

Sequitur: *Adipem suum concluserunt*, idest superbiam retinuerunt, de qua Job (15, 26): « Cucurrit adversus Deum erecto collo, et pingui cervice armatus est. » Pinguis cervix est opulenta superbia affluentibus rebus, quasi militibus carnalibus fulta. Sequitur (v. 27): Operuit faciem ejus crassitudo. Operuit, quia terrenorum abundantia oculos mentis premit; contra quod Job dicitur (18, 13): « Devoret pulchritudinem cutis ejus, et consumat brachia illius primogenita mors. » Pulchritudo cutis ejus est gloria temporalis exterior. In brachiis fortitudo operum significatur: in morte, superbiæ peccatum quod animam occidit. Primogenita ergo mors superbia est, quia est initium omnis peccati, quæ pulchritudinem cutis, et brachia devorat, quia gloriam temporalem, et operum fortitudinem superbia enervat. Potuit enim iniquus, ut dicit Gregorius (1); existere etiam in hac vita gloriosus, si superbus minime fuisset.

SERMO XXVI.

De templo spirituali, quod ædificatur in caritate.

Diligam te, Domine, fortitudo mea. (Psal. 17, 2.)

In constructione templi quatuor fuerunt, cæmentum, lapides, ligna odorifera, et aurum pretiosum. Ita in ædificio templi spiritualis hæc quatuor sunt necessaria. Construitur enim templum spirituale in dilectione, et in caritate, ut Deum diligamus, et proximum; aliter non sumus Domini templum, sed diaboli. In cæmento, quod fit de luto, et inter lapides latet, notatur verecundia, quæ triplex est ob memoriam culpæ præteritæ. Debet namque nobis verecundiam incutere, quod accusari possumus de furto, de perjurio, de proditione. De furto, quando abscondimus peccata nostra, a Deo et non detegimus ea per confessionem; unde Job (31, 33): « Si abscondi quasi homo peccatum meum, et celavi in sinu meo iniquitatem meam. » De perjurio poterimus accusari, quia abrenunciavimus diabolo in baptismo, et professionem fidei fecimus; unde in Psalmo (118, 106): « Juravi, et statui custodire judicia justitiæ tuæ; » hoc est firmiter promisi: sed quia hanc fidei sponsionem interrupimus, perjurium incurrimus. De proditione accusabimur, si expulimus Spiritum Sanctum a castro suo, idest a mente nostra, et inclusimus adversarium; scilicet diabolum, et vitia. Proditor est, qui castrum Domini sui hosti exponit. In lapidibus notatur fortitudo amoris, quæ triplex debet esse; quia amor fortis spernit timorem, appetit laborem, non fugit pudorem. Spernebat timorem David, cum dixit (2): « Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? » Appetebat laborem, vel dolorem Habacuc dicens in Cantico suo (3, 16): « Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat. » Hoc appetit, qui fortiter Deum diligit; unde: « Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto (3)? » vel dolorem, habet alia littera (4). Item non fugiebat pudorem David dicens: Propter te sustinui opprobrium (5). Isti tres fortes de quibus legitur in primo Paralipomenon (11, 18): Qui attulerunt David aquam de fontibus Bethlehem, Eleazar, qui interpretatur Dei adjutorium, quia Dei adjutorio timor spernitur. Secundus est Semma, qui interpretatur obediens Domino; obedit enim qui laborem, et dolorem pœnitentiæ suscipit. Tertius Jesbaam, qui interpretatur desipiens; desipiens enim a mundo judicatur, qui pudorem pro Christo sustinet. Job (12, 4): Deridentur justi simplices (6). In lignis odoriferis, conscientiæ suavitas designatur: Primo in misericordia pro peccatorum remissione; unde: *Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus* (7). Secundo in gratia pro collatione virtutum, ei bonorum operum; unde: *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt* (8). Tertio in gloria pro adeptione cœlestium; unde: *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus* (9). In auro notatur fortis sapientia, quæ tripartitur, in cavendo insidias diaboli, in tolerando ad-

(1) *Moral.*, lib. XIV in cap. 18 Job., n. 19.
(2) Psal. 26, 2.
(3) Psal. 93, 20.
(4) *Vel dolorem, habet alia littera.* Estius in locum: « Multa MSS. habent dolorem. Græca vox proprie molestiam significat, et afflictionem, sicut et vox Hebræa. »
(5) Psal. 68, 8.
(6) Vulg.: deridetur justi simplicitas.
(7) Psal. 144, 9.
(8) Psal. 144, 7.
(9) Psal. 33, 9.

versitatem, in considerando principium amoris, et finem. Ut insidias diaboli caveamus, nos monet Petrus : « Vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret (1). » Fortis erat ad tolerandum Paulus dicens : « Omnia possum in eo, qui me confortat » (2). Discretionem tenendi a principio ad finem docet Sapiens dicens : *Sapientia vincit malitiam* (3). *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (4).

In tali enim Sapientia dicit : Diligam te, Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum. In Genesi legitur : Fecit Deus firmamentum, ut divideret aquas ab aquis, superiores ab inferioribus, inferiores a superioribus, notans inferiores, ut ostendat, nullam complexionem, et communicationem earum esse ad superiores. Unde Hieronymus (5). Delicatus es miles (6), si vis hic gaudere cum sæculo, et in futuro regnare cum Christo. Sequitur : *Refugium meum;* et per hoc notat frequentiam, ut quoties peccat homo, toties ad hoc refugium recurrat, et liberabitur. Unde in Evangelio quærit Petrus a Domino : « Si peccaverit in me frater meus, quoties dimittam » (7). Et post pauca : Non tantum septies, sed septuagies septies, idest usque in infinitum (8). Item Refugium notat conversionem, ut dicatur refugium, quasi retro fugium. Oportet enim, ut qui a Deo vult recedere, idest ab ira animadversionis Dei, ad ipsum confugiat, a justo ad misericordem ; quia subditur : *Et liberator meus;* liberat enim ad se confugientes a periculis, a peccatis, a morte perpetua ; unde ad Romanos (6, 22) : Nunc vero libertati a peccato, servi facti estis Deo (9).

(1) I Petri, 5, 8.
(2) Philipp., 4, 13.
(3) Vulg. : Sapientiam non vincit malitia.
(4) Sap., 7, 30, et 8, 1.
(5) Epist. ad Heliodorum de laude vitæ solitariæ.
(6) Delicatus es miles, etc. In editis ita legitur : Delicatus es frater, si et hic vis gaudere cum sæculo, et postea regnare cum Christo.
(7) Matth., 18, 21 et 22. Vulg. : Quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei?
(8) Idest usque in infinitum. S. Hieronymus in hunc locum ait : Ut toties peccanti fratri dimitteret in die, quoties ille peccare non possit. Lyranus : Ponitur ibi numerus determinatus pro indeterminato; ac si dicat, quoties, ut dicit Augustinus. Menochius : Numerus finitus pro infinito.
(9) Vulg. : servi autem facti Deo.

SERMO XXVII.

De pœnalitatibus, et miseriis, quæ inflictæ sunt homini propter peccatum primi parentis.

Circumdederunt me dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturbaverunt me: dolores inferni circumdederunt me, etc. (Psal. 17, 5 et 6.)

Dolores mortis dicit pœnalitatem ipsam, et infirmitatem, quibus se oppressam conqueritur Ecclesia, dicens : *Circumdederunt me dolores mortis, dolores inferni.* De quibus doloribus conqueritur Job (19, 8), dicens : « Semitam meam circumsepsit, et transire non potui (10), et in calle meo posuit tenebras. Nullus, quantascumque sibi paraverit delicias, ab his doloribus evadit, quia eis est circumseptus. Unde Job alibi (7, 5) : « Induta est caro mea putredine vermium (11); et infundit glebas terræ, radens saniem. » Vermes innatas dicit fragilitates, quibus circumdamur, quia propria fragilitate quilibet consumitur. Hic infundit glebas terræ, et saniem radit, qui considerata fragilitate sua ad bonorum operum superædificationem fœcundatur. Cum fimus in sterquilinio jacet, fœtet; cum aspergitur, fertilem reddit terram. Spargas igitur glebas terræ putridine vermium, idest fragilitatis memoria, ut terra mentis tuæ fertilis reddatur, idest ut considerata vilitate tua, et pœnalitate, declines a malo, et facias bonum. Radens saniem. Qui radit, innovat. Rade ergo nunc saniem vitiorum novacula timoris judicii, ut in ratione generali innoveris.

Sequitur : *Dolores inferni,* qui sunt actualia, per quæ corruit homo in æternam damnationem. Vel *dolores* hi sunt diaboli tentationes, de quibus Job (16, 13, ad 25) : « Tenuit cervicem meam (12), et confregit

(10) Vulg. : possum.
(11) *Putredine vermium,* etc. Ubi Vulgata habet : « Induta est caro mea putredine, et sordibus pulveris cutis mea aruit, et contracta est. » Versio Græca LXX legit : « Et conspergitur corpus meum in putredine vermium ; imundo autem glebas terræ a sanie radens. » Hinc S. Hieronymus in hunc locum : « Hoc etiam, inquit, ad tormentorum pertinebat dolorem : ut sanies, quæ de putredine ferventium vulnerum defluebat, sordibus infusa pulveris, cutem ejus exsiccaret, atque contraheret. »
(12) Vulg. Tenuit cervicem meam, confregit me, et posuit me sibi quasi in signum. Circumdedit

me : perforavit lumbos meos lancea : concidit me vulnere super vulnus, et posuit quasi signum ad sagittam : irruit in me quasi gigas. » Cervicem meam tenuit, quia etiam nasci non possumus sine culpa. Confregit me, idest vires meas, quia per me contra tentationes stare non potero ; cujus enim membra sunt confracta, ad fortia non resurgit opera : ita qui confractus est per peccatum, ad bona opera non assurgit per se. Sequitur : « Perforavit lumbos meos lancea », scilicet carnalis concupiscentiæ. Addens etiam vulnus super vulnus, ut scilicet adhæreat peccatum peccato. « Irruit in me quasi gigas. » Gigas dicitur diabolus, quia fortis, et nititur nos subvertere in corpore, et in anima per æternam damnationem. Sed Christus, qui exultavit ut gigas ad currendam viam (1), invitat nos ad currendam viam mandatorum Dei. Eris igitur gigas geminæ substantiæ, et prævalebis, si in carne spiritualiter vivas. Sequitur : Posuit me quasi signum ad sagittam. Signum est in medio, omnibus expositum undique jaculis. Jacula enim tentationum diaboli undique, et in omnibus operibus, et in omnibus locis patent. Undique oportet nos circumspicere, undique nobis opus est magna cautela, et circumspectione, ne succumbamus.

Sequitur : *Et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Primorum parentum inobedientia antonomastice quasi per excellentiam, quia superat alias iniquitates, dicitur iniquitas, quia de ea exierunt duo rivi turbantes, et fere excæcantes oculos hominis interioris. Rivi sunt concupiscentia, et imaginatio mundialium. De iniquitate primorum parentum processerunt duo torrentes conturbantes lumen nostræ rationis. Ratio enim duos habet oculos, cognitionis scilicet, et amoris. Oculus cognitionis turbatur per imaginationem delectationis præteritæ : Oculus amoris per concupiscentiam faciendi. Sequitur : *Præoccupaverunt me laquei mortis.* Laqueum dicit originale peccatum, quod nos prævenit, quia antequam nascamur, eo sumus obvoluti, et damnati. Unde Job (9, 17) : Multiplicat (2) vulnera mea sine causa, quia sine causa actualis peccati, multiplici vulnere me affligit. Multiplex vulnus est, scilicet quod carnales nascimur, contemptibiles morimur, sine actuali peccato damnamur (3).

SERMO XXVIII.

De quatuor tabernaculis.

In circuitu ejus tabernaculum ejus, etc. (Psal. 17, 12.)

Per tabernaculum Ecclesia militans intelligitur, in qua militantes, suo regi quasi in tabernaculo assistere debent, et esse in circuitu ipsius. Eodem modo nos debemus assistere regi nostro, idest Christo, nec debemus facere sicut quidam perversi Judæi fecerunt, sicut legitur in primo Regum (13, 7 et 14, 22), quod cum Saul congregasset exercitum suum contra Philisthæos, quidam perversi recesserunt ab eo (4), et transtulerunt se ad castra Philisthinorum, transeuntes Jordanem in terram Gad, et Galaad. Eodem modo multi hodie falsi christiani faciunt, quos Dominus eduxit de Ægypto per mare rubrum, idest de tenebris peccatorum per baptismum. Isti transeunt ad castra Philisthinorum. Philisthæus enim sonat duplex ruina, scilicet invidiæ contra hominem, et superbiæ contra Deum. Isti tales transeunt Jordanem, qui interpretatur descensus, per quem humilitas signatur, qua relicta (5), transeunt Gad, quod interpretatur accinctus ; debent enim esse accincti ad pugnan-

me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit, et effudit in terra viscera mea. Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas.

(1) Psal. 18, 8.

(2) Paraphr. Chald., Vulg. : Multiplicabit.

(3) *Sine actuali peccato damnamur*, decedentes sine baptismo ; vel, damnationi perpetuæ propter originale absque actuali peccato sumus obnoxii, ut ait S. Augustinus in Enchirid., cap. 26 : « Post peccatum exul effectus (Adam), stirpem quoque suam, quam peccando in se tanquam in radice vitiaverat, pœna mortis, et damnatione obstrinxit ; ut quidquid prolis ex ipso, et simul damnata, per quam peccaverat, conjuge, per carnalem concupiscentiam nasceretur, traheret originale peccatum, quo traheretur ad illud extremum cum desertoribus angelis sine fine supplicium. »

(4) *Recesserunt ab eo*, etc. Glossa ordinaria in I Reg., cap. 13, ait : « Absconsis quibusdam Israelitis, qui Saulem, et populum, qui cum eo erat reliquerant, quædam pars illorum, qui Hebræi vocantur, timore perterriti defecerunt a Saul, et a viris, qui cum eo erant, et descenderunt in castra Philisthiim ; unde in sequentibus : » Sed et Hebræi, qui fuerunt cum Philisthiim heri et nudiustertius, ascenderantque cum eis in castris, reversi sunt, ut essent cum Israel.

(5) *Qua relicta*, etc., idest, qua amissa, seu repudiata.

dum contra diabolum; et pugnant contra Deum. Transeunt Galaad. Hic est mons, in quo Jacob cum Laban firmavit fœdus de pace inter eos permansura, et erexit acervum lapidum in testimonium hujus pacis. Hic est baptismus, qui congrue dicitur acervus testimonii inter Christum et nos, in quo multitudo donorum coacervatur, quem transire est pacem Dei contemnere. Quod falsi christiani transeunt Galaad, quod interpretatur acervus testimonii, relinquendo dona, quæ coacervavit omnipotens Deus in baptismo: tales non sunt in circuitu Dei, imo ab ipso separantur, eum impugnando; unde Osee (7, 15 et 16): « Ego erudivi eos, et confortavi brachium (1) eorum : et cogitaverunt contra me malitiam. Reversi sunt, ut essent sine jugo; » idest, ut essent filii Belial, quod interpretatur absque jugo. *Facti sunt quasi arcus dolosus :* cum enim deberet emittere sagittam in adversarium, rejicit ipsam in dirigentem. Et isti sunt tales; Cum enim deberent emittere sagittam contra diabolum, et pugnare contra eum, impugnant Deum. Tales sunt qui accepta litterarum scientia, et magnitudine honorum, inde a Deo fugiunt, et jugum Dei excutientes, hosti suo se supponunt; et ita sunt quasi arcus dolosus, qui emittit sagittam in faciem dirigentis. In sagitta sunt tria, ferrum, hasta recta, et pennæ. Per ferrum acuta prædicatio, et terribilis comminatio : Per hastam, scientia fidelis et recta : Per pennas, spiritualis intentio. Hoc maxime ad sacerdotes pertinet.

Nota, quod diversa tabernacula legimus in sacra Scriptura. Tabernaculum Idumæorum; unde in Psalmo (82, 6): « Adversum te testamentum », scilicet conjurationis, « disposuerunt tabernacula Idumæorum ». Tabernacula Cedar; unde in Canticis (1, 4): « Nigra sum, sed formosa, sicut pelles Salomonis, sicut tabernacula Cedar ». Tabernaculum Jacob; unde in Numeris (24, 5): Quam pulchra sunt tabernacula Jacob. Tabernaculum Domini; unde in Psalmo (83, 2): *Quam dilecta tabernacula tua, Domine.* In primis est umbraculum carnalis delectationis. In illis militant, qui agunt curam in desideriis. *Idumæi* enim sanguinolenti interpretantur. Tales sunt omnes cruentati sanguine peccati. Et bene dicit, quod tales disponunt testamentum adversus Deum : modo enim peccant aperte, per quod videtur, quod fecerunt testamentum, et conjurationes suas ad impugnandum Deum, tanquam velint eum expellere de terra, et de cœlo.

In secundis tabernaculis habitant qui sunt in afflictione pœnitentiæ; et anima illius, qui militat in hoc tabernaculo, potest dicere : Nigra sum, sed formosa. Nigra propter sordes pœnitentiæ, cineris, et cilicii, et hujusmodi : sed formosa decore virtutum. Postea sequitur : sicut pelles Salomonis; quarum quædam sunt rubricatæ (2), per quod intelligitur, quod debet esse fervens in charitate; quædam hyacinthinæ, per quod intelligitur, quod toto affectu tendere debet ad cœlum. In tabernaculis tertiis militant, qui sunt in delectatione contemplationis; In quarto, qui sunt in fruitione æternæ felicitatis, ut martyres, et confessores. Primi sunt extra atrium, quia immundi. Secundi in atrio, tanquam Deo immolati. Tertii introierunt in Sancta, contemplativi, et per pœnitentiam mundati. Quarti in Sancta sanctorum, jam cum Christo beati. Tabernaculum divisum erat in Sancta, et Sancta Sanctorum. Inter Sancta erat candelabrum, idest contemplatio veri luminis, et lumen contemplationis, mensa propositionis, et altare aureum, super quod incendebatur thymiama; quia sicut dicit Ecclesiasticus (35, 8): Oblatio justi impinguat altare. Inter Sancta sanctorum erat Cherubim, Arca, et Propitiatorium. Cherubim est plenitudo scientiæ, vel societas Angelorum, quam jam beati habent in re, alii ut justi in spe. Similiter quod templum divisum erat in duas partes; in prima erant Sancta; in posteriori, Sancta sanctorum : In prima parte sunt illi, qui sunt tabernaculum Jacob, qui delectantur in pinguedine gratiæ. In posteriori parte erat urna aurea plena manna, et Cherubim, et propitiatorium : in hac parte sunt illi, qui sunt in tabernaculis Domini virtutum. Ibi est Cherubim, idest plenitudo scientiæ, quam habent ipsi; et urna aurea, idest spirituales deliciæ; et manna, idest divinitas

(1) Vers. Syriaca; Vulg.: brachia.

(2) Quædam sunt rubricatæ, etc. Tabernaculum fœderis tegebatur pellibus rubricatis, et hyacinthinis, Exodi 26, 14. Pelles autem Salomonis, de quibus in Canticis, non aliæ sunt, ait Origines, lib. II, in Cantic. quam pelles tabernaculi Dei.

in carne latens; et propitiatorium, idest Christus, qui quotidie interpellat pro nobis ad Patrem.

SERMO XXIX.

De triplici fonte; scilicet baptismi, scripturæ, et vitæ.

Apparuerunt fontes aquarum. (Psal. 17, 16.)

In adventu Christi *apparuerunt fontes aquarum.* Nomine aquarum designatur Baptismus propter gratiam multiplicem datam virtute hujus sacramenti, quia per Christi Nativitatem efficacia hujus sacramenti revelata est mundo sterili, et arido, et sitienti. *Fons aquæ salientis in vitam æternam* (1). Est autem triplex fons; Baptismi, Sacræ Scripturæ, et vitæ. De primo fonte ait Zacharias (13, 1) : « Erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris, et menstruatæ. » Patens dicitur, quia nulli denegatur; unde in communi liquore celebratur, ne aliquis excuset se, dicens : Non potui habere vinum, vel hujusmodi. Per hoc quod dicit, in ablutionem peccatoris, et menstruatæ, notantur duo genera peccatorum. Peccant quidam exteriori suggestione decepti : alii autem propria infirmitate. Primi significantur per hoc quod dicit, peccatoris : secundi per hoc quod subjungitur, menstruatæ; menstrua enim ex propria fragilitate in natura fluunt. De eodem dicit Sponsa in Canticis (1, 13) : « Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. » Cyprus interpretatur tristis, vel mœror : Botrus autem vinum fundit, quod lætificat. Per cyprum autem tristitia passionis signatur, per botrum gaudium ressurrectionis; sed hoc debet esse in vineis Engaddi, idest in mentibus fidelium, quæ salubriter irrigantur fonte baptismi, qui dicitur recte Engaddi, quod interpretatur fons hædi, idest fons, qui de hædis agnos facit immaculatos. Et nota, quod Engaddi, est locus in termino mortui maris (2) : sic et terminus iniquitatis tantum habet fontem baptismi. Et nota, quod vinea sapere debet naturam territorii : sic animæ fideles prætendere debent formam conversationis illius, qui tactu carnis suæ mundissimæ, munditiæ efficaciam contulit aquis baptismi.

De fonte doctrinæ dicitur in Ezechiele (47, 8) : « Aquæ egrediuntur ad tumulos sabuli orientalis, et descendunt ad plana deserti, intrabunt mare, et exibunt, et sanabuntur aquæ. » Per tumulum intelligitur superbia, per sabulum sterilitas : quæ duo recte junguntur, quia omnis superbus sterilis. Per hoc quod adjungitur, orientalis, signatur splendor gloriæ temporalis, qui velut sol, quantumcumque sit prius splendidus, tamen revertitur ad tenebras occidentis : Sol enim, quantumcumque in die splendeat, tamen noctis tenebris operitur. Per *plana deserti* signatur fluxa licentia peccandi; et est sensus : Aquæ doctrinæ egrediuntur ad tumulos sabuli orientalis, idest ad illos, qui superbi, et steriles sunt, et in gloria temporali fulgidi : et descendunt ad plana deserti, idest ad illos, qui vagantur per campos licentiæ. Ibi, inquit, *intrabunt mare*, idest corda peccatorum, quæ prius erant salsa per amaritudinem peccatorum; et ita sanabuntur aquæ, quia de amaris fient dulces. Et est mirabilis virtus aquarum illarum, quæ splendorem gloriæ temporalis abscondunt, tumorem superbiæ humiliant, sterilitatem sabuli fructificare faciunt, de vagis quiescentes, de amaris dulces. De hoc fonte iterum dicit Ezechiel (47, 9) : « Omnia, ad quæcumque venerit torrens doctrinæ, vivent »; et statim subjungit : « Stabunt piscatores, ab Engaddi usque ad Engallim siccatio sagenarum erit ». Piscatores sunt prædicatores, qui mittentes rete prædicationis in capturam, de hoc mari trahunt pisces ad portum salutis. Et hi dicuntur stare, non tamen ad loquendum, sed ad bene operandum. Engallim interpretatur fons vitulorum, vel fons transmigrationis : Ad hoc enim tendit eorum prædicatio, ut hædos, idest pectatores fonte Baptismi regeneratos, quod signatur per Engaddi, faciat vitulos, idest ad martyrium aptos, si opus fuerit, et transmigrare de vitiis ad virtutes, de terra ad cœlum. Quod autem sequitur : « Siccatio sagenarum erit », idem est, quod in Evangelio dicitur : *Excutite pulverem de pedibus vestris* (3). Vix, aut nunquam trahitur per mare rete, quin aliquid humiditatis introeat. Unde siccanda

(1) Joan. 4, 14.
(2) Hieron. : de Locis Hebraicis.
(3) Matth. 10, 14.

sunt retia; et pulvis inanis gloriæ a pedibus, idest ab operibus excutiendus.

De fonte autem vitæ dicit Joannes in Apocalypsi (22, 1) : « Ostendit mihi fluvium aquæ vivæ splendidum tanquam crystallum ». In fluvio notatur beatitudinis abundantia. Sed quoniam in fluvio considerari potest labilitas, ne ibi putetur esse, subjungit : tanquam crystallum; in quo notantur duo, scilicet splendor, et stabilitas.

SERMO XXX.

De misericordia sive eleemosyna.

Qui docet manus meas ad prælium. (Psal. 17, 35.)

David, cum pugnasset contra Goliam, et de eo triumphasset, laudem reddidit Domino dicens : « Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum (1); direxerat enim Deus manus ejus contra Goliam ». David interpretatur manu fortis. Talis debet esse quilibet christianus, ut pugnet contra Goliam, idest diabolum. Golias, Gethæus dicitur, quod bene convenit diabolo.

Geth interpretatur torcular. Sicut enim in torculari separatur vinum ab acinis, ita per tribulationem, et persecutionem separantur boni a malis. Qui fortiter tolerat, vinum est; qui male, quasi acinus in sterquilinio projicietur, quoniam acinis ejectis vinum in cellario Domini reponitur. Ille autem recte dicitur David, idest manu fortis, qui potens est in eleemosynarum largitione ; et talis secure potest pugnare contra Goliam, quia eum superabit, sicut dicitur : « Misericordia mea, et refugium meum». De nullo sic vincitur inimicus diabolus, ut de misericordia (2). Talis, qui ita separatur a consortio bonorum, non est manu fortis, et ideo non potest pugnare contra Goliam. Talis habet manum aridam, sicut ille de quo legitur in Evangelio, cui dixit Dominus : *Extende manum tuam. Et extendit, et restituta est manus ejus* (3). Habet ergo manum aridam, qui non vult eam extendere pauperi. Extendat ergo per eleemosynarum largitionem, et restituetur; dicit enim Glossa super illum locum : « Infructuosæ debilitas animæ nullo melius ordine curatur, quam eleemosynarum largitione. Unde dicit Ecclesiasticus (4, 36): Non sit manus tua ad accipiendum porrecta, et ad dandum collecta, quia frustra pro peccatis rogaturus manum ad Deum extendit, qui hanc pro posse suo ad pauperes non extendit. Dicit et ibidem alia Glossa : Extende manum tuam (4) in proximum, ut vivens viduæ præsidium feras : extende ad Deum pro peccatis tuis. Et ibidem Ambrosius (5). Manus quæ crimine aruerat (6), succis bonorum operum salutaribus irrigatur. Qui ergo sic extendit manum, faciendo opera misericordiæ, potest dici manu fortis. De tali habetur in Psalmo, quod ita misericorditer operando devicit Goliam; unde Augustinus (7) : *De nullo sic vincitur* (8) *diabolus, ut de misericordia.*

Dicit ergo David : *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium.* Benedictus qui docet *manus meas* pluraliter, et non manum. *Manus* enim nostræ debent esse doctæ ad prælium; unam extendendo ad amicum, aliam ad inimicum. Eleganter dicit *manus meas* pluraliter, et non manum, quia utraque extendi debet, ut amicis beneficium impendamus, et inimicis non negemus. Ad quod signandum, utramque manum extendit in cruce Christus; unde et ibi matrem agnovit, et latronem salvavit. Si igitur imitati fuerimus Christum, manus doctas ad prælium habebimus. Nec sufficit nobis, si manus doceantur ad prælium, nisi digiti doceantur ad bellum. Scitis enim, quia decem sunt digiti, per quos decem opera misericordiæ intelliguntur, quibus insistere debemus, quarum septem pertinent ad misericordiam

(1) Psal. 143, 1.
(2) Psal. 143, 2. Glossa ord. in Psal. 143.
(3) Lucæ 6, 10.
(4) Extende manum tuam, etc. Verba Ambrosii, tom. II edit. Maur. Ven., col. 805, num. 40. *Extende mannm tuam.* « communis ista, generalisque medicina est... Extende sæpius eam, extende ad illum pauperem, qui te obsecrat; extende, ut proximum juves, ut viduæ præsidium feras... extende ad Deum pro peccatis tuis. »
(5) Ambr., lib. V, in Ev. Lucæ.
(6) Manus, quæ crimine aruerat, etc. Apud Ambrosium laudato loco ita legitur : « Manum illam, quam extendit Adam, et interdictæ arboris poma decerpsit, succis bonorum factorum salutaribus irrigavit; ut quæ crimine aruerat, bonis operibus sanaretur. »
(7) Enar. in Psal. 143, num. 7.
(8) *De nullo sic vincitur, etc.* In edit. Maur. Antwerp., tom. IV, col. 1196, legitur : *De nulla re sic vincitur inimicus, quam cum misericordes sumus.*

temporalem, quæ sunt in hoc versu : Colligo, poto, cibo, recolo, tego, visito, condo. De sex habetur in Evangelio : *Esurivi, etc.*, et septima Tobiæ : *sepultura mortuorum.* Tria (1) pertinent ad misericordiam spiritualem, quæ sunt. *Si peccaverit* (2) *in te frater tuus, argue eum : si pœnituerit, dimitte : Si ignorat* (3), *instrue.* Sciendum quod in digito sunt tres articuli, per quos signatur, quod in eleemosyna tria sunt consideranda, quid, cui, et quo fine. Quid; quoniam de tuo dare debes, non de alieno, sicut illud Ecclesiastici : (34, 22) : « Immolantis ex iniquo (4) maculosa est oblatio, et non placent Deo subsannationes iniquorum; non enim talis oblatio placat Deum ». Et alibi : « Panis egentium vita pauperis (5) : qui defraudat illum, homo sanguinis est; Et ideo offert vitam ipsius, qui offert Deo, quod rapit pauperi : deberet enim pauper de eo vivere. Item debes attendere, cui des. Primo enim debes dare tibi, si indigeas. Quis enim magis indiget quam tu, si sis in mortali peccato? Hæc est forma dationis; unde Augustinus (6) : *Qui ordinate vult eleemosynam dare, a seipso debet incipere;* et Ecclesiasticus (30, 24) : *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Quo fine des, debes attendere; quoniam non propter favorem humanum, unde in Matthæo (6, 2) : *Si* (7) *facis eleemosynam, noli tuba canere ante te.* Et ideo Chrysostomus : Verbum memorabile (8) : Si propter humanum favorem bonum facis, tacente populo, mercedem amittis.

Adhuc tria notantur in prædictis tribus articulis, quæ proximo debemus, scilicet de corde compassionem, de ore verbum bonum, de manu opus. De primo Gregorius (9) : Plus est compati (10) de corde, quam dare. Qui enim de corde dat, de seipso dat. Qui autem de pecunia dat, de alieno dat. De duobus : *In omni dato non des tristitiam verbi mali*, quia *verbum bonum super datum, et utraque in* (11) *homine justificato* (12). Hæc tria tulit Maria Magdalene ad pedes Jesu : *Lacrymis lavit* (13) *capillis tersit, unguento unxit* (14). Lacrymæ, cordis compassio; capilli, temporalia; unguentum, suavitas locutionis. Qui dat eleemosynas, hæc tria portet ad pedes Jesu, lacrymas compassionis, unguentum piæ consolationis, vel devotionis, et crines materialis beneficii. Per crines intelligitur superfluitas temporalium, quibus tegendi sunt pedes Christi, idest pauperes nutriendi.

SERMO XXXI.

Qualiter de filiis efficimur alieni. De pacto quod rumpimus in baptismo, vel in pœnitentia. De vetustate peccati. De claudicatione peccatoris.

Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis. (Psal. 17, 46.)

Conqueritur Dominus de filiis suis, qui facti sunt *alieni, inveteraverunt, et claudicaverunt*, dicens : *Filii alieni*, etc., hoc est, qui prius erant *filii* per susceptionem sacramenti Baptismatis, facti sunt *alieni filii*, quia ex patre diabolo geniti, et ita *mentiti sunt mihi*, et transgressi sunt pactum Baptismi. Et vere isti sunt *alieni*, de quibus in Psalmo (82, 8 et 9) : « Alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Etenim Assur venit cum

(1) *Tria pertinent, etc.* Etiam S. Hieronymus lib. XVI Commentar. in Isa., cap. 58, tria tantum recenset misericordiæ spiritualis opera, scribens : « Docet Scriptura divina, ut dimittamus debitoribus nostris, ut et Pater cœlestis dimittat nobis debita nostra. Deinde : Et cum hoc fecerit, frangat doctrinæ ecclesiasticæ esurientibus panem suum. Denique : Quos videris non habentes calorem fidei, sed extra Ecclesiam frigoribus infidelitatis algentes, inopes, atque peregrinos, induc, ait, in domum tuam, idest in domum Ecclesiæ, et operi incorruptionis pallio. »

(2) Vulg. Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum : et si pœnitentiam egerit, dimitte illi.

(3) Vulg. Si quid forte ignoravi, instruite me.

(4) Vulg. Immolantis ex iniquo oblatio est maculata, et non sunt beneplacitæ subsannationes injustorum.

(5) Vulg. pauperum est.

(6) Enchirid. cap. 76.

(7) Vulg. Cum.

(8) Verbum memorabile, etc. Testimonium istud frustra quæsivimus in Chrysostomo. Eamdem operam nequicquam insumpsimus in perquirendis nonnullis aliis sanctorum Patrum sententiis, quæ alibi occurrunt in his Sermonibus. Id autem semel indicasse sufficiat.

(9) Moral., lib. XX, in cap. 30 Job.

(10) Plus est compati, etc. In edit. Maur. Paris., tom. I, col. 670, num. 690, ita legitur : « Plus autem nonnumquam esse dicimus compati ex corde, quam dare : quia quisquis perfecte indigenti compatitur, minus æstimat omne quod dat. Et infra, num. 70 : Exteriora etenim largiens, rem extra semetipsum præbuit : qui autem fletum, et compassionem proximo tribuit, ei aliquid etiam de semetipso dedit. »

(11) Eccli. 18, 15 et 17.

(12) *Vulg.* Sed utraque cum.

(13) Lucæ, 7, 44, ad 46.

(14) *Vulg.* Rigavit.

illis, facti sunt in adjutorium filiis Lot ». Tyrus interpretatur angustia, Assur interpretatur negotiator. Tales sunt filii Esau, qui pro lenticula dedit primogenita. Sic et hi pro lenticula alicujus voluntatis carnalis vendunt dignitatem hæreditatis æternæ. Isti « sunt facti in adjutorium filiis Lot ». Tyrus itaque, quod interpretatur angustia, signat mundanis deditos, et peccatis subditos : et bene, quia ubi non est charitas, ibi est angustia. Tales facti sunt in adjutorium filiis Lot, idest diaboli. Lot enim interpretatur declinans, et bene significat diabolum, qui a fastigio cœli declinavit ad profundum abyssi.

De istis autem alienis natis conqueritur Dominus Jeremiæ dicens : « Ego quidem plantavi te vineam » meam, « electam, et omne semen verum » seminavi : « quomodo conversa es in pravum vinea aliena (1)? Et Isaiæ (17, 10 et 11) : « Propterea plantabis plantationem fidelem, et germen alienum seminabis. In die plantationis tuæ labruscas (2), et mane semen tuum florebit. » Similiter in Evangelio : Unde habet zizania? Quasi dicat : Plantasti bonam vineam, et ipsa versa est in labruscam. Labrusca fructus facit amaros, et protendit fructus immaturos. Amari sunt, qui sunt in amaritudine peccati. Immaturi sunt senes, et decrepiti, qui nunquam pervenerunt ad maturitatem, computrescentes in stercoribus suis. De quibus merito conqueritur Dominus, dicens : *Filii alieni* mentiti *sunt mihi*, idest pactum Baptismi transgressi sunt. De quo pacto, primo Regum (7, 6) : Congregatus est populus « in Masphath, et hauserunt aquam, et fuderunt coram Domino, et jejunaverunt in die illa, et dixerunt : Peccavimus Domino. » Masphath interpretatur de speculo. Scitis, quod mulier, quando vult mundare, vel ornare faciem suam, quærit aquam non turbulentam, vel limosam, vel patellam nigram, et obscuram, sed vadit ad speculum elimatum, planum, et tersum. Et nos similiter congregati in Masphath non debemus currere ad aquam limosam, et turbulentam, et nigram patellam, idest non debemus vivere ad comparationem malorum, sed currentes ad speculum, vivere debemus ad comparationem bonorum. Sequitur : Hauserunt aquam. Ecce contritio. Et fuderunt coram Domino. Quoties populus Israel inibat fœdus cum Domino, vel irritum innovabat, toties sumebant aquam, et fundebant in terra coram Domino ad significandum, quod sicut aqua effusa non revertitur ad vas, ita de cetero ad idola non reverterentur. Et nos similiter haurire debemus ab intimo cordis lacrymas compunctionis; ut sicut ad cor amplius non redeunt lacrymæ illæ, ita deinceps ad peccata, quæ ploravimus, non redeamus. Sequitur : Et jejunaverunt. Ecce satisfactio : Et dixerunt : Peccavimus Domino. Ecce confessio. Sed ipsi alieni mentiti sunt mihi. Transgressi sunt pactum contritionis, confessionis, et satisfactionis.

Et etiam *filii alieni inveterati sunt*. Et tales sunt illi, qui sibi incorporaverunt malitiam, vel malitiæ incorporati sunt : Illi scilicet, qui ita indurati sunt in peccatis suis, quod vix, aut nunquam possunt ab eis avelli; imo ita moleste ferunt amissionem peccatorum, sicut brachii avulsionem. Et pro his Psalmus conqueritur, quod malitiam sibi incorporaverunt. Unde in Threnis (3, 4) : « Vetustam fecit pellem meam, et carnem meam : contrivit ossa mea ». Per ossa, virtutes quæ sunt columnæ et sustentamentum totius ædificii animæ, sicut corporis. Unde sicut ossibus confractis necesse est, ut totum corpus labatur, ita, virtutibus subtractis, necesse est ut ædificium animæ corruat. Hujusmodi autem ædificium corruit in illis, qui sunt inveterati, qui sunt quasi veteres pelles, sicut legitur : Vetustam fecit inimicus pellem meam. Scitis, quod veteres pelles oportet cum acu resarcire. Per punctionem acus contritio designatur ; per partem posteriorem confessio; per filum perseverantia, quæ quanquam introducatur per duo præcedentia, scilicet per contritionem, et confessionem, non tamen tenet in eis filum perseverantiæ. Unde de talibus potest dici gallice (3) : « Tant sunt recusutri, custure non point tener. » Et illi dicuntur carnes veteres, qui quanto antiquiores, tanto duriores; et ideo vix decoqui, vel emolliri possunt. Unde merito dicuntur inveterati.

(1) Jer. 2, 21 ; *Vulg.* autem.
(2) *Vulg.* Labrusca.
(3) *Potest dici gallice*, etc. Adagium gallica lingua, quamvis corrupta relatum, argumento esse etiam potest, Sermones fuisse a Sancto conscriptos, dum apud Montempessulanum in Occitania diversaretur, uti diximus in Præfatione.

Sequitur : *Et claudicaverunt a semitis suis*. De quibus tertio Regum (18, 21) Elias : *Ut quid* (1) *claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum : si Baal, sequimini eum* (2). Sunt enim quidam facientes opera de genere bonorum, qui volunt videri servire Deo, licet non serviant; et ita hoc pede claudicant. Serviunt autem mammonæ, et ita claudicant altero; et ita utroque pede, quia sinistrum est quidquid agunt. Talibus potest dici : *Ut quid claudicatis, etc.*, ne sitis sicut Miphiboseth qui claudicabat in duas partes. Miphiboseth interpretatur os confusionis, vel ignominiæ. Illum enim expectat confusio, vel ignominia infernalis, qui sic claudificat in duas partes.

SERMO XXXII.

De Nativitate Domini. De nuptiis Christi, et Ecclesiæ.

Ipse tanquam Sponsus procedens de thalamo suo. (Psal. 18, 6.)

Tres considerare debemus hujus Sponsi nuptias, scilicet unionis, dilectionis, et glorificationis. Primæ nuptiæ unionis factæ sunt in unione duarum naturarum in Christo, divinæ scilicet naturæ, et humanæ. Nuptiæ dilectionis celebratæ sunt in conjunctione Christi, et Ecclesiæ militantis. Nuptiæ glorificationis celebrantur in conjunctione Christi, et Ecclesiæ triumphantis. Primæ factæ sunt in thalamo uteri virginalis. Secundæ in hoc mundo. Tertiæ celebrantur in regno. De primis dicitur : *Ipse tanquam Sponsus procedens de thalamo suo*. Filius Dei siquidem magno desiderio sanctorum invitatus fuit ad nuptias, quoniam occasione primorum parentum inimicitiæ erant inter Deum, et homines, et sic non poterant reduci ad concordiam homines apud Deum, nisi Dei Filius uxorem caperet de nostra parentela, carnem scilicet, et animam, et humanam naturam. Invitatus ergo Christus (3) nostræ carni se copulavit. Nec Sponsa venit ad nuptias sine dote : attulit enim pro dote infirmitatem, mortalitatem, passibilitatem, et defectus nostros, quos ipsum Christum decuit assumere, et oportuit. Hanc dotem bene explicat Isaias (53, 2 et 4), dicens : Non est ei species : Vidimus eum non habentem speciem, neque decorem (4). Item : Vidimus (5) eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. De hoc conjugio dicit Job (28, 7) : « Semitam ignoravit avis, nec intuitus est (6) oculus vulturis »; quia sicut vultur odorans carnem a partibus remotissimis, et illuc advolans, ibidem capitur, et tenetur : sic Filius Dei a summo cœli fastigio nostram mortem amavit, et de sinu Patris descendens in uterum Virginis, et ibidem carnem a Sancto Spiritu mundatam assumens, in eadem captus mortis acceptit sententiam. Unde in Threnis (4, 20) : « Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris ». Quasi dicat : Captus est Christus in peccatis nostris, non quod ipse peccatum fecerit, sed quia pro peccatis nostris pœnam exsolvit. Ipse, inquam, est non solum spiritus mentis nostræ, sed etiam spiritus oris nostri; ac si diceret : Sicut vivere nequimus, nisi per os spiritum emittamus, sic et in Christo vivere nequimus, nisi ipsum ore confiteamur. Huic etiam concordat Psalmus (28, 6) : *Quemadmodum filius unicornium*. Unicornis, scilicet rhinoceros in sinu virginis capitur : sic et Christus quasi rhinoceros in sinu virginis, et in carne sancta, et munda, quam adamavit, mortis sententiam recepit.

In adjutorium hujus Sponsi quæ dona data sint Ecclesiæ, ostenditur per hoc quod dicitur : *In Sole posuit tabernaculum suum. Exultavit ut gigas ad currendam viam.* Et subjungitur : *Nec est, qui se abscondat a calore ejus*. Per hoc enim quod dicitur, *In Sole posuit*, signatur Ecclesiæ protectio. Tabernaculum dicitur Christi humanitas, quæ posita fuit in Sole, idest passionis fervore ad temperandum severitatis judicium. Vel in Sole posuit tabernaculum suum, quia contra omnem persecutionem, et peccati tentationem nobis umbram per humanitatem fecit. Hoc est quod dicit Isaias (4, 5 et 6) : « Super omnem gloriam erit protectio, et tabernaculum in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem, et absconsionem a tur-

(1) *Vulg.* Usquequo.
(2) *Vulg.* Illum.
(3) Invitatus ergo Christus, etc., idest, Dei Filius, qui post assumptionem humanitatis vocatus est Christus.
(4) Vers. græca LXX.
(5) *Vulg.* Vidimus eum, et non erat aspectus.
(6) *Vulg.* Eam.

bine, et pluvia. Quasi dicat : Christi humanitas erit nobis in umbraculum, et in protectionem ab æstu diei, scilicet tentationis ; in securitatem a turbine, scilicet mundanæ persecutionis; et in absconsionem a pluvia fluidæ nostræ mortalitatis. Per hoc autem quod dicitur : Exultavit ut gigas, etc., significat victoriam passionis, et apertionem januæ. Exultavit ut vigas ad currendam viam; quoniam fortis cucurrit Christus, quia ipse fortior superveniens, fortem alligavit, et portas inferni confregit.

Qui etiam exultavit ut gigas, cum in fortitudine sua januam regni cœlestis aperuit; unde Isaias (63, 1) : « Quis est iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine virtutis (1) suæ? » Sequitur : Nec est qui se abscondat a calore ejus; per quod signatur Spiritus Sancti missio vel hoc signatur correptio : quoniam Spiritus Sanctus *mundum arguet de peccato, de judicio, et de justitia* (Joan. 16, 8). Arguet, inquam, mundum de peccato quod habet, de justitia quam non habet, de judicio quod non timet.

SERMO XXXIII.

De triplici peccato plangendo. De corruptione peccatoris per aliorum malum exemplum.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, Domine : et ab alienis parce servo tuo. (Psal. 18, 13, 14.)

Tria habentur in hoc loco. Deplorat siquidem mentis caliginem, sicut dicit : *Delicta quis intelligit;* Interiorem vitiorum scaturiginem, ibi : *Ab occultis meis munda me,* Domine; Exteriorem mali persuasionem, ibi : *Et ab alienis parce servo tuo.* Et nos cum Psalmista primum deploremus delicta, qui cum deberemus judicare inter diem, et diem, idest inter unum bonum opus, et alium bonum opus, et ita inter duo bona opera, et præterea ipsum diem dijudicare deberemus, idest circumstantias boni operis considerare, Job dicente (9, 28) : *Verebar opera mea :* in tantam caliginem sumus demersi, quod vix inter noctem, et diem, idest inter bonum, et malum judicare possumus, ut merito cum Psalmista dicamus : *Delicta quis intelligit?* Cui consonat illud Job (41, 4). *Quis revelabit faciem indumenti ejus? et in medio* (2) *oris ejus quis intrabit?* Loquitur autem ibi Job de diabolo, qui venit ad nos, sicut mulier ornata pulcherrimis vestibus; et hoc fit, quando tentator diabolus quasi indutus, et ornatus pulchris ornamentis repræsentat, et offert nobis ea quæ placent, scilicet carnales voluptates, et hujusmodi pompas sæculares, sub quibus latet labes peccati, et inferni supplicium sempiternum. Dicit ergo Job : Quis revelabit faciem indumenti ejus? idest, quis considerabit, quid sub facie indumenti ejus lateat, idest sub illa voluptate, quam nobis prætendit diabolus? Detege, et vide, quid lateat sub superficie delectationis exterioris, qua indutus est tentator, quasi indumento; nec ibi reperies nisi peccatum, et peccati sequelam, æternum scilicet flagellum. Noli ergo solum consistere in superficie, sed si qua latent pejora puta. Sequitur : « Et in medio oris ejus quis intrabit? » Per os intelligimus suasionem diaboli. Intrare ergo in os diaboli, est considerare, et penetrare ipsius tentationem, considerando scilicet medium oris ejus, illud, quod in medio persuasionis ejus involutum est, inferni scilicet supplicium. Certe pauci hodie considerant; et ideo dicitur : Quis; ut quis sit nota paucitatis. In eodem sequitur (41, 11) : « De naribus ejus procedit fumus, sicut ollæ succensæ aquæ (3) ferventis. » Per nares, sicut scitis, spiramus, et per nares suggestionem, et inspirationem diaboli intelligimus, quæ comparatur fumo, quia excæcat oculos mentis. Per ollam mens hominis terrena significatur, quæ ab interiori scaturigine vitiorum succensa, et ab exterioris mali persuasione fervens, quasi olla ex se emittit quosdam globos malorum operum excæcantes oculos mentis; unde Psalmista clamat : *Delicta quis intelligit?*

Sequitur : *Ab ocultis meis munda me,* Domine, ab interiori tentatione munda me, Domine : *Et ab alienis;* idest ab exterioris mali persuasione *parce servo tuo.* Unde Michæas (7, 2) : *Omnes insidiantur in sanguinem* (4), *et vir fratrem suum venatur ad mortem.* Diabolus enim quasi venator habet canes venaticos, scilicet homines pessimos, alios malis exemplis corrumpentes : quos enim diabolus sola suggestione

(1) *Vulg.* fortitudinis.
(2) *Vulg.* medium.

(3) *Vulg.* atque.
(4) *Vulg.* sanguine.

sua nunquam capere posset, per suos canes venaticos capit. Unde væ canibus venaticis diaboli, qui magis nocent, quam ipse venator diabolus; et ideo alieni dicuntur, de quibus liberari petit Psalmista dicens : *Ab alienis parce servo tuo;* et sic possit dicere : Parce a canibus mihi, quia venatorem non timeo, quia ab ipso nunquam caperer, nisi per canum auxilium. Sic ergo magis nocet malum exemplum, quam ipse diabolus; præsertim cum credant homines, quod vivendum sit ad exemplum. Ita de supradicta duplici tentatione dicitur in Job (5, 20, ad 23) : « In bello eruet te de manu gladii, et a flagello linguæ absconderis, bestiam (1) terræ non formidabis, sed cum lapidibus regionum pactum tuum, et bestiæ terræ pacificæ erunt tibi. » Per bellum, interiorem; per flagellum linguæ, exteriorem tentationem intelligimus; per bestiam, diabolum, qui bestia, tanquam *vastia* (?), vastans dicitur; per lapides regionum, vitam Sanctorum, ad quorum similitudinem vivere debemus quasi pacto facto; per bestias pacificas, carnales concupiscentias, quæ in nobis pacificatæ erunt, si ad exemplum Sanctorum vivamus.

De his autem tentationibus dicitur Ezechielis (14, 21 et 22) : « Quod si quatuor judicia mea pessima, gladium, famen, bestias malas, et pestilentiam immisero in Jerusalem, ut interficiam de ea hominem, et pecus : tamen » remanebit, vel « relinquetur in ea salvatio educentium filios, et filias : ipsi egredientur (2) ad vos. » Fames est defectus verbi divini; Bestiæ malæ, carnales concupiscentiæ, quas immittere Dominus dicit, cum primos motus insurgere permittit. Et est præterea duplex alienorum gladius, scilicet exterioris mali suggestio, et ab exemplo malorum proveniens corruptio. Pestilentia enim est morbus late pertingens, pene etiam omnes inficiens, multum enim nocet malum exemplum, sicut dictum est. Unde Ezechielis (26, 10) : « Inundatione equorum operiet te pulvis eorum, et a sonitu equi, rotarum, et quadrigarum (3) movebuntur muri tui. » Per equos superbia designatur, quæ portat diabolum; et exinde erigitur pulvis excæcans oculos mentis, quia exemplo vitæ, et conversatione alicujus superbi aliquis corrumpitur. Per equites, et quadrigas abundantiam temporalium intelligimus. Per quatuor rotas quatuor tempora, quibus quasi rotis vehitur abundantia temporalis. Ad strepitum gloriæ, et abundantiæ sæcularis commoventur muri, idest virtuosi, qui se debent opponere murum pro domo Dei.

Sed contra omnia ista munimur triplici consilio, vel auxilio, de quo auxilio habemus in Levitico (17, 15) : « Anima, quæ comederit morticinum, vel raptum (4) a bestia, lavabit vestimenta sua, et seipsam (5), et immunda erit usque ad vesperam : et hoc modo mundabitur. » Per morticinum, quod per seipsum moritur, occulta intelligimus, a quibus petit mundari Psalmista dicens : *Ab occultis meis munda me,* Domine : Per captum, vel raptum a bestia intelliguntur alieni, de quibus subjungit : *Et ab alienis parce servo tuo.* Comedit autem morticinum homo, quando cadit in proprium peccatum; et comedit a bestia captum, quando per peccatum alienum moritur, et tunc quasi ab alienis interficitur anima. Ergo qui comedit morticinum, lavabit vestimenta sua, idest conversationem habeat honestam, et seipsum mundet per pœnitentiam. Oportet enim, ut non solum seipsum mundet, sed ut honestam habeat conversationem; ut sicut sua mala conversatione multos occiderat, et excæcaverat, sic bona multos corrigat, et emendet; Et hoc est vestimentum, et seipsum lavare. Et tamen erit immundus usque ad vesperam, idest se immundum debet reputare usque ad finem vitæ suæ, juxta illud Evangelii (6) : « Cum omnia bene feceritis, dicatis (7) : Inutiles servi sumus : quod debuimus facere, fecimus : Hinc est, quod semper vocata fuit Rahab meretrix, et Simon leprosus. Unde Sacerdos, quantumlibet justus, in generali confessione dicit se miserum peccatorem. Et hoc modo mundabitur ab occultis, et ei parcetur ab alienis, ut sic impleatur illud Ezechielis : Remanebit salvatio educentium filios, et filias. Per salvatio-

(1) *Vulg.* bestias.
(2) Versio græca LXX. Vulg. : ingredientur.
(3) Vulg. : equitum, rotarum, et curruum.
(4) Vulg. : captum.
(5) Vulg. : et semetipsum aqua, et contaminatus erit usque ad vesperum : et hoc ordine mundus fiet.
(6) Lucæ, 17, 20.
(7) Vulg. : Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite.

nem, doctrinam Apostolorum intelligimus, per quorum imitationem salvantur qui a prædictis tentationibus liberantur.

SERMO XXXIV.

De memoria passionis Christi; et qualiter per eam destruxit corpus peccati.

Memor sit omnis sacrificii tui : et holocaustum tuum pingue fiat. (Psal. 19, 4.)

Orat in hoc loco Propheta, ut nos Dominus faciat memores sacrificii, et holocausti filii sui Christi, dicens : *Memor sit omnis sacrificii tui : et holocaustum tuum pingue fiat.* Ad memoriam hujus sacrificii nos invitat, et excitat Filius in Job dicens (16, 19) : « Terra ne operias sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus»; quasi dicat Filius : O homo, qui terra est, ne animum ita ad amorem temporalium extendas, ut operias sanguinem meum, idest memoriam passionis, sed semper animo tuo recens sit per jugem meditationem. Et clamor meus non inveniat locum latendi in te, quem audiens. Sol obscuratus est, terra tremuit, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt Sanctorum, et multi, qui dormierant, surrexerunt (1). Mirum est ergo, si aliquem tanta vox lateat. Sol, inquam, in passione obscuratus est; in quo significatum est, quod ad memoriam passionis debet obscurari, et annihilari omnis gloria temporalis. Terra tremuit; in quo ostenditur, quod non est aliquis ita in terrenis solidatus, et firmatus, qui in passionis recordatione deberat non moveri. Petræ scissæ sunt, ut duritia cordis nostri amoveatur. Monumenta aperta sunt, ut corda nostra, in quibus latent peccata, quasi in monumentis, per confessionem aperiantur. Corpora surrexerunt, ut eradicando peccata, spiritualiter resurgamus. De hoc sanguine dicitur ad Hebræos (12, 22, 24 et 25) : *Accesistis ad Novi Testamenti mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem, quam Abel;* quia iste veniam clamat, ille vindictam : « Videte, ne recusetis loquentem. »

Memores ergo simus omnis sacrificii, et omnium injuriarum, et contumeliarum, quas passus est Christus, antequam levatus esset in cruce. Per sacrificium intelligitur patibulum crucis, videlicet sputa, flagella, minæ, crux, clavi, lancea, spinæ, de quibus omnibus debemus habere memoriam; unde in canticis dicit Sponsa (1, 12) : « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. » In fasciculo multa congeruntur, et congesta vinculo colligantur. Sic Sponsa, idest fidelis anima omnes passionis circumstantias debet in corde colligere, et faciens fasciculum debet vinculo memoriæ colligare, ne unquam decidant a mente sua. Sequitur : Myrrhæ. In Myrrha tria considerantur. Carnis mortificatio; ut in memoria habeamus, sicut prædictum est, mortificationem Christi, quam sustinuit antequam crucem ascenderet. Item Myrrha amara est; et signa nostræ iniquitatis amaritudinem, idest pœnam, quam Christus gustavit in ipsa cruce propter nostram iniquitatem, non suam, quam non habebat. Unde et bene dicitur : « Cum gustasset, noluit bibere; qui enim pœnam culpæ gustavit, culpam pœnæ nunquam sibi incorporavit. Item Myrrha corpora servat a putredine; in quo notatur, quod caro ejus immunis fuit a corruptione, cito veniens ad resurrectionem gloriæ. Hoc est ergo quod dicit : « Fasciculus myrrhæ. » Sequitur in canticis : « Inter ubera mea commorabitur. » Sponsa gestat Sponsum inter ubera : Maria gestavit in utero propter nutrimentum devotionis : Simeon in brachiis propter imitationem operis : Joseph in humeris propter desiderium passionis; et hoc est, memor sit omnis sacrificii tui.

Et holocaustum tuum pingue fiat : Holocaustum totum incensum Deo se obtulit, ut totum destrueret corpus peccati : Sicut enim in corpore quatuor elementa vigent secundum membra corporis, et unum corpus constituunt : sic et peccata secundum membra considerata, quasi unum corpus constituunt. Ignis viget in oculis : aer in ore : aqua in lumbis : terra in manibus, et membris cæteris. In oculis curiositas, in ore loquacitas, in lumbis luxuria, in manibus crudelitas viget, et regnat. Ecce corpus peccati. Ut ergo hoc totum destrueret, se totum obtulit holocaustum. Inspice etiam, quod habuit velatam faciem, antequam crucem ascenderet. Velatos habuit oculos, ut et nos curiositatem oculorum cohibeamus. *Sicut ovis coram tondente se*

(1) Lucæ, 23, 45; Matth., 27, 51 et 52.

obmutuit, et non aperuit os suum (1), ut nos oris loquacitatem refrænemus. Tandem fixus fuit lancea; ut nos luxuriam per ejus memoriam in nobis transfigamus. Manibus cruci affixus; ne ad crudelitatem manus liberas habeamus.

SERMO XXXV.

In festo unius Martyris; et qualiter per discretionem regit se justus; qualiter Madianitæ, idest dæmones vincuntur.

Domine, in virtute tua lætabitur rex. (Psal. 20, 2.)

In hoc Psalmo agitur de merito, et præmio summi, et excellentissimi martyris, videlicet Jesu Christi; et ideo in festo Martyris decantatur. Per regem siquidem istum martyr intelligitur, qui ita affectus suos, et opera regit, quod rex merito debeat nuncupari; de quo ita legitur in Parabolis (20, 8) : « Rex qui sedet in solio judicii, omne malum dissipat intuitu suo. » Solium judicii est excellentia discretionis, in qua sedet vir justus, considerando bonorum præmia, et malorum infinita tormenta; quæ considerando, omne malum in se, et in aliis dissipat. Et hoc est, quod dicit Ecclesiasticus (31, 2) : « Cogitatus præscientiæ avertit sensum, et infirmitas gravis sobriam facit animam. » Qui enim cogitat divinam præscientiam, quod ab ea non possumus abscondere peccata, et quod prævidet bonis dando præmia, malis supplicia; cogitat etiam finem suum, et judicium futurum, in quo recipiet secundum opera : talis cogitatio avertit sensum, idest sensualitatem fræno discretionis, quantumcunque appetat currere ad illicita, sicut equus fræno cohibetur, ne currat ad libitum. Et infirmitas gravis sobriam facit animam. Vinum miscetur aqua, ne possit inebriare, sed sobrium reddat. Ita vino sæcularis gloriæ admiscenda est consideratio infirmitatis propriæ, et sic sobria redditur anima. Quicumque hoc facit, merito vocatur rex. Unde ergo præmissum est : Rex, qui sedet in solio judicii, omne malum dissipat intuitu suo.

De hoc etiam rege dicitur ibidem (29, 4) : « Rex justus erigit terram : vir autem avarus destruet eam, » sicut in eisdem Parabolis (12, 26) dicitur : « Justus est, qui propter amicum negligit damnum »; quales fuerunt Apostoli, exponentes se martyrio pro fide Christi, erigentes terram, qui spem ponebant in cœlestibus. Vir autem avarus dicitur, qui ita diligit granum, quod non seminat, nec multiplicat seminando; quales sunt, qui timore ducti, a carnis mortificatione, et martyrio se subtrahunt : et tales nec merito, nec præmio multiplicantur. « Nisi enim granum frumenti mortuum fuerit, ipsum solum manet : si autem mortuum fuerit, multum fructum affert (2). » Si seminas, renovas : perdis autem, si servas. Rex iste, de quo diximus, est ille centurio stipatus milite, qui non jam terrena, sed cœlestia diligebat, sicut ipse dixit : « Habeo sub me milites, et servos, et dico uni : vade, et vadit; et alii : veni, et venit; et servo : fac hoc, et facit (3). Milites sunt naturales virtutes, et potentiæ : servi, singulorum membrorum officia, de quibus vir justus tanquam rex ordinat, et disponit ad nutum suum. Et quoniam de his non bene ordinavit ille, de quo legitur in Evangelio, quod erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum (4) non meruit vocari rex, sed regulus. Capharnaum interpretatur villa pulcherrima, per quam signatur mundus, in quo est regulus, cujus filius infirmatur febri, cujus affectus torquentur frigore avaritiæ, et immoderato calore luxuriæ. Unde cum se non regat in his, non vocatur rex, sed regulus.

Sequitur : *In virtute tua lætabitur rex;* quasi dicat : Si rex bene se regit, non ex se habet, sed ex *virtute* Domini regentis eum. Hoc est, quod dicitur in libro Judicum (5, 8) : « Nova bella elegit Dominus, et portas hostium ipse subvertit : clypeus, et hasta si apparuerint in (5) millibus Israel. Hoc est quod dicit Isaias (9, 4) : Jugum enim oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian. » Quando Madianitæ deceperunt filios Israel, et induxerunt eos ad hoc ut peccarent, in tribus peccare fecerunt, in gula, luxuria, et idololatria. Contra quæ tria filii Israel pugnantes, tria similia prætenderunt, videlicet fractas lagunculas va-

(1) Isa., 53, 7.
(2) Joan., 12, 24 et 25.
(3) Matth., 8, 9.

(4) Joan., 4, 46.
(5) Vulg. : in quadraginta millibus.

cuas, lucentes lampades, et in manibus tubas. In quo bello sunt confractæ ab ipsis filiis Israel lagunculæ, insonuerunt tubæ, apparuerunt lampades; quo facto devicti sunt Madianitæ. Filii Israel sunt viri justi, qui Deum vident, hic per speciem, et postea visuri in futuro facie ad faciem. Madianitæ sunt dæmones, vel peccata, contra quos, vel quæ pugnant viri justi. Laguncula confringitur, cum caro contra luxuriam maceratur. Insonant tubæ, cum prædicatione Jonæ, et verbi divini auctoritate contra idololatriam avaritiæ vir justus armatur. Apparent lampades, cum fractis lagunculis, idest corporibus martyrio suppositis relucent opera virtutum, et miraculorum; et in his vincuntur Madianitæ. Et hoc est quod dicit Isaias: « Jugum enim oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian. » Jugum enim jumentorum est; in quo notatur luxuria, quæ opus hominum est ad modum jumentorum viventium; unde Joel (1, 17) : « Computruerunt jumenta in stercore suo. » In virga vero avaritia; sicut enim Madianitæ virga fugantur, et qui fugatur, discurrit per loca diversa : sic diabolus avaros discurrere facit per avaritiam per terras, per maria. In sceptro exactoris notatur gula. Cum enim venter exactor per gulam nos allicit, quasi sceptrum, idest dominium in nobis possidebit, nisi resistamus per abstinentiam. De omnibus his vir justus triumphat; unde sequitur : « Superasti sicut in die Madian. »

SERMO XXXVI.

De pœnis inferni.

Pones eos, ut clibanum ignis in tempore vultus tui, etc. (Psal. 20, 10.)

Hic Propheta pœnas inimicorum Christi explicat; quoniam qui hic noluerunt Christum invenire per fidem, invenient eum ibi per pœnarum afflictionem. Dicit ergo: *Pones eos ut clibanum.* Dominus reddet clibanum pro clibano; videlicet clibanum ardentis conscientiæ, et gehennæ pro clibano avaritiæ, et luxuriæ. Unde Osee (7, 7): « Omnes calefacti sunt quasi clibanus, et devoraverunt judices suos. » Calefacti sunt igne cupiditatis, et luxuriæ, et sic devoraverunt judices suos, idest rationem, quæ debet judicando bonum appetere, malum respuere. Item in Psalmo (57, 9) : « Supercecidit ignis, et non viderunt solem, scilicet justitiæ; et ideo pones eos, ut clibanum ignis. » De hoc igne dicit Isaias (30, 33): « Præparata est ab heri vallis Thopheth, a rege præparata, profunda, et dilatata. Nutrimentum (1) ejus ignis, et ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. » Vallis Thopheth est gehenna, quæ præparata est ab heri, idest ab æterno, præparata inquam a rege, idest a Deo Omnipotente impiis puniendis, qui sunt nutrimenta ejusdem ignis. Sequitur : *In tempore vultus tui*, hoc est in die judicii, quando tuæ vultuositatis (2) ira apparebit. Unde Nahum (1, 6) : « Ante faciem indignationis ejus quis stabit? et statim subdit : Indignatio ejus effusa est ut ignis : et petræ dissolutæ sunt ab eo. » Quid ergo faciet ibi infirma, et fragilis peccatoris conditio, ubi petrarum solidarum sit dissolutio?

Sequitur : *Dominus in ira sua conturbabit eos.* In gehennæ supplicio conturbabit eos, septemplici eos conturbando supplicio, qui ejus septemplici noluerunt ditari dono. Erunt enim pœnæ ipsorum, deformitas, gravitas, invaletudo, miseria, servitus, infirmitas, mortis æternitas. De deformitate dicit Isaias (13, 8): « Unusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustæ vultus eorum. » De gravitate dicitur in Apocalypsi (18, 21): « Sustulit unus Angelus lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare, dicens : Hoc impetu mittetur Babylon illa magna civitas, et ultra non invenietur. » De invaletudine dicit Isaias (14, 10): « Et tu vulneratus es sicut et nos. » Hoc dicent peccatores ipsi diabolo, vel alicui, qui seduxit eos ad peccandum : *Nostri similis factus* (3) *es* in pœnis, non valens ulterius seducere, vel brachia tua ad illicita extendere. Quanto enim plus hic sua brachia contra Deum erexerunt, tanto ibi invalidiora, et quasi paralytica habebunt. De miseria dicitur in Evangelio : *Ibi erit fletus et stridor dentium* (4). Fletus oculorum in vanitate vagantium, stridor dentium de

(1) Vulg. : Nutrimenta.
(2) Quando tuæ vultuositatis ira, etc., idest, quando ira tui vultus ad severitatem nimis compositi apparebit. Vide Facciolatum, verbo, *Vultuosus.*
(3) Vulg. : effectus.
(4) Matth., 22, 13.

edacitate prius gaudentium. De servitute, ibi : *Ligatis manibus, et pedibus, mittite in tenebras exteriores;* ibi enim erunt, qui hic dissoluti fuerunt, æternæ pœnæ anulis compediti. De infirmitate dicit Isaias (14, 11) : « Concidit cadaver tuum, subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes. » Ut tinea nascitur de vestimento, et ipsum corrumpit; et vermis de corpore, et ipsum comedit; sic pœna interior ab ipso procedens damnatum cruciabit. De æternitate pœnæ dicit idem Isaias (66, 24) : « Vermis eorum non morietur, ignis eorum non extinguetur. » Non morietur quidem, sicut nec materia, scilicet anima, quæ est immortalis.

SERMO XXXVII.

Qualiter Christus dicitur vermis; et de ignominia mortis ejus.

Ego autem sum vermis, et non homo, etc. (Psal. 21, 7.)

Christus comparatur vermi propter nascendi similitudinem. Sicut enim vermis, non de coitu, sed de pura terra nascitur, sic et Christus de pura Virgine sine virili semine. Unde in Psalmo (84, 13) : « Etenim Dominus dabit benegnitatem, et terra nostra dabit fructum suum. » Terra nostra germinavit spinas, et tribulos, sed Dominus per beatam Virginem dedit benignitatem ; unde sequitur : Terra nostra dabit fructum suum ; quia beata Virgo de sola benignitate Spiritus Sancti fertilis nobis dedit fructum suum, scilicet fructum salutis, filium non commixtione alterius procreatum. Comparatur etiam vermi propter fragilitatem, et fortitudinem; unde David vocatus est quasi tenerrimus ligni vermiculus (1). Licet enim vermis mollis sit, et fragilis, lignum, quod durum est, rodendo consumit. Quid autem mollius Christo, quantum ad misericordiam? Quid durius, quantum ad districtam justitiam? De hoc verme legitur in Jona (4, 7), quod præparatus in ascensu diluculi, idest gratiæ in mente hominis, percussit hederam, scilicet nitorem temporalium, et aruit (2) per contemptum; unde quantum contemni debeant, demonstravit. Hic est lapis, qui percussit statuam Nabuchodonosor, et comminuit. Hic est panis hordeaceus, qui evolutus in castra Madianitarum, idest dæmonum, tabernaculum eorum evertit. In verme etiam notatur occulta Dei vindicta, quæ nobis propter peccatum ab eo, qui dicitur virtus, et inflicta. Unde Osee (5, 12) : « Ego quasi tinea Ephraim, et quasi putredo domui Juda. » Tinea vestimentum, et putredo sine strepitu lignum consumit, ita quod tinea ex ipso vestimento, et putredo ex ipso ligno habet procedere. Sic Dei vindicta occulte exercetur quandoque in malis, quæ ex ipsorum pravis operibus eis innascitur, et originem ducit, tanquam tinea ex vestibus, et putredo ex ligno; et ideo convenienter dicit : Ego sum vermis, et non homo.

Hoc etiam dicit, ut nobis improperet sui adventus beneficium; quasi dicat : Non tantum factus sum homo vivens propter viventes, ut eos mihi attraham, sed etiam factus sum vermis, idest mortuus sum, ut tanquam vermis mortuorum corpora in terris latentia quærerem, et ab inferno animas eorum reducerem. Cum enim venerim quærere homines, volens eos mecum reducere, quorumdam inveni tantum corpora in terra, quorum animæ mediante mortis dissolutione, descenderant in infernum. Oportuit ergo et me mori, ut tanquam vermis corpora quærerem, et ad infernum descenderem, ut eos mihi attraherem. De hoc Osee sic prophetavit (33, 15) : « Adducet Dominus ventum urentem de deserto ascendentem, et siccabit venas mortis, et desolabit fontem ejus, et ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis. » Desertum terra est, quæ non est exarata, sed inculta. Hæc est beata Virgo, nullius viri opere fœcundata. De hac Deus Pater eduxit ventum urentem, idest Christum peccata tollentem. Et siccabit venas mortis, idest peccatum, et culpam, quæ sunt venæ mortis. Sed nota, quod dicit ventum, et urentem. Ventus enim consumit aquam in parte bibendo eam : Ignis vero, nil sibi de ea incorporando, consumit eam. Eleganter ergo Christus non tantum dicitur ventus, sed additur urens; ipse enim tanquam ventus sic pœnam nostram consumit, ut in parte eam sibi incorporet; unde, de torrente in via bibet. Culpam vero tanquam ignis sic annihilat, ut de ea nihil restet.

(1) II Reg. 23, 8.

(2) Vulg. : exaruit.

Sequitur : *Et desolabit fontem ejus*. Nascente enim Christo desolatus est fons mortis, idest diabolus, qui fons mortis dicitur, quia ab ipso suggestio, et per eam mors, maxime animæ. Desolatus est in passione, cum alligatus est a fortiori, et erepta sunt vasa ejus pretiosa, videlicet electi; unde additur : « Et ipse eripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis ».

Sequitur : *Opprobrium hominum, et abjectio plebis*. Hic notatur ignominia mortis ejus, quia non tantum pro nobis mortem sustinuit, quod supra dictum est, sed ignominiosam; quod ostendit, dicens : *Opprobrium hominum, et abjectio plebis*. De eodem dicit Apostolus (1) : *Factus* est pro nobis Patri *obediens, usque ad mortem* : Ecce mors. *Mortem autem crucis*: Ecce ignominia; quæ ignominia operata est nobis maximam gloriam. Ad quod significandum, signum crucis fronti nostræ imprimimus dicentes cum Apostolo (2) : « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. » Et cum Zachæo, qui justificatus interpretatur, ad videndum Christum in arborem sycomorum ascendimus. Sycomorus ficus fatua dicitur. Hæc est crux Christi, quæ licet mundo, et Gentili sit fatua, nobis tamen dulcis est, quibus per redemptionem propinavit mella; unde Apostolus : « Prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus stultitiam » (3). Quicumque igitur justificatus ut Zachæus turbas cogitationum vitare, et Jesum videre voluerit, necesse habet, ut hanc ascendat. Ascendit siquidem, dum infirmitatis suæ conscius, in virtute crucis gloriatur; et per hanc laudabilem fatuitatem, transeuntem Dominum aspicit in præsenti, in futuro visurus eum in æternitate.

SERMO XXXVIII.

Contra prælatos, et de eorum superbia, luxuria, et avaritia. Qualiter Christus per hæc tria peccata obsidetur.

Circumdederunt me vituli multi : tauri pingues obsederunt me (Psal. 21, 13).

Vitulus animal petulans est, et lascivum, et sine jugo. Multitudo ergo vitulorum, multitudo clericorum est in Ecclesia Dei, qui per superbiam, et lasciviam petulantes volunt esse liberi, et sine jugo Dei. De talibus dicit Job (11, 12) : « Vir vanus in superbiam erigitur, et tanquam pullum onagri se liberum natum putat. » Vanus est, qui sectatur vanitatem temporalium, de qua Jeremias (2, 5) : Dilexerunt (4) vanitatem, et vani sunt facti per superbiam. Ubi enim inflatio, ibi vanitas : Ubi vanitas, ibi superbia. Et tanquam pullum onagri se liberum natum putat, subtrahens se a jugo Domini, quod est leve. De eis dicit idem Jeremias (2, 23 et 24) : « Cursor levis explicans vias suas, onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui ». Cursor levis est caprea, quæ dicitur explicare vias suas propter velocem cursum, et saltus, quos de monte in montem facit. In hoc notatur superbia. De onagro dicitur, quod ad odorem venti constitutus in monte gliscit animal, cum quo coire cupit. In hoc notatur luxuria. Tales sunt quidam, qui in monte superbiæ constituti, ad odorem luxuriæ, primos motus videlicet sentientes, tantum delectantur in sola voluntate, quantum asinus in ipso opere.

Isti sunt onagri, scilicet prælati, qui ut dixit Jeremias (14, 6), steterunt super rupes (5), et attraxerunt ventum sicut dracones. Rupes sunt gradus eminentes in Ecclesia Dei ; Onagri, aliis præsidentes, qui cum deberent tanquam cervi serpentes attrahere de cavernis, idest peccata venenosa, et mortifera de subditorum pectoribus, nonnisi ventum attrahunt, qui solam delectationem in vanitate temporalium requirunt, de subditis non curantes. Inde est, quod de talibus dicit Dominus in Osee (8, 5) : *Projectus est vitulus tuus Samaria, iratus est furor meus in eos : quousque poterunt emendari* (6)? Samaria interpretatur custodia. Hæc est Ecclesia, quæ subest custodiæ prælatorum. Samariæ vitulus est prælatus Ecclesiæ, superbiæ, et luxuriæ libertate lasciviens, et talis a Dei conspectibus projectus est; unde sequitur : Iratus est furor meus in eos, dicit Dominus; et postea quærit : Quousque poterunt emen-

(1) Philipp., 2, 8.
(2) Galat., 6, 14.
(3) I Cor., 1, 23.
(4) Vulg. : Ambulaverunt post.

(5) *Vulg.* Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones.
(6) *Vulg.* Usquequo non poterunt emundari.

dari? Scilicet, quandiu perseveraverint in peccatorum spurcitia. Et ut ostendat, quam difficilis sit eorum emendatio, ad quæstionem non respondet, sed causam annectit, quam difficile emendentur, scilicet : Quia ex Israel est, quasi ex videntibus, et intelligentibus, videlicet ex prælatis, qui magis intelligentes sunt, et tamen difficilius emendantur, et emundantur. Cum igitur prælati sint vituli, restat, quod ad eorum exemplum subditi eorum fiant vituli sine jugo obedientiæ, carnis lasciviam sectantes. Versus :

Regis ad exemplum totus componitur orbis (1).

Hinc est quod de Aaron legitur in Exodo (32, 4), quod de ornamento inaurium conflavit vitulum populo. Aaron, licet bonus fuerit, in hoc tamen fuit malus, et interpretatur montanus; per quem significantur mali prælati quantum ad hoc negotium. Sicut enim mons ex aquis influentibus terras adjacentes fœcundat, et ipse remanet sterilis : sic quidam per prædicationem fœcundant alios, ipsi tamen steriles remanent ab operibus bonis. Imo quandoque, sicut Aaron, ex inauribus, idest ex obedientia vitulum faciunt, quia per sua prava opera de subditis obedientibus inobedientes reddunt, et in actu luxuriæ petulantes.

Sequitur : *Tauri pingues obsederunt me*. Tales prælatos alius Propheta, scilicet Amos (4, 1), dedignatur vocare tauros, unde vocat eos vaccas irrisorie, dicens : Audite verbum vaccæ pingues, ventri, et gulæ scilicet servientes, quæ estis in monte Samariæ, idest superbia, ut humiles confringatis; unde sequitur : « Quæ calumniam fecistis egenis, et confringitis pauperes. » Et post pauca prosequitur metaphoram de vaccis, de quibus præmiserat, dicens : Levabit (2) vos in contis. Vaccinæ carnes suspenduntur ad fumum, et ibi reservantur, donec comedantur. Sic dæmones carnes talium, quæ hic accurate nutritæ sunt, ad fumum infernalem suspendent, usque dum transeant ad majorem pœnam incendii. Unde sequitur : « Et reliquias vestras in ollis ferventibus : et tandem projiciemini in Armon, » idest infernum, ubi est anathema, et mœror, et dolor ineffabilis. *Armon* enim interpretatur anathema mœroris.

(1) *Ex Claud., de IV Conf. Honorii.*
(2) *Vulg.* Levabunt.

Sequitur : *Obsederunt me*. Christus prædictis malis, et peccatis, videlicet superbia, luxuria, avaritia se obsessum conqueritur. Sicut enim qui obsessus est, in imo loco coarctatur, ne possit se extendere ad aliquid, sic et Christus se obsessum indicat, quia prædictorum malorum obice non potest se extendere religio christiana. De hac obsidione dicit Jonas (2, 6), in persona Dei : *Circumdederunt me aquæ usque ad animam : abyssus vallavit me, pelagus operuit me* (3). Circumdederunt me aquæ, idest voluptates carnis fluxibiles : Ecce luxuria. Usque ad animam, idest usque ad suffocationem animæ. Vivit Christus in nobis, quandiu in ipso vivimus ; extinguitur autem in nobis, quando in eo per peccatnm extinguimur. Abyssus vallavit me : Ecce avaritia, cujus fundus non invenitur, et insatiabilis est. Pelagus operuit me : Ecce superbia. Sicut enim fluctus pelagi arenam illidunt, et operiunt, sic superbi, minores affligunt, et elationis suæ fluctibus, ne etiam aliquid esse appareant, afficiunt.

SERMO XXXIX.

Thema in passione Christi, vel Martyris, in quo petit liberari a quatuor, scilicet a framea, a cane, a leone, et ab unicorni; et qualiter transeundum est per terram diaboli.

Erue a framea, Deus, animam meam; et de manu canis unicam meam : salva me ex ore leonis : et a cornibus unicornium humilitatem meam. (Psal. 21, 21 et 22.)

Quatuor hic petuntur a Christo, scilicet ut eruatur *a framea*; ut liberetur *de manu canis;* ut salvetur *ex ore leonis;* ut eripiatur *ab unicornibus :* et hoc tam in se, quam in membris suis. Per frameam intelligitur pœnæ difficultas, et mortis angustia, a qua petit erui, de qua Zachariæ (13, 7) : « Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohæredem (4) mihi. » Loquitur Pater ad frameam suam, idest ad pœnam, qua transfigit hominem tanquam framea : *O framea*, idest, o pœna, et mortis angustia suscitare super pastorem meum, idest super Filium meum, ut eum perimas, et occidas, qui dicitur, pastor, ut in Evangelio : *Ego*

(3) *Vulg.* Caput meum.
(4) *Vulg.* Cohærentem.

sum pastor bonus (1). Et super virum cohæredem mihi; idest super eumdem Filium, qui in unitate substantiæ mihi cohæret. Cum igitur pœnæ framea suscitetur a Patre contra Filium, et Pastorem, cum immunis fuerit a peccato : multum timendum est servo inutili de pœna, cum multiplici irretitus fuerit culpa. Unde Ezechielis (1, 25) : « Cum fieret vox super firmamentum, quod erat super caput eorum, stabant, et submittebant alas suas. » Firmamentum istud est Christus, qui est super caput nostrum, quia incomparabiliter excellit omne opus bonum, et omnem justitiam nostram. Cum igitur fiat vox super ipsum, restat, ut nos submittamus alas nostras, idest bona opera, quibus in altum volamus: nec reputemus, ea esse alicujus momenti, vel valoris.

Sequitur : *de manu canis*. Canis iste est diabolus, qui indiscrete, et sine causa nobis oblatrat, nec nos sinit pacifice incedere per viam. Licet enim in quibusdam latrandi causam non habeat, in via hujusmodi semper inquietat, et per pravam suggestionem lacerare tentat. Hic est ille rex Sehon Amorrhæorum, de quo legitur Numerorum (21, 22), quod filii Israel rogaverunt eum, ut eos incedere permitteret per terram suam, dicentes : Non declinabimus in vineas tuas, vel in agros tuos, nec bibemus aquas ex puteis tuis. Sehon interpretatur tentatio oculorum. Hic est diabolus, qui diversæ tentationis oculis humanis laqueos ponit. Qui bene dicitur rex Amorrhæorum, qui interpretatur amaricans. Post tentationem enim oculorum, pœnarum amaritudinem infligit. Hunc debemus rogare, si Israelitæ sumus, ut permittat nos per terram, idest per mundun, in quo mundi amatores possidet, transire sine tentatione. Quod si dixerimus : Non declinabimus in vineas tuas, semper tamen nobis oblatrat. Sed quæ sunt istæ vineæ, in quas non debemus declinare? Illæ, de quibus dicitur : « Uva eorum uva fellis, et botri amarissimi (2). » Hæc est ira ; In felle enim irascimur. Hæc est, inquam, ira, quæ semper nos persequitur, et maxime illos, quos videt continentes. Naturale est odium inter draconem, et elephantem, idest inter diabolum, et continentem ; unde bene sequitur ; *Fel draconum vinum eorum*, videlicet ardor concupiscentiæ. Sequitur etiam de vineis istis : et venenum aspidum insanabile; hoc est mentis obduratio, quæ confessionem tollit. Sicut enim aspis obturat aures, ne audiat incantantes : sic obduratur in peccatis, ne vocem prædicatoris audiat, timens erui de latebris vitiorum, sicut aspis de caverna sua. Sequitur : Nec in agros tuos. Agri isti non sunt agri primitiarum, imo sunt maledicti, quibus maledixit David, quia in eis interfectus est Saul rex, et Jonathas; unde in secundo Regum (1, 21): « Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos, neque sint in vobis agri primitiarum. » Agri primitiarum sunt opera nostra bona prima, et electa. Illi vero *montes Gelboe* sunt, idest lubrici. Hæc est superbia, quæ de peccato in peccatum ruere facit, ut interficiatur rex Saul, videlicet ipse Christus, sicut Apostolus ad Galatas (3, 1) : « Ante quorum oculos Christus præscriptus est, et (3) crucifixus. » Jonathas etiam interficitur, qui interpretatur columba, videlicet donum Spiritus Sancti. Sequitur : « Aquas de puteis tuis non bibemus. « Aquæ istæ puteales, ad quas bibendas oportet incurvari, sunt deliciæ terrenæ, quæ sine peccato non hauriuntur. Sed aquæ viventes, apud Deum, salientes in vitam æternam.

Sequitur : *Salva me ex ore leonis*. Leo iste est diabolus, de cujus ore petit salvari, de quo Joelis (1, 6) : « Gens, ascendet super (4) terram meam fortis, et innumerabilis : dentes ejus ut dentes leonis, et molares ejus ut catuli leonis. » Dentes, quibus diabolus truncat, sunt prima peccata, quibus a charitate separat, et a corpore Christi abrumpit. Molares, quibus molit, et atterit, sunt peccata inveterata, et jam in consuetudinem deducta, quibus homo attritus vix potest resurgere. Sequitur : *Et a cornibus unicornium humilitatem meam.* Unicornis, alio modo vocatur rhinoceros, animal scilicet indignabundum, in nari sua habens cornu. Hic est diabolus, origo indignationis, et superbiæ. Hic habet in nari, idest in suggestione, quæ per nares intelligitur propter perceptibilitatem, cornu elationis, quia elatio præcedit peccatum. Contra hoc dicit in Job (40, 21) : *Numquid pones circulum in naribus ejus?*

(1) *Joan.* 10, 11.
(2) *Deut.* 32, 32 et 33.
(3) *Vulg.* in vobis.
(4) *Vulg.* ascendit in.

Hic est circulus, qui ibi describitur : Egressus ejus a Patre, regressus ejus ad Patrem. Hic est circulus, qui tanquam de puncto ad punctum reflectitur, cum de cœlo ad terram descendens, ad cœlum regreditur. Iste circulus ponendus est in naribus unicornis superbi. Poni autem non poterit, nisi per humilitatem, ad quam nos invitat, se circulum faciendo tum per exemplum, tum per præmium. Per exemplum; eo enim quod de cœlo ad terram descendit, humilitatem docuit : eo quod a terris ad cœlum rediit, ad præmii celsitudinem invitavit.

SERMO XL.

De quadruplici mensa. De triplici pane diaboli, quo malos reficit. Contra indigne sumentes corpus Christi. De triplici beatitudine, quam habent Sancti.

Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos, qui tribulant me (Ps. 22, 5).

Quadruplex enim est mensa. Prima videlicet dæmoniorum, quam non parat Dominus, sed dæmonium; de qua prima ad Corinthios (10, 21) : « Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum. » Est triplex mensa Dei, quam nobis parat Dominus : Mensa videlicet propositionis, refectionis, consummationis. In mensa dæmonium tres panes proponuntur, videlicet luxuriæ, avaritiæ, et superbiæ. De pane luxuriæ dicitur in Job (18, 15) : « Aspergatur in tabernaculo illius (1) sulphur. » In tabernaculo iniqui sulphur aspergitur, quoties carnalis delectatio in ejus mente dominatur. Per sulphur enim fœtor carnis accipitur. Et in Ezechiele (4, 12) : « Stercore, quod egredietur (2) de homine, operies, » panem tuum. Panis iste dicitur operiri stercore hominis, quia opus luxuriosum non tantum aliis, sed etiam ipsis luxuriosis ad invicem fœtet. De pane avaritiæ dicitur in eodem (4, 15) : « Dedi tibi fimum boum, et facies panem in eo. » Fimus boum sunt ista temporalia : Per boves autem, prædicatores, qui reputant ipsa tanquam stercora, sicut Paulus quando dicebat : *Omnia arbitror ut stevcora* (3). De istis etiam dicit Ecclesiasticus (22, 2) : « De stercore boum lapidatus est piger, scilicet de amore temporalium. » Piger dicitur, qui non se potest movere de loco suo propter suam segnitiem, de quo in Parabolis (26, 14) : « Sicut ostium in cardine vertitur, sic piger in lecto suo. » Ostium semper circa cardinem vertitur, nec unquam locum mutat. Sic piger semper deliberat an peccatum dimittat; nunquam tamen locum mutat, quia se a peccatis non separat. De pane superbiæ dicitur in Ezechiele (16, 49), quod causa peccati Sodomorum fuerit abundantia panis, et superbia vitæ, et otium. Hunc triplicem panem præparat in mensa sua diabolus, quibus suos reficiat comitantes.

Dominus autem in mensa sua propositionis præparat nobis panes, quibus reficiat suos amicos. Hæc est mensa sacræ Scripturæ, in qua tanquam in mensa propositionis, de qua legitur in Levitico (24, 5 ad 7), ubi sunt duodecim panes, videlicet doctrina duodecim Apostolorum; et patena aurea, æterna videlicet claritas : in auro notatur claritas, in rotunditate figuratur æternitas; et pugillus thuris, idest devotio orationis cum humilitate operis : In thure enim oratio, in pugno operatio, in diminutivo humilitas figuratur. Et bene ista tria conjunguntur : per panem enim sacræ Scripturæ nobis æterna claritas ostenditur, et ad illam obtinendam orationis devotio excitatur, de qua dicit vir justus : *Parasti in conspectu meo mensam*, quia non in conspectu malorum. *Adversus eos qui tribulant me*. Adversus enim omnem tribulationem valet, si in ea adhibeatur diligentia; Quod significabatur per manna, quod sapiebat unicuique quod volebat. Secunda mensa est rèfectionis, in qua Christus nobis præparat pretiosa fercula corporis sui, et sanguinis. De hac non habent edere, qui mensæ dæmonoirum communicant supradictæ. Unde Apostolus : *Non potestis communicare mensæ Christi* (4) *et mensæ dæmoniorum* (5) et iterum ad Hebræos (13, 10); Hoc est (6) altare, de quo non habent edere (7), qui tabernaculo, idest delectationi carnis deserviunt, scilicet ebriosi, luxuriosi, et hujusmodi. Unde in Exodo (12, 43

(1) *Vulg*. Ejus.
(2) *Vulg*. Egreditur.
(3) Philip., 3, 8.
(4) Vulg. mensæ Domini participes esse.
(5) Cor. 10, 21.
(6) Vulg. Habemus.
(7) Vulg edere non habent potestatem.

ad 48) dicitur : Hæc est religio Phase, videlicet corporis, et sanguinis Christi : « Omnis alienigena non vescetur (1) ex eo. » Alienigena est qui ab alio, quam a Deo est, videlicet qui est a patre diabolo per imitationem ; de quibus dicitur : *Vos ex patre diabolo estis* (2). Talis non vescitur corpore, et sanguine Christi. Neque omnis advena, et mercenarius. Advena dicitur, qui modo advenit, et statim recedit. Sic sunt quidam sacerdotes, qui dum celebrant sunt sacri, sacerdotis officium peragentes ; sed cum officium illud peregerint, per pravam vitam non videntur, imo quasi desinunt esse sacerdotes. Tales similes sunt Judæ, qui quandiu fuit in cœna cum Domino, fuit discipulus : ab eo recedens, factus est proditor pessimus. De talibus potest dici, quod de ipso Juda dixit Dominus : « Verumtamem manus tradentis me mecum est in mensa. » (Lucæ 22, 21). Tales non debent edere de Phase. Nec mercenarius, videlicet qui in spiritualibus mercedem temporalem finem constituunt, oculum habentes ad quæstum, non ad Deum, non attendentes ad illud Dei mandatum : *Quotiescumque hæc feceritis, in mei memoriam facietis* (3). Nec incircumcisus : Si quis enim vult edere de hac mensa, circumcisionem necesse est prætendere, ut non tantum peccatorum substantias, verum etiam circumstantias ex omni parte circumcidat ; quod notatur per præpositionem *circum*, verbo cœdendi additam.

Mensa tertia est consummationis, et æternæ jucunditatis, quam nobis præparavit Dominus, sicut ait in Evangelio : « Ut edatis, et bibatis super mensam meam in regno meo » (4). In hoc enim edemus fructus promissionis, qui signati sunt per fructus illos, quos attulerant Moysi exploratores missi in terram promissionis. Attulerunt siquidem ficum, uvam, et malum granatum. Ficus est spiritualis delectatio habita de contemplatione divinæ majestatis. Uva, de qua vinum exprimitur in torculari, est mysterium Incarnationis, de quo nobis elicietur vinum perfectæ cognitionis, unde nobis erit gaudium ineffabile. Hæc est illa corrigia calceamenti, ad quam solvendam Joannes dicit se indignum esse ; quæ tamen nobis soluta tunc manifeste videbitur. In malo granato sunt diversæ cellulæ, in quibus sunt grana cum propriis cellulis suis, et concluduntur sub uno cortice. Diversæ cellulæ sunt præmia Sanctorum in æterna beatitudine. Aliud enim est præmium Virginum, tanquam sub una cellula existentium, aliud Martyrum, aliud Confessorum. Cellulæ, sub quibus singula grana sunt, sunt propria merita singulorum. De his Isaias : « Universi dormierunt in gloria, unusquisque (5) in domo sua » (6). Pro varietate enim virtutum, varietates sunt habitationum ; unde singuli de beatitudine gaudebunt singulorum. Quæ tamen omnia sub eodem sunt cortice, quia una et eadem est claritas omnium. Hoc triplex gaudium signatum est in ficu, uva, malo granato, quod allatum est de terra promissionis.

SERMO XLI.

In festo Martyris, vel Confessoris Pontificis. De innocentia manuum, et munditia cordis, et benedictione Domini.

Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo, etc. (Psal. 23, 5.)

Hoc legitur in festo Martyris, vel Confessoris, cui bene convenit quod hic dicitur: *Innocens manibus, et mundo corde, qui non accepit in vanum* (7) *animam suam, nec juravit in dolo proximo suo*. Innocens siquidem fuit manibus, non timens verbum illud Isaiæ (1, 15) : « Cum multiplicaveritis orationes (8) vestras, non exaudiam : manus enim vestræ sanguine plenæ sunt, » illo videlicet sanguine, de quo in Ezechiele: (3, 18) « Si dicente me ad impium : Morte morieris : non annunciaveris ei, ipse in iniquitate sua morietur, sanguinem ejus de manu tua requiram. » Felix ergo ille qui curam animarum sibi traditam sic procurat, et peragit, ut non timeat imperium verbi hujus, ne possit requiri sanguis de manibus ejus. Vere talis est innocens manibus : quem etiam oportet esse mundum corde ; et ideo bene ista duo conjunguntur :

(1) Vulg. comedet.
(2) Joan. 8, 44.
(3) Ex. I Cor. 11, 24 ad 26.
(4) Lucæ 22, 30.

(5) Vulg. vir.
(6) Isa. 14, 18.
(7) Text. hebr. Vulg. *vano*.
(8) Vulg. *orationem*.

Innocens manibus, et mundo corde. Non enim sufficit esse innocentem manibus, si corde fuerit quis immundus; unde Michææ (2, 1) : Væ, qui cogitatis inutile; non enim dicit noxium, quod majus est, sed inutile : Et operamini malum in cubilibus vestris, idest in cordibus : et tamen illud manifestum est; unde sequitur : In luce matutina faciunt illud. Quasi dicat : Quamvis hæc in occulto cordis agatis, tamen Deo ita patent, tanquam in luce hæc ageretis. Tales illudunt Domino, qui velantes faciem Christi, et dicentes : *Prophetiza nobis*, *quis est*, *qui te percussit* (1)? De eodem dicitur in Proverbiis (11, 20 et 21) : « Abominabile est Domino cor pravum. Manus in manu non erit innocens malus; Quasi dicat : Quamvis sit manibus innocens, corde tamen non erit innocens, quod malitia plenum est. Ejice ergo eam, ut sis mundo corde, sicut manibus innocens. Unde Jeremiæ (4, 14) : « Lava a malitia cor tuum, ut salva fias : usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? »

Sequitur : *Qui non accepit in vanum animam suam*, quod facit qui non negligit scientiam Dei. Sapientiæ (13, 1) : « Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei. » Subest, dicit, quasi fundamentum. Sequitur : « Nec juravit in dolo proximo suo. » Qui curam animarum accepit, Deo siquidem jurat, idest firmiter promittit, quod omnes animas sibi commissas, tanquam bonus pastor, Deo in judicio repræsentabit; unde in Proverbiis (6, 1) : « Si spoponderis pro amico tuo, defixisti manum tuam apud extraneum. » Defigere manum est firmiter promittere, animas sibi subditas solicite instruere, et Deo committenti reddere. Et bene dicitur, apud extraneum. Deus enim, non tanquam familiaris, sed tanquam extraneus pro eis, districtam exiget rationem ab eo, in cujus manus eas custodiendas tradidit. Unde Osee (9, 8) : « Speculator Ephraim cum Deo meo : propheta factus est laqueus ruinæ » populi. Constitutus enim tanquam speculator in gregem Domini, cum deberet ejus partes agere; non Domini, sed suas agit, et ita factus est ruina populi; et ideo non accipiet *benedictionem a Domino*, quam *accipiet* qui non jurat *in dolo proximo*, *innocens manibus*, *et mundo corde*.

(1) Matth. 26, 18.

De ista benedictione dicitur in Deuteronomio (33, 13 et 14) : « De benedictione Domini terra ejus; » supple, repletur : « Et de pomis cœli, et rore, et abysso subjacente. De pomis fructuum solis, et lunæ. » Poma cœli cœli; et poma solis, et lunæ : duo notantur hic pomorum genera. Poma cœli sunt fructus æternæ gloriæ. Poma solis, et lunæ sunt fructus justitiæ. Poma cœli habebunt Sancti in futuro, quia æterna gloria reficientur. Poma solis, et lunæ, idest fructus justitiæ habent in præsenti. Fervet calor in sole, abundat humor in luna. Luna est Ecclesia; sol est ipse Christus, ad cujus calorem, mediante humore lacrymarum, et devotionis ejus, generantur, et nutriuntur in præsenti fructus justitiæ per Dei gratiam, et doctrinam ejus. Et bene inter poma cœli sunt poma fructuum, qui sunt labores operum, in quibus laboribus, quasi in cibis dulcibus delectari debemus, juxta illud Psalmi (127, 2) : « Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit. » Et bene poma solis, et lunæ apposita sunt in rore, et abysso subjacente; quia per rorem cœlestis gratiæ, et per abyssum, idest per flumina procedentia de Christi effosso latere, videlicet per sacramenta Baptismi, et Eucharistiæ conferuntur, et conservantur in nobis fructus vitæ, et justitiæ. Simile vide in Apocalypsi Joannis, qui vidit fluvium, et ex utraque parte fluvii lignum vitæ, afferens fructum suum (2). Fluvius iste est fluvius misericordiæ, habens quasi duas ripas, et in medio lignum fructum afferens, quia nos pascit Christus in præsenti per fructum justitiæ, et in futuro satiabit per fructum æternæ gloriæ.

SERMO XLII.

De adventu Dei duplici, in quo misericordia, et veritas. De requirentibus testimonia, et testamentum ejus.

Universæ viæ Domini misericordia et veritas, requirentibus testamentum ejus, et testimonia ejus. (Psal. 24, 10.)

Annunciantur hic nobis a Propheta duo adventus, unus in humilitate, alter in potestate; unus in mansuetudine, alter in rigore; unus in misericordia, alius in veritate.

(2) Apoc. 22, 1 et 2.

Et quamvis sint infinitæ viæ Domini, in iis tamen duobus includuntur : *Universæ viæ Domini, misericordia, et veritas.* Hoc autem apparet non quibuscumque, sed *requirentibus testamentum ejus, et testimonia ejus.* Requirentes testimonium, invenient misericordiam. Sciendum autem quod testamentum dicitur rei memorabilis memorabile signum. Unde Gregorius : Cum fit pactum (1) inter aliquos, constituitur acervus lapidum, vel hujusmodi in loco, ubi fit pactum, in memoriam pacti. De hujusmodi acervo dicit Propheta (2) : « In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. » Considerans enim Propheta pactum, quod fecit nobis Deus Pater de Filio incarnando, et viam qua venit ad nos ipse Filius, in qua fuerant quinque lapides fixi et coacervati; videlicet, quod descendit de æqualitate Patris in uterum Virginis, de utero in præsepium, de præsepio in crucis patibulum, de patibulo in sepulcrum, de sepulcro in cœlum ascendens : hæc, inquam, testimonia considerans, gaudebat, et in eis delectabatur, sicut in omnibus divitiis spiritualibus. De hoc testimonio dicitur in Josue in fine (24, 26), quod Josue tulit lapidem pergrandem, posuitque eum sub quercu (3), quæ erat in sanctuario Domini. Quercus in sanctuario est crux Domini in Ecclesia; lapis est soliditas divinæ majestatis. Hanc igitur verus Josue, idest Jesus Christus posuit sub quercu, quæ quasi leprosa dicitur esse, quia sub infirmitate carnis in cruce passæ, divinitatis soliditatem, et potentiam occultavit, et sola carnis infirmitas apparuit.

Hoc autem solum fecit de misericordia, quæ apparet *requirentibus testimonia ejus;* qui enim inquirunt testimonia, inveniunt misericordiam, sicut supra diximus. Hanc etiam reperimus in Genesi (31, 22 ad 52), ubi legitur, quod Laban insecutus est Jacob fugientem, et eum in monte Galaad comprehendit, ubi pacem fecerunt comportato aggere de non transgrediendo acervo testimonii unius contra alium. Laban, qui interpretatur dealbatio, est ipse Dominus, qui Jacob fugientem, idest peccatorem fugitivum insequitur per suos prædicatores, quandoque etiam per immissam infirmitatem, et comprehendit ita quod fœdus ineunt aggere comportato, videlicet peccator pœnitendo, et confitendo peccata sua et Dominus dimittendo, et virtutes inserendo; peccator de non peccando iterum contra Dominum, quod esset transgredi acervum, et Dominus de non inferendis pœnis de peccatis jam commissis. De hoc acervo legitur in Job (22, 24) : Dabit pro terra silicem, et pro silice torrentes aureos indeficientes. Dominus scilicet dabit pro terra, idest pro luto peccatorum silicem, idest virtutum fortitudinem, et pro silice torrentes aureos, idest abundantiam æternæ felicitatis; et ita requirentibus testimonia apparet via misericordiæ.

Requirentibus vero *testamentum* apparebit via veritatis. Testamentum siquidem istud est Christi passio et mors, ex qua sicut ex testamento nobis debetur hæreditas æterna, si tamen timuerimus eum, sicut infra in eodem hoc Psalmo : *Firmamentum est Dominus timentibus eum, et testamentum ipsius ut manifestetur illis.* Hoc est illud testamentum, de quo in Genesi (15, 18), et in Apostolo ad Galatas (3, 16) dicitur, quod Abrahæ dictæ sunt promissiones, et semini ejus. Hoc autem testamentum confirmatum nemo spernit, idest spernere debet, vel superordinat. De hoc testamento dicit Psalmista (73, 20) : « Respice, Domine, in testamentum tuum, quia repleti sunt, qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum ; » Quasi dicat : O Domine, respice in testamentum tuum, reddens quod promisisti non ex meritis nostris; unde sequitur : quia repleti sunt terræ, idest amore terrenitatis, qui obscurati sunt amore carnali circa propinquos, quasi hamo iniquitatis scilicet diaboli. De hujusmodi obscuratione dicitur in Job (15, 27) : « Operuit faciem ejus crassitudo, et de lateribus ejus arvina dependet. » Crassitudo ista est terrena abundantia, quæ obscurat mentis intuitum, ne videre possit cœlestia. *Arvina dependens de lateribus* est amor carnalis circa propinquos, a bonis operibus quandoque retardans. De testamento isto dicitur in Psalmo (49, 5) : « Congregate illi Sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia. » Bene dicit super sacrificia, quia per sacrificia pervenitur ad testamentum, idest per carnis macerationem ad æternam beatitudinem. Quod signatum est in veteri testa-

(1) *Cum fit pactum, etc.* Inaniter laboravimus in perquisitione hujus testimonii.

(2) Psal. 118, 14.

(3) Vulg. *subter quercum.*

mento. In tabernaculo enim Domini ab altari holocaustorum per altare thymiamatis fiebat processus ad arcam Testamenti. Ita si tu vis venire ad arcam æternæ beatitudinis, oportet te incipere a maceratione carnis, quam Deo offeras, et mediante orationis sacrificio, erit tibi accessus ad eam (1).

SERMO XLIII.

De triplici ablutione, scilicet faciei, lecti, et manus, quæ fit in pœnitentia.

Lavabo inter innocentes manus meas. (Psal. 25, 6.)

Lavare debemus faciem, lectum, et manus. De primo : *Unge caput tuum, et faciem tuam lava* (2). De secundo : *Lavabo per singulas noctes lectum meum* (3). De tertio hic : *Lavabo inter innocentes manus meas.* Hæc sunt illa tria lavatoria, quæ erant in tabernaculo, videlicet aqua lustrationis, sive expiationis, Mare æneum, et Luteres. In his lavare debemus faciem, lectum, et manus. In aquis expiationis debemus lavare faciem, secundum illud quod legitur in Numeris. Quoniam si quis tetigisset mortuum per se, vel occisum, aut os illius, vel sepulcrum, sumebat aquas vivas, et aspergebat super cineres, et sic ex illis aspergebatur, et mundabatur. Mortuum per se est aliquis peccans per se, non per suggestionem. Occisum est aliquis peccans per suggestionem, vel exemplum alterius. Os in sepulcro est peccati occultatio. Sepulcrum, sive ossis extractio est peccati manifestatio. Tu ergo, si tali peccato infectus fueris, ita mundari poteris, scilicet si accipias aquas vivas, scilicet lacrymas veræ contritionis, cum cineribus tamen, idest memoria dominicæ passionis. Nihil enim movet ita hominem ad veram contritionem, et pœnitentiam, sicut memoria passionis domini. His assumptis, lavabitur facies mentis deformata, et infecta per peccatum.

In Mari æneo, idest in confessione debemus lectum lavare conscientiæ, secundum illud : Lavabo per singulas noctes lectum meum. Sed quare per mare æneum intelligitur confessio? Debemus attendere quod mare æneum vocabatur *mare*, nec tamen habebat amaras aquas, nomen habens maris, non existentiam. Et æneum erat. In æris sonoritate confessio designatur, quæ licet amara esse videatur per ruborem, et lacrymas defluentes exterius, dulcedinem tamen serinitatis conscientiæ generat interius. Hoc mare habebat labium ad modum calicis, quasi expansi exterius. A labio gustatur calix. Calix ergo est gustus dominicæ passionis, de quo dicitur : Transeat a me calix iste (4), qui debet gustari, et in omnibus membris diffundi; ut sicut in omnibus membris mortuus est Christus, sic in nobis moriatur omne corpus peccati, et sic habebimus labium quasi repandi lilii (5) per meditationem dominicæ resurrectionis. In hoc lavacro lavatur lectus, sicut dictum est, eundo per singulas noctes, idest per singula peccata, ea confitendo. Inde est, quod in illo lavacro dicebantur esse duo versus sculptarum historiarum. Historia plene rem narrat, et prosequitur; nec sufficit ei rem prosequi, nisi et rei circumstantias prosequatur, videlicet quo loco, quo modo, quo tempore res facta fuerit. Sic et confessio non solum peccatum, sed et circumstantias manifestat plene, et nude, sicut historiographus. Et bene duo versus esse dicuntur, quia et mala perpetrata patefacit, et bona, quæ negligenter dimisit, dicere non omittit.

In Luteribus hostiæ lavabantur, et sic offerebantur; et sic habebant labium recurvum interius, non exterius sicut mare æneum. Non enim sufficit, si habeamus opera innocentia, nisi ex intentione pura procederent. Sic et tu quamvis mundus fueris exterius, cum innocentibus permanens, laves opera tua per confessionem, quæ per agnum, qui debebat offerri, intelligitur; et postquam laveris, habeas labium recurvum interius, ut ad mentem, et intentionem tuam respicias, considerans ex qua radice procedant opera, et demum offerre poteris.

(1) Ex S. Aug., l. II, quæst. in Heptateuch., qu. 177, al. 174, de Tabern., et ex Beda, de Tabern., l. II, cap. 1.
(2) Matth. 6, 17.
(3) Psal. 6, 7.
(4) Matth. 26, 39.
(5) III Reg., 7, 26.

SERMO XLIV.

De obsidione diaboli adversus animam, et de defensione nostra.

Si consistant adversus me castra, non timebit cor meum : si exurgat adversus me prælium, etc. (Psal. 26, 3.)

De his castris, et de hoc prælio, quibus in præsenti affligimur, dicitur in Ezechiele (4,1 et 2) : « Fili hominis, sume tibi laterem, et scribe (1) in eo civitatem Jerusalem : et ordinabis obsidionem contra eam, et ædificabis munitiones, et comportabis aggerem, et dabis castra contra eam, et pones arietes in gyro. » Per laterem intelligitur mens humana per fragilitatem ipsius carnis, quæ sumenda est per considerationem. In ea describenda est Jerusalem, idest præmia æternæ beatitudinis. Attendere etiam debemus æterni præmii felicitatem, et ipsius carnis fragilitatem, ut secundum posse nostrum pugnemus pro ea obtinenda contra inimicos nostros. Unde Hieronymus (2) : Caro fragilis, et cinis futura post modicum, una (3) pugnabit cum pluribus. Sequitur : *Ordinabis obsidionem.* De hac obsidione, quæ in mente nostra ordinanda est, dicitur primo Regum (11, ad 9). quod Naas Ammonites obsedit Jabes Galaad. Cumque petiissent obsessi ab eo fœdus, ait : « In hoc ponam (4) vobiscum fœdus, ut eruam vobis omnibus (5) oculos dextros. » Quod audientes, miserunt ad regem Israel ; qui dixit : Mane (6) cum incaluerit sol, erit vobis salus. Jabes interpretatur exsiccata, et signat mentem, quæ debet esse arida et sicca a fluxu vitiorum : quæ dicitur esse Galaad, quæ interpretatur acervus testimonii, quia talis mens sacræ Scripturæ intendit, in qua auctoritatum diversarum testimonia, tanquam diversi lapides sub acervo, quibus vulnerare, et transfigere debet adversarium, ad exemplum Christi, quasi jaculis, diaboli tentationem transfodientis. Hæ sunt aquæ, de quibus dicitur per Nahum (3, 14) : Aquas (7) propter obsidionem eme (8) tibi, videlicet auctoritates sacræ Scripturæ : extrue munitiones tuas, ut eis reficiaris, si quando obsessus fueris a diabolo per tentationes. Naas interpretatur serpens, per quem diabolus intelligitur. Qui bene dicitur Ammonites, quod interpretatur comprimens, vel coangustans, quia quem non potest tanquam serpens superare dolis, et fallaciis, tentat decipere in tribulationibus, et pressuris ; et ita mentem obsidet, neque vult fœdus inire, nisi eruat dextros oculos ejus, videlicet quibus respicimus ad æterna. Sed nos *fœdus* hujusmodi respuentes, debemus mittere orationis nuncios ad verum regem Israel. Quod si facimus, ipse dicit : Mane cum sol incaluerit, erit vobis salus ; quia si per noctem hujus vitæ tentationes sustinuerimus, eis fortiter resistendo, in mane gloriæ ressurrectionis salutem recipiemus. Tunc enim « sicut fluit cera a facie ignis, sic peribunt inimici a facie Dei » (9). Unde Job (6, 17) : « Cum incaluerit sol, fluent (10) de loco suo. » Sequitur : Ædificabis munitiones, et comportabis aggerem, aggerem videlicet virtutum contra aggerem tentationum.

In hac munitione semper debemus assistere, et perseverare, et timere : fragilis enim est, nisi servetur per humilitatem. Unde Nahum (3, 12) : « Munitiones tuæ sicut ficus cum grossis suis : si concussæ fuerint, cadent in os comedentis. » Munitiones sunt, ut diximus, virtutes, et virtutum opera, quæ concussæ per tentationem de facili amittuntur, nisi caute custodiantur. Unde Habacuc (1, 10) : « Ipse super omnem munitionem ridebit, et comportabit aggerem, et capiet eam. » Loquitur de diabolo, qui asportat *aggerem* vitiorum contra munitionem bonorum operum, contra quam ridet, cum non inveniat firmitatem in ea, et capit eam. Sequitur : Dabis contra eam castra. Castra sunt vitiorum contubernia, in quibus quædam principantur, ut septem principalia ; quædam, scilicet minora, sub illis quasi sub principibus militant. Hæc dantur contra mentem, cum consideratur, et prævidetur eorum pugna, ut homo eis resistat. De his dicitur in Job (39, 25) : « Procul odoratur bellum, exhortationes ducum, et ululatum exercitus. » Vir enim sanctus

(1) *Vulg.* Describes.
(2) Epist. ad Eustoch. de cust. virginit.
(3) In editis, pugnabit sola.
(4) *Vulg.* Feriam.
(5) *Vulg.* Omnium vestrum.
(6) *Vulg.* Cras.
(7) *Vulg.* Aquam.
(8) *Vulg.* Hauri.
(9) Psal. 67, 3.
(10) *Vulg.* Et ut incaluerit, solventur.

per equum significatur. *Procul odoratur bellum*, qui considerat, et pensat tentationes diaboli, quomodo ex zelo iram, ex pietate remissionem, ex mansuetudine torporem, ex justitia crudelitatem eliciat. Considerat etiam exhortationes ducum, scilicet septem vitiorum principalium, et ululatum exercitus, idest aliorum vitiorum ex septem vitiis procedentium. Et bene attribuitur exhortatio septem vitiis principalibus, et ululatus aliis vitiis. Exhortatio enim rei rationalis est : ululatus brutorum irrationalium. Septem enim vitia, quasi (*Lacuna in Codice*) ornata, ex ratione procedere se palliant. Dicit enim luxuria : Quare Deus fecit marem, et feminam, nisi ad hoc ut commiscerentur carnali copula? Gula dicit : Quare fecit Deus cibum diversi generis, nisi ad comedendum illa? Et sic de cæteris : unde muneribus Dei detrahis, si non vis uti eis, quæ Deus pro te creavit. Inanis gloria dicit : Bonum est cathedras appetere, non ut prosit, sed ut præsit; qui enim episcopatum desiderat, bonum opus desiderat (1). Alia vero, tanquam bruta animalia, sunt excusatione carentia. Sequitur : *Pones arietes in gyro*. Arietes sunt impetuosæ tentationes dæmonum, quæ vehementer domum mentis, ut dejiciant, concutiunt, quas cavere debemus, quantum possumus. Est enim quædam tentatio diaboli impetuosa, et aspera; unde Job (14, 18 et 19) : « Mons cadens defluit, et saxum transfertur de loco suo. » Est quædam mollis et lenta; unde in eodem sequitur : *Lapides excavant aquæ, et alluvione terra consumitur*. Ad hujusmodi tentationes non timebit cor meum, dicit vir justus : imo ero similis equo, qui sonitum tubæ audiens dicit : Vah ; hoc est invitatur ad bellum per sonitum tubæ.

SERMO XLV.

Quod qui petit temporalia, nil petit, quia nihil sunt. Qualiter quærendus est Deus, et ubi invenitur. Et de septem beatitudinibus corporis.

Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini, et videam voluptatem ejus. (Psal. 26, 4.)

Unam siquidem petitionem, unam æternæ felicitatis beatitudinem debemus quærere; et non tantum debemus quærere, sed et requirere, non multiplicia, non diversa, videlicet temporalia. Et quia hanc non requirimus, in Evangelio a Domino arguimur, dicente Evangelio : *Usque modo non petistis quidquam* (2). Qui enim petunt temporalia, nihil petunt; unde subjungit Dominus ipse : *Petite*, quasi dicat : Unum solummodo petite, et *accipietis*. Inde est quod dicitur Osee (6, 4) : « Misericordia vestra quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens; quasi dicat : Hæc est misericordia, quam petistis a Domino, ut scilicet det vobis temporalia, sed ipsa vobis erunt inutilia. Sunt enim tanquam ros mane pertransiens, et quasi nubes matutina. Sicut enim ros ante solis ardorem herbis parat refrigerium, et eas protegit, sed cum jam venerit fervor solis, cum magis eis esset necessarium refrigerium, ros cessat, et desiccatur : sic amor temporalium in præsenti aliquantulum præstat refrigerium, sed in fervore judicii, cum magis esset necessarium, nullum præstare poterit refrigerium, nec juvare; imo peribit ipse. Et quasi nubes. Nubes similiter cessat parare refrigerium in meridie cum fervet sol, cum magis esset necessarium : sic temporalia non juvant hominem, cum magis indigeret, scilicet in morte. Item dicit Nahum (2, 8) : « Ninive quasi piscina aquarum aquæ ejus. » Ninive est mundus iste exterius apparens speciosus, cujus aquæ, idest fluidæ deliciæ sunt quasi aquæ piscinæ, quæ cito arescunt, videlicet in æstate futuræ vitæ. Unde Ecclesiastici (5, 1) : « Noli attendere ad iniquas possessiones : nihil enim tibi (3) proderunt in die judicii, et obdurationis. » Et postea quasi mundus alloquatur, et reprehendat dilectores suos, subjungitur in Nahum (2, 8 et 9) : « State, state, et non est, qui revertatur. Diripite argentum, diripite aurum. » Quasi dicat : Nullus vestrum aliquid de temporabilus secum asportare poterit; sed ipsi in morte vacui recedent.

Et bene dicuntur esse quasi nubes matutina. Sicut enim sole inclarescente nubes evanescit in nihilum, sic ista temporalia, cum veritas apparuerit, quasi nihil reputabuntur. Unde in libro Sapientiæ (5, 6 ad 12) ipsi mundi amatores ita confitentur erro-

(1) I Timoth., 13, 1.
(2) Joan., 16, 24.

(3) Vulg. nihil enim proderit in tempore vindictæ, et obductionis.

rem suum, dicentes : « Erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non illuxit nobis. Transierunt omnia sicut umbra, et sicut nuncius præcurrens (1) et sicut navis, quæ pertransit fluctuantem aquam, et sicut sagitta in locum destinatum emissa. » Temporalia umbræ comparantur eleganter. Quia sicut nihil vanius umbra, et qui eam amplectitur, sic nihil vanius temporalibus, et nihil solidum tenet qui ea amplectitur. Unde Ecclesiastici (34, 2) : « Quasi qui persequitur ventum, et apprehendit umbram, sic qui attendit ad visa mendacia. » Qui sequitur ventum non faciet ventum reverti : neque quis poterit dies jam elapsos, vel temporalium transitum revocare. Nuncius præcurrens dicuntur ista temporalia, quasi doloris futuri, et confusionis sunt prænuncia. Unde *risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat* (2). *Sicut navis, etc.* Navis exponit se inimicis suis, scilicet vento, et mari, et ventus in rupes et cautes impellit, et mare submergit : sic gloria hujus sæculi est quasi navis exposita vento tentationis, et periculo æternæ damnationis. *Et sicut sagitta.* Sagitta in altum missa cito decidit, quia mortuas habet pennas : sic gloria mundi transit, et cadit de facili, quia mortua habet opera. Pennæ vivæ sunt bona opera, quæ in altum de facili diriguntur, et faciunt evolare ad æternam beatitudinem obtinendam : Bene ergo dicitur : *Unam petii a Domino.*

Hanc nos debemus tantum quærere cum Magdalena. Quæsivit enim primo Dominum in sepulcro, et non invenit nisi sudarium. Requisivit, et invenit in horto Dominum. Quæramus et nos, ut postquam invenerimus sudarium, iterum quærentes inveniamus ipsum Dominum. In sudario notatur labor, et laboris renovatio. Post laborem enim sudamus, et cum sudario sudorem abstergimus, ut ad laborem iterum validiores surgamus. Sudarium igitur reliquit quærenti Magdalenæ, ut innueret, quod, si quæramus Dominum cum labore, idest maceratione carnis, et bonorum operum frequentatione, Dominicam recolentes passionem, qua tanquam sudario sudorem nostri laboris tergamus, et iterum requirentes eum, in horto inveniemus, sicut ipsa invenit in horto Dominum. In horto inveniri voluit, ut ostenderet, quod amissas in horto delicias restauraret. Item ad docendum, quod sicut hortulanus circa culturam horti est sollicitus, ut fructum faciat, sic circa hortum mentis nostræ simus solliciti plantando, et inserendo eum novis virtutibus, ut fructus bonorum operum reddat. In tali siquidem horto invenitur Dominus. Unde in Canticis : Quo abiit dilectus tuus? dilectus meus descendit in hortum suum ad areolas (3) aromatum (4) idest virtutum odorem gratum spirantium. Bene ergo dicitur : *Hanc requiram.*

Et ut notificet, ac quid requirat, adjungit : *Ut videam voluptatem Domini*, et videndo delecter. Sicut enim exterior oculus non illuminatur nisi videat : sic nec interior delectatur nisi videat, idest non percipit delectationem summæ beatitudinis, nisi per contemplationem eam intueatur. Sequitur secundum aliam litteram (5) : Et protegar a templo sancto ejus. Hoc ad stolam corporis pertinet, in qua septem considerantur beatitudines. Speciositas; unde fulgebunt justi, sicut sol. Agilitas; unde tanquam scintillæ in arundineto. Hanc ostendit Dominus, cum ambulavit super undas. Libertas; ut libere transire possit, quo voluerit. Hanc habuit Dominus de sepulcro exiens clauso, et ad discipulos foribus clausis ingrediens. Voluptas, quæ erit in concordia harmoniæ, quæ erit in conjunctione corporis, et animæ, quæ notatur ubi dicitur : *Exurge psalterium, et cithara* (6); ibi enim pro psalterio, et cithara caro intelligitur. Sicut enim in his, et ex his duobus maxima resonat melodia : sic ex conjunctione corporis, et animæ maxima percipietur delectatio. Incorruptio; quia tunc erit mulier amicta sole. Sicut enim solaris radius si percutiatur, et tundatur, non læditur, vel corrumpitur, sic nec corpus glorificatum ullo modo corrumpi poterit. Fortitudo; quia nihil eis poterit resistere. Immortalitas; unde et mors non erit ultra.

(1) Versio Græca LXX, Vulg. percurrens.
(2) Prov. 14, 13.
(3) Vulg. areolam.
(4) Cant. 5, 17; et 6. 1.
(5) Secundum aliam litteram, etc. Apud S. Hieronymum, Commentar. in Psalmum 26.
(6) Psal. 56, 9.

SERMO XLVI.

De spe cordis in Domino. Quod avari facti sunt quasi columba seducta non habens cor.

In Deo speravit cor meum, et adjutus sum; et refloruit caro mea. (Psal. 27, 7.)

In Domino debemus sperare. Unde: « Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus, et erit quasi lignum, quod plantatur (1) super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, et non timebit, cum venerit æstus » (2). Confidit, et erit fiducia. Confidit, dicit, ut notetur spes, et perseverentia spei. Quod plantatur; quia sicut dicit Gregorius (3): Plantæ transferuntur (4), ut crescant. Nos autem, qui sumus plantæ Dei, oportet transferri a temporalibus, quæ sunt quasi terra arida, ad æternas aquas, gratia divinæ misericordiæ. Mittit radices. Radix est firmitas arboris: sic et spes nostra firmitas totius hominis interioris. Per radices ergo significantur cogitationes, per spem radicatæ in Christo ad humorem gratiæ. Non timebit cum venerit æstus, scilicet tentationis, tribulationis, judicii. Et nota, quod spes duo vitia habet sibi opposita; scilicet præsumptionem, qua scilicet quis nimis confidit; et desperationem, qua de misericordia quis nimis diffidit. Contra hæc duo vitia medicinam habemus in secunda canonica epistola Petri (3, 8): « Apud Dominum mille anni sicut unus dies; » Hoc contra præsumptionem: Et unus dies sicut mille anni; Hoc contra desperationem. Quasi dicat: Quamvis totum corpus tuum in peccatis consumpseris, noli tamen desperare, dummodo unus singultus in te remaneat, et velis conteri de peccatis; quoniam unus dies sicut mille anni sunt apud Dominum, idest ita Deus paratam dabit tibi gratiam, ac si mille annis bene operatus esses.

Sequitur: *Cor meum.* In Domino non potest sperare qui non habet cor. Sunt autem quidam, qui non habent cor, de quibus in Osee (7, 11): « Ephraim factus sicut (5) columba non habens cor. Ephraim fructificans. Nos debemus esse fructificantes, qui quotidie compluimur verbo prædicationis, sed sumus sicut columba, nidificantes, ubi pullos amittimus. Unde in eodem Osee: « Ægyptum invocabant, et ad Assyrios abierunt. Per Ægyptum temporalia; per Assyrios dæmones. Assyrii sublimes interpretantur. Sequitur: Sicut columba non habens cor. Cor sedes est sapientiæ; in ipso scripto est lex naturæ. Cor perdit ille, qui similis est scrabonibus habentibus semper ora circa stercora. Hic est detractor, qui se totum immergit in immunditiis aliorum. Cor perdit sus, idest luxuriosus, qui se volvit in voluptatibus luxuriæ. Cor perdit canis rediens ad vomitum. Et sic omnes ibi non habent cor per ebrietatem, per avaritiam. Avarus enim mentitur se esse majorem, quam sit. Unde Hieronymus (6): « Parvo hominis corpusculo urbium rura non sufficiunt, » sed angustatur mente, dilatatur possessione. Quomodo intrabit per angustam viam, sine porta, quæ ducit ad vitam, scilicet confessionis? Ubi oportet serpentem per angustum foraminis pellem exuere si velit intrare; ubi cum tanta difficultate transit serpens gracilis: quomodo transibit grandis, idest avarus? Iste non habet cor, quia non est in ipso scripta lex naturalis. Lex naturalis vult omnia esse communia. Item ebrius perdit cor; unde Ecclesiastici (31, 22 et 23): « Quam sufficiens est homini erudito vinum exiguum. » Ibidem: Vigilia, et cholera, et tortura viro infruntio, idest glutoni, et insipienti.

Sequitur: *Et refloruit caro mea.* De qua refloritione, Osee (14, 9): « Ego exaudiam, et dirigam eum, ut abietem virentem; alia translatio (7) habet, juniperum virentem, supple, dedi eum. Juniperus semper facit novos fructus, sic sanctus semper habebit nevos fructus dotes scilicet corporis, et animæ, membrorumque corporis inter se consonantiam, et harmoniam.

(1) Text. Hebr. lignum plantatum. *Vulg.* transplantatur.
(2) Jer. 17, 7 et 8.
(3) Hom. 32 in Evang.
(4) Plantæ transferuntur, etc. In edit. Maur. Paris., tom. I, col. 1588, sic legitur: « Olerum plantæ transponuntur, ut proficiant, atque ut ita dixerim, eradicantur, ut crescant.
(5) *Vulg.* est quasi.
(6) Comment.: in Mich., cap. 2.
(7) Versio Græca LXX, apud S. Hieron.

SERMO XLVII.

Qualiter cohibendæ sunt, et dividendæ carnales deliciæ a spiritualibus. De tonitruo Dei in judicio.

Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, etc. (Psal. 28, 3.)

In primo rerum primordio creavit Deus firmamentum ut divideret aquas ab aquis, et separarentur aquæ ab arida. Quod ibi dicitur firmamentum, hic dicitur *vox Domini*, idest comminatio, et doctrina Christi. *Super aquas*, idest delicias, et delectationes, quas illud firmamentum dividit, ut nullus fiat transitus deliciarum hujus sæculi ad delicias æternas. Unde Hieronymus ad Heliodorum (1) : « Nimis delicatus es, Christiane, si vis hic gaudere in sæculo, et in futuro regnare cum Christo. » Aquæ igitur delectationis separandæ sunt ab arida, idest a mente siccata ab omni humore peccati. Et congregentur, et concludantur in unum locum, ut vocentur maria, idest omnes fluxæ cogitationes collocentur sub navi pœnitentiæ, restringantur, ut convertantur in mare amarum, et fœtidum, ut sit *vox Domini super aquas*. Unde Job (38, 8) : « Quis conclusit ostiis mare? » idest repressit debitis repagulis mare, idest motus carnis inordinate fluctuantes? Sequitur : « Erumpebat quasi de vulva procedens, » idest de carnali concupiscentia.

Sequitur : *Deus majestatis intonuit.* Unde in primo Regum (7, 9 ad 11) : « Tulit Samuel agnum lactentem tenerum, et obtulit integrum Domino : et intonuit Dominus die illa fragore magno super Philisthæos, » et perterriti fugerunt Philisthæi usque Bethchar. Samuel, qui interpretatur postulatio Domini, significat Christum, qui desideriis prophetarum est postulatus. Ispe enim agnum se obtulit Deo Patri lactentem, et in lacte matris suæ in ara crucis decoctum; quia eadem die annis revolutis crucifixus est Christus, qua incarnatus; ubi contra legem egerunt Judæi, quibus dicebatur : « Non coques hædum in lacte matris suæ. » Integer sine fractura peccati : « Os non comminuetis ex eo (2). » Ubi intonuit fragore magno, quia si tanta est passus Christus immunis a peccato : quanta passuri peccatores? Sicut igitur fugerunt Philisthiim audito fragore tonitrui, fugerunt, inquam, usque Bethchar, ita peccatores cadentes poculo, idest inebriati poculo Babyloniæ, exterriti voce patientis, et clamantis in cruce, fugiant usque Bethchar, quod interpretatur domus cognitionis, ut scilicet cognoscant seipsos, et Deum; ut ita habeant spiritum salutis, sicut dicit Isaias (26, 17 et 18) : « A facie tua parturivimus, et concepimus spiritum salutis. » *A facie* enim tua patientis in cruce concepimus, et per spiritum timoris Domini propositum bonum parimus, et bona opera. De hoc spiritu timoris Domini, Ecclesiastici (1, 22) : « Corona sapientiæ, timor Domini, replens pacem, et fructum salutis. » Et bene dicit *replens pacem*, quia superbia fuit initium apostasiæ, et inimicitiarum inter Deum, et hominem. Ipsa evacuavit pacem, et fructus salutis. Sed quod tumor superbiæ evacuavit, replevit timor, et humilitas. Plenitudo a fructibus ejus : omnem domum replebit a generationibus, et receptacula replebuntur a thesauris ipsius, scilicet timoris; ipsius, idest Domini (3). De hac domo dicitur : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* (4). Hæc sunt receptacula, quæ replebuntur a fructu timoris plenitudine, idest a pace, et salute, idest utraque stola, quæ custodiet, et justificabit cor. Unde subjungit in eodem capitulo : « In thesauris ejus intellectus scientiæ, et (5) religiositas. » Hic enim thesaurus timoris, qui docet intelligere, scire, et bene conversari.

Et si *vox Domini supra aquas* non est, ut supra dicitur, subjungitur : *Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas.* Prius enim dixit tanquam vox, postea tonabit eis terribiliter, qui non audierunt. Quibus non intonuit, idest quos interius non terruit, exterius terrebit, idest in judicio. Unde Job (26, 14) : *Cum vix parvam stillam sermonum ejus audierimus, quis* (6) *magnitudinem tonitrui ejus poterit sustinere?* Si autem re-

(1) De laude vitæ solit.
(2) Exodi, 34, 26; Joan., 19, 36.
(3) Eccli., 1, 20, 21.
(4) Joan., 14, 2.
(5) *Vulg.* In thesauris sapientiæ intellectus, et scientiæ religiositas.
(6) *Vulg.* Quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri? *Versio vero Græca LXX.* Virtutem autem tonitrui ejus quis scivit quando faciet?

ducamus ad memoriam, quanti ponderis fuerit verbum, quod dixit quærentibus eum ut crucifigerent, dicens : *Quem quæritis? Ego sum* (1), quo audito omnes corruerunt in terram prostrati : quis poterit sustinere verbum tonitrui ejus : *Ite maledicti in ignem æternum* (2)? Et tamen illud fuit quasi stilla sermonis, quia adhuc erat Christus pauper, nudus, et abjectus, mortalis, et passibilis. Illud autem erit tonitruum, quia irretractabilis sententia erit ab immortali, et impassabili. Et nota quod bene dicit parvam stillam, quoniam verbum Domini in præsenti est lene, et mansuetum : se in futuro contrarium, quia crudele (3), cum dicet : *Ite maledicti in ignem æternum.* Tunc tonabit Dominus *super aquas multas*, ac si dicat Dominus damnatis : Vox mea non tonuit vobis, idest non intus tonuit incutiendo timorem, et ita inefficax fuit; et ideo quia non intus tonuit per timorem, super vos tono modo per æternam damnationem. Tonet igitur hic in nobis vox Domini, ne intonet in futuro super nos.

SERMO XLVIII.

De prælatis, qui per cervos significantur. Quod prælati protegunt, et defendunt alios ; et quod non statim debent reprehendi.

Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensa; et in templo ejus omnes dicent gloriam. (Psal. 28, 29.)

Quia multa dicuntur contra sacerdotes, modo cum sacerdotibus dicamus. Cervus enim naturaliter extrahit serpentem de caverna naribus, venenum haurit, et eo hausto, interius ardescit, et per ardorem ad fontem festinat, et tunc deponit pilos, et cornua, et juvenescit. Ita prælatus serpentem, idest diabolum de caverna, idest de corde peccatorum extrahit : nec mirum si ii, qui assidue venenum hauriunt, interius quandoque inficiuntur, et ardent, ut ad fontem misericordiæ festinent; quo hausto, pilos peccatorum, cornua superbiæ deponentes, juvenescunt, et multum affliguntur, dum pariunt Deo peccatores subditos. Unde Job (39, 1 ad 3) : « Nunquid nosti tempus partus ibicum in petris, vel cervas parturientes observasti? Dinumerasti menses conceptus earum, et scisti tempus partus earum? Incurvantur ad fœtum, pariunt, et rugitus emittunt. » Ibices sunt parva animalia quadrupedia cornuta, in petris parientia; et si labantur, se cornibus suis exprimunt, nec læduntur. Per Ibices prælatos intellige, qui in petris, idest soliditate virtutum in Christo, et in exemplis sanctorum pariunt subditos. Et si ipsi quandoque labuntur (4), cornibus, idest doctrina utriusque testamenti se explicant, quia non Deus eos dijudicat. Ipsi enim debent respicere fructum, quem faciunt in Ecclesia, non lapsum. Unde Gregorius (5) super eundem locum : « Si illorum fructum, quasi ibicum, cervarumque partus aspiceres, de tua virtute humilius sentires. » Sed hoc objicitur ipsi Job, cujus custodia (6) ab omnibus sanctis commendatur. Respondeo quod nobis potius posset objici. Unde subjungitur : « Numquid numerasti menses conceptus earum? » Per menses, idest dierum congregationes, virtutum congeries in prælato signantur; quod debemus speculari in prælatis, sicut menses conceptus, idest multimodam voluntatem, quam habent pariendi subditos, etiamsi non possint.

Ipsi etiam signati sunt per saga cilicina, quibus operiebatur tabernaculum, quæ importunitatem aeream sustinebant. Ita et prælati, licet tanquam saga cilicina viles sint, tamen quia pondus diei, et æstus portant, eis compatiamur, quia quidquid virtutum habemus, ex eorum doctrina processit. Non enim in tabernaculo aurum splenderet, byssus fulgeret, coccus coruscaret, resplenderet aereohyacinthus, nisi prius cooperiretur exterius sagis. Ita et prælati multifarie multisque modis se exponunt, ut

(1) Joan., 18, 4, ad 8.
(2) Matth., 25, 41; Vulg. : Discedite a me.
(3) Quia crudele; idest, quia impiis videbitur esse crudele. Hinc S. Hieronymus in illud Isaiæ, cap. 13 : « Ecce dies Domini venit crudelis, inquit : Crudelem diem vocat, non merito sui, sed populi. Non est enim crudelis, qui crudeles jugulat, sed quod crudelis patientibus esse videatur. Nam et latro suspensus patibulo crudelem judicem putat. » Vide etiam annotationem (1) ad sermonem XIII.

(4) *Si ipsi quandoque labuntur, etc.* Prælati, ut animas Christo lucrifaciant, si aliquando opera agant, quæ videantur hominibus increpatione digna, non dijudicantur a Deo, quia, ut ait S. Gregorius, lib. XXX, *Moral.*, cap. 10 : « Tunc apud Deum crescunt per meritum, cum apud nosmetipsos per humilitatem decrescunt.
(5) Lib. XXX, *Mor.*, cap. 10, num. 36.
(6) *Cujus custodia, etc.* In filiis instituendis sollicitudo, et vigilantia Job cæteris aliis solet præferri.

confirment virtutes in subditis. Unde subjungitur : Incurvantur ad fœtum ut pariant, idest de rigore doctrinæ remittunt, ut indocibiles, et rebelles pariant. Quod non placet quandoque detractoribus, qui cum Oza› qui interpretatur robustus, manus extendunt, ut arcam relevent, bobus recalcitrantibus inclinatam. Arca est prælatus, qui recalcitrantibus subditis, temperat rigorem correctionis, inclinans se ad subditum ita, quod videatur veritas inclinari : et Oza robustus detractor extendit manum reprehensionis, ut elevet arcam. Sed quia non est discipulus super magistrum, timeat ; ne super temeritate corripiatur percussus a Domino.

SERMO XLIX.

De duplici ira Dei, scilicet qua affligimur in præsenti, et quæ restat in futuro. Qualiter mitigare debemus.

Quoniam ira in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus. (Psal. 29, 6.)

In *ira* est vindicta; in *vita* Dei, vita et salus æterna. De *indignatione*, in Proverbiis (16, 14 et 15) : « Indignatio regis, nuncius (1) mortis; vir sapiens placabit eum (2) : In hilaritate vultus ejus (3), vita : et clementia ejus quasi imber serotinus. » Indignatio regis, idest Dei, nuncius mortis est; quod bene testantur omnia membra nostra, et propria infirmitas, quæ mortem nunciat. Hoc propter vindictam inobedientiæ primorum parentum. Unde Jeremiæ (2, 19) : « Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te. » Aversio tua, a Deo scilicet, increpat te ita, quod omnia mala adversariorum, et tentationum, et mortis, et damnationis tibi insunt. Unde subjungit : « Scito, et vide, quia malum, et amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse apud te timorem mei, dicit Dominus Deus exercituum. » Non esse apud te timorem mei; quasi dicat : inflicta est tanta pœna, et tam multiplex. Unde in Threnis (3, 1) : « Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus; » quasi dicat : Si tantæ paupertatis usque in ultimum hominem extenta est virga ad correctionem : quis damnandus sustinebit gladium Domini, de quo Job (19, 29) : « Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est : et scitote esse judicium. » In Threnis (3, 47) : Formido, et laqueus facta sunt mihi (4) vaticinatio, et contritio; quasi dicat : Contrita sunt mihi omnia membra mea ita, quod a planta pedis non est in eis sanitas. Vaticinantur mihi timorem æternæ damnationis; unde formido quasi laqueus mihi imponitur. Sumus enim omnes quasi bos ligatus ad macellum, expectans securim ad frontem. Funis est vita humana : laqueus funis est mors; et quanto extenditur funis, tanto magis stringit laqueus, ita quod quanto extenditur vita, et processerit, tanto citior est mors.

Sequitur : « Vir sapiens placabit eam. » Nabal (5), qui interpretatur stultus, exasperat David, quando mittit ad eum in die bona, ut ab eo accipiat benedictionem. Verus enim David, Christus scilicet, in die bona, idest tempore gratiæ expectat a nobis benedictionem bonorum operum, sed stultus Deum exasperat, et incitat ad iram. Sed Abigail sapiens placat eum, cum ei offert vinum, quod lætificat cor, idest opera charitatis, quæ exhilarent Deum. Unde bene subjungitur : In hilaritate vultus ejus vita; quasi dicat : Quia exhilaravit David donis suis, assecuta est vitam. Detulit enim massæ caricas, idest ficus siccas, quæ dulces sunt, et ideo designant opera misericordiæ, et pietatis, quæ in conscientia dulcedinem spei, et præmii generant. Et bene dicitur, massæ, quia charitate compressæ fuerunt; quia quod compressum est, minus videtur, nec vento intervolante rapitur. Ita opera nostra compressa videantur, et parva putentur, ne vento inanis gloriæ intervolante rapiantur. Iis exhilaratur David, et effugitur mors, vitaque conceditur.

Sequitur : Clementia ejus quasi imber serotinus. Nota, quod terra Palæstina duplici imbre compluebatur. Ingrediebatur imber matutinus in semine, serotinus in messe, Matutinum imbrem confert Dei clementia cum gratia operante, et cooperante : confert serotinum cum gratia confirmante. De hac clementia habetur in Esther (4, 11), quod nemo ingrediebatur atrium domus regiæ non vocatus, nisi in signum clementiæ

(1) Vulg. nuncii.
(2) Vulg. eam.
(3) Vulg. regis.

(4) Vulg. facta est nobis.
(5) I Reg. 25, 10 ad 35.

ostenderet ei Assuerus auream virgam. Assuerus, qui beatitudo interpretatur, est Deus, cujus vindictæ virga est severitas, quam inclinat, cum parcendo peccatoribus, in signum clementiæ ostendit eam ad peccatores, ut ipsos ad se revocet. Etenim in auro potestatem regiam, quam exercebit in judicio. Si enim Esther tunc ornata, pulchra, omnibus amabilis, gratiosa, et morigerata, exanimata est ante faciem ejus : ego miser ubi parebo? Longitudinem virgæ fert, idest patienter nunc corripit, et expectat. Summitatem ostentat in fine, scilicet glorificationem, quando osculabitur, et dabitur imber serotinus eis, qui de matutino, et in matutino imbre fructum faciunt; et tunc finit vita illorum in voluntate ejus.

SERMO L.

Qualiter Deus per adventum suum planctum nostrum, quem contraximus a primis parentibus, convertit in gaudium. Qualiter Deus per assumptam carnem de inimico nos vindicavit.

Convertisti planctum meum in gaudium mihi, etc. (Psal. 29, 12.)

Hæc sunt verba Ecclesiæ lætantis, et exultantis de beneficiis sibi collatis a Deo; quia infirmitas nostræ mortalitatis, procedens ex primis parentibus, quæ erat causa luctus nostri, est occasio gaudii nostri in capite nostro Christo, de quo Salomon (1) : « Oculi sapientis in capite ejus : stultus autem in tenebris ambulat. » In tenebris ignorantiæ graditur stultus; sed sapientis oculi in capite ejus, idest Christo, considerantis, quanti capitis sit membrum. Unde Apostolus (2) : « Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam. » Ibi dicit Glossa (3) : Majus donum dare non potuit. Hoc caput non habuit Adam ante lapsum per conformitatem naturæ. Quod et nos sibi reaptam tanquam membrum capiti; et ideo bene dicitur : Convertisti planctum meum in gaudium mihi. Unde Isaiæ (59, 17) : « Indutus est vestimento (4) ultionis, et opertus est (5) pallio zeli.» Vestimento ultionis, idest carne nostra, per quam ultionem sumet de diabolo, qui dolose captivat genus humanum, et deprædatur. Unde Isaiæ (33, 1) : « Væ qui prædaris, nonne ipse prædaberis ? Item (6) : « Nunquid tolletur a forti præda (7), et captus a robusto salvabitur ? » Respondet : Equidem, quia a forti diabolo præda generis humani auferetur, et a Christo salvabitur. Unde ipse idem Isaias (9, 5) : Omnis violenta prædatio, idest omnis violentus prædator, idest diabolus, qui dicitur vestimentum mistum sanguine, quia respersus peccatorum nostrorum sanguine, erit in combustionem, et erit cibus ignis infernalis, cum tumultu sententiæ damnationis perpetuæ; quia zelus Domini faciet hoc, idest pallium zeli indignationis, idest caro assumpta per zelum, et fervorem captivitatis, quia in humanitate judicabit; de quo Apostolus (Tit. 3, 5) : « Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, » sed « propter nimiam charitatem, qua dilexit nos. » (8) Quod pallium bene dicitur indignationis. Indignabatur enim Deus, quod diabolus deludere nitebatur, quod Deus disposuerat reformare de hominibus casum, et ruinam angelorum; et ideo zelo humanitatis, quasi *pallio* indignationis coopertus est. Unde Ecclesiastici (36, 8 et 9) : « Excita furorem, et effunde iram. Extolle (9) adversarium, et afflige inimicum. » Inimicus erat diabolus : Adversarius homo, quia peccaverat. Quasi dicat : Excita furorem, et effunde iram, ut extollas adversarium, hominem qui tibi adversatur perpetratione peccatorum, et sic confundes inimicum, idest diabolum, qui confusus est in restauratione, et reparatione humani lapsus. Et bene dicitur, extolle; quia non tantum tulit eum, imo extulit hominem ad meliorem statum, quod

(1) Eccle. 2, 14.
(2) Ephes. 1, 22.
(3) *Dicit Glossa, etc.* In utraque Glossa, ordinaria et interlineari testimonium istud desiderantur. At S. Augustinus Enarr. in Psal. 85, et ex eo Beda Exposit. in Epist., ad Ephes. cap. 1, habet : « Nullum majus donum præstare posset Deus hominibus, quam ut Verbum suum, per quod condidit omnia, faceret illis caput, et illos ei tanquam membra coaptaret. »
(4) Vulg. vestimentis.
(5) Vulg. quasi pallio.
(6) Isa., 49, 24 et 25.
(7) *Vulg.* Numquid tolletur a forti præda ? aut quod captum fuerit a robusto, salvum esse poterit? Quia hæc dicit Dominus : Equidem, et captivitas a forti tolletur : et quod ablatum fuerit a robusto, salvabitur.
(8) Ephes. 2, 4.
(9) *Extolle, etc. Vulg.* Tolle adversarium. Aliqui tamen legunt, inquit P. de la Haye in Bibl. Max. : Extolle adversarium. Sane Lyranus, et ipsa Glossa ordinaria sic legunt : Extolle adversarium.

est ad confusionem inimici; et ideo bene dicitur: *Convertisti planctum meum in gaudium mihi.*

Conscidisti saccum meum. Saccus est habitus laborum, et tristitiæ, et pœnitentiæ, quo uti debemus hoc tempore dolorum; et ita induemur lætitia, idest vestimento immortalitatis. Unde Isaiæ (52, 1) : « Consurge, consurge, induere fortitudine tua, Sion; » quasi dicat : Consurge mecum ad laborem, et prælium contra inimicos, mundum, carnem, et diabolum. Induere mecum sacco, et fortitudine, idest forti armatura, quam docet Apostolus : *Induimini Dominum Jesum Christum* (1). Quod si ita consurrexeris, et indutus fueris, de bello consurges ad præmium, de miseria ad gloriam, et indueris beatitudine immortalitatis.

SERMO LI.

Qualiter Deus noster rex est, et dux; et qualiter nos lactat, et ad cor per contemplationem loquitur.

Propter nomen tuum deduces me, vel dux mihi eris (2) *alia littera : et enutries me.* (Psal. 30, 4.)

In his verbis semper orat Ecclesia, sperans se habituram Dominum ducem. Simile habetur Osee (2, 14): « Ecce ego lactabo eam, et ducam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. » Quod ibi dicit Psalmista : *Enutries me,* hic Propheta : Lactabo eam. Et quia nomen Domini est admirabile, ad eum tanquam ad rem admirabilem excitat, et vocat nos Propheta dicens : « Ecce ego lactabo eam. » Non est mirum, sed naturale, ut mater lactet parvulum. Sed quod pater lactet, mirum est, et admirabile; et ideo dicit Osee: *Ecce.* Quia vero non eramus digni comedere solidum cibum Angelorum, per misericordiam assumpsit Filius Dei carnem, per quam eumdem cibum trajiciens, nobis lac suæ cognitionis propinavit. De isto ubere Isaias loquens de Jerusalem (66, 10 et 11) : « Gaudete in (3) ea universi, qui lugetis, ut sugatis, et repleamini ab ubere (4) ejus; » idest ab abundantia sanguinis defluentis a latere ejus repleamini tanquam pulli aquilæ, quia hac de causa sub ubere lanceatus est Christus.

Quod ibi dicitur : *Propter nomen tuum deduces me, vel dux mihi eris,* hic dicit Propheta : « Ducam in solitudinem. » Unde Job (39, 29 et 30) : « Oculi aquilæ aspiciunt a longe (5) et pulli ejus lambent sanguinem. » A longe debemus aspicere, ut non figamus oculum in terrenis, imo in superioribus, idest in cœlestibus, lambentes sanguinem Domini. Et nota, quod in hoc verbo lambunt, est aviditas, et delectatio, quam sancti habent recogitando, et imitando pro posse suo passionem Christi. Unde alia littera habet (6) : « Pulli ejus volutantur in sanguine. » Ita tincti esse debemus, ut tota nostra conversatio resonet passioni Domini, quia nobis sanguinem propinavit extra civitatem in monte Calvariæ. Ita mortuus, et crucifixus extra civitatem passus est pro nobis; unde Apostolus (7) : *Exeamus extra civitatem* (8), quasi dicat : Sicut extra civitatem passus est pro nobis, ita pro eo relinquamus mundi divitias, exeuntes in montem, idest in eminentiam vitæ. Et propter hoc quod dicit, *Calvariæ,* docet nos quod simus calvi, vel filii calvorum. Præcipitur enim in Numeris (8, 7), ut Levitæ radant pilos carnis suæ : Et in hoc nobis præcipitur, ut quidquid est in nobis mortuum, radamus. Christus siquidem calvus fuit, qui nec radicem pilorum, nec capillos habuit, idest nec peccata, nec fomitem peccati. Sed hoc esse nequimus; tamen pilos, idest motus carnales reprimendo radamus, et ita simus filii calvi, idest imitatores Christi. Mortuus etiam hoc nobis propinavit, ut mundo moriamur : Crucifixus, ut nos crucifigamur vitiis, et concupiscentiis, ut dicere possimus sicut Paulus : *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (9). Mortuus est mihi, et ego ei. Vivus siquidem abominationem, et horrorem habet si quando tangat mortuum; et ita sæculariter vivens homo, qui non est mortuus mundo, nec crucifixus vitiis, habet horrorem cum videt religiosum. Unde Ecclesiastici (1, 32): « Execratio peccatori, cultura Dei. » Eodem

(1) Rom. 13, 14.
(2) Apud S. Hier. *Commentar.* in hunc loc., et S. Aug., *Enar.*, 1, ac 2, in hunc Ps.
(3) Vulg. : cum.
(4) Vulg. : consolationis.
(5) Vulg. : de longe prospiciunt.

(6) Alia littera habet, etc. Versio græca LXX legit : Pulli ejus consperguntur in sanguine.
(7) Hebr., 13, 13.
(8) Vulg. : castra.
(9) Gal., 6, 14.

modo et religiosus, cum videt sæcularem; unde in eodem Ecclesiastico (41, 8): « Filii abominationum sunt (1) filii peccatorum, et qui conversantur secus domos impiorum. » Et ideo apparuit mortuus mortuo: ut ita possimus sugere lac ubere consolationis ejus.

Sequitur : *Dux mihi eris;* et Osee : Ducam eam. In Exodo legitur, quod eduxit populum Dominus in solitudinem. Et nos eduxit Dominus per lavacrum in solitudinem mundanæ conversationis. Dux siquidem quatuor facit : Ostendit viam, dirigit, protegit, et sustentat. Dominus omnibus nobis ostendit viam « in columna nubis per diem, et in columna ignis per noctem » (2). Per noctem vitæ mundanæ, viam amaritudinis nos docet, qua præcessit Christus. Dirigit etiam nos Christus per noctem ignorantiæ, quam illuminat, et lucet tanquam ignis, scilicet doctrinæ. Protegit tanquam nubes ab æstu tentationum, et vitiorum, præstans nobis suæ consolationis blandimentum. Sustentat, et subvenit tanquam firma columna; et ideo bene dicitur : Dux mihi eris. Sequitur : Loquar ad cor. Loquitur Dominus ad cor, quando subvehit illud in ecstasim contemplationis; unde Job loquens de luce, quam abscondit Deus malis, ait (36, 33, et 37, 1): « Annunciat de ea amico suo, quod possessor ejus sit. Super hoc expavit cor meum », raptum scilicet in ecstasim contemplationis: et ideo (3) motum est de loco suo, idest de habitu terrenæ dilectionis.

SERMO LII.

De triplici turbatione, scilicet rationis, sensualitatis, et memoriæ.

Miserere mei, Domine, quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, et venter meus. (Ps. 30, 10.)

Hæc est vox Ecclesiæ clamantis in persona cujuslibet nostrum, et postulantis misericordiam; quoniam tripliciter patitur tribulationem, scilicet turbationem oculi rationis, sensualitatis, et memoriæ. Per hoc ira Domini irascentis propter peccatum primorum parentum. Siquidem ante peccatum erat oculus rationis perspicax, sensualitas recta, vivens memoria. Ex ira siquidem peccati *turbatus est oculus:* nec mirum, cum oculus in pulvere esse non possit, quin turbetur; de quo pulvere dicitur : « Pulvis es, et in pulverem reverteris (4). » Ex tunc *oculus* rationis *turbatus est*, sensualitatis, et memoriæ. Unde Jeremiæ (1, 13): « Ollam succensam ego video a facie Aquilonis. » Olla est cor terrenum, et carnale, succensum ardore mundanæ, et carnalis concupiscentiæ. Et hoc a facie Aquilonis, idest a flatu suggestionis diaboli. Et ita ascendente fumo ab olla succensa turbatur oculus rationis, et sensualitatis, sicut dicit Isaias (21, 1): « Onus deserti maris, sicut turbines veniunt ab Africo, de terra horribili. » Per mare, cor humanum, scilicet peccatoris intelligitur, quod movetur sine ordine, et ratione. Sicut turbines, et commutationes maris veniunt ab Africo, idest diabolo factæ tanquam turbines pulveris excæcantis oculos cordis. Et bene dicitur desertum eo quod a ratione discretionis deseritur. Et eidem dicitur : Terra tua *germinabit tibi tribulos et spinas* (5), idest majores, et minores aculeos peccati; et ideo bene subjungitur : De terra horribili veniunt, idest ex ipsa concupiscentia.

Unde in Threnis in illo titulo scilicet intitulato ab illa littera, quæ dicitur *Res*, quæ interpretatur oculus, dicitur : « Vide, Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus : subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum : foris interficit gladius, et domi mors similis est; » quasi dicat : Vide, Domine, quoniam tribulor in memetipsa perturbatione oculi rationis. Conturbatus est venter meus, memoria, ideo quia amaritudine plena sum, et etiam quia cor meum est subversum, idest subtus versum ad amorem terrenorum, cum potius deberet subvehi ad cœlestia. Ideo tribulor, quia sic conturbatus est oculus rationis, et etiam quia foris interficit gladius, idest flagella exteriora; et mors domi similis, idest tentationibus aggravor : Exterius enim flagella perforant, interius tentationes. Unde alibi in Threnis (2, 11): « Defecerunt oculi mei a (6) lacrymis : conturbata sunt viscera

(1) Vulg. : fiunt.
(2) Exod., 13, 21.
(3) Vulg. : et emotum.
(4) Gen., 3, 19.

(5) Gen., 3, 18.
(6) Thren., 1, 20.
(7) Vulg. : præ.

mea : effusum est in terra jecur meum, defecit (1) parvulus, et lactens in plateis oppidi. » Defecerunt oculi rationis perturbatione. Jecur; ibi dicit Glossa : In jecore ignis humani corporis habitat, et dehinc subvolat ad cerebrum, postmodum diffunditur ad oculos, et cætera membra; ita quod omnia membra in fervore concupiscentiæ turbata effunduntur in terram, idest ad amorem terrenorum. Siquidem dum ignis concupiscentiæ ad jecur effusus est, oportet ut eum ad terrena inclinet, et oculum, scilicet mentis intentionem necesse est ut conturbet. Unde bene dicitur: Defecerunt oculi a lacrymis. Lacrymæ siquidem, cum abundanter fluunt, et grossescere palpebras faciunt, et visum turbant, et impediunt. Lacryma est temporalis abundantia, quæ cum abundanter affluit, palpebras discretionis, et sensualitatis inflat, et visum conturbat interiorem; ideoque bene subjungitur : Defecit parvulus, et lactens in plateis oppidi. Parvulus est sensus exterior deliciis illectus, qui bene dicitur parvulus, quandiu vigore gratiæ est destitutus : et lactens, idest mens introrsum virtutibus deficit; et hoc in plateis, idest in lata pervagatione concupiscentiæ : oppidi, idest mundi vallati, idest muniti execrationibus, et malis exemplis, tanquam propugnaculis.

Et quia *anima mea*, idest sensualitas inferior pars rationis *ira turbata est*, merito et *venter meus*, idest memoria conturbatur, ut quidquid in ea congestum erat, evacuetur, sicut venter conturbatus indiget evacuatione, ut curetur. Quod bene ostenditur in Sedecia rege Jerusalem capto a Nabuchodonosor, et ducto in Reblatha, ubi interfecti sunt filii ejus in oculis suis, postea ipse excæcatus est, et ductus in Babyloniam, et ei data est potio laxativa (2). Nabuchodonosor, significat diabolum, qui Sedeciæ, idest cuilibet peccatori occidit filios in oculis ejus, quando prudens, et sciens facit peccatum, quo mortificantur omnia sua bona, quæ prius fecerat. Excæcatur etiam in Babylone tenebris peccatorum, et confusione linguarum, quæ confusio miro modo in corde peccatoris resonat, et tumultuatur ita, ut cor ipsum se non intelligat, nec etiam unum membrum aliud; et ita magna viget discordia, et confusio linguarum inter interiora membra. Potio laxativa est delectatio carnalis, et temporalis, qua habita obliviscitur homo quidquid congesserat in refocillatione animæ, quod opponeret contra tentationes, et quomodo debeat se regere; quæ etiam, et quanta pro ea fecerat, et passus fuerat, et obliviscitur turpiter, et ignominiose fluit de peccato in peccatum, et postmodum in mortem, et damnationem perpetuam.

SERMO LIII.

Qualiter homo factus ad imaginem, et similitudinem Dei. Qualiter imago Dei destruitur per bestiarum assimilationem, vel assumptionem.

Illustra faciem tuam super servum tuum. (Psal. 30, 17.)

Faciem tuam, idest a te mihi creatam. Homo siquidem ad imaginem Dei, et similitudinem factus est, quam faciem deturpat homo, quando peccat mortaliter; ideoque precatur hic, ut facies a Deo data illustretur, et illuminetur. Unde et in Psalmo (4, 7). « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. » Parum enim valet forma hujusmodi in nobis descripta, nisi gratia illuminetur. Siquidem pictor, cum imaginem vult facere, eam in tabula plumbo protrahit, dehinc coloribus appositis illuminat. Pictor autem cœlestis in tabula, idest in anima imaginem suam protrâhit, quando dat animæ, ut Deum intelligat, meminerit, et diligat: Et sicut homo in facie deprehenditur, et cognoscitur, ita et Deus cognoscatur per hæc tria, scilicet per memoriam Pater, vel intelligentiam Filius, vel dilectionem Spiritus Sanctus. Meminerim te, intellexerim te, dilexerim te (3).

Facies igitur Dei signata, et impressa necesse habet, ut reilluminetur lumine gratiæ,

(1) Vulg. : cum deficeret.

(2) Et ei data est potio laxativa. Glossa ord. illud secundi capitis Habacuc. Væ, *qui potum dat amico suo etc.*, de Sedecia rege Juda interpretatur, dicens: Sedecias, sicut ait Hebræus, a Nabuchodonosor cæcatus in Reblatha, idest Antiochia, et ductus in Babylonem, quadam die in celebri convivio accepit potionem, qua in fluxum ventris solveretur, et introductus ante ora epulantium, subito fluxu ventris solutus est. Verum Judaicam hanc traditionem se Liddæ a quodam de Hebræis, *qui sapiens apud illos, et* δευτερώτης *vocabatur*, audivisse, et fabulam esse affirmat S. Hieronymus lib. I, Commentar. in Habac. cap. 2. qui lib. VI, Commentar. in Ezechiel. cap. 19 scripserat : *Sedechiam* cæcum ductum in Babylonem, ibique statim occisum narrat historia.

(3) Ex S. Aug., lib. XV, *de Trin.* cap. 7, et alibi.

cum fuerit per peccatum deformata. Unde de deformatione dicit Ecclesiasticus (4, 26): « Ne assumas (1) faciem contra faciem tuam, nec contra animam tuam mendacium. » Vanitas mundi, et deceptio temporalium deturpat faciem animæ; et sic homo peccando, contra eam alienam faciem assumit. Unde : « Uusquequo diligitis vanitatem (2), et facies peccatorum sumitis (3)? » Quot enim habet homo peccata, tot habet et facies, quæ faciem Domini animæ impressam deturpant, imo delent; quia qui vanitatem diligit, et sectatur, alienam contrahit faciem. Per dolum siquidem contrahit faciem vulpis; per crudelitatem, vel per superbiam, leonis; per detractionem, canis; per immunditiam, suis. Unde Ezechielis (8, 8 et 10): « Cum perfodissem (4) parietem, apparuit mihi ostium, et vidi inde, et ecce omnis similitudo reptilium, et animalium abominatio, et universa idola domus Israel depicta in pariete. » Siquidem perfodere parietem est penetrare, et considerare interiora cordis nostri. Per reptilia designantur mortalia peccata, quæ more serpentino occulte in animam serpunt, ex veneno diaboli impulsa, animamque inficientia. Per animalia, peccata carnalia. Per idolum, peccatum contra naturam ; et merito : quia sicut illud peccatum contra naturam est, ita et idolum non est in rerum natura, nec in rebus naturalibus invenitur. Siquidem homo luxuriosus in naturalibus animal luxuriosum sibi simile reperit ; gulosus animal gulosum ; superbus animal superbum; iracundus, invidus, detractor animalia sibi similia in naturalibus inveniunt. Sed infecti peccato illo ignominioso sibi simile in naturalibus non reperiunt. Unde bene abominatio animalium dicitur; et merito : quia peccatum hoc jumentinum hominem privat sua imagine, ut non sit homo, sed jumentum. Merito igitur nobis celandum est.

Illustra faciem tuam; de qua illustratione, Ezechielis (16, 11 et 12) : « Dedi torquem circa collum tuum, et inaures (5) super os tuum, et circulos in auribus, et coronam in capite tuo. » Torques est ornamentum a collo usque ad pectus dependens ; et quia in pectore est sedes sapientiæ, et per collum transit eloquentia, merito torques designat mirabiliter juncturam sapientiæ, et eloquentiæ. Uude Ecclesiastici (28, 29) : *Aurum tuum, et argentum tuum confla,* idest sapientiam tuam, et eloquentiam tuam conjunge, nt qui sapit, non taceat, nec loquatur qui non sapit, scilicet in prædicatione. Hæc est optima conflatio. Inauris est catenula rotunda ad modum circuli dependens ad frontem mulieris (6), et supereminens ori. In fronte siquidem crucem imprimimus, quam ore prædicamus. Hæc est inauris, cujus rotunditas coronam designat æternam, quam per crucem Domini, et ejus passionis imitationem, et non aliunde quærere debemus cum Apostolo dicente : Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi (7). Circulus in auribus designat præmium obedientiæ, quod ut assequamur, dicit Ecclesiasticus (28, 28) : Sepi aures tuas spinis, videlicet coronæ Christi patientis, ne audias cum delectatione verba sanguinum (8), et ita fac capiti tuo coronam, quæ significatur in mitra pontificum; siquidem a capite sunt omnes sensus. Sit igitur mitra coertio, compressio, moderatio quinque sensuum, ut eos a malo cohibeat, et ad bonum gubernet; et ita facies formata, et deformata, et reformata erit, et illustrata.

SERMO LIV.

De superbia, et suppliciis superborum.

Retribuet Dominus facientibus superbiam. (Psal. 30, 24.)

Nota, quam detestabilis, et inanis est superbia; quantis etiam feriatur suppliciis. Ad detestationem siquidem superbiæ ait Ecclesiasticus (10, 14) : « Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo ». Non enim major apostasia, quam creaturam a creatore recedere. Unde Augustinus (9). Superbia,

(1) Vulg. accipias.
(2) Vulg. judicatis iniquitatem.
(3) Psal. 81, 2.
(4) Vulg. fodissem.
(5) Vers. Syr. et Arab., Vulg. inaurem.
(6) *Ad frontem mulieris, etc.* S. Hieronymus lib. IV Comment. in Ezech. cap. 16, explicans illud: *Et dedi inaurem super os tuum,* sive ut legunt LXX, nares tuas, ait : « Verbum Hebraicum, *mesi,* omnes inaurem transtulerunt : non quo inaures ponantur in naribus : quæ ex eo quod de auribus pendeant, inaures vocatur : sed quo circulus in similitudinem factus inaurium, eodem vocabulo nuncupetur : et usque hodie inter cetera ornamenta mulierum, solent aurei circuli in os ex fronte pendere, et imminere naribus.
(7) Gal. 6, 14.
(8) Vulg. linguam nequam noli audire.
(9) Enar. I in Ps. 18, n. 14.

primum peccatum (1) recedentibus a Deo, et ultimum redeuntibus ad Deum. Job (34, 18) : Qui dicit regi, apostata. Super quem locum dicit Gregorius (2) : Superbus rector toties ad culpam apostasiæ dilabitur, quoties præesse hominibus delectatur. Inde etiam Job (31, 26, ad 28) : « Si vidi solem, cum fulgeret, et lunam incedentem clare : si osculatus sum manum meam ore meo : hæc (3) est maxima iniquitas, et negatio contra Deum. » Siquidem sol in fulgore, est bonum opus in manifestatione : luna incedens clare, est fulgor opinionis : manum osculari est bono operi applaudere; applaudimus enim omnibus, quos osculamur. Hic autem aperte apparet, quam detestabilis sit superbia, quoniam bono operi nostro applaudere, bonum opus manifestare, et de eo bonam opinionem appetere, est apostasia, et negatio contra Deum.

Quantum inanis superbia sit, ostendit Augustinus dicens (4) : Qui se magnum putat, superbus, et egenus, est. In carne crepat, in corde mendicat : Inflatus est, non plenus. Superbus enim est similis vessicæ plenæ vento, quæ si modicum acu pungatur, deturgescit, et evacuatur : ita superbus stimulo mortis tactus annihilatur. Unde Job (27, 21) : « Tollet eum ventus urens, et auferet de loco suo, quasi turbo » (5); quasi dicat : Ipsa ventosa inflatio superbi rapiet eum de loco inflationis in infernum, quasi turbo. Unde idem Job (30, 22) : « Elevasti me ad modicum, et quasi super ventum ponens allisisti (6) me valide. » Bene dicitur, ad modicum elevasti me, quia, omnis terrena elevatio ad modicum est, quia finitur citius, quam putetur. Qua ratione etiam inanis hæc elevatio manifeste ostenditur, cum subditur : Super ventum ponens. Quid enim vanius et fragilius est, quam sedem ponere in ventum? Ideo bene subjunxit : allisisti me valide. Unde Abdias (1, 4) : « Si exaltatus fueris ut aquila, et in alto (7) posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. Bene aquila, quæ ceteris avibus altius volat, signat superbum, qui omnes excellere cupit. Sed quanto altitudo temporalis altius se erexerit, tanto incertitudini, et tentationibus exponitur, sicut nidus in alto positus in incerto est, et vento expositus. Siquidem nidus mollitie quadam interius politur, exterius conficitur ex putridis; ita et nidus superbi, scilicet mens, interius politur molliter divitiis temporalibus, exterius vero circumdatur operibus infructuosis.

Quantis etiam debeat reprimi superbia, dicit Osee (9, 11) : « Ephraim quasi avis avolavit, et gloria ejus (8) ab utero, a partu, et conceptu. » Siquidem *avis* cum pennas acceperit, per inane avolat, eodem modo et superbus, cum pennas divitiarum accepit, per inane evagatur, et per vanitatem effertur. Sed si consideraret, quam viliter concipitur, qualiter, quo semine, scilicet vili, et fœtente spermate in matrice jacuit, sanguine menstruoso ibi nutritus, qualiter inde exivit, gloria ejus ab hoc evolaret. Unde Michææ (6, 14) : « Comedes, et non saturaberis, et humiliatio tua in medio tui » est; quasi dicat : Quanquam tu altus, et superbus sis, attende, quod altitudo temporalis neminem satiat, vel replet; et humiliatio tua, idest venter, qui te deberet humiliare, eo quod, velis, nolis, defers sentinam immunditiæ tuæ, in medio tui; quia venter est in medio hominis.

Quantis etiam affligatur superbus, dicit Isaias (17, 13) : « Rapietur sicut pulvis montium a facie venti, et sicut turbo coram tempestate. » Quanto quidem altius fuerit pulvis super montem, tanto velocius dispergitur impetu turbinis, ita cum superbus rapietur turbine infernali. Unde Job (21, 17 et 18) : « Quoties lucerna impiorum extinguetur, et superveniet eis inundatio, et dolores dividet furoris sui ? » Lucerna siquidem *impiorum* extinguitur in morte, et superventio pœnæ infernalis, et dividet Dominus dolores furoris sui. Superbi, qui non habuerunt pondus gratiæ, erunt sicut favilla, et palea impulsu turbinis, quæ in momento dispergitur in multis locis, et

(1) Superbia primum peccatum, etc. Verba Augustini sunt : Et mundabor a delicto magno. Quo alio nisi superbiæ ? non enim est majus delictum, quam apostatare a Deo, quod est initium superbiæ hominis. Et vere ille immaculatus est, qui etiam hoc delicto caret : quia hoc est ultimum redeuntibus ad Deum, quod recedentibus primum fuit.

(2) Moral. l. XIV, in c. 34 Job, num. 52.

(3) *Vulg.* quæ.

(4) Serm. 36 : de eo Prov. : Sunt qui se divites affectant.

(5) *Vulg.* et auferet, et velut turbo rapiet eum de loco suo.

(6) *Vulg.* elisisti.

(7) *Vulg.* et si inter sidera.

(8) *Vulg.* eorum.

etiam remotis; ita superbi in damnationem vento, et turbine inpulsi, a tormento in tormentum momento rapientur.

SERMO LV.

De Confessione, et de circumstantiis ejus.

Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi (Ps. 31, 5).

Hic ostenditur quid debemus confiteri, quomodo, quando, et quare. *Quid.* Non enim solum peccatum debemus confiteri, sed etiam *delictum*, idest omissum, unde Job (33, 27) : « Respiciam (1) homines, et dicam (2) : Peccavi, et vere deliqui, et ut dignus eram, non accepi (3). Homines pronunciat cum pondere, scilicet rationabiliter viventes, cum quibus facta collatione, dico : Peccavi; et quia hoc non sufficit ad confessionem, subjungit : Et vere deliqui. Et cum quis confitetur, quantum interius conteratur, habemus experimentum, si de pœnitentia injuncta semper dicat : Et ut dignus eram, non accepi. De isto siquidem dicitur : « Liberavit animam suam, ne pergeret in interitum, sed vivens lucem videret » (4).

Sequitur, *Quomodo.* Unde Isaias (14, 22) : « Perdam Babylonis nomen, et reliquia, et germen, et progeniem. » Nomine Babylonis peccatum intelligitur, propter quod docet hominem confundi coram sacerdote, ne confusionem incurrat æternam. Germen est rei initium, et designat initium, vel vitium peccati, scilicet malam voluntatem, quæ deberet destrui, antequam pullularet. Progenies est quidquid progenitum est ex eo. Reliquiæ sunt dulcis memoria, et refricatio præteritorum peccatorum, quando in memoria eorum quis delectatur, ac si præsentia essent, quod est diabolicum. Nomen peccati est denominatio, idest infamia, qua laboravit peccator inter gentes; quod est grave peccatum, infamia sua alios inficere, et corrumpere. Perdendum est igitur hoc nomen per talem satisfactionem, ut quot exemplo pravo pervertit, tot per emendationis exempla lucrifaciat Deo. Quomodo etiam sit confitendum, dicitur in Job (7, 11) : « Quapropter non parcam ori meo, loquar (5) in amaritudine animæ meæ, confabulabor tibi in tribulatione spiritus mei. » Hic est modus confitendi. Siquidem ori suo parcit, qui enormia commisit, et hoc nomen enormitatis non vult nominare. Unde si quis adulterium commisit, non dicit : Adulter sum; imo dicit : locutus sum cum muliere maritata. Non dicit : sum raptor, sum latro. Imo dicat : rapui aliena; et debet nominare peccatum absque circumlocutione, et palliatione, ut confundatur confusione erubescentiæ, quæ multum valet ad veniam consequendam. Et quia non sufficit etiam ipsum peccatum exprimere, nisi cum dolore hoc faciat; sequitur : « Loquar in amaritudine animæ meæ. » Confitens siquidem, non ridendo, sed in amaritudine animæ suæ, et contritione debet confiteri, ut sic faciat pacem cum Domino, quem per peccatum offendit; unde Isaie (38, 17) : « Ecce in pace amaritudo mea amarissima »; quasi dicat ; Si vis facere pacem cum Domino, sit amaritudo tua amara pro delectatione peccati, amarior pro consensu peccati, amarissima pro effectu perpetrationis. Sequitur : « Confabulabor tibi in tribulatione spiritus mei. » Siquidem cum aliquis egregium factum fecerit, in narrando confabulatur, et garrire delectatur narrans omnes circumstantias. Ita debet confiteri pœnitens de peccato confabulando, circumstantias autem non omittens.

Item *quando* fit confessio, docet Ecclesiasticus (17, 26) : « Non demoreris in errore impiorum; » quod est tardare confiteri. Hic est error maximus, et periculosus; ideo subjungit : Ante mortem confiteberis (6); Et, *In parte* (7), *sæculi sancti cum vivis, et dantibus Deo confessionem*, scilicet dum vivunt, et sani sunt. Item *quare* sit confitendum, patet ex utilitate. Unde Ecclesiatici (38, 15) : « Qui delinquit adversus eum (8), qui fecit eum, incidet in manus medici. » Siquidem infirmus curari non potest, nisi medico ostenderit morbum : ita nec peccator curari potest, nisi revelet medico spirituali, idest sacerdoti peccati infirmitatem. Item Ecclesiastici (31, 25) : « Si coactus

(1) *Vulg.* Respiciet.
(2) *Vulg.* dicet.
(3) *Vulg.* recepi.
(4) Job. 33, 28.
(5) *Vulg.* loquar in tribulatione spiritus mei : confabulabor cum amaritudine animæ meæ.
(6) Vulg. confitere.
(7) Vulg. in partes vade.
(8) *Versio Græca LXX. Vulg.* in conspectu ejus.

fueris multum comedere (1), surge de medio, et vome (2): et refrigerabit te; » quasi dicat: Si caro, vel mundus te multa crapula iniquitatis ingurgitaverit, surge, et vome. Quid enim aliud est vomere, quam peccata confiteri, et per os ejicere? et ita refrigerabit te ab ardore conscientiæ, et pœnæ gehennalis. Utilitatem etiam confessionis ostendit Ecclesiasticus (27, 17), dicens: « Qui denudat arcana amici, perdit fidem, » Amicus siquidem diaboli est peccator, quandiu est in peccato; qui dum proditoris aperit consilium, et proditionem, ei aufert fidem suam. Si igitur diabolus proditor castrum animæ tuæ Deo vult surripere, et furari; festina ejus proditionem manifestare Deo per confessionem, ut ita ipse prænotus perdat factum suum. Si enim videt te frequenter currere ad confessionem, tanquam garrulo non committet tibi secretum suum. Unde Hieronymus (3). Potestas, et virtus (4) proditoris annihilatur revelata proditione. Item, ut legitur in *Vitis Patrum*, cuidam eremitæ interius suggestionibus tentato, quidam dixit: Revela cogitationes tuas, et confusus recedet inimicus. Non solum dicit opera, sed et cogitationes. Quod si feceris, cessat, eo quod videt garrulitatem gloriosam.

SERMO LVI.

Quomodo misericordia Dei circumdet, et protegat nos ex omni parte, et muniat sperantes in eum.

Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit. (Psal. 31, 10.)

Qualiter autem *misericordia* Domini muniat, et circumdet plene *sperantem in Domino*, dicit Ecclesiasticus (34, 19 et 20): « Oculi Domini super metuentes (5) eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, umbraculum meridiani, deprecatio offensionis, adjutorium casus, exaltans animam, illuminans oculos, dans sanitatem, vitam, et benedictionem. » Hic plene apparet, quod ex nulla parte potest diabolus gravare sperantem in Domino. Oculi Domini super metuentes eum. Scias, quod in Apocalypsi (19, 12) legitur: « Oculi ejus quasi (6) flamma ignis. » Flamma siquidem glaciem liquefacit; et ita misericordia Domini cor congelatum in peccatis facit fluere in lacrymas; unde *respexit Petrum Dominus, et flevit amare* (7). Ecce magna Dei misericordia, quæ solo respectu tollit peccata. Sequitur: *Protector potentiæ.* Siquidem quandiu sub alis misericordiæ Dei sumus, non solum dat nobis indulgentiam, sed protegit. Unde: « Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas (8).» Sicut enim pulli securi sunt a milvo, quandiu latitant sub alis gallinæ, ita nos a raptore securi sumus sub alis Domini. Sequitur: Firmamentum virtutis. Unde Isaiæ (22, 23 et 24): « Figam illum paxillum in loco fideli. » Paxillus siquidem significat Christum, qui est paxillus, idest columna. Firmatur enim, et solidatur omnis christianus ei adhærens in loco fideli, idest in Ecclesia. « Et suspendam (9) in eo omnem gloriam domus ejus, et omne genus vasorum a vasis craterarum, usque ad vasa musicorum. » Gloria est fidelis christianus, qui Christo innititur, et in eo suspenditur. Vasa craterarum sunt mentes prælatorum, a quibus debemus vino doctrinæ inebriari. Vasa musica sunt corda auditorum, et subditorum. Siquidem quando psaltes, vel cytharædus cantaverit, resonat instrumento, quod cantavit. Ita et auditores, quod in prædicatione eis psaltes cantaverit, debent resonare in opere, et ducere in effectum.

Sequitur: Tegimen ardoris. Unde in adventu Domini cantatur illud: « Ecce video nebulam totam terram tegentem (10).Nebula enim terra inspissatur ex vicinia terræ, et significat Christum Dei Filium, qui per In-

(1) Vulg. in edendo multum.
(2) Vulg. evome.
(3) Part. II. *de Vitis Patrum*, 9, 8.
(4) Potestas, et virtus, etc. Secundam Partem libri de *Vitis Sanctorum Patrum* nomen S. Hieronymi tanquam interpretis præsetulisse, vetusta exemplaria testantur. Ceterum laudato loco sic legitur: « Dixit ei senior: Ne pertimescas fili, neque resolvaris, neque abscondas cogitationes tuas: ita enim confusus spiritus immundus discedet a te. Nihil enim ita allidit virtutem dæmonum, quomodo si quis secreta immundarum cogitationum revelaverit sanctis, ac beatissimis patribus.
(5) Vulg. timentes.
(6) Vulg. sicut.
(7) *Lucæ* 22, 61 et 62.
(8) *Matth.* 23, 37.
(9) Vulg. Et suspendent super eum omnem gloriam domus patris ejus, vasorum diversa genera, omne vas parvulum a vasis craterarum usque ad omne vas musicorum.
(10) Primum Responsor. Dominicæ primæ Advent.

carnationem appropinquans nobis tegit totam terram, idest terrenos homines, et non solum tegit, imo protegit contra ardorem tentationis, et vindictæ iræ Dei. Et bene nebula designat Christum quia levis est, et Christus assumpsit carnem levem sine pondere peccati. Sequitur : Umbraculum meridiani; quia ipse meridianum convertit in umbram, gloriam terrenæ altitudinis, delectationem carnalem, et temporalem, tanquam vanam facit reputari umbram; ipse enim tanquam fæcem omnia abjecit. Unde Propheta : « Obumbrasti super caput meum in die belli (1). Siquidem contra nos pugnat diabolus *in die*, idest in nitore temporalis gloriæ : sed hæc gloria umbra est super caput nostrum. Sequitur : Deprecatio offensionis. Unde ad Hebræos (4, 14) : « Habentes Pontificem magnum Jesum, qui penetravit cœlos, » scilicet ut interpellaret pro nobis, et nos Deo reconciliaret, ideo *teneamus confessionem* firmiter, ut quod ore confitemur, opere impleamus. « Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis (2).» Sequitur : Adjutorium casus ; siquidem adjutorium Christus, qui extendit Petro manum, et erexit cum cepisset mergi (3); et qui dicit in Proverbiis (1, 24) : *Extendi manum, et non est qui aspiciat* (4). Sequitur : *Exaltans animam.* In Psalmo (9, 15) : « Qui exaltas me in (5) portis mortis. » Portæ mortis dicuntur timor mundi, et amor : « Ut annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion, » idest Ecclesiæ. Sunt enim portæ Ecclesiæ amor Dei, et timor. Sequitur : *Illuminans oculos.* Unde : Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte (6). In morte siquidem peccati dormitat qui deliberat peccare, qui vult, et non vult. Dormit quis per peccati perpetrationem. Obdormit, qui in profundo peccati jacet per consuetudinem ; obdormitio enim est somni profunditas. Sequitur : Dans sanitatem incorruptionis, vitam gratiæ, benedictionem hæreditatis æternæ.

(1) Psal. 139, 8.
(2) Hebr. 5, 1.
(3) Matth. 14, 30 et 31.
(4) Vulg. non fuit, qui aspiceret.
(5) Vulg. de.
(6) Psal. 12, 5.
(7) Psal. 80, 2 et 3.
(8) I Cor. 14, 15.

SERMO LVII.

De tribus, quæ debet habere exultans in Domino. Quod quidam accipiunt a Domino lac; alii vinum ; alii supervinum. Qualiter opera nostra facienda sunt cum discretione, in pondere, numero, et mensura.

Exultate justi in Domino. (Psal. 32, 1.)

Hic invitatur justus ad exultationem, dicente Domino : *Exultate justi in Domino.* In exultatione tria notantur, sicut dicitur in psalmo illo : Exultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob (7). Ecce jubilus. Sumite psalmum : Ecce psalmus. Date tympanum : Ecce tympanum ; scilicet ut habeamus jubilum in ore, psalmum in mente, tympanum in corpore. Jubilum habet in ore quis, cum immensa latitudo gaudiorum metas non habet syllabarum. Psalmum in mente habet quis, cum sanitas mentis procedit ex testimonio bonæ conscientiæ.

Tympanum habet in corpore, qui carnis habet macerationem. Hæc ad exultationem exiguntur; unde Apostolus : *Psallam spiritu, psallam mente* (8). Hinc, *exultate justi in Domino :* ecce jubilus : *Confitemini Domino in cithara :* ecce tympanum. *In psalterio decem chordarum psallite illi :* ecce psalmus. Quia in tympano est lignum, et corium animalis mortui : hæc est crux Christi, ad cujus exemplum debemus carnem nostram mortificare cum vitiis, et concupiscentiis. Hæc etiam tria habebat David, cum reduceret Arcam in Jerusalem, sicut legitur in primo Paralipomenon (15, 28) ; quoniam ibi non defuit jubilus, sed jubilo ducebant arcam. Ibique non defuit psalmus, quia cantabant hunc psalmum : « Confitemini Domino, et invocate nomen ejus, etc. » Ibi etiam non deerat tympanum, quia legitur in secundo Regum (6, 14), quod David percutiebat in organis armigatis (9), idest ad armum ligatis, in quo significatur mortificatio carnis.

Nota, quod liberati a peccato, et adversitate exultant Deo; unde : Exultate Deo adjutori nostro. Justi exultant in Domino;

(9) In organis armigatis. Vulgata habet : « Et David saltabat totis viribus ante Dominum. » Sed in pluribus antiquis Bibliis MS. et impressis legitur : « Et David percutiebat in organis armigatis, et saltabat totis viribus ante Dominum. » Illud autem, in organis armigatis, Glossa ord. explicat, idest ad armum ligatis, dum manibus ferentis tanguntur. Versio tamen Græca LXX. Καὶ Δαυὶδ

unde Isaiæ (61, 10) : « Gaudens gaudebo in Domino, et exultabo (1) in Deo meo. Sancti vero exultant cum Domino; unde : O quam gloriosum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes Sancti (2). Sequitur : In Domino; siquidem hic invitamur exultare in Domino, quia liberati sumus ab adversis; unde liberati a peccato, et servi facti Deo (3). Exultandum est in Domino; unde in Canticis (1, 3) : « Exultabimus, et lætabimur in te, memores uberum tuorum. » Ubera sunt divinæ misericordiæ doctrina, de qua sugimus lac doctrinæ, qua instruuntur parvuli, et nutriuntur; et de lacte doctrinæ dicit Isaias (66, 11) : Ut sugatis, et satiemini ab uberibus (4) consolationis ejus. Alii vinum, quod præest lacti, scilicet vinum spiritualis favoris, quo accenduntur tepidi; unde in Canticis (7, 8) : Et erunt ubera tua sicut botrus (5) vineæ. Supervinum alii sugunt, scilicet odoramenta æternæ felicitatis, quibus anima delectata dicit : In pace in idipsum dormiam; et in Canticis (1 et 2) : « Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. »

Etiam nota, quod *justi* invitantur ad exultationem. Siquidem justi sunt, qui omnia opera sua faciunt in pondere, mensura, et numero. In pondere videlicet amoris, ut discernant unumquemque, quem diligere debeant, ut majori subjectionem, pari societatem, inferiori protectionem exhibeant. Item in mensura debemus vitam nostram disponere, scilicet in mensura verborum, et operum. In mensura verborum, ut reddamus Deo laudem, proximo prædicationem, sibi confessionem. In mensura operum, ut attendamus, quid fugiendum, quid petendum, quid aliis proponendum, ne nobis dicatur illud, quod legitur in Threnis (1, 11) : « Dederunt quæque pretiosa pro cibo, idest pro aliquo vili; unde sequitur : Vide, Domine, quoniam facta sum vilis. » Sequitur, in numero affectionum; ne justitia nostra deformis incomposita remaneat, ut scilicet timor Dei motus sensualitatis refrænet : intentio ad finem debitum dirigat : ratio modum ambulandi disponat : affectio vero, sicut ratio disponit, obediat. Tales autem exultare debent *in Domino*.

ἀνεκρουετο ἐν ὀργάνοις ἡρμοσμένοις ἐνώπιον κυρίου, in Poliglottis latine redditur : Et David pulsabat in organis modulatis coram Domino.

(1) Vulg. exultabit anima mea.
(2) Ant. in festo omnium Sanctorum.

SERMO LVIII.

Quod transitoria sit persecutio martyrum. Qualiter Dominus facit de frigidis bellatores.

Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos (Ps. 32, 7).

Aquis maris amaritudo persecutionis designatur, et nomine aquæ maris intelligitur terror, et amaritudo persecutionis, quia fluida, et cito transiens est persecutio temporalis; et ita mare timorem incutit et aqua consolationem, quæ cito fluit. Unde Amos (1, 3) : « Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum, eo quod trituraverit (6) in plaustris ferreis Galaad. » Damascus interpretatur potor sanguinis, et designat persecutores, qui satiari non poterant sanguine martyrum. Hi trituraverunt Galaad, idest Ecclesiam, quæ bene dicitur Galaad, quia in ea congesta sunt, et coacervata Scripturæ testimonia ad convincendas nostras perversitates. Et bene dicitur, *trituravit*, idest purgavit; scilicet non attriverunt, idest non extinxerunt fidem, nec deleverunt : sed si quid in martyribus purgandum fuerat, fornax tormentorum absorbuit. Et merito persecutio comparatur plaustro ferreo, quia ferrum cætera metalla concidit, et confringit; unde acerbitatem persecutionis significat. In plaustro enim, quod est volubile, designatur velox transitus persecutionis; et in hoc bene consonat quod hic dicitur : Aquas maris congregans, idest perstringens, et coarctans malitiam persecutoris in utre. Uter siquidem est de corio mortui animalis, et est vas vinarium, et significat prædicatorem conversum ad fidem. Qui prius erat Ecclesiæ persecutor, peccatorum caligine cæcatus, et tanquam in abyssum demersus, nunc effectus est vas vinarium, idest prædicator sacra doctrina alios inebrians.

Ita aquæ maris congregatæ sunt in utre, idest amaritudo malitiæ, et iniquitatis conversa est in dulcedinem prædicatoris. Et abyssi, idest caligine vitiorum pressi, positi sunt in thesauris sapientiæ, de quibus Job (38, 22 et 23) : « Nunquid ingressus es thesau-

(3) Rom. 6, 22.
(4) Vulg. et repleamini ab ubere.
(5) Vulg. botri.
(6) Vulg. trituraverint.

ros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti? quæ præparavit (1), in tempore hostis, et in die (2) belli, et pugnæ? » Thesaurus Dei est sacra Scriptura, quæ nobis ministrat munimenta contra triplex certamen, diaboli, carnis, et mundi. Hostis siquidem noster est diabolus, cum quo habemus prælium in die vitæ præsentis. Ad carnem autem habemus pugnam, quia pugna de prope fit, et inter cives. Ad mundum etiam habemus bellum, contra quem nobis subministrat thesaurus Scripturarum, nivem, et grandinem, cum corda peccatorum frigida, et dura molliunt, et accendunt doctores, qui nos instruunt in die belli. Idest ipsi candidi debent in castitate esse ut nix, quæ est aqua fluida, et tamen durata, et alba apparet super terram, et ut designet, quod et ipsi prædicatores, licet sint fragilis materiæ, tamen in eis nihil sit fluidum, sed in candore conscientiæ firmi permaneant, et solidi. Grando dura est prædicatio prædicatoris, quæ percutit corda auditorum, ut percussi dissolvantur, et terram suæ mentis fœcundent ad bonorum operum fructificationem. Sicut grando, cum percusserit, dissolvitur, et terram fœcundat; in prædicationis correptio, postquam percusserit, mollescit, subjungens consolatoria. Siquidem etiam de nive dicit Ecclesiasticus (43, 14 et 15) : « In imperio suo acceleravit nivem, et acceleravit (3) mittere coruscationem (4) judicii. Propterea aperti sunt thesauri, et evolaverunt nebulæ sicut aves. » Acceleravit mittere nivem, idest convertere prædicatorem, antea peccatorem, ad munditiam vitæ, et innocentiam, et aliorum informationem, et doctrinam : Ecce nix. Coruscationes vero appellat communicationem judicii : Ecce grando. Et postea aperti sunt thesauri scientiæ, et evolaverunt ad prædicationem nebulæ, idest prædicatores, qui licet fragiles sint tanquam nebulæ, ita tamen leves sunt sine pondere vitiorum, et sicut aves sunt pennis virtutum evolantes ad patriam. Legitur de grandine in Exodo (9, 23) : Extendit Moyses virgam, et dedit Dominus grandinem, et fulgura discurrentia. » Quid enim aliud est Moysen virgam extendere, quam prædicatorem prædicationem extendere? Quandiu enim est extenta virga divinæ vindictæ super peccatorem, dat Dominus grandinem, idest prædicatorem comminantem, et fulgura discurrentia; quandoquidem movent ipsi prædicatores judicium sententiæ divinæ, scilicet : Ite maledicti in ignem æternum.

(1) Vulg. : Præparavi.
(2) Vulg. : Diem.
(3) Vulg. : Accelerat.
(4) Vulg. : Coruscationes.
(5) Vulg. : Ejus.

SERMO LIX.

Contra abundantiam Clericorum.

Beata gens, cujus est Dominus Deus eorum (5), *populus, quem elegit in hæreditatem sibi* (Psal. 32, 12).

Vere beata est illa gens, quæ in veritate dicitur hæreditas Domini, et cujus est ipse Deus hæreditas. Siquidem hoc genus est ordo clericalis, *quem elegit sibi* Deus *in hæreditatem*, et qui elegit sibi Deum hæreditatem. In Deuteronomio (18, 2) : « Dominus enim ipse est hæreditas eorum, sicut locutus est illis. » Item in Numeris (18, 20), ubi Dominus ad Aaron, et filios ejus dixit : « Ego pars, et hæreditas tua in medio filiorum Israel; quasi dicat : Sicut te elegi in medio omnium mihi in hæreditatem ita et tu me eligis in hæreditatem tuam. Unde Isaiæ (19, 25) : « Benedictus populus meus Ægypti, opus manuum mearum Assyrius (6) hæreditus mea Israel. » Per Ægyptum designatur minor populus, scilicet laicalis; et per Assyrium, qui interpretatur aula, designantur nobiles, et potentes sæculi : qui omnes sunt populus Dei. Sed præcipue hæreditas Domini est Israel, clerus videns Deum sancta et munda conscientia; quod etiam profitemur in possessione nostra dicentes (7) : « Dominus pars hæreditatis meæ, » idest Dominus est pars mea hæreditaria : et pars calicis mei, idest calix mihi potionatus; ac si dicat clericus : Bibant alii de calice Babylonis, ego bibam et inebriabor calice Dominicæ passionis, et tunc possim dicere : « Funes ceciderunt mihi in præclaris (8) » non solum ad spiritualia, et æterna, imo ad temporalia. Unde in Numeris (18, 12) : « Omnem medullam olei, vini, et frumenti dedi tibi. » Quæ enim gens tam

(6) Vulg. : Assyrio.
(7) Dicentes, etc. Cum tonsuram clericalem recipimus.
(8) Psal. 15, 6.

pulchras in mundo possessiones obtinet, et quis tam quietius, sicut clericus? Et etiam abundat in eis. Nonne ad litteram clerus? Clerus medullam frumenti : alii corticem. Clerus habet purius oleum : alii habent amurcam. Clerus habet vinum exquisitum : alii debile.

Ideo bene dicit Moyses de eis : « Incrassatus, impinguatus, dilatatus recalcitravit (1). Et in Genesi (19, 20) : « Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus. » Siquidem panes clerici etc., in domibus regis sufficerent. Ideo qui in egestate fuit Domini dilectus, præ abundantia recalcitravit. Unde Amos (6, 2): « Transite in Chalane, et videte, et ite inde in Emath magnam, et descendite in Geth Palæsthinorum, et ad optima quæque regna eorum (2) : et videte, si latior sit terminus eorum termino vestro. » Chalane interpretatur omnis, et designat omnem populi multitudinem. *Emath* interpretatur sanguis, et signat divites qui cum immunditia peccati opes acquirunt; quia omnis dives, iniquus, aut hæres iniqui (3). Geth interpretatur torcular, et signat potentes sæculi in eminentiori gradu constitutos, qui premunt minores, et spoliant, ut sua impleant cellaria, nec eis dimittunt, nisi vinacea tortiva sicut premitur uva, nec in vinea dimittitur nisi acinum. Ac si dicat Amos clericis : Considerate omne genus hominum, et videte, si res alicujus vestram excedat; et si quis ita laxavit habenas in Emath, sicut vos facitis, sique in temporalibus laicus præbendatum superet in oppressione subditorum, ut non sit sacerdos, sed multo pejor. Unde Isaias (3, 15) : « Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis? » Quasi dicat : Jejunant pauperes, subditi pallent, et vos ingurgitamini : et non solum jubetis in facie, sed commolitis facies eorum.

Sequitur : Descendite in Geth. Legitur in tertio Regum (2, 40 ad 46), quod Semei descendit de Jerusalem in Geth; et ideo meruit interfici a Salomone. Semei interpretatur auditio, et designat eum, qui libenter audit, et nunciat, obediens divinis mandatis : sed exiens de Jerusalem, idest de munda conscientia, ubi Deum videbat, raptus ad prælationem, quia descendit in Geth, idest in oppressionem subditorum, etiam meretur interfici a vero Salomone; unde Amos in eodem capitulo (6, 3 ad 7) subdit : Qui separati estis in diem malum, idest in diem vindictæ Domini : Qui appropinquatis solio iniquitatis; quasi dicat, de solio prædicatoris, quod debet esse justitiæ, et bonitatis, fecistis solium rapinæ, et iniquitatis : Qui etiam dormitis in lectis eburneis; hic etiam reprehendit eos de nimio apparatu vestium: *Et lascivitis in stratis vestris;* hic reprehendit de luxuria : Qui comeditis agnum de grege, et vitulum de armento (4); hic reprehendit eos de gula : Qui canitis ad vocem psalterii; quasi credant satisfecisse Deo, cum cantant unum *alleluia*, vel ruminant unum psalmum, permanentes in veteri conversatione.

Ideo subjungitur : Sicut David putaverunt se habere vasa cantici, idest citharam mortificationis carnis, et psalterium decachordum impletionis decalogi; et ideo bene subjungitur, ad vocem, et non in voce psalterii. Siquidem ad vocem psalterii cantat qui male vivit, et tamen in Ecclesia exercet debitum officium. In voce psalterii cantat qui opera decalogi, quem cantat, implet, et debitum perficit officium. Quapropter ipsi clerici male viventes migrabunt in infernum in capite transmigrantium, idest pejores omnium laicorum, et profundius damnantur. Unde Jeremiæ (12, 13) : « Hæreditatem acceperunt, et non proderit eis ; » hæreditant scilicet me, et mea temporalia, scilicet patrimonium Crucifixi; sed nihil eis proderit, quod clerici fuerint, quibus hæreditas mea fuerit ad cumulum damnationis. Unde bene subjungitur : Confundemini a fructibus vestris; siquidem abundantia fructuum confusionem faciat in Ecclesia Dei.

SERMO LX.

De mansuetudine, et contra iracundos.

Audiant mansueti, et lætentur.
(Psal. 33, 2.)

Ad amorem mansuetudinis invitatur hic, qui mansuetus est lætitia. Non enim dicit, docti, vel jejunantes *lætentur*, sed *mansueti*. Unde Ecclesiastici (28, 9) : « Memo-

(1) Deut., 32, 15.
(2) Vulg. : Horum.

(3) *Aut hæres iniqui.* Vide notam (2) ad sermonem XXIV, col. 633.
(4) Vulg. : Vitulos de medio armenti.

rare testamenti (1) Altissimi, et despice ignominiam (2) proximi. » Siquidem de testamento Altissimi est : *Dimitite, et dimittetur vobis* (3). Ideo subjungit : Despice ignominiam proximi tibi factam, despice judicare præsumptiones, quas ignoranter forte fecerit. Et quia etiam obarctati sumus, subdit (28, 7) : « Tabitudo et mors in mandatis Domini (4). » Siquidem compassio proximi, quæ facit hominem tabescere, et liquefacere a furore vindictæ, ipsa est in mandatis Domini; quasi dicat : Aut compatieris, et dimittes, aut si inobediens fueris, et transgressor, morieris. Unde in Psalmis (68, 10) : Zelus domus tuæ comedit me, scilicet compassionis me fecit tabescere ab ira. Unde in Proverbiis (3, 34) : « Illusores ipse deludet, mansuetis dabit gratiam. » Et qui sunt *illusores*, Ecclesiasticus ostendit dicens (28, 3) : « Homo homini servat (5) iram, et a Deo expectat (6) medelam. Siquidem hujusmodi delusores, qui a Domino requirunt misericordiam, et aliorum misereri nolunt, deludet ipse Dominus, cum omne debitum ab eis requiret, et projiciet eos in infernum. Mansuetudinem commendat Dominus, cum de ea regit scholas, dicens : « Discite a me, quia mitis sum (7), seipsum ponens in exemplum, ut nos ad amorem mansuetudinis traheret. Isaias siquidem ait (11, 4) : « Arguet pro mansuetis. » Merito enim dicitur Dominus arguere pro mansuetis, eo quod ipsi pro injuriis sibi illatis neminem arguunt. sed Domino servant vindictam. Unde Apostolus : « Non defendentes vosmetipsos, sed date locum iræ (8), » quasi dicat : Qui se vindicant de injuriis, excludunt iram vindictæ divinæ, nec dant locum vindictæ Domini, ut eos hic vindicet, vel in futuro.

Et nota, quod virtus mansuetudinis viam sapientiæ præparat, informat patientiam, prævalet in oratione, vincit malitiam, addit lætitiam, hæreditat terram. Viam sapientiæ præparat; unde Ecclesiastici (5, 13) : « Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas. » Quomodo scilicet poterit intelligere quis, nisi mansuetus audiat, et advertat, quod ei dicitur, sicut dicit Jacobus in Epistola Canonica (1, 21) : « Cum mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras. » Siquidem animam non salvat, qui in mansuetudine non suscipit verbum, nec expectat ut doceatur. Item ipsa informat patientiam; unde idem, qui dicit : Patiens est, addit : Benigna est (9); Quia licet patientia sit magna virtus, et egregia, tamen nihil valet, nisi benigna sit. Sequitur : Prævalet in oratione. Jeremiæ (15, 1) : « Si steterit Moyses, et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. » Siquidem inexorabilis ostenditur ira Domini, cum per interventum non potest placari. Quare potius istorum, quam aliorum? Hi specialiter mansueti leguntur fuisse; et mansuetudo prævalet in oratione, quasi dicat Propheta : Isti non audientur, et quis audietur? quasi dicat : Nemo. De mansuetudine Moysis legitur in Ecclesiastico (45, 4) : « In fide, et lenitate stare (10) fecit illum, et elegit eum ex omni carne; » quasi dicat : Propter fidem, et donum mansuetudinis eum elegit præ omnibus hominibus ad regendum populum. Voluit siquidem populus eum lapidare; ipse nihilominus orat pro eo. Unde de eo legitur Deuteronomii (34, 7) : « Non caligavit oculus ejus, nec dentes ejus moti sunt. » Siquidem oculus ejus non caligavit, quia sol non occidit super iracundiam ejus : nec moti sunt dentes, quia neminem per detractionem momordit. De Samuele idem in Ecclesiastico (46, 9) dicitur : « Invocavit Dominum Deum omnipotentem in oppugnando hostes, et permansit inviolatus (11). Siquidem per mansuetudinem mansit inviolatus, qui per injuriam sibi illatam a mansuetudine moveri non potuit. Nonne legitur in libro Regum, quod Samuel a regno ejicitur? Et tamen dicit eis : Absit, ut cessem orare pro vobis (12). Unde Gregorius (13) : Moyses, et Samuel (14) ceteris patribus præferuntur, quia tantæ mansuetudinis fuerunt, quod nullus potest eis comparari.

Sequitur : *Vincit malitiam*. Unde in Proverbiis : *Si esurierit inimicus tuus, ciba il-*

(1) Vulg. testamentum.
(2) Vulg. ignorantiam.
(3) Lucæ 6, 37. — Vulg. dimittemini.
(4) Vulg. ejus.
(5) Vulg. reservat.
(6) Vulg. quærit.
(7) Matth. 11, 29.
(8) Rom. 12, 19.
(9) I Cor. 13, 4.
(10) Vulg. sanctum.
(11) Vulg. in oblatione agni inviolati.
(12) I Reg. 12, 23.
(13) Hom. 27, in Evang.
(14) *Moyses, et Samuel, etc.* In edit. Maur. Paris.,

tuum: et si sitit, potum da illi. Hoc autem faciens, carbones congeres super caput ejus (1); quasi dicat : Opera mansuetudinis, quasi supernus ignis, cor in malitia congelatum calefaciunt, et liquefaciunt, et cogunt ad emendationem. Unde Seneca : Nobilissimum (2) genus vindictæ est ignoscere. Ipsa etiam mansuetudo addit lætitiam; unde Isaiæ (29, 19): « Addent mites in Domino lætitiam; » et in Psalmis (36, 11) : « Mansueti hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis. Multitudinem pacis habebunt, quia super pacem corporis addetur etiam pax pectorum, et super pacem pectorum eis dabitur pax æternitatis; et ita erit Sabbatum ex Sabbato, idest quies ex quiete. Sequitur: Hæreditat terram; unde : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (3); et non solum *terram* æternæ soliditatis possidebunt mansueti, imo et terram corporis sui, ut eis obediat caro propter donum mansuetudinis. Unde Hieronymus (4) : Qui linguam suam non tenuerit tempore iræ, nec passionem corporis sui poterit aliquando continere. Legitur autem de quodam Abbate Poemene, a quo frater a spiritu fornicationis vexatus, quid faciam, quæsivit, ut hæc evadere valeam? Respondit Abbas : « Ideo David dicit : leonem interficiebam, et ursum suffocabam (5). » Quasi diceret: Si furorem iracundiæ per mansuetudinem in te interficeres, ursus luxuriæ in te non prævaleret. Ideoque interficiendus est leo iracundiæ, ut suffocetur ursus fornicationis per mansuetudinem, de qua dicit Isaias (14, 23), loquens de Babylone deserta : « Ponam eam in possessionem ericii, et in paludes aquarum, » idest in paludes luxuriæ; siquidem ubi virtus mansuetudinis non est, restat ei ut palus luxuriæ dominetur. Quid per ericium intelligitur, nisi vitium mansuetudini oppositum, scilicet iracundia? Et quid per paludes aquarum, nisi sordes luxuriæ? Ac si dicat diabolus : Compellam hominem irasci, et sic consequenter potero eum in lapsum luxuriæ declinare.

tom. I, col. 1,564, num. 8 legitur : « Quid est, quod Moyses et Samuel ceteris Patribus in postulatione præferuntur, nisi quod hi duo tantummodo in cuncta Testamenti veteris serie etiam pro inimicis suis leguntur exorasse ? »

(1) Rom. 12, 20, ex Prov. 25, 21.

(2) *Nobilissimum, etc.* In Tractatu *De interiori domo*, qui S. Bernardo erat olim adscriptus, cap. 24, edit. Maur. Paris., vol. II, col. 367 legitur versus : *Nobile vindictæ genus est ignoscere victo.*

(3) Matth. 5, 4.

(4) In Vitis Patrum, part. II, 9, 87, edit. Lugdun. *Unde Hieronymus, etc.* Consule Annotat (1) ad Serm. LV.

(5) I Reg. 17, 34 et 35.

SERMO LXI.

De periculo linguæ.

Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. (Psal. 33, 14.)

A Peccato siquidem linguæ revocat nos Propheta, dicens : *Prohibe linguam tuam a malo, etc.* Unde Jacobus in epistola sua canonica (3, 5) : « Lingua modicum membrum est, et magna exaltat »; quia licet lingua sit modicum membrum tamen magna, et gravia peccata superat, quia *ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis* (6). Unde Ecclesiastici (20, 27) : Potior est ipse fur, quam assiduitas viri mendacis. Et licet lingua præcedat furem in malitia, tamen ne fur de malitia præsumat, dicens, non esse peccatum grave, jam subditur : Perditionem tamen (7) ambo hæreditabunt. Unde in eodem Ecclesiastico (5, 16 et 17) : « Ne appelleris susurro, et lingua tua capiaris, et confundaris. Super furem (8) confusio, et pœnitentia, et denotatio pessima super bilinguem »; quasi dicat : Super bilinguem est pessima denotatio, idest execratio, et anathematizatio major, quam super furem. Unde Ezechielis (30, 13) : Disperdam simulacra, et cessare faciam idola de Memphis. Per simulacra, quæ simulantur esse aliquid, cum non sint, designatur verbum mendacii simulatum, et otiosum; quod vitium assimilatur simulacris. Et per Memphis, quæ interpretatur ex ore, designantur juramenta. Per idolum, quod fit ad Dei irreverentiam, contumeliosa verba, quæ proferuntur in juramentis; sicut cum jurant per membra Domini, vel beatæ Virginis, vel alicujus sancti irreverenter. Bene enim dicit, quod Dominus destruet idola de Memphis, cum in infernum detrudet eos, qui irreverenter contumeliosa juramenta proferunt. In hoc siquidem, quod per Deum jurant, reverentiam exhibent Deo; et in eo, quod irreverenter, et inutiliter, et in opprobrium Domini jurant, Deo contumeliam faciunt.

(6) Matth. 12, 37.

(7) Vulg. autem.

(8) Vulg. enim est.

Unde Jacobus (3, 5) : Ecce quantus ignis, et quam modicus ignis linguæ quantam comburit silvam (1), scilicet virtutum. Unde Ecclesiastici (28, 21 et 22) : « Flagelli plaga livorem facit : plaga autem linguæ comminuet ossa. » Ideo subdit : « Multi ceciderunt in ore gladii, sed non sic, quasi qui interierunt per linguam nequam (2). Siquidem plaga exterius inflicta corpori, livorem facit in cute, et sustineri potest : sed plaga linguæ comminuit *ossa*, idest robur animæ, scilicet virtutes. Videmus enim quosdam sustinentes abstinentias, vigilias, et in cinere, et cilicio posse latitare, corporis injurias tolerantes, quorum virtutes comminuuntur plaga linguæ nequam. Unde Jacobus (3, 6) : Universitas iniquitatis in lingua, quia per eam continuantur omnia mala, odia, et adulteria, et homicidia, et cetera. Unde Ecclesiastici (28, 16, ad 20) : « Lingua tertia commovit multos, civitates muratas destruxit, mulieres viratas dejecit (3), et qui respicit eam, non habet (4) amicum, in quo requiescat. » Siquidem lingua tertia est lingua detractoris, quæ tertia est inter duos amicos, ut eos separet; tertia inter duo, scilicet inter doctrinam duorum testamentorum, vel inter linguam docentem declinare a malo, et facere bonum, est lingua detractoris tertia. Hæc lingua destruit civitates muratas, idest mentes munimine virtutum roboratas; et mulieres viratas, idest animas viriles dejicit; nec habet amicum, qui credat detractori, nec in quo quiescat; nec in conscientia sua quiescere potest, multo minus in aliena.

Hæc est lingua, quæ, Jacobo attestante (3, 6), « constituitur in membris, quæ totum corpus maculat, et inflammat rotam nativitatis nostræ. » Siquidem lingua totum corpus maculat, quando omnia membra vitiis inficit, et facit servire peccato; et inflammat rotam, idest vitam nostram, quæ per rotam merito designatur, quia volubilis, et labilis est, et circumfertur quasi rota. Ipsa siquidem vita nostra tota inflammata est a puero usque ad senem ita, quod omnem ætatem maculat, quia inflammata est in gehenna a diabolo. Ideo bene dicit Jeremias (9, 2 et 3) : Derelinquam populum meum, et recedam ab eo (5), quia omnes adulteri sunt, et cœtus prævaricatorum ; et hic exponit, de qua prævaricatione, et de quo adulterio sit intelligendum, subdens : « Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii, et non veritatis. » Sicut enim ab arcu nihil emittitur nisi sagitta, ita de lingua detractoris nihil nisi malitia ; unde Jacobus (3, 7 et 8) : « Omnis natura bestiarum, et volucrum, et serpentium domatur a natura humana : linguam autem nemo (6) potest domare. » Siquidem non sine causa comparat linguam detractoris bestiis, volatilibus, et serpentibus. Per bestias enim designantur detractores, qui mordent, et lacerant proximos detrahendo; unde in Psalm. (139, 4) : « Acuerunt gladium linguam suam (7), intenderunt arcum rem amaram : ut sagittent in obscuro rectos corde » (8), idest justum, et proximum immaculatum, in obscuro, idest in occulto. Per volucres, leves in lingua, et verbo scilicet designantur, qui ponunt in cælum os suum, tota die confabulantes de eodem, quod non ad eos pertinet. Per serpentes designat linguam venenatam, famam proximi inficientem veneno malitiæ suæ; unde in Psalmis (139, 4) : « Acuerunt linguas suas sicut serpentis. » Unde etiam dicitur in Proverbiis (26, 26). « Qui operit odium fraudulenter, revelabitur malitia ejus in concilio, » scilicet judicii, et punietur odium fraudulentium, et malitia occulta detractorum. Unde Ecclesiastes (10, 11) : « Si mordeat serpens in silentio, nihil minus (9) qui detrahit in occulto (10); supple, nihil minus facit detractor, quam serpens in caverna tacens, et insidians, ut male faciat.

SERMO LXII.

De irrevocabili sententia judicii.

Effunde frameam, et conclude adversus eos, qui persequuntur me (Psal. 34, 3).

Nomine framæ vindicta peccatorum designatur. Dicit sic Propheta : O Domine, *effunde*, idest multiplica, et declara, ut om-

(1) Vulg. quam magnam silvam incendit.
(2) Vulg. suam.
(3) Vulg. ejecit.
(4) Vulg. habebit.
(5) Vulg. eis.
(6) Vulg. nullus hominum.

(7) Textus Hebr. et Vers. Syr.; Vulg. exacuerunt ut gladium linguas suas.
(8) Psal. 63, 4; psal. 10, 3.
(9) Vulg. eo minus habet.
(10) Vulg. occulte.

nibus appareat, quam districte peccata punias. Unde Ezechielis (21, 2 et 3) : « Fili hominis, pone faciem tuam ad Jerusalem, et stilla ad sanctuaria, et propheta contra humum Israel : Et dices terræ Israel : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad te, et ejiciam gladium meum de vagina sua, et occidam in te justum, et impium. » Stilla, idest annuncia populo meo viam vindictæ meæ; ad sanctuaria, idest ad eos, quorum mentes mundatæ sunt per baptismum, et sanctificatæ per infusionem Spiritus Sancti. Et occidam justum. De quo justo sit hic intelligendum, dicit Michæas (7, 4) : « Qui optimus est in eis, quasi paliurus, et qui rectus, quasi spina de sepe. » Siquidem qui optimi debent esse in Ecclesia sanctitate, aliis præeminent in malitia, tanquam spinæ aculeis peccatorum pungentes, quia cadentes exemplo pravo alios alliciunt in peccatis. Idcirco egredietur gladius meus de vagina ad judicium irrevocabile propter severitatem sententiæ, et pœnam interminabilem. Nunc autem latet iste gladius vindictæ in vagina misericordiæ, et divinæ patientiæ, qui tunc egredietur ad omnem carnem, idest ad omnem carnaliter viventem ab austro, usque ad aquilonem. Per austrum tepidos designat, per aquilonem frigidos in peccatis, quos omnes devorabit gladius meus irrevocabilis.

Sequitur : Et conclude. Unde Ezechielis (7, 23) : Fac conclusionem ; quasi dicat : Satis diu, et sapienter vobis proposui legem, et doctrinam, et assumpsi prævaricationem, et peccata infinita ; nunc ergo concludam damnationem. Quare? Quia omnis civitas, et omnis terra, idest omnis collocatio hominum intra civitatem, et extra undique abundat (1) judicio sanguinum, idest immunditia peccati. Ideoque subjungit idem Ezechiel (8, 18) : Faciam conclusionem : Ecce non parcet oculus meus, neque miserebor. Ecce quandiu est conclusio. Est, Deus non miserebitur. Hoc idem dicit Isaias (26, 21) : « Ecce egredietur Dominus de loco suo. » Siquidem Domini locus est misericordiæ, et miserationis, quem egreditur Deus in judicio, sicut bene apparebit damnatis. Hoc est quod supra dixit Ezechiel : Non miserebor.

(1) Vulg. plena est.
(2) Isa., 5, 5 et 6.

Et ad quid egredietur Dominus? Subditur in Isaia : « Ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum, et tunc terra revelabit sanguinem suum, et non operiet ultra interfectos suos. » Siquidem in judicio terra, idest terrena tenens revelabit omnibus, qui erunt in judicio, sanguinem, idest immunditiam peccatorum latentem in concupiscentiis, tanquam cadavera in sepulcris; tunc apparebunt qui interfecti sunt. Unde Isaiæ (5, 1 et 2) : « Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei, et sepivit eam, et lapides elegit ex illa, et plantavit eam electam, et ædificavit turrim in medio ejus, et torcular extruxit in ea : et expectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas. » Filius olei dicitur Christus propter misericordiam, qua voluit incarnari. Per dilectum significatur Filius Dei; per vineam Ecclesia; per cornu significatur regia potestas; per oleum, misericordiæ suavitas, qua voluit incarnari. Quasi dicat : Si ipse Christus per incarnationem suam ostensus est lenis, et misericors, et patiens : cur ipse est cornu ad impellendum reprobos in damnationem? Hanc vineam sepivit Dominus custodia Angelorum, elegit de ea lapides offensionis, et scandali per prædicationem, ædificavit in ea turrim, idest speculam prædicationis, ut in ea custodes essent vineæ, et eam custodirent; et ut semper habeamus recens vinum Dominicæ passionis, fodit in ea torcular, idest crucem. Et signanter dicit : fodit; eo quod in torculari crucis fossum est corpus Domini vulneribus, et apertionibus, quibus exivit illud vinum pretiosum. Quia tot, et tanta feci tibi, et tandiu, et tam patienter expectavi ut faceres uvas, et fecisti labruscas : ideo concludo tibi dicens (2) : Auferam a te sepem custodiæ Angelorum, diruam maceriam sacramentorum, et virtutum, non putabitur correptione, non fodietur prædicatione, et pluvia gratiæ amovebitur ab ea.

Item : Siquidem per frameam significatur Christus, qui est in vagina, dum divinitas in humanitate latet; qui etiam effundetur in judicio omnibus apparens, et judicans omnes fines terræ; unde in Psalmis (7, 13) : Gladium suum vibrabit; sed alia translatio habet, splendificabit (3) : Siquidem gladius vibratus umbram tremulam habet, et lucem

(3) *Splendificabit*. S. Augustinus *Enarratione* in Psalmum VII, n. 13, hæc habet : « In aliis exem-

similiter. Unde Job (10, 15) : Si impius fuero, væ mihi est : Ecce umbra tremula. Si justus fuero, non levabo caput meum satiatus dolore (1), et miseria. Gladio vibrato Christus comparatur, quia sicut gladius vibratus umbram, et lucem facit tremulentam, sic et Christus terrorem incutit illis, qui sunt in luce gratiæ, et illis qui sunt in tenebris peccati, et ignorantiæ. Ecce lux tremula. Hinc etiam Jeremiæ (2, 26) : « Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur, sic confusa erit (2) domus Israel, ipsi, et reges eorum, principes, et sacerdotes. » Nec mirum, si tunc confusi debeant esse, cum omnes justitiæ eorum sint quasi pannus menstruatæ (3), ad Dei justitiam collatæ; et ideo bene dicebat Job : « Si justus fuero, non levabo caput meum, satiatus dolore, et miseria. » Gladius ergo Domini est vibratus, et iis qui sunt in tenebris, et iis qui sunt in luce terrorem incutiens. Gladii vibratio nihil est aliud, quam extremi examinis manifestatio in præsenti, quam desiderat cognoscere dicens : *Effunde frameam.*

SERMO LXIII.

Quod exultandum sit in Domino, non in mundo, non in peccato.

Anima mea exultabit in Domino, et delectabitur super salutari suo. (Ps. 34, 9.)

Anima nostra, inquam, exultare debet in Domino, non in mundo, non in peccato. Quidam tamen exultant in mundo, qui significantur per Jonam, de quo legitur (4, 8) : « Lætatus est Jonas super hedera, lætitia magna : laborabat in æstu » (4). Per hederam enim, sive cucurbitam (5), quæ serpit in terram, nec seipsam erigere potest, significantur illi, qui in voluptatibus sæcularibus illecti sunt, nec ad superna se erigere possunt. Et attende, quod fructus cucurbitæ fructibus aliarum arborum est contrarius, quoniam antequam sit maturus, comedi potest, cum autem fuerit maturus, comedi non potest : Cum viridis erit, est escibilis; cum maturus erit, vertitur in lignum, et ita non est escibilis. Per fructum cucurbitæ designatur peccatum, quod quando viride est et recens, placet, et hominem delectat, et tunc quidem escibile est, sed cum maturatur, vertitur in lignum; et hoc est quando homo advertit vindictam, quæ peccato tunc immineret, quoniam scilicet pro modica delectatione puniretur æternaliter, nisi pœniteat. Tunc siquidem peccatum illud non delectat, sed dentes ejus offendit. Hinc ait Salomon : « Suavis est homini panis mendacii, et postea implebitur os ejus calculo » (6). Per panem mendacii, sæcularis voluptas significatur, quæ panem mentitum promittit, quia non reficit, sed hominem vacuum relinquit; unde bene dicitur panis mendacii, quia non satiat, nec reficit. Et optime dicit : « Os ejus implebitur calculo. » Per calculum significatur æterna damnatio, a qua nullus liberabitur. Et bene dicitur, implebitur : Os enim plenum nec deglutire potest, nec evomere. Et iterum cum sit lapis, masticari non potest, et ita qui hanc pœnam incurrit, nullo modo liberabitur. Quod bene significatur per hoc quod dicit, implebitur; et per hoc quod calculus est lapis; qui masticari non potest.

Unde bene sequitur in Jona (4, 7) : « Præparavit (7) Deus vermem ascensu diluculi in crastino (8), et percussit hederam, et exaruit. » Vermis iste est mordens conscientia, quæ hederam corrodit, hoc est hominem reprehendit, quod in his voluptatibus ita radicatur. Per ascensum diluculi ortum gratiæ significamus. Et bene sequitur, in crastino; crastino enim die est præ-

pluribus, pro eo quod est gladium suum vibrabit, frameam suam splendificabit positum est : quo verbo convenientissime significari arbitror ultimum Dominicæ claritatis adventum.

(1) Vulg. : saturatus afflictione.
(2) Vulg. : confusi sunt.
(3) Isa., 64, 6.
(4) Vulg. laboraverat enim.
(5) Sive cucurbitam. Ubi Vulgata habet *hederam*, aliæ Versiones, Græca LXX, Syriaca, et Arabica, ac Paraphr. Chald. legunt *cucurbitam.* Cum autem a quodam obtrectatore S. Hieronymus objurgaretur, quod pro cucurbita hederam transtulisset : ipse *Commentario* in Jonam. cap. 4 respondit, in Hebræo legi *kikaion*, quod est genus virgulti, vel arbusculæ, lata habens folia in modum pampini, et umbram densissimam, suo trunco se sustinens. Et addit : « Nos eodem tempore, quo interpretabamur Prophetas, voluimus idipsum Hebrææ linguæ nomen exprimere, quia sermo latinus hanc speciem arboris non habebat : sed timuimus grammaticos, etc., secutique sumus veteres translatores, qui et ipsi hederam interpretati sunt; aliud enim quid dicerent, non habebant »; paucisque interjectis : « Cucurbita et hedera, ait, hujus naturæ sunt, ut per terram reptent, et absque furcis vel adminiculis, quibus innituntur, altiora non appetant. »
(6) Prov. 20, 17.
(7) *Vulg.* Et paravit.
(8) *Vulg.* crastinum.

terita dies, de qua dicit Job (3, 3) : « Pereat dies in qua natus sum. » Delectatio peccati perit adveniente gratia, et vertitur in contemptum, et exaret; unde bene sequitur : Percussit hederam, et exaruit. Ideo bene subjungitur : « Præcepit Deus vento calido, et urenti : et percussit sol super caput Jonæ, et æstuabat : Et petiit animæ suæ ut moreretur » (1). Hic bene exprimitur affectus hominis pœnitentis. Ventus est inspiratio Spiritus Sancti, qui dicitur calidus, quia mentes accendit, et gelicidium peccati tollit, et omne noxium consumit. Et nota, quod non dixit, irradiavit, vel illuminavit sol; sed, percussit sol; per quod intelligimus veram cognitionem, quæ est quasi quoddam flagellum. Quando enim homo bene cognoscit fragilitatem suam, quando beneficia sibi a Deo collata bene considerat, tunc eum sol percutit, et oritur ei sol justitiæ : tunc pœnitet, et seipsum accusat. Unde bene sequitur : Et æstuabat. Æstus est commotio mentis cogitationum seipsas accûsantium, et non defendentium. Ecce affectus pœnitentis, qui consequenter petit animæ suæ, ut moriatur, idest animalitas sua in ea extinguatur. Unde in Ecclesiaste (4, 2 et 3) : « Laudavi magis mortuos, quam viventes, et feliciorem utroque judicavi, qui necdum natus est. » Laudandus siquidem est, qui mortuus est peccato; et felicior qui nondum natus est, idest qui nondum peccato consensit, vel cui nondum peccatum placuit; de cujus nativitate, Job : Pereat dies, in qua natus sum, idest peccati delectatio.

Dicit ergo : *Anima mea exultabit in Domino*, et non in peccato, non in mundo. De cujus delectatione, Ecclesiastes (7, 7) : Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti : Sed hoc vanitas. Scitis, quod spinæ, dum igne strident, consumuntur. Stridor earum, est consumptio earum. Sic omnis gaudens in mundo. Ipsa voluptas seipsam consumit. Nec pro peccato gaudendum est. Turpissimum et fœtidissimum est, cum quis delectatur in eo, quod transire debet in abominationem, et fœtorem, et egestionem. Tale est peccatum, quod egredi debet per confessionem, quod scilicet debet fieri confitendo. Unde : « Facta est fames magna in Samaria ita, quod egeni emebant capu asini octoginta argenteis, et quartam partem cabi stercoris columbarum quinque argenteis (2). Fames illa defectum veræ satietatis significat. Hic defectus est in quolibet peccatore, qui compellitur præ famis angustia comparare *caput asini*. Per *caput asini* significatur mentis torpor, et stoliditas. Stercus columbinum est immunditia, et fœtiditas peccatorum. Turpe est uti stercoribus peccatorum; sed turpius delectari. Unde Osee (7, 14) : Super frumento, vino, et oleo (3) ruminabant. Ruminare animalium est, et ea ruminantur, quæ transeunt in stercora. Et certe fœtidissimum, et turpissimum est revolvere ad memoriam peccatum, et delectari in eo, quod transire debet in egestionem. Et ideo dicamus : Anima nostra *delectabitur in Domino*. Et quomodo delectabitur? *Super salutare* salvationis, resurrectionis, et divinitatis : *Et delectabitur in* Deo *salutari suo*. Et super salutare suum exultabit vehementer (4). Ecce verbum plenum, cum dicit se exultare *super salutare, et vehementer*. Et nota : Per hoc quod dicit in salutari, significatur salutare salvationis : Per hoc, super salutare, significatur salutare resurrectionis : Per hoc ipsum, vehementer, salutare divinitatis. Primum est salutare salvationis ab infirmitatibus, et adversitatibus hujus sæculi : secundum est glorificationis; et ita hic habemus salutare, et super salutare : in futuro vero habebimus tertium salutare in fruitione divinitatis.

(1) Jonas 4, 8.
(2) IV Reg. 6, 25.
(3) Vulg. : Super triticum, et vinum.

SERMO LXIV.

Qualiter Filius provocat Patrem ad judicium.

Exurge, et intende judicio meo, Deus meus, et Dominus meus, in causam meam. (Psal. 34, 23.)

Filius provocat Patrem, ut intendat *judicio* suo, et exurgat ad *causam* suam; quæ causa nobis explanatur ab Isaia, ubi Pater Filio suo tale promissum facit, dicens: « Si posuerit animam suam pro peccato, videbit semen longævum (5); hoc est : Si Filius meus mortuus fuerit, pro redemptione generis humani videlicet, videbit semen

(4) Psal. 20, 2.
(5) Isa. 53, 10 et 11.

longævum, idest multiplicationem Ecclesiæ; postea subjungit : « Pro eo, quod laboravit anima ejus, videbit seminis multiplicationem Ecclesiæ et saturabitur, cum clamaverit in cruce, scilicet : *Sitio* (1). Habet ergo Filius causam adversus Patrem, quasi dicat : Promisisti, quod Ecclesia multiplicabitur, et ita saturarer, si ponerem vitam meam pro genere humano. Animam posui, et vix aliquem invenio, qui me per exemplum bonæ conversationis imitari velit. Hinc est quod dicit Isaias (40, 4) : « Ego dixi : In vacuum laboravi, sine causa pene (2) consumpsi fortitudinem meam : Ergo judicium meum cum Domino, et opus meum cum Deo meo. Et sic ergo Filius Dei conqueritur Patri, quia nos peccatis nostris frustramus fontem suæ passionis, quantum in nobis : unde judicium suum dicit esse cum Deo contra nos. Ecce judicium, de quo supra : *Exurge, et intende judicio meo.* Et tamen quamvis fructum non consecutus sum in illis per passionem, opus meum tamen est cum Deo meo, idest per passionem ad dexteram Dei Patris sedeo fruens potioribus bonis Patris.

Consimilem questum habet in Jeremia (6, 29 et 30) : « Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflavit conflator : malitiæ enim eorum non sunt consumptæ. Argentum reprobum vocate eos. » Conqueritur ergo Filius Dei, quia, sicut plumbum, ejus cor consumptum est. Sicut enim plumbum igne consumitur, ut purgetur argentum, sic caro Christi igne passionis cremata fuit, ut nos purgaremur. Defecit sufflatorium : Hoc dicere potest sufflator, quando campana non bene recipit formam ; et in nobis deficit *sufflatorium* Jesu Christi, cum non velimus nos conformare passioni ipsius; et ideo bene sequitur : Malitiæ eorum non sunt consumptæ. Unde *argentum reprobum* recte nos vocat Deus, quoniam fœx peccatorum ita nobis adhæret, quod vix ab ea possumus separari, vel purgari; et ideo merito conqueritur conflator se *frustra* conflasse. Et Zachariæ (4, 10) : « Qui despexit dies parvos (3), lætabitur, et videbit lapidem stanneum in manu Zorobabel. » Ille inquam, qui transitu-ros dies despicit, lætabitur in futuro, cum videbit Filium Dei in humana natura ; unde bene sequitur : Videbit lapidem stanneum in manu Zorobabel. Zorobabel in terpretatur Magister Babylonis, et significat Christum, qui venit in mundum, ut scholas regeret, ut sic per doctrinam suam cives Babylonis cives fierent Jerusalem ; et in hujus manu, idest potestate erat lapis stanneus. In lapide significatur soliditas, et firmitas divinitatis, qui dicitur stanneus propter humanitatem, quæ quasi plumbum igne passionis cremata fuit, ut nos purgaret a fœce peccati. Hinc etiam habetur in Ezechiele (21, 31) : In igne furoris mei sufflabo in te, et dabo te in manus fabrorum (4) insipientium, et fabricantium interitum, quia sanguis meus in medio terræ clamans cum sanguine Abel. Bene dicit, in igne furoris sufflabo in te; quasi dicat : Sufflaveram in igne passionis, ut purgarem te, sed non es purgatus ; et ideo conflabo te in furore meo, et dabo te in manus fabrorum insipientium, idest dæmonum. Sicut faber insipiens non aliud facit, nisi tundere metallum, et ipsum deteriorare : sic dæmones quasi fabri pessimi super animas peccatorum non cessant fabricare, et eas ad interitum ducere; et hoc, inquam, ideo fit, quia sanguis meus in medio terræ clamans.

Simile habetur in Threnis (3, 61 et 63) : « Audisti opprobrium eorum, Domine, et labia insurgentium in me (5), sessionem, et resurrectionem eorum vidisti (6). Iste versus intitulatur, *Sin*, qui interpretatur vulnus; ac si diceret Dominus per Jeremiam : Vulneratus sum propter iniquitates vestras, attritus sum propter scelera vestra ; et vos vulnera super vulnus addidistis, quasi emplastrum, idest conversationem, ex multis operibus quasi ex multis herbis confectum : Et oleum misericordiæ, quod esset mihi remedium, potius debuissetis apponere. Et ideo conqueritur Patri dicens : « Audisti opprobrium eorum, Domine, et labia insurgentium in me. Hæc sunt labia seductoris blandientis, et jurantis, et exprobrantis Christo fragilitatem humanæ carnis, quam suscepit pro nobis. Lingua enim multorum est sicut securis carnificis, quæ membratim

(1) Joann., 19, 28.
(2) Vulg. : et vane.
(3) Vulg. : Quis enim despexit dies parvos ? et lætabuntur, et videbunt lapidem stanneum, etc.
(4) Vulg. : hominum.
(5) Vulg. : mihi.
(6) Vulg. : vide.

Christi carnem dividit. Sequitur : Sessionem, et resurrectionem eorum vidisti in oppressionem pauperum. Hoc contra judices, et doctores. Doctorum enim est sedere in cathedra ad docendum, et judicum, in sede judiciaria ad recte judicandum. Caveant ergo isti, ne docendo, vel illi judicando surgant contra Dominum, ne illis adaptetur illud Michææ (2, 7 ad 9) : « Nonne verba mea bona sunt cum eo, qui recte graditur? et e contrario populus meus in adversarium mihi consurgit (1). Desuper tunicam (2) pallium meum sustulistis, et eos, qui simpliciter transibant, convertistis in bellum, Mulieres populi mei dejecisti (3) de domo deliciarum suarum : a parvulis earum tulistis laudem meam in perpetuum. » Vel etiam ad litteram vera sint, tamen moraliter exponi possunt, ut per pallium bona conversatio intelligatur; quoniam sicut pallium sagittamentis hircinis, ita bona conversatio contra tentationes diaboli ponitur; quod, inquam, pallium a subditis tollitur, quando per exemplum malæ conversationis, vel suggestionem, vel negligentiam prælatorum illi, qui prius simpliciter hujusmodi temporalia transibant, per exempla prælatorum corrupti, bella contra Dominum moverunt. Et super hoc conqueritur Filius dicens : Mulieres populi mei ejecistis de domo deliciarum suarum, idest de bona conscientia; et sic ab eis tulistis laudem meam, idest vitam æternam; et hoc in perpetuum.

SERMO LXV.

De meditatione, executione, et delectatione iniquitatis, et frequentia peccati.

Iniquitatem meditatus est in cubili suo : astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non audivit. (Psal. 35, 5.)

In hoc versu quatuor notantur; Meditatio scilicet iniquitatis, cum dicit : *Iniquitatem meditatus est;* Executio iniquitatis, per hoc quod dicitur : *In cubili suo;* Frequentia peccati, cum dicit : *Astitit omni viæ non bonæ;* Gaudium sive delectatio iniquitatis, cum dicit : *Non odivit.* Iniquitatem siquidem meditatur homo *in cubili suo,* cum iniquitatem præconceptam ad opus perducit; et sic mens hominis, quæ prius per inhabitantem gratiam erat cubile, et sacrarium Spiritus Sancti, efficitur antrum diaboli. Unde Job (37, 8) : « Ingredietur bestia latibulum suum, et in antro suo morabitur. » Valde siquidem turpe, et inhonestum est, thalamum, et sacrarium Trinitatis converti in antrum, et cubile diaboli. Unde Dominus per Sophoniam de anima peccatrice ait (2, 15) : « Quomodo facta est in desertum cubile bestiæ? » Et revera mens hominis, quandiu est cubile dæmonis, est sicut terra deserta, cum nec humore gratiæ sit irrigata, nec a bono opere fœcundata; unde ibidem dicitur : *Ponam* (4) *speciosam in solitudinem, et in invium, et quasi desertum.* Mens siquidem hominis speciosa est, quandiu habitat in ea justitia; quæ ponitur in solitudinem, cum per peccatum a Deo deseritur. Unde Joelis (2, 3) : « Quasi hortus paradisi, sive voluptatis terra coram eo, et post eum solitudo deserti »; et loquitur de fideli anima, quæ est *quasi hortus* deliciarum coram eo, idest Deo, idest antequam per peccatum fiat cubile dæmonis. Et post eum, idest postquam diaboli fit antrum, et receptaculum, convertitur in solitudinem deserti, nec est qui effugiat eum. Unde sequitur in eodem Sophonia : Et in invium; nec mirum, quia est sine via : Illum enim ejecit, qui est via, veritas, et vita (5).

Sequitur : Et quasi desertum : accubabunt in medio ejus greges, idest vitia carnalia, et omnes bestiæ gentium, idest omnia genera dæmoniorum; et quod dixerat in generali, prosequitur in speciali : « Onocrotalus, et ericius in liminibus ejus morabuntur: vox cantantis in fenestra, et corvus in superliminari. » Onocrotalus est animal habens fellem in ventre, vel gutture, ubi quasi in sacculo escas deponit; et significat gulosum, et avarum. Gulosus enim quasi fellem habet in gutture, cum omnia paratus sit devorare : et avarus, cum nihil sibi credat sufficere; et ideo quasi in felle alteri escas relinquit, dum divitias colligit, et reponit. Ericius, cum videt se capi, nec posse evadere, hoc habet consuetudinis, quod se totum quasi in unum globum colligit ita,

(1) Vulg. consurrexit.
(2) Vulg. tunica.
(3) Vulg. ejecistis.

(4) Vulg. Ponet.
(5) Joan. 14, 6.

quod nec cauda, nec caput appareat, nisi solum spinæ, et aculei, quibus se defendit. Sic peccator, cum videt se a sacerdote per confessionem comprehendi, in unum globum se colligit, ita quod nec caput, nec cauda peccati possit inveniri, aculeos defensionis prætendit, ut sic evadat manus sacerdotis. Et nota ordinem ejus, qui sequitur : Vox cantantis in fenestra, et corvus in superliminari. Non enim esset corvus in superliminari, nisi esset vox cantantis in fenestra ; quoniam nisi ratio illecta deliciis cantantis in fenestra, idest in porta sensuum læta, et dissoluta sederet, corvus non esset in superliminari; idest in ratione non esset procrastinatio satisfactionis. Si enim ratio sensui non cohæreret, et ad sui reprehensionem, et peccati recogitationem seipsam in se recolligeret, non esset vox cantantis in fenestra, sed vox lugentis : non enim tunc delectaretur ratio in his exterioribus per sensus corporales. Unde Isaiæ (34, 11) : Ibis, et corvus habitabunt in ea. Et sunt verba Dei loquentis de Judæa a Deo derelicta. *Ibis* serpentes incorporat; et significat detractorem, qui veneno detractionis delectatur. Corvus, qui cadavera incorporat, significat illos, qui aliorum sibi peccata incorporantes, ad exemplum malorum vivere volunt. Et ibidem in Isaia subjungitur de dracone, et struthione, qui significant duo genera peccatorum. Quidam enim occulte peccant, et callide, qui significantur per draconem : alii manifeste, et significantur per struthionem. Unde Glossa (1) ibidem : in mente perversa (2) draco cubat, et struthio pascitur, dum et malitia callide tegitur, et simulatio sanctitatis ostentatur.

Sequitur : Astitit omni viæ non bonæ. Ecce peccati frequentia, et vagatio. Unde in Jeremia (3, 2) : « Leva in directum oculos tuos, et vide, ubi non prostrata sis; et superius dixerat (2, 20) : In omni colle, et sub omni ligno frondoso prosternebaris meretrix. Quæ duo significantur, scilicet peccati ostensio, sive manifestatio, et ejusdem defensio. Per hoc quod dicitur, in omni colle, significatur præostensio, quoniam quod in colle est, a longe videri potest. In hoc quod dicit, sub omni ligno frondoso, ostenditur peccati defensio. Cum enim Adam peccasset, aufugit, et sub umbra arboris latuit, ubi convictus a Domino peccatum suum excusavit. Sequitur : Malitiam autem non odivit : in quo denotatur gaudium, vel delectatio peccati. Hinc est, quod Dominus per Jeremiam ait ad miseram animam (2, 33) : « Quid bonam ostendere niteris viam tuam? Et insuper malitias docuisti vias tuas.» Illud pessimum est, scilicet tenere scholas de peccato; quod faciunt illi, qui delectantur cum male fecerint, et alios invitant ad peccandum, gaudentes habere multos consortes iniquitatis.

SERMO LXVI.

De ubertate Ecclesiæ, quæ procedit ex utero Virginis.

Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis potabis eos. (Psalm. 35, 9.)

Domus ista est uterus beatæ Virginis, de cujus ubertate inebriata est universa Ecclesia, cujus ubertatem, et quanta sit, describit Salomon in Canticis dicens (4, 13 et 14) : « Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypris cum nardo, nardus, et crocus, fistula, et cinnamomum, myrrha, et aloe. » Et dicit hoc ad beatam Virginem, cujus uteri emissiones est paradisus, idest tota Ecclesia, in qua sunt mala punica, cypri cum nardo. Per mala punica significantur Martyres; unde in Canticis (4, 3) : « Sicut fragmen mali punici genæ tuæ. » In genis mulierum pulchritudo consideratur; et species Ecclesiæ in Martyribus, quasi in genis attenditur. Et bene per fragmen mali punici significantur martyres; quoniam sicut fragmen mali punici interius albet, et exterius rubet : sic et Martyres interius albent per mentis innocentiam, et candorem, exterius rubent per sanguinis effusionem. Cyprus arbor est, quæ in Ægypto nascitur, et crescit. Significat illos, qui in mundo pravæ, et perversæ conversationis nati, et nutriti, conversione sancta profi-

(1) Glossa ord. ex S. Greg.
(2) In mente perversa, etc. S. Gregorius lib. VII. *Moral.* in cap. VI Job, tom. I, edit. Maur. Paris., col. 228, num. 36 habet : « In perversa igitur mente draco cubat, et struthio pascitur : quia et latens malitia callide tegitur, et intuentium oculis simulatio bonitatis antefertur. »

ciunt; unde in Apocalypsi (2, 13): « Scio, ubi habitas, ubi sedes est Satanæ, et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam. Ecce quod cyprus in Ægypto est confessor in mundo. Hujus arboris semen simile est coriandro, et ita simile est mannæ. Est autem hujusmodi semen album, et lucidum, et odoriferum. Et confessor : Semen, idest bona conversatio, album est munditia mentis, lucidum virtutis radiis, odoriferum suavitate bonæ opinionis. Et bene assimilatur semen hoc mannæ, quia manna in ore comedentis sapiebat quidquid comedere volebat, ita et vita confessorum habet omnis saporis delectamentum. Nardus humilis et calida significat humiles charitate ferventes. Crocus aurei coloris est, et significat sapientiam. In fistula significantur prædicatores. Fistula purpureum habet corticem, et robustum. Et prædicatores sancti fistulam tenentes prædicationis in manibus, ut quod ore prædicant opere compleant, in operibus virtutum debent esse robusti, et si necesse, ad martyrium parati. Cinnamomum est cinerei coloris, cujus cortex ad calorem solis a stipite suo separatur; et significat claustrales, qui in cinere vivunt, et cilicio, qui etiam ad calorem veri solis separati sunt a stipite suo, scilicet a mundo, a carnalibus amicis, et a seipsis, ut sua pariter, et semetipsos abnegantes, habeant præmium vitæ æternæ. Myrrha significat carnis mortificationem; et signat illos, qui jejuniis, et vigiliis, et peregrinationibus corpora sua mortificant. Aloe lignum odoriferum est, et loco thymiamatis cremabatur, et significat fragrantiam suavis orationis.

Hæc est ergo paradisus tam pretiosis ornata arboribus, quæ scilicet fluxit de utero beatæ Virginis. Hæ arbores sunt membra Ecclesiæ, quæ emisit beata Virgo. Fœcunditas etiam hujus paradisi ostenditur in Genesi, ubi dicitur de paradiso (2, 6) (1) : « Fons egreditur ad irrigandam universam superficiem terræ. » Fons egrediens de paradiso est Christus natus de utero Virginis, qui rore gratiæ, et misericordiæ mentes hominum irrigavit. Unde in Genesi (2, 10) : « Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum. » Locus voluptatis est venter beatæ Virginis,

(1) Vulg. Fons ascendebat e terra, irrigans universam, etc.

de quo exivit fluvius, idest Christus irrigans Ecclesiam, qui dividitur in quatuor capita, quæ ostenduntur in Ecclesiastico (24, 35, ad 37) : « Qui implet quasi Phison sapientiam, et sicut Tigris in diebus novorum, qui adimplet quasi Euphrates sensum, assistens quasi Gehon in tempore vindemiæ. » Hi sunt quatuor fluvii, idest Christi capita, scilicet Nativitas, Passio, Resurrectio, Sancti Spiritus emissio. In Nativitate enim fuit Christus sicut Tigris in diebus novorum; quoniam tunc innovatum est genus humanum, cum in Christo Divinitas conjuncta fuit humanitati, et etiam quia tunc fecit nova super terram; unde Jeremiæ (31, 22) : « Novum faciet (2) Dominus super terram. » Significatur etiam Christus fuisse quasi Tigris in Nativitate. Tigris enim cum maximo impetu fluit in mare mortuum; et Filius Dei descendit in mundum quasi Tigris, ut in mare mortuum. Dies vindemiæ pertinet ad Passionem, quando videlicet Corpus Christi, quasi uva, compressum fuit in cruce; et huic dicitur Gehon assistere. Gehon interpretatur oris commutatio; et dies vindemiæ, idest passionis nos commutat ad consumendum in nobis omnem carnalem affectum : quoties enim nobis venit in mentem dies passionis, statim debet carnalis affectus reprimi, et consumi. Phison, qui interpretatur caterva multorum fluviorum, signat Spiritus Sancti missionem, quem in Ecclesiam misit Deus cum multitudine charismatum. Quod autem dicit : Qui adimplet quasi Euphrates sensum, ad Resurrectionem pertinet, in qua sensus cum anima implebuntur omni jucunditate. Euphrates enim frugifer interpretatur; quandiu enim sumus in hac vita, egeni sumus, mendici, et vacui. Anima enim nunc in foribus sensuum quærit, unde delectetur. Sed in resurrectione, visione Dei replebitur, nec aliud quæret in quo delectetur.

SERMO LXVII.

De Confessione, quæ requiem, et refrigerium præstat christiano.

Revela Domino viam tuam : et educet quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum tanquam meridiem. (Ps. 36, 5 et 6.)

Revela Domino viam tuam in confessione;

(2) Vulg. Creavit.

et ipse *educet quasi lumen justitiam tuam*, idest justificabit te, ut justitia cordis illuminet *judicium tuum ut meridiem*. Unde Job (12, 22) : « Qui revelat profunda de tenebris, et ducit (1) in lucem umbram mortis. » Deus siquidem peccatores oppressos vitiis *revelat* per pœnitentiam, et illos illuminat, qui sunt in umbra mortis, idest ita proximi damnationi sunt, sicut umbra corpori proxima est. De hac etiam illuminatione habetur in Isaia (58, 10 et 11 : « Si (2) effuderis esurienti animam tuam, et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies; et requiem dabit tibi Dominus Deus tuus (3), et implebit splendoribus animam tuam, et ossa tua liberabit. » Christus esuriit salutem nostram, quando dixit in cruce : *Sitio*. De jejunio dicit : « Humiliabam in jejunio animam meam (4). » Hujusmodi animam esurientis reficimus, et saturamus, cum peccata confitemur. Laborasse etiam pro nobis, et afflictum fuisse dicit Isaias (43, 24) : « Laborare me fecistis (5) in iniquitatibus vestris. » Cum ergo nobis laboraverit Christus reficiamus ipsum lassum, pœnitendo, et pro peccatis satisfaciendo. Bona enim opera nostra sunt refrigerium laboris illius. Unde Isaias (28, 11 et 12 (6) : « Loquela labii, et lingua altera loquetur Dominus ad populum istum, cui dixit : Hæc (7) requies mea, reficite lassum, et hoc est refrigerium meum : et noluerunt audire. » In lingua siquidem labii loquetur Dominus ad nos in futurum, nunc loquela ipsius est in corde : nunc enim malis non apparet loquela duræ sententiæ, sed in die judicii manifesta erit. Tunc loquela erit in labiis, cum dicetur : « Ite maledicti in ignem æternum. » Et tunc siquidem lingua loquetur altera; nunc enim lingua ipsius est lingua misericordiæ, et vocantis nos ad pœnitentiam, sed in futuro lingua ejus erit lingua judicantis, et flagellantis. Et ideo reficite lassum, pœnitendo de peccato, et per opera satisfactionis ejus sudorem tergendo, sic ei refrigerium, et refectionem præstando, ut sic pro tenebris peccatorum oriatur nobis lux gratiæ. Et tenebræ tuæ erunt ut meridies. Meridies duo facit : illuminat, et accendit. Et lux homini in confessione lumen dat, et ardorem; lumen cognitionis peccaterum, et ardorem compunctionis, ut homo peccato agnito seipsum puniat conterendo, et pro peccatis satisfaciendo; alioquin dici potest de eo : Quoniam dolose egit in conspectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium. Et noluerunt me audire (8) dicit Pater, ut Filium meum lassum pro eis, et afflictum reficerent; qui si tamen adhuc converti volunt, dabo requiem eis sempiternam, et implebitur splendoribus anima eorum, idest sensualitas, vel animalitas, ut subjecta sit rationi ad facienda bona. Et ossa eorum, idest virtutes liberabuntur ab impugnatione tentationis.

De hac etiam illuminatione habetur in secundo Machabæorum (1, 20 ad 22), ubi legitur, quod Nehemias misit ad requirendum ignem in puteo, et non invenerunt nisi aquam crassam; et præcepit, ut aquam illam afferrent : quam allatam fudit super ligna, et sacrificia. Quod ut factum est, refulsit sol, qui prius erat in nubilo, et factus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur. Per sacrificia, carnis macerationem intelligimus, et afflictionem : per ligna, peccata quæ cædi debent, et cremari. Lignum scinditur, cum peccatum deseritur. Lignum crematur, cum peccatum per satisfactionem purgatur. Puteus est cor peccatoris, in quo deest ignis cœlestis gratiæ. Mittit Nehemias ad puteum, idest ad cor hominis, sed non ibi reperitur ignis, quoniam ex se non habet homo, quod ignem habeat cœlestis gratiæ. Aqua crassa est dolor de peccatis, et contritio; vel aqua crassa est dolor de peccatis, quem potest habere peccator ex se, sed ignem gratiæ non habebit, nisi de supernis descendat. In aqua crassa est humor, et pinguedo. Humor est ad extinguendum, et pinguedo ad accendendum. Et contritio, sive dolor de peccatis, sicut aqua crassa habens in se humorem, et pinguedinem, et peccatum extinguit, et in peccatore seipsum accusante, et contra seipsum indignante super peccati fœtore, indignationis ignem accendit. Quod si ita contristetur peccator, et indignetur, statim adhæret ignis cælestis gratiæ; quandoquidem si homo facit quod

(1) *Vulg*. producit.
(2) *Vulg*. cum.
(3) *Vulg*. semper.
(4) Psal. 34, 13.

(5) *Vulg*. Præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. *Textus autem Hebr*. Laborare me fecisti.
(6) *Vulg*. In loquela.
(7) *Vulg*. Est.
(8) Psal. 35, 3.

suum est, et Deus facit similiter quod suum est. Et sic fiet ignis magnus, sacrificia purgans, et consummans peccata; et sic apparebit verus sol, qui prius erat in nubilo. Amoto enim obstaculo, quod separat inter Deum, et peccatorem, statim accenditur peccatoris cor, et illuminatur, ut Deum per fidem cognoscat, et per charitatem ignitam diligat.

SERMO LXVIII.

Contra sæcularem excellentiam malorum; et de malis Prælatis.

Inimici autem Domini mox ut honorificati fuerint, et exaltati, deficientes, quemadmodum fumus, deficient. (Psal. 36, 20.)

Contra sæcularem malorum excellentiam ponitur iste versus, in quo dicit : Qui cum *exaltati, et honorificati fuerint, deficientes quemadmodum fumus, deficient.* Hoc est quod Sapientiæ dicitur (5, 15) : « Spes impii tanquam lanugo, quæ a vento tollitur, et tanquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur, et tanquam fumus, qui a vento diffusus est, et tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis. » Spes enim impiorum est quasi lanugo, quæ crescit in summitate arundinis. Arundo crescit in cœno; et impius in peccato. Arundo exterius est speciosa, et interius vacua, quoniam etsi exterius rutilet, interius soliditatem non habet; et gloria impii vacua est a vero bono, et ideo hominem vacuum relinquit. Fructus arundinis non est aliud, quam lanugo, quæ a vento dispersa est. Unde in Psalmis : « Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani; et transivi, et ecce non erat : et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus. » Est etiam sicut spuma gracilis, quæ a procella dispergitur. Spuma est aquæ immunditia in superficie aquæ adunata. Per aquam significatur fluxus temporalium, quæ sicut aqua sunt labilia, et immunda; unde Apostolus : « Omnia reputavi tanquam (1) stercora » (2). Et alibi (3) : De stercoribus (4) boum lapidabitur (5) piger. De horum immunditia surgit in hominem sæcularis excellentia.

De hac in Osee dicitur (10, 7) : « Transire fecit Samaria regem suum sicut (6) spumam super faciem aquæ. » Jeroboam, qui de Ephraim, rex fuit Samariæ, Jeroboam interpretatur temporalitas, Ephraim fructificatio. Et bene Jeroboam de Ephraim dicitur esse, quia sæcularis excellentia, quæ habetur in hoc mundo, de rerum affluentia procedit. Hinc etiam ait Job (24, 18) : « Levis spuma fuit (7) super faciem aquæ : maledicta sit pars ejus in terra, non ambulet per viam vinearum. » Vinea est spiritualis felicitas, per quam non ambulant qui excellentiæ dediti sunt. Tempore enim vindemiæ canes habent in collo perticam, ne vineam possint intrare. Sic multi habentes peccatum, vel amorem temporalium quasi perticam in collo, vineam Domini intrare non possunt. Unde legitur, quod beatus Arsenius in quadam visione vidit quosdam, qui quasi perticam in collo ex transverso habentes, nitebantur intrare Ecclesiam, nec poterant. Sequitur : « Et quasi fumus, qui a vento diffusus est. Fumus, quanto magis ad serenitatem aeris accedit, tanto magis dispergitur, et evanescit, qui tamen inferius apparet. Sic et homini sensualiter consideranti, aliquid videtur temporalis felicitas; sed spiritualiter intuenti videtur contrarium. Unde Isaias (9, 18) : « Succidetur (8) in densitate saltus, et convolvetur in superbia fumi. » Et bene dicit, succidetur saltus in densitate; temporalis enim felicitas, quæ sterilis, et arida est sicut saltus, quantumcunque fuerit densa, et abundans, succidetur tamen, annihilabitur. Et convolvetur in superbia fumi. Volumen fumi quanto magis in altum tollitur, tanto citius dispergitur; sic temporalis felicitas.

Sequitur : « Et sicut memoria hospitis unius diei prætereuntis. » Hinc Isaias (24, 20) : « Agitatione agitabitur terra sicut ebrius, et auferetur sicut (9) tabernaculum unius noctis. » Ebrius de una via facit duas, vel plures; inordinate agitatur; vias enim confundit, nec viam tenet rectam. Sic qui

(1) *Vulg.* Arbitror ut.
(2) Philip., 3, 8.
(3) Eccli. 22, 2.
(4) *Vulg.* stercore.
(5) *Vulg.* lapidatus est.

(6) *Vulg.* Quasi.
(7) *Vulg.* Levis est.
(8) *Vulg.* Succendetur.
(9) *Vulg.* Quasi.

temporalibus inhiant, ea per fas, et nefas multis sudoribus acquirunt, et laboribus, ut per multitudinem divitiarum aliis præferantur. Isti male attendunt illud, quod sequitur : « Auferetur sicut tabernaculum unius noctis. » Peregrinus, sive militans de nocte figit tabernaculum, et mane consurgens illud secum portat, nec aliquod vestigium remanet ubi prius nocte tabernaculum fixerat. Sic impius ita transit, quod impii nulla restat memoria; unde in Parabolis (10, 7) : « Memoria justi cum laudibus : nomen autem impiorum computrescet (1). » Job (24, 24) : « Elevabuntur (2) ad modicum, et non subsistent; » quia *non sunt* (3) subditur in inferiori loco; et secundum aliam translationem sequitur : « Et marescent (4) sicut malva in æstu; et postea conterentur sicut summitates spicarum. » Spica in inferiori parte habet grana, in superiori aristas. Significat Ecclesiam, in cujus inferioribus sunt grana, in superioribus aristæ. Ecclesia vere in inferioribus est fœcunda, in superioribus est sterilis, et infructuosa. Et bene per aristam significantur prælati. Arista enim pungit, et cito arescit, et frangitur a flatu venti. Et majores nostri in eminenti loco positi, ut vita et morum honestate aliis præcellant, sicut aristæ sunt pungentes in subditos, et quasi aridi, et sicci ante flatum alicujus reprehensionis cito franguntur, et moventur. Unde Job (20, 25) : « Eductus, et egrediens de vagina sua, et fulgurans in amaritudine sua. » Gladius occultatur in vagina : et in corde hominis absconditur crudelitas, quæ educitur a diabolo suggerente, et egreditur propria hominis voluntate. Et tunc dicitur homo fulgurans in amaritudine sua. Fulgur, ut descendit ab alto, lumen habet, et percussionem, et cito pertransit. Sic malus prælatus quasi fulgur ab alto descendit, et subditos violenter deprimit. Lumen habet, et percussionem, quoniam ille, qui deberet esse lumen positum super candelabrum, ut intrantes domum Dei viderent illud, positum est sub modio, cum se ad rapinam bonorum, quæ sunt pauperum, convertit; et sic habet percussionem sicut fulgur, quia, sicut fulgur, cito pertransit, et post se fœtorem relinquit. Unde quasi tali insultando ironice dicit Jeremias : « Gaude, et lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus, quia inebriaberis, et nudaberis » (5). Illi siquidem, qui affectat terrena, consulit diabolus : Tu, inquiens, qui talis es, inebriaberis calice Babylonis, idest amore sæcularis gloriæ, atque nudaberis ab omni ornamento virtutis; et ideo gaude, et lætare. De hoc potu, et nuditate Habacuc (2, 15) : « Væ, qui potum dat amico suo mittens fel, inebrians, ut aspiciat nuditatem ejus. » Hic est diabolus, qui se simulat amicum : Propinat potum terrenæ voluptatis, mittens in eo fel peccati, ut sic ab omni virtutum ornamento expolietur, qui hoc potu inebriatur.

SERMO LXIX.

De sagittis Dei, qui inflictæ sunt homini propter peccatum primi parentis. De terrore judicii.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam. (Psal. 37, 3.)

Ad ædificationem humilitatis, et timoris valet quod dicit : *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.* Sagittæ Domini sunt carnis infirmitas, et moriendi necessitas, quæ infixæ sunt in quolibet homine; unde Job conqueritur, dicens (6, 4) : « Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, et terrores Domini militant contra me. » Ita ergo infixæ sunt hæ sagittæ in unoquoque nostrum, quod eas extrahere non possumus. Hoc est onus colligatum : Hæc est tela, quam orditus est Dominus super nos a principio mundi. Omnes enim vestiti sumus ex hac tela. Unde Isaias (25, 7 et 8) : « Et præcipitabit Dominus in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, et telam, quam orditus est super omnes nationes. Præcipitabit mortem in sempiternum. » Dominus a principio usque nunc, et ordietur usque in sempiternum (6). Car-

(1) Vulg. : putrescet.
(2) Græca LXX ; Vulg. elevati sunt.
(3) Non sunt, etc. Ubi Vulgata legit : « Elevati sunt ad modicum, et non subsistent, et humiliabuntur sicut omnia, et auferentur, et sicut summitates spicarum conterentur. » Versio syriaca, et arabica habet : « Oculi ejus super viis eorum elevabuntur. Pusillum, et non erunt. » Et paraphr. chald. : Expectant pusillum, et non est sceleratus ».
(4) Et marcescent, etc. In polyglottis sic legitur : « Emarcuit autem sicut malva in æstu. »
(5) Thren., 4, 21.
(6) Usque in sempiternum; idest, usque ad consummationem sæculorum, et finem mundi.

nis infirmitas est, quam præcipitabit Dominus etiam electis suis in die judicii, quando caro cum anima glorificabitur, et etiam necessitatem moriendi; unde subdit: Tunc præcipitabit Dominus mortem in sempiternum. Hæ sunt ergo sagittæ, quarum indignatio, sicut dicit Job, ebibit spiritum meum, idest elationem meam, et superbiam in me consumit, ut nihil de superbia, vel elatione remaneat. Hoc est quod dicitur in Psalmis: Increpasti superbos; ubi Glossa: « Tota vitæ hujus miseria (1), et ærumna, superborum increpatio est hæreditaria. » Sed pauci sunt, qui hujusmodi audire velint, cum tamen sonet quotidie in auribus nostris.

« Et terrores Domini militant contra me. » In militia, sicut scitis, ita disponuntur acies, ut una alteri succedat. Et nos in operibus Dei acies quasi in militia ordinemus, considerando scilicet primo, quanta salvandis promittit præmia: Ecce una acies. Præterea aliam aciem ordinando, cogitemus scilicet, quam gravia damnandi expectant supplicia; unde Job (31, 23): « Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus ejus ferre non potui. » Et quis est, qui possit ferre manum ejus? Sicut acies succedit aciei, ut hostes devincantur; et ita fluctus succedit fluctui, ut navem submergat. Et sicut ille, qui est in navi, navem deonerat, ut evadat; ita gravem vindictam, quam exercet Dominus in corpore, et anima successive et reducere ad memoriam debemus, et vitia omnia evacuare, ne in hoc mari magno, et spatioso submergamur. Acies has disponebat Petrus, cum dicebat in Epistola: *Si Deus angelis*, quibus tam bona, et subtilia contulit naturalia, peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium servari (2). Ecce unam aciem; postea aliam aciem subdit, dicens: « Et si originali mundo non pepercit, sed octavum Noe justitiæ præconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens. Et civitates Sodomorum, et Gomorrhæorum in cinerem redigens, eversione damnavit. Novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos: magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant in damnationem, quia (3) contemnunt, audaces, sibi placentes, Deum blasphemantes. » Sic ergo Apostolus bene in se ordinavit veritatem divini judicii.

Huic simile habetur Jeremiæ (25, 28 et 29): « Bibentes bibetis: quia in civitate, in qua invocatum est nomen meum incæpi (4) affligere; et vos, quasi innocentes, immunes eritis? » Quasi dicat: Ipse Christus non transiit sine passione; et vos creditis sine pœna transire? Simile habemus ad Hebræos (10, 27 ad 30): « Terribilis quædam, ait Apostolus, expectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios Christi. » Æmulabitur siquidem ignis pro Domino, et consumet adversarios ejus. Et postea sequitur: « Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur: Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim, qui dixit; mihi vindictam (5), et ego retribuam. » Filium Dei dicitur conculcare, qui libenter peccat, et sine timore. Cum enim Pater judicium dederit Filio, contemnere, et conculcare Judicem dicitur, qui Filii judicium non reveretur. Spiritui Sancto contumeliam facit, qui ab innocentia, quam beneficio passionis Christi in baptismo suscepit, per peccatum mortale recedit. Spiritui vero gratiæ est injurius, qui beneficium gratiæ Spiritus Sancti non suscipit; quod facit ille, qui Spiritum Sanctum per mortale peccatum expellit.

SERMO LXX.

De onere, et labore, et vinculo peccatorum.

Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum; et sicut onus grave gravatæ sunt super me. (Psal. 37, 5.)

In hoc versu ostenditur, in quanto periculo constitutus sit peccator, cum dicit: *Ini-*

(1) Tota vitæ hujus miseria, etc. S. Augustinus *Enar.* in Psal. 118, serm. IX, n. 1, habet: « Et ecce tota ista dura et infelix ærumna mortalium, quodam modo hæreditaria est increpatio superborum. »

(2) II Pet., 2, 4 ad 10.
(3) Vulg.: dominationemque.
(4) Vulg.: ego incipiam.
(5) Vulg.: vindicta.

quitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me. Conqueritur peccator, cum dicit : *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum.* Comparatur peccator siquidem illi, qui medio in mari navigans, jam maris undas super caput habet reclusas : Similiter illi, quem vidit beatus Arsenius (1), qui fascem lignorum colligebat, et tandem tentans eum levare nequaquam poterat illum attrahere super humeros; qui statim ad silvam festinans fascem suum cœpit onerare, et iterum cœpit fascem suum, et non potuit ferre; et iterum ad ligna cucurrit, ut fascem suum magis oneraret. Quilibet nostrum similis est illi, qui fascem onerabat, quem ferre non poterat; siquidem quilibet per confessionem peccatorum suorum fascem elevat : et bene percipit, quod non potest ferre, idest satisfacere; nihilominus tamen peccata peccatis accumulat. Cum enim vix pro uno mortali possumus satisfacere, mirum est, quomodo sumus ita ausi, et fatui, quod quotidie peccatorum fascem aggravamus : unde competit dicere : *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum*; caput meum, idest rationem ; quasi dicat : Totus immersus sum in peccatis. Unde Jeremiæ (2, 16) : « Filii Memphis (2), et Taphnes constupraverunt te usque ad verticem. » Memphis interpretatur ex ore, Taphnes, mandans humilia, idest vilia. Filii ergo *Memphis et Taphnes* sunt diaboli, qui rationi humilia suggerunt, quæ in immunditiis, et carnalibus concupiscentiis polluta, involuta, et illicita vitio carnis subjicitur ; unde Jerem. (Thren. 5, 5 et 6) : Cervicibus (3) minabamur, lassis non dabatur requies : Ægypto, et Assyriis dedimus manus (4). Per cervicem ratio intelligitur; sicut enim a cervice derivantur capilli, sic rationis est divertere a secreto animæ, et discernere, quid effugiendum, quid appetendum. Sed sic frequenter contingit, quod rationi carnalibus immunditiis illicitæ, et obnubilatæ, quasi famulæ suæ præcipit, et minatur sensualitas. Unde accidit, quod fessis non detur requies in peccatis, cum non est nisi labor; unde Sapientiæ (5, 7) : « Lassati sumus in via iniquitatis, et perditionis, ambulavimus vias difficiles. » Et hoc dicere possunt, quia non per prata amœna, sed cum magno labore descendunt in infernum. Qui etiam bene dicere possunt : Ægypto, idest mundo; et Assyriis, idest diabolo dedimus manus, idest fecimus homagium. Assyrius interpretatur dirigens, et significat diabolum, qui in nos sagittas dirigit, tentationes immittit.

Hinc etiam habemus in Osee (9, 4) : « Quia panis eorum animæ ipsorum, non intrabit in domum Domini; quasi dicat : Quia omnis labor in ore ipsius, ideo non intrabit in domum Domini ; ac si diceret : quia solum laborat homo ad animam, idest sensualitatem satiandam, ideo excluditur a consortio Beatorum. Hoc est, quod ostenditur in Threnis (3, 53 et 54), ubi dicitur : « Lapsa est vita mea in lacum, et posuerunt lapidem super me. Inundaverunt aquæ super caput meum. » Hoc est, quod supra dictum est : *Iniquitates meæ supergressæ sunt* super *caput meum.* Et quod hic dicitur : Lapsa est in lacum vita mea, sonat quod supra dicitur : *Sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Lacus est profunditas peccati : Lapis est peccati indurata consuetudo, quam jussit Christus amoveri, cum dixit de Lazaro : Tollite lapidem (*Joan.* 11, 39). Illi siquidem superponitur lapis, quem moles malæ consuetudinis premit. Et post sequitur : Dixi : Ecce perii. Hoc potest dicere quilibet peccator, qui non potest surgere, nisi per Dei misericordiam. Similiter habetur in Threnis (1, 14), ubi dicitur : « Vigilavit jugum iniquitatum mearum : in manu Domini (5) convolutæ sunt, et impositæ sunt collo meo : infirmata est virtus mea : dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere. » Hoc est, quod supra dictum est : Dixi : Ecce perii. Attende, quod dicit : Vigilavit jugum, etc. Jugum collo jumenti imponitur, ut terram aret; et peccatum, quasi jugum homini imponitur, ut opus diaboli faciat peccator. Et bene dicitur : Vigilavit jugum, quoniam si iniquitas dormit in manu mea, vigilat in manu Domini ad puniendum. Si cognoscis peccatum, Deus ignoscit. Si accusas, Deus excusat. Si detegis, Deus tegit. Sed attende versutiam diaboli in hoc, quod sequitur : Convolutæ sunt, et impositæ collo meo. Sic enim involvit diabolus iniquitates,

(1) In Vitis Patrum, p. II, 9, 30, edit. Lugdun.
(2) Vulg. Mempheos.
(3) Vulg. nostris.
(4) Vulg. manum.
(5) Vulg. ejus.

quod neque principium, neque finem earum possimus agnoscere. Quæ impositæ sunt collo nostro, ne possimus ad Deum respicere. Quibus, quasi jugo peccator premitur, ne ad æterna erigatur, sed solum attendat terrena. A quo jugo liberari non potest, nisi Deus manum suam apponat; unde bene sequitur : Dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere.

Sequitur : *Sicut onus grave gravatæ sunt super me.* De hoc onere dicit Jeremias (17, 27) : « Si autem non audieritis me, ut sanctificetis diem sabbati, et ne portetis onus, et ne inferatis per portas Jerusalem in die sabbati, succendam ignem in portis ejus, et devorabit domos Jerusalem, et non extinguetur. » Dies sabbati est tota vita præsens in qua debemus, quiescere a peccatis. Jerusalem debet esse quælibet anima. Portæ ejus sunt sensus corporei. Item (1) : « Custodite animas vestras, et nolite portare pondera in die sabbati, nec inferatis per portas Jerusalem. Et nolite ejicere onera de domibus vestris in die sabbati. » Tota vita præsens cuilibet sabbatum debet esse, quia per totam vitam præsentem sabbatizare, idest a vitiis debemus cavere, et cessare. Sed nota, quod sunt onera bona; unde : « Jugum meum est suave, et onus meum leve (2). Hæc enim onera quodam modo onerant hominem, et per totum sabbatum vitæ ita sunt portanda, quod non sint instabilia, et levia, imo sint contra peccatum gravia. Et per totum sabbatum vitæ præsentis ita sunt portanda, quod non sint de domibus, tanquam cadavera, ejicienda. Item sunt onera mala, de quibus supra dictum est : *Sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Hæc prohibemur portare juxta illud epistolæ Pauli ad Hebræos (12, 1) : « *Deponamus* (3) *omne pondus, et circumstans nos peccatum.* » Nec debemus inferre onus per portas Jerusalem ministerio sensuum, qui sunt portæ Jerusalem, idest mentis vanitates non debemus concipere, et quasi de pleno fonte haurire ; nec onera debemus ejicere de domo nostra in die sabbati, hoc est, cavere debemus, ne onus pravæ cogitationis prodeat in opus. Nota, quod homo volens expedite supponere humeros suos oneri portando, prius exit de domo, ne impediatur, et gravetur, cùm exeat oneratus ; sed egressus onerat se apte. Sicut in die sabbati mala onera de domo ejicit, et portas aperit, qui præconceptam iniquitatem in diebus festivis opere complet. Dies sabbati est vita præsens, quæ sanctificari debet a nobis per feriationem mali, quod est servile opus, et per operationem boni : In qua non est ferendum onus peccati ad animam per portas sensuum nostrorum; alioquin succendetur ignis gehennæ in portis Jerusalem, et devorabit corpus, et animam. Oportet ergo, ut breviter intelligamus. Onera in sabbatum portat, qui in die festo peccatum pessimum portat : per portas Jerusalem, qui ministerio sensuum eodem die peccandi concipit voluntatem : De domibus suis ejicit, qui eo die præconceptam complet iniquitatem; cujus, inquam, domum, idest conscientiam devorabit ignis gehennæ, qui non extinguetur. Simile habes de Nehemia, qui de pueris suis constituit super portas Jerusalem, *ut nullus inferret onus in die sabbati* (4).

De hoc etiam onere dicit Isaias (58, 6) : « Dissolve colligationes iniquitatum (5), solve fasciculos deprimentes. » Dissolvere siquidem debemus colligationes iniquitatum, idest cautelas, et circumspectiones peccatorum, et solvere fasciculos deprimentes. Scitis, quod ligna simul calcata, et in fasce ligata non apparent tot in numero, quot ipsa sunt. Et peccata similiter quandiu ipsa ligata sunt, non apparent tot numero, quot sunt, nisi per confessionem solvantur; et tunc cum soluta sunt, multa apparent. Item onus gravat humerum, dum illud portat : si autem vinculum rumpatur, onus dissolvitur, nec deinceps gravat eum. Sic onus peccati, si per confessionem rumpatur ejus vinculum, onus dissolvitur, nec deinceps gravabit hominem. Bene ergo dicit : Solve fasciculos deprimentes.

SERMO LXXI.

Contra Clericos, qui de amicis facti sunt adversarii.

Amici mei, et proximi mei, adversum me appropinquaverunt, et steterunt. (Psal. 37, 12.)

In hoc versu conqueritur de iis Dominus,

(1) Jer. 17, 21 et 22.
(2) Matth. 11, 30.
(3) Vulg. deponentes.

(4) Esdræ 13, 19.
(5) Vulg. impietatis.

qui deberent esse *amici, et proximi* ipsius : et tamen sic adversus eum, sicut inimici *steterunt;* de quibus. Job (19, 15) : « Inquilini domus meæ, et ancillæ meæ, sicut alienum me habuerunt, et quasi peregrinus factus sum (1) in oculis eorum. » Inquilini domus Domini sunt sacerdotes, quorum officium est, assidue in domo Domini, idest Ecclesia ministrare : At ipsi stant adversus Dominum, et adversando perseverant. Ancillæ sunt ministri in minoribus ordinibus constituti, diaconi scilicet, et subdiaconi (2), qui sicut levitæ ad interiora tabernaculi, quasi ancillæ assistentes Domino familiarius debent servire. De istis conqueritur Dominus, dicens eis : Sicut alienum habuerunt me. Unde Jeremiæ (14, 8): « Factus est (3) Dominus quasi colonus in terra, et quasi viator declinans ad manendum. » Factus est Dominus quasi colonus, quia *in propria venit, et sui eum non receperunt* (4). Factus est quasi viator, diu quærens humiliter hospitium in cordibus hominum, nec invenit, qui ei aperiat; et super hoc conqueritur in Evangelio, dicens : « Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet (5), hoc est : Fraudulentia in levitis, et superbia bene inveniunt hospitium; humilitas autem, veritas, et simplicitas, et justitia non habent, ubi caput reclinent. Et postea sequitur in Job (19, 16 et 17) : « Servum meum vocavi ore meo, ore proprio deprecabar, et orabam filios uteri mei ; » hoc est : Qui per prophetas nos vocaverat ab antiquis temporibus, ad nos in propria persona venit. Sequitur : Et orabam filios uteri mei; quod pronunciandum est cum dolore. Non enim consuetum est, quod pater pro filio laboraret in partu, sed solum mater. Dominus autem nos vocavit filios uteri sui. Dicit nos peperisse, et pro nobis quasi in partu laborasse. Non enim in tanta passione parturivit mater nostra in partu, in quanta nos acquisivit in cruce. Unde Isaiæ (46, 3 et 4) : « Audite domus Jacob, et qui residui estis (6) domus Israel, qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva, usque ad senectam ego ipse, et usque ad canos ego portabo vos. » Dominus siquidem paratus est, ut nos pariat; nos autem nolumus. Unde increpat nos, quia semper volvimur in utero, idest patientia ipsius, nec volumus nasci filii. Semper enim volunt manere in utero, qui nimis confidentes de Dei patientia, usque ad extremum vitæ confidenter morantur in peccatis; et super hoc conqueritur Dominus, dicens : Usque ad senectam ego ipse, et usque ad canos ego portabo vos.

Sequitur in Job (19, 17) : « Uxor mea horruit halitum meum. » Uxor Christi est anima; unde (7) : « Osculetur me osculo oris sui. » Osculum oris Dei est annunciatio verbi divini, quam desiderare debent quilibet fideles. Sed multi sunt, qui quasi fœtorem, et abominationem fugiunt, et abhorrent audire verbum Dei; de quibus subditur (19, 18) : Stulti quoque despexerunt (8) me; idest illi, pro quibus stultus factus sum. Conquerendo hoc dicit; unde Apostolus : « Prædicamus vobis Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam (9). » Illi autem despexerunt me; Et hoc est, quod supra dictum est : *Amici mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt.* Unde Job (19, 19) : « Abominati sunt me quondam amici (10) mei, *et quem maxime diligebam, adversatus est mihi* » (11). Sicut Jeremiæ (11, 19) legitur : « Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius. » Ad litteram, quoddam genus est ligni (12) quo contrito, et in panem posito, panis ille affert mortem. Dicebant ergo Judæi : Mittamus hoc lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium. Vel aliter : Prædicando sæpe dixerat, corpus suum esse panem ; et ideo invidentes Judæi dixerunt, sicut præviderat Jeremias : Mittamus lignum, etc. Mittamus ergo lignum in panem ejus, idest famam ejus per turpissi-

(1) Vulg. fui.
(2) Et subdiaconi. Comparatione presbyterorum diaconi, et subdiaconi dicuntur in minoribus ordinibus constituti.
(3) Vulg. futurus es.
(4) Joan. 1, 11.
(5) Matth. 8, 20.
(6) Vulg. et omne residuum.
(7) Cantic. 1, 1.
(8) Vulg. despiciebant.
(9) I Cor. 1, 23.
(10) Vulg. consiliarii.
(11) Vulg. aversatus est me.
(12) Taxus apud Theophrast., lib. III, Hist. c. 10, et Plin., l. XVI, cap. 10.

mam crucis mortem extinguamus, ut amplius nomen ejus non memoretur. Sed totum contrarium evenit; quia qui tantum in Judæa erat notus ante passionem, post passionem quidem *in omnem terram exivit sonus eorum* (1). Et nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuisset, ipsum solum mansisset: et quia mortuum fuit, multum fructum affert (2).

Et nos moraliter mittamus lignum in panem ejus, sed alia ratione, et intentione, quam iniqui Judæi. Lignum quidem in panem ejus mittere, est memoriam Dominicæ passionis habere in mente, et imitationem in corpore, ut dicamus cum Apostolo: « Ego stigmata Domini nostri Jesu Christi in corpore meo porto » (3). Ruth buccellam panis in aceto Booz intingat. Vel aliter, ut ad propositum aptetur : Mittamus lignum in panem ejus, idest doctrinam ejus convertamus, et sic offendiculum patiatur; lignum enim offendiculum dicitur Domini. Per perversa enim virorum Ecclesiasticorum exempla redditur verbum Dei laicis odiosum. Unde Job (19, 20) : « Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum. » Os Christum significat, quia est fortitudo Ecclesiæ : Caro, quæ vicinior est, designat viros litteratos. Pellis, quæ exterior est, significat laicos. Dicit ergo Dominus : Os meum, idest doctrina mea devotius, et familiarius adhæsit pelli meæ, idest viris illitteratis, quam ipsis litteratis, qui consumptæ carnes dicuntur. Et subditur : « Et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. » Dentes sunt prædicatores, qui alios debent instruere. Ipsi nunquam imitati sunt me manibus, sed habent tantum labia, scilicet verba, et non opera. Merito ergo dicit Dominus : *Amici mei, et proximi mei, adversum me appropinquaverunt, et steterunt.* Frequentius enim videmus, quod simplices laici cum majoris charitatis ardore doctrinam Christi suscipiunt, quam litterati.

(1) Psal. 18, 5.
(2) Joan. 12, 24 et 25.
(3) Galat. 6, 17.

SERMO LXXII.

De depressione superborum, et conturbatione; et de brevitate vitæ.

Verumtamen in imagine pertransit homo: sed et frustra conturbatur. (Ps. 38, 7.)

Cum pertranseat, vana quidem est hominis sollicitudo : *frustra conturbatur*, cum pertranseat *in imagine*, idest sicut imago. Unde Job (20, 6 ad 8) : « Si ascenderit in (4) cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit : quasi sterquilinium in fine perdetur; et qui viderunt (5) dicent: Ubi est? » Et quæritur, quomodo transit? Sicut visio nocturna, et sicut somnium avolans non invenietur. Ergo homo pertransit, sicut imago, *sed et frustra conturbatur*. Super quo a Domino alibi arguimur, ubi dicit (6) : Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis. Quasi dicat : Dixi vobis, quod Dii estis, et filii Excelsi omnes per adoptionem; et tamen mihi credere non vultis, sed diabolo credidistis, qui dixit vobis : Eritis sicut Dii (Gen. 3, 5); et ideo sicut homines moriemini miserabiliter, et sicut unus de principibus cadetis, idest dæmonibus damnabiliter. Unde Ecclesiastici (19, 3) : « Putredo, et vermes hæreditabunt eum, et extolletur in exemplum majus, et tolletur de numero anima ejus. » In hoc quod dicit, putredo et vermes hæreditabunt eum, ostenditur mors hominis miserabiliter. In hoc quod, tolletur de numero anima ejus, designatur casus damnabiliter. Et nota, quia dicit extolletur in exemplum majus, ut quicumque viderit hominem ita elevatum, et postea miserabiliter depressum, in hoc exemplo doceatur, et instruatur, quod damnabiliter sicut diabolus punitur; ut habetur in Ezechiele (32, 22) : Ibi Assur, idest diabolus, et omnis multitudo ejus, scilicet dæmonum, in circuitu ejus sepulcra illius, idest damnatorum, quæ sunt sepulcra diaboli.

Sic ergo *frustra conturbatur* omnis homo. De qua conturbatione habetur in Ecclesiastico (34, 5) : Divinatio erroris, et auguria mendacia, et somnia malefacientium, vanitas est. Somnia malefacientium sunt

(4) Vulg. usque ad.
(5) Vulg. eum viderant.
(6) Psal. 81, 6 et 7.

transitoria : et non permanens est impiorum felicitas. Et nota, quod dicit : Auguria mendacia. Mens enim impii auguratur sibi stabilitatem, et divinatur felicitatem in miseriis; unde bene ei competunt auguria mendacia, et divinatio errorum. De hac siquidem turbatione, vel miseria dierum habetur in Ecclesiastico (18, 8) : « Numerus dierum hominum ut multum centum anni, quasi gutta aquæ maris deputati sunt, et sicut calculus arenæ ita exigui anni in die ævi. » Gutta siquidem maris est modica, et amara : calculus arenæ modicus, et pungens. Tales sunt dies hominis, modici scilicet, et amari, et exigui, et pungitivi. De hoc etiam habetur in fine Ecclesiastes (12, 1, 6 et 7) : « Memento Creatoris tui in juventute tua, antequam rumpatur funis (1) argenteus, et recurrat vitta aurea, et conteratur hydria super fontem, et confringatur rota super cisternam, et pulvis revertatur ad (2) terram. » Funis est colligatio : Argentum sonorum est, et significat proportionem; ex proportionibus sunt melodiæ : In fune vero continuatio, et junctura corporis, et animæ. Funis ergo argenteus est proportionaliter compago vitæ humanæ. Vitta aurea est anima, quæ debet ad Deum recurrere, quasi aurum, purgata in fornace hujus sæculi ab omni immunditia hic tracta. Fons habet juges aquas, et novas semper scaturit; et significat redditus clericorum, qui novos semper scaturiunt denarios. Cisterna habens aquam deficientem significat divitias laicorum, quorum circuitus per rotam significatur, et per hydriam fragilitas vitæ. Quandoque accidit hydriam *super fontem* frangi, idest clericum mori antequam de adepto beneficio gaudere possit. Memento ergo Creatoris, antequam rumpatur funis.

SERMO LXXIII.

De primo adventu, et triplici silentio, et de astutia diaboli.

Et nunc, quæ est expectatio mea? nonne Dominus? et substantia mea apud te est (Psal. 38, 8).

Hæc est vox prophetarum, et antiquorum Patrum expectantium primum adventum, quorum expectatio erat Christus. Jeremiæ (14, 8) : « Expectatio Israel, Salvator ejus in die (3) tribulationis; quare quasi colonus futurus est (4) in terra, et quasi viator declinans ad manendum? » Et nunc vagus, et viator fuit Christus, quia non legitur propriam habuisse domum. Sequitur : « Tanquam (5) fortis, qui salvare non potest. » Unde Habacuc (1, 5) : « Ibi abscondita est fortitudo ejus. » In infirmitate enim carnis abscondita fuit fortitudo divinitatis. Item in Threnis (3, 26) : « Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. » Hæc determinatio, cum silentio, potest referri ad expectatum, vel ad expectantes. Si ad expectatum, sensus est : Bonum est præstolari salutare Dei cum silentio; De quo Sapientiæ (18, 14 et 15) : « Dum medium (6) silentium tenerent omnia, omnipotens sermo tuus, Domine (7), a regalibus sedibus » venit.

Triplex enim est silentium. Primum fuit ignorantia languoris : Secundum fuit desperatio sanitatis : Tertium erit adeptio salutis : Primum fuit ante legem : Secundum sub lege : Tertium tempore gratiæ. Languorem suum ignorantes homines siluerunt, nec medicum quæsierunt; data autem lege ruptum fuit illud silentium, quoniam per legem morbum suum agnoverunt. Cum autem viderent, quod per legem non possent salvari, tædio affecti siluerunt; et ita successit secundum silentium, scilicet desperatio sanitatis, de quo dicitur : Dum medium silentium tenerent omnia. Quod ruptum fuit tempore gratiæ, in quo Ecclesia sæpe, adipiscendæ salutis causa, non modo non silet, sed clamat, donec omnimodam assequatur sanitatem. Quod fit post diem judicii, et tunc erit silentium tertium, scilicet adeptio salutis. Et sic potest referri ad expectantes : Bonum est, salutare Dei præstolari cum silentio; de quo Isaias (32, 17) : « Erit opus justitiæ pax; et cultus justitiæ silentium. » Sic ergo bonum est præstolari cum silentio salutare Dei, cum silentium cultus, et fructus sit justitiæ. Quod patet per contrarium, scilicet per clamorem, de quo conqueritur Dominus per Isaiam (5, 7) :

(1) Sic text. hebr. et vers. arab. et syr., at Vulg. funiculus.
(2) Vulg. : in terram suam.
(3) Vulg. : tempore.
(4) Vulg. : es.
(5) Vulg. : ut.
(6) Vulg. : quietum contineret.
(7) Vulg. : exiliens.

« Ecce expectavi, ut faceret judicium, et ecce iniquitas : et justitiam, et ecce clamor. » Bonum est ergo cum silentio præstolari salutare Dei. Unde sequitur in Threnis (3, 28) : « Sedebit solitarius, et tacebit, quia levavit se super se. » Sedebit siquidem in tranquillitate, et serenitate conscientiæ solitarius, idest non immixtus sæcularibus negotiis, et tacebit a strepitu mundi, ab excusatione peccati, a verbo venenato; et hoc erit, quia levavit se super se. Qui transilit hæc temporalia, levat se super se, nitens, ut æternam felicitatem adipiscatur per gratiam, quam habere non potest per naturam. Et postea sequitur : Ponet in pulvere (3, 29); alia littera (1) : « in sepultura, sive in fossura os suum, si forte sit spes. « In pulvere siquidem ponit os suum, qui se pulverem, et cinerem confitetur, et hoc maxime peccata confitendo. Qui enim contra Deum superbit, nec propria infirmitate humiliatur, opus est saltem, ut per confessionem humilietur. Vel in sepultura ponit os suum, qui semper oculum habet ad sepulturam, ita quod nil habeat in ore suo præter sepulturam, juxta illud Ecclesiastici (7, 40) : « Memorare novissima tua in omnibus operibus tuis. » Vel in fossura ponit os suum, si semper de ejus ore non exit malum verbum.

Hoc, inquam, faceret homo, si forte sit spes, idest expectatio, de qua in Genesi (49, 17) : « Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro. » Dan castra sua posuit ad Aquilonem; et significat illum, qui dixit: Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis (Isa., 14, 13). Per viam significantur illi, qui lata via hujus sæculi incedunt, quibus diabolus est serpens, vel *coluber;* tales enim allicit blanditiis, et veneno interficit. Per semitam significantur illi, qui per strictam viam præceptorum Dei ambulant, quibus diabolus est cerastes; contra istos enim erigit cornua potestatis. Sequitur : Mordens ungulas equi. Equus est gloria temporalis : ungula est finalis constantia, vel firmitas, sine qua inutilis est gloria temporalis. Unde Judicum (5, 22) : « Ungulæ equorum ceciderunt, fugientibus cum impetu. » Ungulæ equorum cadunt, cum amatores sæculi sine finali constantia, vel firmitate decedunt. Sine finali constantia, dico, idest sine ungula nullus confidere debet. Unde non habent ungulam isti, qui fugiunt a facie Dei per gloriam sæcularem. Sequitur : Cadet ascensor ejus retro; hoc est, amatores sæculi cadent in æternum supplicium, quod sibi non præviderunt. In his omnibus est solatium Ecclesiæ illud, quod sequitur : *Expectabo salutare tuum, Domine* (Gen., 49, 18). Hoc supra dictum est. Sequitur : Et substantia mea apud te est; idest divitiæ meæ, de quibus in Parabolis (8, 18) : Mecum sunt divitiæ, et gloria; idest gloriosæ divitiæ : Et opes superbæ, idest superefficientes, quæ, inquam, inferunt homines super homines in gloriam immortalitatis, et incorruptionis. Hæ sunt enim divitiæ, quæ hominem de mortali et corruptibili faciunt immortalem, et incorruptibilem.

SERMO LXXIV.

Quod si in Christo petra pedes nostros stabilimus, hostes nostri interficiuntur, et ab ipsis liberamur.

Et statuit super petram pedes meos, et direxit gressus meos : et immisit in os meum canticum novum. (Psal. 39, 3 et 4.)

Verba sunt cujuslibet Sancti liberati a miseria hujus sæculi, et reddentis super hoc gratias Deo, et dicentis : *Statuit super petram pedes meos*, etc. Petra Christus est : Pedes, affectus. *Super petram* ergo statuti sunt pedes nostri, quando affectus nostri stabiliuntur in observatione Dei præceptorum. De hac petra dicitur in libro Judicum (7, 25) : Apprehendit Ephraim duos viros Madian reges Oreb, et Zeb, et interfecit Oreb in petra Oreb, Zeb vero in torculari Zeb. Ephraim est quilibet justus, et hoc indicat ejus interpretatio; interpretatur enim fructificans. Madian interpretatur contradictio. Hæc est rebellatio, quæ sita est in carne, a qua, quasi duo viri, procedunt tentatio, et iniquitas ad actum procedens. Hi sunt

(1) Alia littera, etc. P. Joannes De la Haye in Bibl. Max., tom. X, p. 417 in *Concordia*, et *Expositione* litterali hujus versus Threnorum ait : S. Ambrosius legit, dabit in sepulturæ fossuram os suum.. Verum S. Ambrosius in Expositione Psal. 118, Serm. X. edit. Maur. Ven., tom. II, col. 485, num. 3, et iterum, col. 487, num. 5, diserte scribit : Dabit in sepultura os suum.

duo viri, scilicet Zeb, et Oreb, quorum unus interficitur in petra, alter in torculari. Oreb interpretatur siccitas, vel tentatio, vel corvus. Siccitas quidem in petra, quæ est Christus, interficitur. Ipsa est, quæ in deserto percussa emisit aquam, sed in cruce percussus emisit duos fluvios, unum sanguinis in redemptionem, alterum aquæ, gratiæ scilicet in ablutionem, et irrigationem. Unde : « Beatus, qui tenebit, et allidet parvulos suos ad petram (1). » In hac corvus interficitur, et a superliminari, idest satisfaciendi procrastinatione excutitur. Unde Isaiæ (6, 4) : « Commota sunt superliminaria a voce clamantis, idest in cruce clamantis; ad cujus vocem salubriter commoveri debet ratio, ut excusso corvo, idest confitendi procrastinatione, Oreb in petra interficiatur. Zeb lupus interpretatur. Hæc est iniquitas, quæ quasi lupus hominem devorat. Hæc debet interfici in torculari, idest in contritione, vel in cruce quasi in torculari, in qua Christus compressus fuit; unde : « Torcular solus calcavi (63, 3). Ad considerationem ergo passionis Christi debet in nobis omnis iniquitas interimi, ut dicamus : « Statuit super petram pedes meos. »

De hac petra Dominus ad Moysen : « Stabis supra petram : « Cum transiserit (2) gloria mea, stabis in foraminibus (3) petræ, et protegam te dextera mea, donec transeam : Tollamque manum meam, et videbis posteriora mea : faciem autem meam videre non poteris (4). » Stabis supra petram : hoc est quod ibi dicit : Statuit super petram pedes meos. Sequitur : Cum transierit gloria mea. Quia dicit, gloriam Domini transire, hoc est, quod nonnisi in transitu, et ænigmate possumus cognoscere Dominum; ut Sponsa in Canticis (5, 6) : « Pessulum ostii mei aperui dilecto meo : at ille declinaverat, atque transierat. » Ostium prohibet intrare volentem; et si *pessulum* ostio apponatur, magis prohibet. In ostio ergo signatur obstaculum peccati; in pessulo, peccati consuetudo, quæ magis expellit, et removet Deum a corde peccatoris, et contra Deum firmiter claudit ostium cordis. Foramina petræ sunt vulnera Christi, in quibus columba, idest fidelis anima nidificat. Sequitur : Protegam te dextera mea. Dextera Christi perforata est, quæ ponitur ante oculos cordis, ut aliquid videamus : Nec totum videre possumus, unde subditur : Donec transeam, idest declinem a tua caligatione. Vel per dexteram significari potest severitas divinæ vindictæ, quam in præsenti Deus abscondit nobis. Job (13, 21) : « Manum tuam longe fac a me, et fortitudo (5) tua non me terreat; » Et Malachiæ (3, 2) : « Quis poterit cogitare diem adventus ejus, aut quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans. » Sequitur : Tollamque dexteram meam, scilicet in præsenti districtionem vindictæ, et vultuositatem (6) iracundiæ abscondam tibi, quæ manifesta erit damnatis; unde : Vultus autem Domini super facientes mala (7). Hic autem videbis posteriora mea, idest misericordiam, per quam quasi a dorso video peccata. Unde in Cantico Ezechiæ (8) : Projecisti post tergum tuum omnia peccata mea; Et in Psalmis : Averte faciem tuam a peccatis meis (9). Istud videre possumus in præsenti, faciem nequaquam. Sequitur : Et direxit gressus meos ; unde Michææ (2, 13) : « Ascendens pandet iter (10) ante eos. Dividentes siquidem portam intrabunt. Illi autem sunt dividentes, qui reddunt unicuique quod suum est, qui eleemosynas distribuunt, qui dies suos dimidiare student, ita quod non omnes dies suos in deliciis expendunt. Sequitur : « Et immisit in os meum canticum novum ; » illud videlicet : « Beati, qui habitant in domo tua, Domine » (11).

SERMO LXXV.

De Prædicatoribus, et prædicatione.

Annunciavi justitiam tuam in ecclesia magna; ecce labia mea non prohibebo : Domine, tu scisti. Non abscondi, etc. Usque ad illum locum : *Domine ne longe facias miserationes tuas a me.* (Psal. 39, 10, ad 12.)

Hæc est petitio prædicatoris ad Domi-

(1) Psal. 136, 9.
(2) Vulg. : cumque transibit.
(3) Vulg. : ponam te in foramine.
(4) Exodi 33, 21 ad 23.
(5) Vulg. : formido.
(6) *Et vultuositatem*, etc. Vide notam (2) ad Serm. XXXVI, col. 663.
(7) Psal. 33, 17.
(8) Isa., 38, 17.
(9) Psal. 50, 11.
(10) Vulg. : Ascendet enim pandens iter ante eos : divident, et transibunt portam, et ingredientur per eam.
(11) Psal. 83, 5.

minum, qui vel ministerium, vel intentum suum proponit, dicens : *Annunciavi justitiam tuam, etc.*, et subdit : Ideo *ne longe facias miserationes tuas a me.* Hic debet esse finis, et intentio prædicatoris : ut annunciet justitiam Dei, et ut labia sua nullatenus prohibeat a veritate ; unde in Parabolis (28, 8) : « Qui coacervat divitias usuris, et fœnore, liberali in pauperes congregat eas. » Qui coacervat divitias, idest qui addiscit sacram Scripturam usuris, idest pro usuris, ut scilicet det eam ad usuram fœnore, liberali, ut per eam auditores corrigantur, et in bono multiplicentur, ipse congregat eas, scilicet divitias in pauperes. Unde Ecclesiastici (31, 28) : « Splendidum in panibus benedicent labia multorum, et testimonium veritatis illius fidele. » Per panes sacra Scriptura intelligitur. Splendidus est in panibus, qui quod prædicat, bonis illustrat operibus; et sic testimonium veritatis, scilicet quam prædicat, et dispensat, est fidele, quia factis implet, quod docet; unde in Proverbiis (12, 17) : Qui, quod novit, loquitur, judex est justitiæ; Qui autem mentitur, idest qui aliud habet in ore, et aliud in corde, testis est fraudulentus, et testimonium ejus infidele est, quia quod verbis asserit, opere detestatur; unde Salomon optime subdit (12, 18) : « Est, qui promittit, et quasi gladio pungitur conscientiæ : lingua autem sapientium est sanitas. » Qui promittit, scilicet prædicator, bonis præmia, malis supplicia, et sic promittendo, conscientia remordente, seipsum verberat quasi quodam gladio. Lingua autem sapientium, idest eorum qui sapiunt realiter quod dicunt; Sapor autem ex ore procedit; et hic est sanitas, idest contra omnem languorem idoneam habet curam. Et ideo lingua canum est medicinalis, idest prædicatorum ; unde Ecclesiastici (32, 7) : « Gemmula carbunculi in ornamento auri, et comparatio musicorum in convivio vini. » Ostenditur, qualis debeat esse prædicator. Convivium vini delectabile est, et jucundum, maxime ubi est comparatio musicorum. Sicut instrumento musico oportet, quod omnes chordæ, et singulæ proportionaliter sonent, et æqualiter secundum dispositionem suam sint extentæ : sic instrumento prædicationis, quod est lingua, singula membra pro sui dispositione ipsi linguæ proportionaliter convenit respondere. Et hoc innuit Salomon, cum dicit : Gemmula Carbunculi, etc., Carbunculus dicitur a carbone. Per carbonem fervor caritatis designatur; per gemmam, quam rubigo, vel tinea non consumit, intelligitur justitia, et munda conversatio. Vel per gemmam propter ejus firmitatem designatur constantia veritatis. Et nota, quod non dicit gemmam, sed gemmulam; non carbo, sed carbunculus, ut per duplicem diminutionem innuat duplicem humilitatem, videlicet interiorem, et exteriorem; et hæc debet esse in ornamento auri, idest sapientis prædicatoris, ut sit comparatio musicorum in convivio vini. Unde in primo Paralipomenon (4, 23) : « Figuli habitantes in Plantationibus, et Sepibus, apud regem in operibus ejus, commorati sunt » in Jerusalem (1), vel Bethlehem. Figuli sunt prædicatores, quia sicut figulus de luto fingit vasa testea, sic prædicator de peccatoribus lutulentis luto peccatorum format prædicando vasa utilia. Debet etiam in Plantationibus habitare, quia verbo, et exemplo debet novellas plantationes ædificare; Et Sepibus, quia sepire debet eas ab hostibus, et munire; unde Isaiæ (58, 12) : « Et vocaberis ædificator sepium, convertens semitas iniquitatum (2), ne scilicet ingrediantur animalia, et consumant utilia. Deinde ostendit adhibendam esse vigilantiam, et quod inde consequitur, addit : Apud regem in operibus ejus commorati sunt in Jerusalem, vel Bethlehem, idest in domo panis, et abundantia regis cœlestis.

SERMO LXXVI.

De carnali voluptate, quæ per paralysim significatur : qualiter ab ea liberatur.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus : universum stratum versasti in infirmitate ejus. (Psal. 40, 4.)

Versiculus iste concordat Evangelio (Matth. 8, 6), in quo legitur de paralytico servo Centurionis, de quo dicit : « Puer meus jacet (3) paralyticus in lecto, et male torquetur. » Lectus est temporalis felicitas;

(1) *In Jerusalem*, etc. Vulg. : Commorati sunt ibi. Glossa vero interlinearis explicat : In Bethlehem.

(2) Vulg. : Avertens semitas in quietem.

(3) Vulg. : Puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur. Alii tamen legunt : « Puer

Paralysis est morbus vitales meatus intercludens, et membrum, quod tetigerit, inutile facit. Paralysis ergo, idest quies temporalis delectationis ostium claudit divinæ gratiæ, et sic hominem reddit inutilem, quod nullo opere suo, quod faciat, vitam mereatur æternam. Paralyticus quoque, idest quisque peccator a paralysi percussus, in lecto temporalis abundantiæ jacet. Sicut enim paralysis debilitat membra, et dissolvit : sic quies temporalis felicitatis hominem debilitat, et dissolvit luxuria, et aliis vitiis; et ita eum a Dei consortio disjungit. Unde Jeremiæ (31, 22) : « Usquequo dissolveris deliciis filia vaga ? » idest fluens, et discurrens per luxuriam, et alia vitia; et Isaiæ (35, 3) : « Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate. » Item Jeremias ubi loquitur de Israel, ostendens, quod plus ei nocuerit Nabuchodonosor, quam Assur, unde ait (50, 17) : « Primus comedit eum rex Assur, et novissimus exossavit eum Nabuchodonosor. Assur interpretatur figura luminis. Hæc est vanitas sæcularis, quæ non est solidum lumen, sed luminis figura; sed non tantum ei nocuit, quantum Nabuchodonosor, qui per Nabuzardan, idest per gulositatem (1), idest per carnis delicias eum subjugavit, et exossavit. Gulositas enim ita curvat hominem, et confringit, quod ei totam virtutem aufert, unde ad opera virtutum vix surgere potest, ut pro peccatis satisfaciat. Si enim homo lapsus fuerit in aliquod peccatum, et non sit ita deliciosus, quin velit subire onus pœnitentiæ, ut pro peccatis satisfaciat, de tali potest spes haberi. Sed de illo, qui ita est delectatione carnali emollitus, quod laborem pœnitentiæ, quo satisfaciat pro peccatis, subire renuat, nulla spes est. De hoc dicitur in secundo Paralipomenon (16, 14), ubi de Asa dicitur, quod posuerunt eum super lectum, plenum aromatibus, et unguentis meretriciis, quæ confecta erant arte pigmentaria (2), et combusserunt eum combustione nimia (3). Asa, attollens interpretatur, cujus lectus plenus aromatibus, etc. Per Asa ergo intelligitur ille, qui in abundantia temporali est sublimatus. Lectus est carnalis delectatio. In aromatibus significatur temporalis gloria. In unguentis meretriciis delectationes temporales, quibus anima illecta fornicatur, et recedit a Deo. Hæc, inquam, aromata, et unguenta fabricantur arte pigmentaria, idest arte diabolica. Hoc enim contendit diabolus, ut miseram animam alliciat, et postea combustione nimia in inferno comburat. Et bene dicit, nimia combustione; quia ea, quæ uncta sunt, gravius comburuntur, quam alia, quæ non sunt uncta. Hic in lecto torquebatur (4), et comburebatur; quod fit, cum homo pro singulis peccatis punitur.

Attende, quod Dominus sanavit paralyticum, non in domo, sed in via; ut sic ostenderetur, quæ est medicina contra paralysim, quæ eum vexabat. Hæc est autem medicina, ut cognoscat paralyticus, quod sit in via. Si enim consideraret, quanta ei restat via usque ad montem Dei Horeb, fugeret a facie Jezabel usque ad montem Dei Horeb, sicut Elias quadraginta diebus, et noctibus fugerat. Jezabel interpretatur fluxus vanus, et significat delectationem temporalem; vel fluens sanguinem, vel cohabitatrix interpretatur, et significat carnem nostram, cum qua habitamus, quæ non fluit nobis nisi sanguinem, idest peccatum. Horeb, mensa interpretatur. Mons ergo Horeb est excellentia divinæ Scripturæ. Cursus quadraginta dierum est pœnitentia. Qui ergo considerat quam grandis sit via carnalis voluptatis, et quam remota a via Christi, statim pœnitentiam agens, adhæret doctrinæ Christi, derelicta carnali voluptate. Tolle

meus cruciatus valde decumbit. » Vide tom. XIII, Bibl. Max. P. de la Haye in Concordia, et Exposit. literali hujus textus. De alio paralytico legitur in eod. Matth. 9, 2 : « Offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. »

(1) Idest per gulositatem. Ubi Jeremiæ cap. 52, et IV Regum cap. 25. Nabuzardan in Vulgata dicitur princeps militiæ; in græca LXX legitur princeps coquorum; et sic legit S. Gregorius tertia parte Regulæ Pastoralis, edit. Maur. Paris., c. 19, tom. II, col. 61, scribens : « Quia gulæ deditos luxuria sequitur, Propheta testatur, qui dum aperta narrat, occulta denunciat, dicens : *Princeps cocorum destruxit muros Jerusalem*. Princeps namque cocorum venter est, cui magna cura obsequium a cocis impenditur, ut ipse delectabiliter cibis impleatur. Muri autem Jerusalem virtutes sunt animæ, ad desiderium supernæ pacis elevatæ. Cocorum igitur princeps muros Jerusalem dejicit; quia dum venter ingluvie extenditur, virtutes animæ per luxuriam destruuntur.

(2) Vulg. pigmentariorum.

(3) Vulg. combusserunt super eum ambitione nimia. Sed textus Hebr. legit : combusserunt eum combustione magna usque valde.

(4) Torquebatur. Per translationem torqueri dicitur; et est sensus : Asæ cadaver sensim ab igne evertebatur, sive dissolvebatur.

ergo grabatum; qui enim portat grabatum, sub grabato premitur. Vel per grabatum lectus sensualitatis intelligitur, de quo supra diximus : *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus*. Sensualitas est quasi durus lectus, in quo jacens magis vexatur, quam foveatur, pro eo quod tantas nobis infert molestias, unde eam tanquam crudelem judicem abhorrere debemus. Hinc Amos dicit (3, 12) : « Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ, sic eruentur filii Israel, qui habitant in Samaria in plaga lectuli, et grabato Damasci. » Nam ante peccatum erat lectus, modo lectulus est, in quo gravamur, et ægrotamus; magis enim nos gravat, quam delectet. Damascus succus sanguinis interpretatur. Hæc est sensualitas nostra, quæ bene comparatur sanguineo succo, cum nobis semper plagas, et molestias inferat : cui Dominus opem fert; et tamen nolumus advertere infirmitatem a Deo nobis relictam, quæ deberet esse ad castigationem, et superbiæ repressionem, sed nos eam in corruptionem convertimus. Unde Deus, qui pius pastor est, ab ore leonis, idest ab ore diaboli duo crura trahit, et extremum auriculæ. Per duo crura peccatum luxuriæ intelligimus, quod consistit in renibus; per peccatum siquidem luxuriæ homo a diabolo devoratur, et propter hoc, quod sensualitati obedit, diabolo incorporatur, quod per extremum auriculæ intelligitur. Deus autem ab ore leonis duo crura eruit, quando libidinis mortificat motus in nobis; et extremum auriculæ, quando ei finaliter saltem obedimus, confitendo peccata, et pro eis satisfaciendo. Hoc faciet Dominus, stratum suum versando, ut sensualitas, quæ prius dominabatur rationi, sit inferius, et ratio superius, sicut erat ante peccatum; ut in Threnis (5, 21) in fine : Converte nos, et convertemur ad te : innova dies nostros, sicut ab initio (1), ut scilicet sensualitas subsit rationi, sicut fuit ab initio; et ita ratio quiescat in strato sensualitatis.

(1) Paraphr. Chald., Vulg. : a principio.
(2) Vulg. : ad Deum fortem vivum. *Sed S. Hieronymus, et alii legunt :* ad Deum fontem vivum.
(3) Vulg. : adurens.

SERMO LXXVII.

De recordatione, beneficiorum, quæ nobis exhibita sunt in deserto, idest mundo contra voluptatem carnalem. De petra, de qua fluxerunt duo rivi, aqua, et sanguis.

Sitivit anima mea ad Deum fontem (2) *vivum : Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* (Psal. 41, 3.)

Sitit iste fidelis ad Deum, qui fons vivus est, et indeficiens. Multa siquidem nos impellunt et inducunt, ut ad fontem istum properemus, quæ, inquam, exprimuntur in Deuteronomio (8, 11 et 15). Præcipio tibi, ne obliviscaris Domini Dei tui, qui fuit ductor tuus in solitudine magna, et terribili, in qua erat serpens flatu urens (3), scorpio, et dipsas, idest situla. Verba sunt Moysis ad populum Israel, excitantis ipsum, ne obliviscatur Dominum, qui ductor ejus fuit in solitudine magna. Solitudo magna mundus est, quia in mundo serpens flatu adurens, idest diabolus suggestione miseræ animæ splendorem denigrat. Res enim adusta splendorem suum in nigredinem commutat : sic diabolus suggestione sua, quasi flatu animæ decorem denigrat. Diabolus etiam scorpio dicitur, quia facie, idest cum delectatione transitoria quasi applaudit, sed cauda, idest vindicta peccati, vel extremi judicii pungit. Diabolus etiam dipsas dicitur. Dipsas genus aspidum est, qui hominem, antequam ab ipso videatur, interficit, ita quod moriens dolorem non sentit. Dipsas interpretatur situla (4). Hæc est carnalis voluptas, quæ semper sitit, et semper habet famem sui. Hæc, inquam, miseram animam interficit, quæ moriens tristitiam non sentit; imo delectatione capitur, et allicitur homo, quando prævidet tentationem, et eam magis, ac magis cupit, nec se ab ea interfici considerat. Bene ergo dicitur mundus solitudo, in quo tot genera serpentium habitant, a quibus per divinæ gratiæ lumen liberamur; sicut dicit Sophonias (2, 4): « Azotum in meridie ejicient, et Accaron eradicabitur. » Azotus interpretatur ignis uberum. Hic ignis est ardor, et æstuator carnalis voluptatis. De uberibus hujus mundi nihil aliud ejicitur, et extra-

(4) *Dipsas interpretatur situlæ*. Unicum ergo aspidis genus in Dipsade, et Situla noster Sanctus agnovit, uti diximus in Annotatione ad Sermonem XI.

hitur nisi æstus, et fervor desiderii. Accaron interpretatur sterilitas. Hæc est vana mentis solitudo, in qua nulla utilitas. Ardor ergo voluptatis, et solitudo mentis ejiciuntur, et eradicantur in meridie, idest in veri luminis cognitione, et caritatis ardore. Hinc etiam Amos (1, 8) : « Disperdam habitatorem de Azoto, et tenentem sceptrum de Ascalone. » Ascalon interpretatur ignis homicida. Hic ignis est ardor voluptatis carnalis, quæ multos occidit. Habitantibus ergo in Azoto, et in Ascalone comminatur Dominus, illis siquidem, qui semper trahunt pulvillos mundi; et ideo necesse est nobis, ut confugiamus ad petram, de qua fluunt rivuli, quibus refrigerari possumus.

De qua petra, et de quibus rivulis subjungit Moyses, dicens : Qui eduxit rivos de petra (Deut., 8, 15). Petra Christus, de quo duo rivuli, aqua scilicet, et sanguis fluxerunt. Non enim sanguis sufficeret sine aqua, vel aqua sine sanguine. Aqua abluit; sanguis tingit. Necesse ergo fuit, tam aquam, quam sanguinem a Christo petra fluere, ut quoscumque aqua baptismi a peccatorum sordibus ablueret, vel sanguis, idest imitatio Dominicæ passionis tingeret, et formaret. Hic est sanguis redemptionis : Hæ sunt aquæ ablutionis, ad quas sitit fidelis. Hæ non sunt aquæ Samaritanæ, idest pecuniæ, quæ extrahantur de profundo iniquitatis : « Qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum : Sed qui biberit ex aqua, quam dabo, non sitiet in æternum (Joan. 4, 13). Nec est contrarium, quod alibi dicitur : qui edunt me, adhuc esurient (Eccl., 24, 29). Qui iterum bibit, satietatem interrumpit : Qui vero adhuc sitit, continuationem refectionis appetit. Qui ergo carnaliter sitit, satietatem interrumpit, et sic iterum sitit. Qui vero spiritualiter esurit, adhuc esurire dicitur, quoniam continuationem refectionis æternæ appetit; at illam semper habebit, qui has aquas sitit. Aquæ Ægypti commutatæ sunt in sanguinem. Aquæ Ægypti sunt delectationes hujus mundi, quæ ad elevationem virgæ, idest crucis, et ad extensionem manus Aaron, idest Christi in cruce, nobis convertuntur in amaritudinem. Per elevationem virgæ, et extensionem manus significatur Christus elevatus, et manus extendens in cruce. Elevatio est tormentum, quod passus est Dominus, ut per ipsam temporalis delectatio confusibiliter deprimatur. Extensa est manus Christi, et perforata, quia Adam manum extendit ad pomum vetitum. Cum enim tanto pretio tam parvam delectationem redimi oportuit, timere debet quilibet ad delectationem manum extendere; ut sic omnes temporales delectationes odiosæ, et abominabiles efficiantur, ut ita convertantur aquæ in sanguinem. Piscis non vivit in sanguine, sed in aqua. Piscis est quilibet in aqua baptismi renatus, qui moritur in temporali voluptate; et ideo unusquisque sitire debet *ad Deum fontem vivum*, de quo in fine Joelis (3, 18) : « Egredietur fons de domo Domini, et irrigabit torrentem spinarum. » Torrens spinarum est mens hominis; quoniam, sicut in torrente novæ aquæ semper succedunt, et confluunt, ita in mente hominis novæ spinæ novæ pungituræ succedunt sibi invicem. Hunc torrentem, idest mentem hominis quandoque reficit Deus deliciis suis, et irrigat rore cœlesti. Hinc etiam habetur Ecclesiastici (24, 36) : Qui multiplicat in tempore messis, quasi Jordanis. Jordanis ex duobus fluviis (1) inundat, et aquas multiplicat, quando alii fluvii deficiunt. Sic erit in æterna felicitate. Malorum enim delectatione cito deficiente, stola super stolam multiplicabitur in Beatis.

Bene ergo dicebat Psalmista: *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* Magnum siquidem est apparere, et splendere in conspectu tanti Solis, ad cujus aspectum obscurabitur sol, et stellæ cadent de cœlo, et luna non dabit splendorem (2) suum (Matth., 24, 29). Magnum est ergo apparere in conspectu tanti splendoris, et non obscurari, cujus comparatione, et respectu sol, et luna dicuntur obscurari. Hinc etiam in Apocalypsi (21, 18) : Civitas erit aurum mundum simile vitro mundo. Civitas est anima, quæ ut mundum aurum, et vitrum fulgebit. Vitrum, quando recipit splendorem solis, etsi splendorem tantum, quantum sol, non habeat : tamen splendorem suum solis splendori conformat, et radium emittit. Sic in æterna felicitate claritas animæ divino splendori conformabitur.

(1) Ex duobus fluviis, scilicet ex *Jor*, et *Dan*, qui simul mixti Jordanis nomen efficiunt, ait S. Hieronymus, lib. III *Comment.* in Matth., c. 16.
(2) Vulg. : lumen.

SERMO LXXVIII.

De memoria beneficiorum Dei; qualiter Deus liberavit terram nostram.

Memor ero tui de terra Jordanis, et Hermoniim a monte modico. (Ps. 41, 7.)

Ad gratiarum actiones de perceptione beneficiorum Dei instruimur, et invitamur, cum dicit : *Memor ero tui de terra Jordanis, et Hermoniim a monte modico.* Perceptio tamen beneficiorum Dei magis explanatur in Deuteronomio (3, 8 et 9) : « Tulimus terram in die illa (1) de manu duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Jordanem : a torrente Arnon usque ad montem Hermon, quem Sidonii Sarion vocant, et Amorrhæi Sanir. Hic ergo ostenditur de quo gratias reddere debemus; de hoc videlicet, quod terra, quæ possidebatur a regibus Amorrhæorum, a filiis Israel possidetur; et quod terra, quæ erat trans Jordanem, facta est terra Jordanis; et mons, qui erat *Sanir*, factus est mons Hermon. In terra siquidem, idest mente hominis, quam habitabant reges Amorrhæorum, idest dæmones, habitant modo filii Israel, idest virtutes. Per istos reges Amorrhæorum, Sehon et Og, significantur adversæ potestates. Sehon interpretatur tentationis germinatio, qui regnat in Hesebon, quod interpretatur cogitatio mœroris. Tentatio enim diaboli germinat in homine cogitationem peccati, quæ inquam cogitatio mœrorem inducit supplicii. Og coacervans interpretatur, et regnat in Basan, quod interpretatur confusio, vel ignominia. Bene dicitur coacervans, quia super peccatum cogitationis coacervat peccatum operis; quod enim ad suggestionem homo cogitavit, hoc diabolus ad effectum duci facit. Ex quo sequitur confusio, et ignominia, quia diabolus non aliud servo suo servat, vel coacervat, nisi confusionem, et ignominiam. Sed per Dei misericordiam terra illa, quæ fuit prius trans Jordanem, facta est terra Jordanis; prius enim trans Jordanem eramus, cum nondum per sacramentum baptismi abluti, nondum per recordationem passionis eramus humilitati. Nunc autem facti sumus terra Jordanis per passionis humilitatem, per baptismi ablutionem.

Sequitur : « Qui erant a torrente Arnon usque ad montem Hermon. Arnon interpretatur arca mœroris. Hæc arca thesaurizans mœrorem est temporalis delectatio, per quam fit thesaurus mœroris et supplicii; unde in Apocalypsi (18, 7) : « Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum, et luctum; » Et Job (28, 3 et 4) : « Lapidem caliginis, et umbram mortis dividit torrens a populo peregrinante. » Lapidem dicit peccatorem propter mentis duritiam; caliginis, propter excæcationem; et dicitur umbra mortis, idest figura diaboli. Sicut figura est umbra corporis, et corpori se coaptat : sic peccator induratus in peccato, diabolo conformatur. *Torrens* est temporalis delectatio, quæ cum impetu fluit, sed cito deficit; et hæc facit divisionem inter peccatorem, qui per lapidem caliginis, et umbram mortis intelligitur, et populum peregrinantem, idest fidelem populum, qui hic non habet propriam mansionem, sed futuram inquirit, et non præsentem delectationem. Hic est populus, qui a torrente Arnon transit ad montem Hermon, qui interpretatur anathematizatio; quod fit, quando homo sibi ipsi displicet, et temporalem abhorret, et detestatur delectationem.

Sequitur : « Quem Sidonii Sarion appellant, et Amorrhæi Sanir. » Sidonii, venantes; Amorrhæi, amaricantes interpretantur. Hi sunt dæmones, qui venantur animas, ut in amaritudinem immittant. Sarion, angustia iniquitatis interpretatur; quæ duo bene conjunguntur : semper enim iniquitas angustiam habet; unde super illud Sapientiæ (17, 10) : « Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis, dicit Gregorius (2). Apertus est testis (3) damnationis; Ipse timor est comes iniquitatis. Sanir interpretatur fœtor, vel avis nocturna. In fœtore luxuria interpretatur; Per avem nocturnam, quæ de nocte videt, et de die obcæcatur, significantur illi, qui in sæcularibus valde subtiles sunt, in spiritualibus autem quasi rudes nihil videre possunt; de quibus Jeremias (4, 22) : « Sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nescierunt. » De hoc monte dicitur in Canticis, ubi fit mentio, de quibus sit coronanda Ec-

(1) Vulg. : illo in tempore.
(2) Moral. l. XII, in c. 15 Job., num. 46.
(3) *Aspertus est testis, etc.* In edit. Maur. Paris, tom. I, col. 409, legitur : Apertus damnationis testis est ipse timor iniquitatis.

clesia, per quod etiam magis invitamur ad gratiarum actiones, cum dicitur ad Ecclesiam : « Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, et Hermon; de cubilibus leonum, de montibus pardorum (1). Amana interpretatur inquietus, vel turbulentus, vel dens vigiliarum. *Amana* dicitur peccator, qui inquietus dicitur propter mentis inquietudinem, turbulentus per sollicitudinis turbulentiam, dens vigiliarum per detractionem, qua vigilat ad mordendum. Hæc est avis nocturna, quæ propter temporalia, quæ ad mortem pertinent, excæcatur. Sed Sanir factus est *Hermon*, idest anathematizatio mali per adventum gratiæ. Cubilia leonum sunt mentes peccatorum, qui leones dicuntur propter feritatem, et crudelitatem. Per montes pardorum significantur superbi, qui varii sunt sicut pardi, quia in variis, et diversis voluptatibus quærunt unde glorientur. Hæc cubilia leonum, et montes pardorum immutat Dominus in montem Hermon, cum peccatum homini displicet, et omnia præsentia detestatur; et sic efficitur mons modicus, mons per excellentiam virtutum, et bonorum operum, modicus per humilitatem. Hoc facit Moyses vere aquaticus; unde Jeremiæ (13, 23) : Si potest Æthiops mumutare pellem suam, et pardus varietates. Ecce Æthiops mutavit *pellem suam*, quia verus Moyses tot attulit aquas, quod Æthiopissam, idest Ecclesiam de gentibus candidavit. Et nos sumus magis nigri Æthiopes, quod in tot lavacris, baptismi scilicet, et doctrinæ dealbari non possumus; imo quasi pardi varietatem retinemus. Sed timeamus illud Jeremiæ (12, 9) : « Numquid avis discolor hæreditas mea mihi? numquid avis tincta per totum? Ecce Dominus Jesus tinctor optimus, qui fudit sanguinem suum, ut sanguine suo Ecclesiam tingeret, ita quod in ea esset uniformis tinctura, et non pardorum varietas.

SERMO LXXIX.

De triplici luce contra triplices tenebras. De triplici veritate, vitæ, doctrinæ, et justitiæ.

Emitte lucem tuam, et veritatem tuam : ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua. (Psal. 42, 3.)

In hoc versu petit Ecclesia tam lucis, quam veritatis emissionem contra triplices tenebras, quibus affligimur in hac vita; contra tenebras videlicet culpæ, ignorantiæ, et depressionis carnalis inhabitationis. De tenebris culpæ dicitur in Psalmis (138, 11) : « Dixi : forsitan tenebræ conculcaverunt (2) me, et nox illuminatio mea in deliciis meis. » De tenebris ignorantiæ dicit (81, 5) : « Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant. » De tertiis tenebris dicit Job (17, 13) : « In tenebris stravi lectulum meum. » Lectulus iste carnalis inhabitatio est, quæ deprimit, et obnubilat rationem; unde Sapientiæ (9, 15) : « Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam ; » Ecce depressio carnalis cohabitationis : « Et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. » In eis siquidem, qui non sapiunt nisi terrena, nec appetunt, et in quibus regnat peccatum, deliciæ spirituales operiuntur, et mentis acies obnubilatur. Hæc enim inhabitatio deprimit, idest deorsum premit spirituales cogitationes; et ita fit quædam cæcitas, et tenebræ in interioribus circa spiritualia. Et hoc significatum est in cæco illuminato a Domino, qui prius vidit homines, quasi arbores ambulantes (Marc. 8, 24). Hæc cæcitas non statim tollitur, sed operit, ut cum maximo labore, ut cum magna carnis maceratione prioris lucis beneficium recuperetur. Contra has triplices tenebras emittit Deus triplicem lucem in Nativitate; quoniam habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis (Isaiæ, 9, 2), per beneficium scilicet Incarnationis. Contra tenebras ignorantiæ emittit etiam lucem scientiæ; quoniam populus gentium, qui ambulabat in tenebris, scilicet ignorantiæ, vidit lucem magnam. Nunciavit etiam et tenebras, quas patimur ex depressione carnalis habitationis, quando scilicet lux circumfulsit pastores illos, qui bene agunt curam carnis, bestiales motus scilicet reprimendo, et bonos dirigendo. Istis, inquam, præbet lucem.

Emisit siquidem nobis Deus lucem tribus vicibus, scilicet in Nativitate, in Passione, et Spiritus Sancti missione; et hanc contra triplices tenebras prædictas. In Nativitate contra tenebras culpæ emisit lucem stellæ, de nocte scilicet culpæ ut adduceret reges venientes de Tharsis, et Insula, et de Saba,

(1) Cantic., 4, 8.

(2) Vulg. : conculcabunt.

et de Arabia. Tharsis interpretatur exploratio gaudii. Hæc est temporalis felicitas, quæ quasi insula in salo est; quoniam quantumcunque sit abundans temporalis felicitas, semper tamen fluctibus amaritudinis confunditur; unde bene dicit, adduci reges de Tharsis, et Insula. Reges etiam venerunt de Saba, et Arabia. Saba interpretatur conversio; Arabia interpretatur humilitas. Per lumen igitur gratiæ, in conversione pœnitentiæ, et humiliatione venitur ad Deum. In Passione dedit lumen, quando scilicet confracta carnis laguncula apparuit in resurrectione divinitatis majestas; quod significatum est in Gedeone, qui in confractione laguncularum triumphavit de hostibus. Confractis enim laguncalis, lumen apparuit; quo viso omnes hostes conversi sunt in fugam. In quo ostenditur quod non plene triumphatur de hostibus animæ, nisi plene lumen divinitatis percipiamus : nec plenam delectationem, et glorificationem habemus, donec confracta sit corporis nostri laguncula. Non enim in corpore Dominus Jesus Christus glorificatus est, priusquam in cruce ejus caro confracta esset : et nos debemus attendere, quia *non est discipulus super magistrum* (Matt., 10, 24).

Emittit etiam Deus *veritatem* vitæ, doctrinæ, et justitiæ. Veritatem siquidem vitæ nobis mittit in exemplo bonæ conversationis sanctorum, quibus conformari debemus; unde Amos (8, 9) : « In die illa occidet sol in meridie, et tenebrosam esse faciet (1) terram in die luminis. » Per meridiem, et diem luminis significatur conversatio sanctorum, ad quorum vitæ respectum occidet sol, idest hypocrita, qui videtur sol, et revera non est in sanctorum vitæ conversatione. Obnubilabitur terra, idest conversatio peccatorum terrena. De veritate doctrinæ habetur Zachariæ (5, 2 ad 4), qui vidit volumen volans, cujus latitudo erat decem cubitorum, longitudo vero viginti; et subdit : « Hæc est maledictio egrediens super faciem universæ terræ; quia omnis fur, et omnis jurans, sicut scriptum est, judicabitur. Educam illud, et veniet ad domum furis, et jurantis in nomine meo mendaciter, et consumet eum, et ligna, et lapides. » Volumen istud est doctrina sacra, cujus latitudo est bonum opus, quod consistit in observatione decem mandatorum. Latitudo simpla est; sed longitudo in duplum extenditur, quoniam spei longanimitas, quæ per longitudinem significatur, in præsenti mentis habet quietem, conscientiæ suavitatem, et in futuro vitam expectat æternam. Maledictio cœlestis doctrinæ egreditur *super faciem universæ terræ*, idest super omnes, qui terrenæ dediti sunt voluptati; quia omnis fur, qui se Deo surripit per mortale peccatum, sicut ibi scriptum est, condemnabitur, et omnis jurans in nomine Domini mendaciter. Juravimus siquidem, et promisimus in baptismo, servare mandata Dei, quæ tamen quotidie transgredimur, nec tamen convertimur; unde : *Juravi, et flatui custodire judicia justitiæ tuæ* (Ps. 118, 106). Per quam transgressionem tam *ligna*, idest minora peccata, quam lapides, idest indurata, in inferno inextinguibili igne comburentur. Petimus etiam a Domino veritatem justitiæ; et necessarium est, quia magnus est ejus defectus; unde Isaiæ (59, 14 et 15) : « Conversum est judicium retrorsum, et justitia longe stetit : et (2) corruit in plateis (3) veritas, et æquitas non potuit ingredi. Et facta est veritas in oblivionem, et qui recessit a malo, prædæ patuit. » Omnes siquidem a bono recedunt, qui bene nolunt agere, et omnes eum deriserunt, quoniam *deridetur justi simplicitas* (Job., 12, 4).

Sequitur : *Ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.* De hoc monte inferius dicetur. De his tabernaculis habetur in fine Zachariæ (14, 18), ubi dicit quod percutiet Dominus omnes gentes, quæ non ascenderunt (4) ad festivitatem tabernaculorum. Hanc festivitatem celebrat qui in profectu bonorum operum, et in certamine tentationum habitat quasi peregrinus, et advena in hac valle miseriæ. De isto profectu dicit Isaias (56, 6 et 7) : Omnem custodientem sabbatum, quod est in cessatione a peccato, ne polluat illud, et tenentem fœdus meum, adducam ad montem, idest ad celsitudinem æternæ felicitatis, in domo mea dabo illi locum sempiternum, ut a Jesu, qui Salvator interpretatur, salvari dicatur et hic, et in sempiternum.

(1) Vulg. : et tenebrescere faciam.
(2) Vulg. : quia.
(3) Vulg. : platea.
(4) Vulg. : ascenderint.

SERMO LXXX.

De tribus hæresibus; de septem vitiis.

Manus tua gentes disperdidit, et plantasti eos : afflixisti populos, et expulisti eos. (Psal. 43, 3.)

De quibus gentibus istud sit intelligendum, habemus, ubi dicit sic Josue (3, 10): « In hoc, inquit, scietis, quod Deus vivens in medio vestri est, et disperdet in conspectu vestro Chananæum, et Hethæum, et Hevæum, et Pherezæum, et Gergesæum, et Jebusæum, et Amorrhæum » : Si Deus septem populos istos in conspectu vestro disperdere voluerit, ipse est in medio vestri. Sed in Genesi (15, 19 et 20) adjungit Deus alios tres populos, scilicet Cinæos, Cenecæos, et Raphaim. Cinæus interpretatur luctus, et significat hæreticum; unde Osee (9, 4): « Sacrificia eorum, quasi panis luctus (1), omnis, qui comedit eum, contaminabitur. » Cenecæus interpretatur zelotypus, vel possessor contemptus; et significat Judæum, qui adhuc zelo legis ducitur, qui quasi capsarius nostræ legis libros possidet, sed quasi contemptibilis, cum omnia exponere velit ad litteram. Raphaim interpretatur factura nostra; et significat idololatras, qui opus manuum suarum adorant. Per hos igitur populos intelligimus perfidiam judaicam, hæresim, et idololatriam. Hi populi non vexant filios Israel post transitum Jordanis. His omnibus vitiis renunciatum est in baptismo.

Sed adhuc post baptismum restat nobis bellum contra septem vitia, per septem priores populos designata. De quorum numero est Gergesæus, qui interpretatur colonus, vel advena appropinquans; et signat superbiam, quæ quasi colonus de loco suo ejecit diabolum de cœlo : et bene dicitur advena appropinquans; quoniam quanto magis videtur Deo appropinquare per excellentiam, tanto magis a Deo recedit, et alienatur; unde Job (13, 12) : « Memoria vestra comparabitur cineri, et redigentur in lutum cervices vestræ. Hethæus interpretatur stupor, et signat accidiam, sive tristitiam, quæ escas habere ducit in fastidium; unde : « Omnem escam abominata est anima eorum; et appropinquaverunt usque ad portas mortis » (Psal. 106, 18). Amorrhæus interpretatur amaricans, vel loquens, et significat invidiam. Invidus enim non potest nisi amara loqui de eo, cui invidet. Hevæus interpretatur lapides caliginis, et significat iram, quæ quasi lapides colligit, cum cogitat de vindicta. Hic alio nomine nominatur Cedmonæus (2), qui interpretatur antiqua tristitia, et significat odium induratum. De utroque in Job (5, 2) : « Virum stultum (3) interficit iracundia, et parvulum occidit invidia. »

Chananæus interpretatur possidens, vel possessor, vel negotiator, et significat avaritiam, ad cujus detestationem Jacobus contradicens ait (5, 1 ad 3) : « Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt. Aurum, et argentum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. » Glossa : « Ærugo pecuniæ vertitur in testimonium nequitiæ, et augmentum pœnæ, quia intelligit se male congregasse ea, quibus non indigebat ad usum vitæ; propter hoc gravius punietur. » Sequitur : « Thesaurizastis vobis iram in diebus novissimis. » Glossa : « Quoniam neglecta cura pauperum, thesaurum pecuniæ congregabatis, iram æterni judicis cumulastis, quæ nondum apparet, sed novissimis diebus jam certissima restat. » Sequitur idem : « Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat, et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit. » Glossa : « Magna iniquitas est, cum pauperes nolunt recipere, et mercenariis famulis debitam laboris mercedem nolunt reddere; » unde Job (31, 38 et 39) : « Si adversum me terra mea clamat, et cum ipsa sulci ejus deflent : si fructus ejus comedi absque pecunia; supple, male mihi accidat. » Job ergo bene advertebat quod dicitur in alia Glossa : « Si pauperes omnia patienter ferentes non clamant, merces tamen retenta clamat. » Pherezæus interpretatur deseminans terram.

(1) Vulg. : quasi panis lugentium, omnes, qui comedent eum, contaminabuntur. Versio græca LXX : quasi panis luctus eis : omnes, qui manducaverunt ea, contaminabuntur. Paraphr. chald. : omnis, qui eo vescetur, contaminabitur.

(2) Cedmonæus. Idem tradit clariss. P. Calmet *Commentar.* in Gen., cap. 15, scribens : Cedmonæos. Hi erant ex genere Hevæorum, atque circa montem Hermon immorabantur.

(3) *Virum stultum.* Sic legit S. Gregorius, lib. V *Moralium;* sed Vulgata : *Vere stultum.*

Hic est ille seminifluus, idest luxuriosus, de quo in Ezechiele (23, 20) : « Quorum carnes, ut carnes asinorum : et fluxus eorum, et fluxus equorum. Jebusæus interpretatur conculcatus, vel præsepe. Iste est gulosus, qui semper ad mensam, quasi animal ad præsepe ligatur; unde Isaias (5, 11) : *Væ qui consurgitis mane ad sectandam ebrietatem, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis.* Habemus ergo ista septem vitia, sed notare debetis, quod tria horum hominem expoliant, scilicet superbia, invidia, ira. Superbia aufert homini Deum; Invidia proximum; Ira aufert homini seipsum. Tristitia, sive accidia flagellat spoliatum; Avaritia ejicit flagellatum : Avarus enim a seipso, idest a conscientia sua ejicitur, quando cum in mente sua non reperiat nisi flagella, ad exteriora se extendit, in quibus habitare, et quiescere possit; Gula ejectum seducit, et allicit; Luxuria seductum, et illectum in lutum redigit, et conculcat.

SERMO LXXXI.

In festo martyrum, de multitudine filiorum in morte ipsorum.

Vendidisti populum tuum sine pretio : et non fuit multitudo in commutationibus eorum. (Psal. 43, 13.)

Vox est martyrum conquerentium, quod venditi sunt, et venditionis suæ pretium non receperunt. In Parabolis (11,26) : « Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis : benedictio autem super caput vendentium. » Martyres frumentum suum non absconderunt; imo, sicut granum frumenti missi in terram, mortui sunt, ut fructum multum redderent, idest ut multos filios generarent, pro cujus benedictione spirituali benedictio, idest mnltiplicatio Ecclesiæ erit super caput vendentium bonæ conversationis exemplo. Unde loquitur ad chorum martyrum Isaias (43, 3 et 4) : « Dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam, et Saba pro te. Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, et gloriosus : Ego dilexi te, et dabo homines pro te, et populos pro anima tua. » Dicit ergo de choro martyrum. Dedi propitiationem tuam Ægyptum, idest feci ut pro mundi conversatione, quæ per Ægyptum intelligitur, propitiationem, et gloriam obtineres. Æthiopiam, quæ interpretatur tenebræ, et Saba rete, idest tenebrosos, et peccati maculis irretitos dedi pro te. Ex quo factus es honorabilis, etc., idest pro eo quod sanguinem tuum effudisti, dilexi te; et ideo coronam accipies.

Facta hac promissione, Apostoli vendiderunt se, et morti se exposuerunt, ut ex eis, quasi ex grano mortuo, mitterentur soboles, ut multiplicarentur filii, per quos fides roboraretur, et posteritas instrueretur; per quos etiam diabolus impugnaretur, qui tanto magis sævit in nos, quanto magis in nos instructio morum, et informatio invalescit. Unde Ecclesiastici (30, 3) : Qui docet filium suum, in zelum mittit inimicum, et in medio amicorum gloriabitur in illo. Hoc manifestum fuit in Apostolis, contra quos magis fuit accensus diabolus invidia, quia filios suos docuerunt. Hi enim sunt, sicut Job dicit (3, 6), qui parati sunt suscitare Leviathan. Qui enim bene operari incipit, diabolum contra se incitat, et ideo in medio amicorum gloriantur Apostoli. Hæc est enim gloria martyrum, bonos habere successores. Petrus enim gloriatur in Clemente, bene populum sibi commissum regente. Unde sequitur in eodem ecclesiastico (30, 4 et 5) : « Mortuus est pater illius, et quasi non est mortuus : similem enim reliquit sibi post se. In vita sua vidit, et lætatus est in illo, quasi enim vivebant Apostoli in bonis successoribus suis, qui eorum officia bene exercebant; et ideo bene subjungitur de choro martyrum (30, 5, ad 7) : « In obitu suo non est contristatus, nec confusus coram inimicis : reliquit enim defensorem domus suæ contra inimicos, et amicis reddentem gratiam. Pro animabus filiorum colligabit vulnera sua, et super omnem vocem turbabuntur ejus viscera. » Non enim martyres exacerbabant eos, quibus prædicabant, sed pie movebantur pro peccatis eorum cum Apostolo dicente : Quis infirmatur, et ego non infirmor (1)? Sicut enim medicus ad sanandum fræneticum missus, ab eodem vulnera patiens, non irascitur : sic martyres ad sanandam frænesim Gentium mittebantur, et ea patienter tolerabant. Unde Ecclesiastici (38, 26 et 27) : Qui tenet aratrum, idest

(1) II Cor., 11, 29.

prædicationis officium, et non gloriatur in jaculo verbi, sed stimulo divinæ increpationis boves, idest lentos, et tepidos agitát, et conversatur in operibus eorum, idest bene operando simul cum eis versatur, et enarratio ejus in filius taurorum, idest superborum, cor suum ad versandos sulcos dabit, et vigilia ejus in sagina vaccarum. Hæc est sollicitudo ejus, ut corda peccatorum ad confessionem aperiantur, et animæ jam fœtosæ, caritatis et pietatis dulcedine abundent.

Sic ergo martyres vendiderunt se, et tamen pretium venditionis conqueruntur non recepisse; unde sequitur : Et non fuit multitudo in commutationibus eorum; cujus causa ostenditur in Ecclesiastico (21, 17 et 18) : Cor fatui quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit; imo totum effluet; et postea subditur : Audivit luxuriosus, et displicebit illi, et post dorsum projiciet. » Simile habetur in eodem : (6, 21 et 22) : « Quam aspera est nimium sapientia indoctis hominibus, non permanebit in illa excors. Quasi lapidis virtus probatio erit in illis, et non demorabuntur projicere illam. » Sicut cum aliquis probat vires suas ad lapidem, quem quando ferre non potest, projicit dicens : Quis potest ferre? Durus est hic sermo (Joan., 6, 61). Ideo conqueruntur martyres dicentes : Vendidisti populum tuum sine pretio.

SERMO LXXXII.

De pulchritudine, et ornatu animæ; de vocatione Sponsi.

Specie tua, et pulchritudine tua, intende, prospere procede, et regna. (Ps. 44. 5.)

Accincta siquidem debet esse virgo, sicut accincta fuit Judith, quando missa fuit ad Holophernem, de qua legitur : « Contulit ei Dominus splendorem, quia omnis compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat : et ideo Dominus in illa pulchritudinem ampliavit, ut incompararabili decore omnium oculis appareret » (1). Hac pulchritudine Judith ornata triumphavit de Holopherne, idest diabolo. Holophernes autem interpretatur infirmans vitulum saginatum. In vitulo significatur lascivia sæcularis. Illos scilicet infirmat diabolus, et de illis triumphat, qui sunt saginati sæculari lascivia. Holophernes enim non potuit triumphare de Judith, quoniam sicut legitur in Judith (10, 3) : « Unxit se myro optimo, discriminavit crines capitis sui, et imposuit mitram capiti suo, et induit se vestimentis jucunditatis suæ. Sic coronari debet quælibet fidelis anima; debet siquidem cum Judith inungi *myro optimo*, idest carnis mortificatione, vigiliis, jejuniis, orationibus carnem domare : debet et *crines capitis sui discriminare*, idest universas mentis suæ cogitationes dijudicare. In capite significatur mens, in capillis cogitationes : debet præterea mitram imponere capiti suo, ut omnes carnales sensus corporis coerceat, et refrænet : et sic induat se vestimentis jucunditatis suæ. Hæc vestimenta sunt virtutes, quæ jucunditatem æternam induent. Sic Judith accincta dé Holopherne triumphavit. Unde de eodem in Cantico Debboræ dicitur : « Nova bella elegit Dominus, et portas hostium ipse subvertit (2). Et vere nova bella elegit sibi Dominus : Novum fecit (3) super terram, quoniam muliebrem sexum imbecillem, bellicosum fecit, quando ei palmam martyrii contulit. Ecce mira novitas, cum sexus mollis, et fragilis sæcularium deliciarum mollitiem fugit, omnium tormentorum duritiam contemnit. Unde verecundari potest sexus virilis, quod de illis triumphat sexus fragilis, in quibus ille succumbit.

Ecce species virginis accinctæ, de cujus pulchritudine Sapiens dicit (4, 1) : « O quam pulchra est casta generatio cum claritate ! Pulchritudo siquidem in exterioribus attenditur actionibus, castitas in mentis innocentia, claritas in virtutum nitore. Item de pulchritudine, et castitate in Canticis (6, 2) : Ego dilecto meo sum scilicet appropriata, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. Dicit ergo Sponsa, quod appropriata est Sponso dilecto suo, cum interius, et exterius casta sit mentis innocentia, sicut dilectus suus; unde subjungit bene : Qui pascitur inter lilia ; quasi enim diceret : Lilia diligebat, lilia ei exhibeo, idest duplicem virginitatem, mentis, et corporis; unde congrue dicit lilia, et non lilium. Hoc, inquam, innuit Apostolus dicens (4) : Despondi

(1) Judith, 10, 4.
(2) Judic., 5, 8.
(3) Vulg. : creavit.
(4) II Cor. 11, 2.

enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo; non enim cum dixit *virginem*, voluit subticere; sed subjunxit, castam, ac si ejus duplicem castitatem innueret.

De claritate dicit Sponsa in Canticis (1, 4 et 5) : « Nigra sum, sed formosa sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Nolite considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol. » Mirum est quod Sponsa dicit, se esse nigram, sed formosam : Potius enim deberet se dicere esse turpem, cum nigra sit et deformis. Hoc dicit, quia talis nigredo formositas est interius. Exterior enim passio, idest maceratio corporalis interius formosam reddit animam; et ideo dicebat Sponsa : Nigra sum, sed formosa, quia decoloravit me sol. Sol eclipsim patiens omnia decolorat, sed cito transit eclipsis, et subito relucet. Sol justitiæ Christus Deus noster passus est eclipsim in cruce; et ideo eclipsim passus est, quoniam ipsius passio, velut eclipsis, cito transiit, et per resurrectionem reluxit sol mundo. In cruce eclipsim patiens, omnia decoloravit, quoniam ad memoriam Dominicæ passionis omnis decor mundanus, et omnis delectatio temporalis debet obscurari. Nec est formosa anima, quæ sic non est obfuscata, decolorata. Ideo dicit Sponsa : Nigra sum, sed formosa, quia decoloravit me sol; et paulo post : Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis; Et sic debet conjungi littera (1) : Nigra sum, sicut tabernacula Cedar; formosa, sicut pelles Salomonis. Cedar interpretatur mœror. Bene ergo conjunguntur ista duo, *tabernacula Cedar;* in tabernaculis enim exercetur militia, sive pugna. Militia contra diabolum agenda est cum lacrymis; unde in Canticis (7, 4) : « Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis. Hesebon interpretatur angulus mœroris. Piscinæ ergo Hesebon, idest abundantes lacrymæ deberent esse in oculis uniuscujusque animæ fidelis, ut sic ei pateat ingressus Ecclesiæ, de qua dicitur : Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una (Act. 4, 32). Est etiam formosa sicut pelles Salomonis. Pelles, sicut scitis, excarnantur; et Sponsa Christi ex omni voluntate debet excarnari, et attenuari. Item pelles Salomonis quædam erant hyacinthinæ (2), quædam rubricatæ : Et Sponsa Christi debet esse quasi pellis hyacinthina per desiderium supernorum, et cœlestem conversationem, et rubricata per rosam passionis.

Sequitur : *Intende, prospere procede, et regna.* Intende siquidem Sponso, dicenti tibi : Veni de Libano, veni, coronaberis (Cant. 4, 8) : Veni, inquam, idest recede de Libano, idest de candore hujus sæculi, quoniam confringet Dominus cedros Libani, (Psal. 28, 5), idest ab exteriori candore, idest de simulata religione, quoniam omnis gloria filiæ regis ab intus (Psal. 44, 14). Et quoniam dixerat : Veni; et non dixerat, quo debeat ire : statim subjungit verbo tenus, quo esset eundum : Vadam, inquit, ad montem myrrhæ, idest ad celsitudinem mortificationis, quæ in myrrha significatur; et ad collem thuris, idest ad excellentiam devotæ orationis. Sic ergo Sponsa Christi procedit de virtute in virtutem. Et sic regna, idest accipe coronam, de qua Sapientiæ (5, 17) : « Accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini, » idest aureolam, quam accipient virgines, et martyres.

SERMO LXXXIII.

Ad Religiosos, de vocatione Sponsi ad Sponsam suam.

Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam : et obliviscere populum tuum, et domum patris tui. (Psal. 44, 11.)

Loquitur Deus ad filiam suam, quamcunque scilicet virginem, aut castam : *Audi filia*, quam parturivi in angustia passionis; unde Isaiæ (66, 9) : « Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? » Audi ergo filia. Et quid audiet? Audiet, inquam, Sponsum in Canticis (5, 2) : « Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea. Aperi ergo soror mea. Et quæ est soror Domini? » Anima fidelis, quæ potest dici filia Mariæ, cujus Filius Christus est. Illa ergo filia Mariæ, quæ

(1) Glossa interlinearis.

(2) Quædam erant hyacinthinæ, etc. Origenes Homil. I in Cant. interprete S. Hieronymo scribit : « Nigra sum ut tabernacula Cedar, ut Æthiopes : speciosa ut pelles Salomonis, quas eo tempore in Tabernaculi ornamento composuit, quando templum summo studio, et labore fabricatus est. Eas autem pelles fuisse rubricatas, et hyacinthinas constat, quia Exodi cap. 39, vers. 33, præceperat Deus, ut duplici operimento tabernaculum fœderis tegeretur, altero de pellibus arietum rubricatis, altero de janthinis pellibus, idest hyacinthinis.

stella maris interpretatur, quæ, inquam, in hoc mari magno, idest in mundo conversantes per boni exempli conversationem illuminat; unde Ecclesiastici (26, 22): « Lucerna splendens super candelabrum sanctum, » idest mulier bona in Ecclesia. Ecce stella maris; et post sequitur : Et species faciei ejus super ætatem stabilem. Ecce soror Christi. Frater enim et soror similes debent esse ; et illa, inquam, species faciei Domini, quæ similis est ei in honestate conversationis, ut sit quasi lucerna splendens super candelabrum, illuminans omnes existentes in domo; et sic erit species faciei super ætatem stabilem. Vita stabilis, vita æterna, quæ non defluit, sicut vita temporalis, quæ labilis est.

Aperi mihi amica mea, quasi custos cordis mei, qui sum amicus tuus; unde in Parabolis in fine (31, 11) : Confidit in ea cor viri sui : Cor enim Christi confidit in amica sua; et spoliis non indigebit. Prudens siquidem amica sollicita est, ut faciat amico suo vestes; unde sequitur : Quæsivit lanam, et linum. In lana opera innocentiæ, et simplicitas significantur : In lino candor castitatis. His vestibus gaudet se indui amicus sponsæ, quas operata est consilio manuum suarum; quasi dicat : Nihil interfuit consilio ejus, nisi cor, et manus, ut quod bonum erat, in opus produceret, non quærens exteriorem honorem, imo solum manus ad operandum bonum conceptum in mente. Aperi mihi columba mea. In columba significatur Spiritus Sanctus; dicitur ergo columba, per inhabitationem gratiæ. Si igitur columba, caveat, ne Spiritum Sanctum contristet inhabitantem, qui per mortale peccatum expellitur : Nolite ergo contristare Spiritum Sanctum. (Ephes. 4, 30.)

Aperi immaculata mea. Et vere immaculata debet esse amica sponsi : non enim recipit Christus, nisi sponsam immaculatam; unde in Levitico (21, 7) : Scortum, et vile prostibulum non accipies in (1) uxorem, nec illam quæ repudiata est a viro suo (2), hoc est, illam meretricem, quæ animum multorum pascit libidine, non accipies ; et certe multæ mentes apertæ essent corruptioni, si veniret diabolus, et pretium offerret. Vide ergo, quod mens tua talis sit, quod non pateat corruptioni. Vide, ne geras libellum repudii, qui dat testimonium contra te de omnibus fœditatibus tuis; quandiu enim geres talem libellum, non poteris esse amicus sponsi.

Audi ergo *filia, et vide*. Et quid videbit ? Illud scilicet, quod vidit Esther : vidit enim speciem Assueri, et facta est quasi exanimis, et dixit : « Video (3) quasi Angelum Dei, et conturbatum est cor meum præ magnitudine (4) gloriæ tuæ. Valde enim mirabilis es, et facies tua plena est gratiarum » (5). Et dixit ei rex : *Accede, et tange sceptrum*. Assuerus, qui interpretatur beatitudo, Christum significat, qui animam in his mundanis exanimatam diligit, et ei sceptrum regni promittit. Hinc est quod Jacob, sicut legitur in Genesi (27, 46), noluit accipere uxorem de filiabus Heth, quod interpretatur vita, quia Christus mortuus non vult sibi conjungi animam viventem in hoc mundo, sed ipse mortuus consimilem sibi quærit, scilicet mortuam mundo, diabolo, et carni. Unde in Levitico (21, 15), ubi legitur de conjugio sacerdotis (Levit. 21, 15) : *Non commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ*. Generosus quidem Sponsus generosam vult habere Sponsam : mortuus est mundo, et mortuam mundo sibi vult conjungi. Sequitur : *Et inclina aurem tuam*, per obedientiam; unde Salomon : *Vir obediens loquetur victoriam* (Prov. 21, 28).

Et obliviscere populum tuum, sicut oblita est Ruth, quæ exiens de Moab nupsit Booz : Ruth interpretatur videns, vel festinans, vel deficiens. Per Ruth ergo significatur fidelis conversa, quæ illecta visione supernorum, toto desiderio ad claustrum festinat, deficiens ab amore temporalium, et sic relinquit Moab, qui interpretatur ex patre, idest diabolo, et jungit se Booz, qui fortis interpretatur, idest Christo, ut possit recipere benedictionem factam Ruth, hanc scilicet : « Faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel, et Liam : ut sit exemplum virtutis in Ephrata, et habeat celebre nomen in Bethlehem (Ruth. 4, 11). Faciet ergo hanc mulierem, sicut Rachel, et Liam, ut scilicet de contemplativa descendat ad activam, et

(1) Vulg. : non ducent.
(2) Vulg. : a marito.
(3) Vulg. : Vidi te.
(4) Vulg. : timore.
(5) Esther, 15, 16 et 17.

sit exemplum in Ephrata, idest in mundo per honestam conversationem: unde Ecclesiastici (26, 21): Sicut sol oriens in altissimis (1), sic mulieris bonæ species in ornamentum domus. Ephrata, pulverulenta, sive furorem videns interpretatur; et mundus sive mundanus, pulverulentus dicitur propter amorem temporalium; qui etiam furorem videt per gratiæ subtractionem. Dicta est siquidem Ephrata, idest furorem vidit, ab uxore Caleb (2), quæ dicta est Maria, quia ibi facta est leprosa, Domino subtrahente gratiam. Et si sic fuerit in exemplum, magnificabitur nomen ejus in Bethlehem, idest in domo panis, idest super cœlestem Jerusalem.

SERMO LXXXIV.

In Festo Apostolorum, ubi Apostoli dicuntur filii, vel etiam pedes.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii (Psal. 44, 17).

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, Dei Prophetarum successores, scilicet Apostoli, de quibus dicitur. *Constitues eos principes super omnem terram,* idest conformitate statuisti *eos principes;* idest hac etiam conformitate statues eos, sicut teipsum statuisti. De Christo siquidem legitur (Isa. 9, 6): *Factus est principatus super humerum ejus.* Reges ferunt sceptrum in signum, et indicium regni jam acquisiti; et Christus sub signo crucis sibi regnum vindicavit. Hac etiam conformi ratione Apostoli sibi vindicaverunt principatum. De Christo siquidem dicitur: *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum* (3), etc. Ecce quomodo Christus per mortem crucis sibi principatum vindicavit. Simili modo, et conformi Apostoli vindicaverunt sibi regnum. Unde in Cantico Debboræ (Judic. 5, 9): Cor meum diligit principes Israel, qui propria voluntate obtulerunt se discrimini. Item Ecclesiastici (44, 10 ad 12): « Isti sunt viri misericordiæ, quorum pietates non defuerunt, cum semine eorum permanet (4) hæreditas bona, et nepotum eorum semen in testamento stetit. » Bene dicuntur Apostoli viri misericordiæ, et non solum misericordes, quasi quadam prærogativa, quia non solum sua, sed seipsos dederunt pro nobis; tanta enim pietate commoti sunt super infidelitate nostra, quod pro nobis sanguinem suum fuderunt, et diversis suppliciis corpora tradiderunt; et ideo bene dicuntnr viri misericordiæ, quorum pietates non defuerunt. Unde cum semine eorum permanet hæreditas bona, idest cœlestis jucunditas cum semine eorum, idest cum imitatoribus permanebit. Qui enim de semine eorum, idest de imitatione Apostolorum per exemplum bonæ conversationis non fuerit, æterna felicitate carebit.

Sequitur: *Et nepotum eorum semen in testamento stetit*; quasi dicat: Testamentum, idest fidelis Ecclesia roborata est, et confirmata est in semine eorum, idest in successoribus, et imitatoribus Apostolorum, qui in sanguine suo fundaverunt Ecclesiam. Unde in Deuteronomio (33, 19): « *Populum* (5) *ad montem vocabunt: et* (6) *immolabunt victimas justitiæ;* hoc est: Apostoli, et eorum imitatores *populum,* idest minores *ad montem vocabunt,* idest ad celsitudinem felicitatis æternæ, et ut eos efficaciter vocare possint, *immolabunt,* idest seipsos morti pro eis subjicient. Unde in Cantico Debboræ (Judic. 5, 18): Zabulon, et Nephthali se (7) morti obtulerunt in regione Merome. Sequitur in Deuteronomio (31, 19): Inundationes (8) maris quasi lac sugent, et thesauros absconditos arenarum. Zabulon interpretatur habitaculum fortitudinis: Nephthali cervus emissus. Isti sunt Apostoli, habitaculum scilicet fortitudinis, et sustinentiæ tormentorum, qui quasi

(1) Vulg.: oriens mundo in altissimis Dei.

(2) Ab uxore Caleb etc. Cum in primo Paralip., cap. 2, vers. 19, legatur: Accepit uxorem Caleb Ephrata; hunc textum Glossa ordinaria sic explicat: Ephrata. Hæc est, Maria soror Moysi, mater Hur, patris Huri, avi Beseleel. Hur vero est, qui cum Aaron sustinebat manus Moysi, pugnante Josue. Hanc porro explicationem Lyranus in eundem locum testatur esse Glossæ Hebraicæ, quam, inquit, aliqui Expositores nostri sequntur; eamdemque secutus est Sanctus noster.

(3) Philip. 2, 8 et 9.

(4) Vulg.: permanent bona, Hæreditas sancta nepotes eorum, et in testamentis stetit semen eorum. *Versio autem Græca LXX legit:* Cum semine eorum permanebit bona hæreditas, nepotes eorum, in testamentis stetit semen eorum.

(5) Vulg.: Populos.

(6) Vulg.: ibi.

(7) Vulg.: animas suas.

(8) Vulg.: inundationem.

cervi emissi cucurrerunt ad triumphum; et hoc est in Merome, quod interpretatur excelsum, idest pro æterna jucunditate isti inundationes maris, idest subitas, et abundantes tribulationes persecutorum hilariter, et mentis jucunditate sustinuerunt; unde *ibant* Apostoli *gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (Act. 5, 41). Ipsi etiam suxerunt, et traxerunt thesauros arenarum absconditos. De arena maris fit sal, quod est aliorum ciborum condimentum; et ipsi de amaritudine vitiorum gentium traxerunt per prædicationem suam principes, et rectores Ecclesiæ, quasi thesauros absconditos in arenis, et sic sal ad condimentum vitæ malorum se fecerunt, de quibus dicit : *Vos estis sal terræ* (Matt. 5, 13).

Hi sunt filii, qui tibi, o bone Jesu, pro patribus suis, idest pro Prophetis, et Apostolis nati sunt, et rectores Ecclesiæ constituti. Unde in Deuteronomio (33, 24) : « Benedictus in filiis suis Aser, sit placens fratribus suis, et tingat in oleo pedem suum. » Aser, qui interpretatur beatus, Christum significat, qui est benedictus in filiis suis, idest in Apostolis, et eorum successoribus, qui dicuntur pedes Domini, quoniam ipsi nomen ejus prædicando per universum orbem tulerunt, quoniam in omnem terram exivit sonus eorum (Psal. 18, 5). Hos pedes tingit Deus in oleo. Pedes tinguntur in oleo, si vel dolore, vel labore fuerint fatigati; et Apostoli, et eorum successores missione Spiritus Sancti loti sunt, ut laboribus, et ærumnis fatigati non deficiant. Unde Job (29, 2 et 6) : « Quis mihi det (1), ut sim juxta dies (2) pristinos, quando lavabam pedes meos butyro, et petra fundebat mihi rivos olei? » Butyrum provenit ex pinguedine carnis. Butyrum ergo est illa dulcis affectio, qua quis considerat Christi incarnationem, et beneficia nobis ab eo in carne exhibita. Hoc butyro, idest hac dulci affectione inungebantur pedes Domini, idest Apostoli juxta dies pristinos, idest in primitiva Ecclesia, quoniam omne genus tormenti pro Christo parati erant subire. Tunc etiam fuderat petra rivos olei. Petra, Christus; rivi olei, Apostoli, qui sicut oleum reluxerunt luce miraculorum, et luce bonæ conversationis.

(1) Vulg. : tribuat.
(2) Vulg. : menses.

Sequitur in Deuteronomio (33, 25): *Ferrum, et æs calceamentum ejus*. Ferrum, et æs dicuntur Apostoli. In ære sonus prædicationis; in ferro malleus increpationis significatur. Hoc est calceamentum Domini, de quo in Ezechiele (1, 7) : Scintillæ ejus quasi (3) æris candentis; et Apostoli, quasi scintillæ in arundineto, exemplo bonæ conversationis discurrentes, siccos, et lentos, vacuosque bonis operibus accendentes. Erant, inquam, quasi scintillæ æris per sonum prædicationis, candentis per fervorem charitatis; et ita Apostoli bene æri comparantur, et ferro, quia sicut ferrum omnia contundit metalla, sic talis fuit prædicatio Apostolorum, ut omnium gentium perfidiam contunderet, et duritiam.

Unde Isaiæ (41, 15) : Posui te quasi plaustrum novum triturans, habens rostra serrantia. Plaustrum triturans dicitur prædicatio Apostolorum, quoniam sicut plaustrum triturans dividit paleas a granis, sic prædicatio Apostolorum bonos a malis separavit. Dicitur etiam plaustrum novum, quod stridet sub fœno, vetus autem silet; et certe taciturnitas peccati signum est vetustatis peccati, quod significatur per plaustrum vetus. Sed quando clamat sub fœno, idest quando quasi peccatis aliorum gravatus prædicat, hoc signum est novitatis gratiæ, et tunc est quasi plaustrum novum habens rostra serrantia. Sicut enim serra dividit quod unum est, ita Christi prædicatio. Rostra serrantia sunt verba sancti Evangelii, patrem carnalem a filio, et socrum a nuru separantia; unde : Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam (Matth. 10, 34 et 35). Plaustrum, propter quatuor rotas Evangelii, de quibus est prædicatio.

SERMO LXXXV.

De lætificatione Ecclesiæ civitatis, quam lætificat Spiritus Sanctus; de unctione, et sanctificatione ejusdem.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. (Psal. 45, 5.)

Civitas Dei est Ecclesia, quam *lætificat*

(3) Vulg. : aspectus.

fluminis impetus, idest abundantia gratiæ; de quo fluvio, Ecclesiastici (24, 41) : « Ego quasi fluvius (1) Dioryx, et sicut aquæductus exivi a paradiso. » Dioryx, interpretatur medicamentum generationis nostræ in primis parentibus corruptæ. Item Dioryx est fluvius rapidissimus, in quo significatur impetus gratiæ; et hoc bene consonat ei, quod dictum est : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Torrens siquidem divinæ gratiæ cum tanto impetu fluxit, quod omnia impedimenta nostræ salutis destruxit, peccata nostra dimisit, chirographum etiam illud quod scriptum erat contra genus humanum, scilicet : terra es, et in terram ibis, sanguine suo delevit; et scripsit illud, unde Propheta gaudet : « Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi : In domum Domini ibimus (Psal. 121, 1) : Mutata est scriptura; sic scriptum erat : In terram ibis; ibi scriptum est : In domum Domini ibimus, cum Deus de diabolo triumphavit, qui de se dicit : « Ego quasi fluvius Dioryx, et sicut aquæductus exivi de paradiso. » Paradisus est locus deliciarum; Christus etiam a deliciis exivit, ut cœlestibus divitiis nos alliceret, et ditaret. Sequitur (24, 42) : Rigabo hortum plantationum, inebriabo fructum partus (2) mei; » Hortum scilicet, quem ego plantavi, ego rigabo; quod significatum est per illam irrigationem, de qua in Genesi (2, 6) : « Fons egrediebatur de paradiso, et irrigabat (3) universam superficiem terræ. » Hic planus est campus. Et inebriabo fructum partus mei; ac si diceret : Cum tanto labore, et angustia volui vos parturire; non ero avarus, quin velim vos bene potare, et inebriare torrente voluptatis cœlestis.

Sequitur : *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* De hac sanctificatione in Numeris (7, 1) : « Factum est in die, qua complevit Moyses tabernaculum, erexit illud, et unxit, et sanctificavit cum omnibus vasis suis. » Tabernaculum illud est Ecclesia, sive mens, cujus unctio est Ecclesiæ sanctificatio, quæ animæ designat dedicationem. Quo autem unguento debeat ungi tabernaculum, Exodi (30, 23 ad 27) : « Sume tibi aromata, myrrham primum, cinnamomum, calamum, casiam, et oleum de olivetis, et facies ex eis unguentum, et unges ex eo tabernaculum, et omnia vasa ejus. » Sic dedicatur tabernaculum, idest Ecclesia, idest mens hominis. Myrrhæ species duplex est; quædam bona, quæ inciso cortice fluit ab arbore; quædam optima, scilicet quæ sponte fluit ab arbore, et hæc dicitur myrrha prima, quæ pretiosior est; et significat illam carnis mortificationem, qua homo seipsum sponte macerat, et mortificat. Sunt alii, qui seipsos non mortificant, nisi sint a Deo graviter percussi. Hi sunt quasi myrrha, quæ inciso cortice quasi cum quadam violentia fluit ab arbore. Hæc, inquam, myrrha bona, sed prima pretiosior est, quæ jubetur poni in unctione tabernaculi. Cinnamomum est cinerei coloris, et significat memoriam mortis; unde : Cinis es, et in cinerem reverteris. Calamus pro eo quod sonorus est, confessionem criminis, et laudis significat, casia, cum sit in humidis locis, fidem significat, quæ nutritur in undis baptismi. Hæc sunt quatuor, quibus debet adjungi oleum, non quodcunque, sed oleum de olivetis. In oleo significatur opus misericordiæ; in oliveto, cordis compassio. Est ergo oleum de oliveto, quando est in corde ad pauperem compassio, et in manu eleemosynarum elargitio.

Hac unctione sanctificatur tabernaculum cum omnibus vasis suis, quia singula hominis membra, per vasa significata, sonare debent hanc sanctificationem. De hac dicitur in Ezechiele (36, 25) : « Effundam super vos aquam mundam. » Hæc est aqua gratiæ, quæ omnes sordes mundat. Sequitur : « Ab omnibus inquinamentis vestris mundabimini, » idest a carnalibus desideriis : Et ab idolis vestris, idest ab immunditiis vestris, quæ sunt contra naturam, quæ bene per idolum significantur, quia idolum nihil est in rerum natura. Sequitur ibidem (36, 29) : « Vocabo frumentum, et multiplicabo illud. » Frumentum est sacra Scriptura. Hoc est frumentum, quod Dominus multiplicat. Hoc enim magnum est donum in Ecclesia; Hinc habetur Zachariæ (9, 17) : « Quid bonum est, aut quid pulchrum est, nonne (4) frumentum electorum, et vinum, germinans virgines? » Prædicatio frumentum est et vinum, quia pascit hominem, corroborat, et lætificat; et hujusmodi vinum germinat virgines,

(1) Vulg. : fluvii.
(2) Vulg. : prati.
(3) Vulg. : ascendebat e terra, irrigans.
(4) Vulg. : pulchrum ejus, nisi.

idest mentes castas. Apocalypsis (22, 1 et 2) : « Ostendit mihi lignum vitæ reddens fructus suos (1), et folia ejus ad sanitatem. » Sequitur in Ezechiele (36, 30) : « Et multiplicabo fructum ligni, et genimina agri. » Lignum vitæ Christus, est, cujus fructus est dare vitam. Miser ergo est, qui ad hanc arborem pervenit, a qua vitam potest colligere, et mortem colligit æternam. Folia hujus ligni sunt sacra verba, quæ animam sanant. Ager plenus est Ecclesia, plena scilicet arboribus diversis, et floribus variis; unde : « Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni (Gen. 27, 27).

SERMO LXXXVI.

De terrore vocis Domini, de dolore parturientis, idest pœnitentis, et de contemptu mundi.

Tremor apprehendit eos. Ibi dolores ut parturientis, in spiritu vehementi conteres naves Tharsis. (Psal. 47, 7 et 8.)

Job (37, 2): « Audies (2) auditionem de (3) terrore vocis ejus, et sonum de ore ejus procedentem. » Illum autem tremor apprehendere debet, qui hanc auditionem, et hunc sonum de ore Domini audit procedentem. De hac auditione dicitur Osee (5, 12) : « Ego quasi tinea Ephraim, et quasi putredo domui Juda. » Scitis, quod tinea tacito morsu vestes consumit, ita quod reparari non possunt; putredo similiter consumit lignum, nec reparatur lignum in virore. Similiter anima peccato demolitur, dum Dominus in præsenti nec increpat, nec flagellat. Hæc est enim dura ira Domini, et indignatio, quando ipse non increpat; unde : « Exurge in ira tua (Psal. 7, 7); Et : Exaltetur manus tua. » Exaltat quidem Dominus manus suas, et retrahit ne flagellet, vel increpet, et hoc in ira sua; et hac taciturnitate, sive silentio anima peccato demolitur; et hoc est audire auditionem Domini. Et ecce illa vox : « Ego quasi leæna Ephraim, et quasi catulus leonis domui Juda » (Osee 5, 14). Leæna cum magno impetu, et cum magna aviditate currit ad devorandam prædam, et ei resistere præda non potest; et catulus leonis in vorando moratur. In quo significatur, quanto impetu divina vindicta malos invadit, et quanta perpetuitate incumbit pœna damnandis.

Ibi dolores ut parturientis. Dolor pœnitentium debet esse ut parturientium, videlicet sicut mulier, quæ concipit cum magna delectatione, et cum magno dolore parit, et angustia. Mulier, torsiones præsentiens, cognoscit horam pariendi instare. Sic pœnitens cum jam interius per contritionem vehementem movetur, horam confitendi instare debet cognoscere, ut peccatum latens in lucem manifestationis proferat. Quandoque tamen contingit aliter : Quia, ut dicit Isaias (37, 3), « venerunt filii usque ad partum, et non est virtus pariendi. » Dicitur quarto Regum (19, 3). Vires non habet parturiens. Venit etenim peccatum usque ad os; et cum deberet emitti per confessionem, vertitur tanquam partus ex transverso, nec egreditur : et ita infelix puerpera moritur, et infelix anima in æternum cruciatur.

In spiritu vehementi conteres naves Tharsis. Si spiritus, idest si timor fuerit vehemens, conterentur *naves Tharsis*. Tharsis interpretatur exploratio gaudii, vel mare. *Naves* ergo *Tharsis* sunt mentes hominum, negotiationes, et diversa mundi gaudia explorantium, in quibus tamen amaritudo permixta est; unde Isaiæ (23, 1) : « Ululate naves maris, quia vastata est domus, unde venire consueverat (4); » supple, negotiatio; quasi dicat : Vos negotiatores, hujus mundi divitias, et honores inquirentes et pro eis vestras animas quasi pro pretio vendentes, ululate, quia vastata est domus, unde venire consueverat; quasi, vastatus est mundus, in quo negotiamini, ita quod non est in eo aliud, pro quo vestras animas venundare debeatis. Jam cessat decor : Jam cessat flos, qui solebat esse in mundo : antiquatus jam venit ad maturitatem; et tamen finem ejus conjectare possumus, sicut dicitur in Evangelio : « Videte ficulneam, et omnes arbores : cum producunt jam ex se fructum, scitis, quia prope est æstas » (5). Quis autem sit fructus mundi, Gregorius ostendit, dicens : « Fructus hujus mundi ruina est. » Patet ergo, quod vastata est domus mundi; unde cessare debet negotiatio. Sequitur : « De terra Cethim, revelatum

(1) Vulg. : fructum suum.
(2) Vulg. : audite.
(3) Vulg. : in.

(4) Vulg. : consueverant.
(5) Luc., 21, 29 et 30.

est » (1). Cethim, mare congelascens. Mare congelatum exterius habet pulchritudinem, et tamen fragile est, et cito dissolvitur. Cum autem dissolutum fuerit, apparebit, manifestabitur fœtor ejus. Terra Cethim est terrena felicitas, et pulchritudo mundi superficialis, qua dissoluta, indicabitur, et manifestabitur fœtor ejus.

SERMO LXXXVII.

De Præsentatione Filii Dei in templo.

Suscipimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui. Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ: justitia plena est dextera tua. (Psal. 47, 10 et 11.)

Tunc, dixit, *misericordiam* Dei *suscepimus*, quando Filius Dei a beata Virgine in templo Dei fuit præsentatus, et Simeone susceptus. Attendendum est, quis fuit ille qui suscepit, et quis susceptus. Qui suscepit, fuit Simeon senex, in Jerusalem. Simeon interpretatur audiens tristitiam. Qui ergo suscipiet Christum, Simeon debet esse, ut mentem habeat lugubrem pro peccatis; Senex, ut in eo mortuus sit libidinis fervor; et hoc in Jerusalem, ut serenitatem mentis habeat, et tranquillitatem. Attendamus etiam, quod ipse suscepit Christum cum turture, aut columba. Unde etiam cum nos recipimus Sacramentum corporis, et sanguinis Domini, ad hoc quod bene, et digne recipiamus, debemus recipere cum turture, idest luctu pœnitentiæ; et columba, idest castitate; in medio templi, idest cordis, non in angulo. Cor enim hominis templum est Spiritus Sancti. Sicut enim lumen in medio positum ad omnes terminos domus radios diffundit, ita gratia Dei percepta in corde hominis. Isaiæ (19, 19) : « In die illa erit altare Dei in medio terræ Ægypti, et titulus Domini juxta terminos (2) ejus. Altare Dei est cor hominis, in cujus medio debet esse lumen divinæ gratiæ, quæ sit quasi titulus juxta terminos Domini ; ut sicut tota libri series titulo respondet, sic omnia corporis membra resonent, et sapiant gratiam Dei.

Sequitur : *Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ.* De hoc nomine in Isaia (8, 3) : « Voca nomen ejus : Accelera spolia detrahere : festina prædari. » Secundum hoc nomen laudari debet Dominus. Acceleravit enim Dominus ad liberandum nos de manu inimici, quia exultavit ut gigas ad currendum viam (Psal. 18, 6). Spolia detraxit, quando vasa fortis *fortior* superveniens diripuit, fortemque alligavit, et sic nos de ejus potestate liberavit. *Secundum* hoc siquidem *nomen* debet laudari Dominus. Hinc Isaiæ (49, 24): « Numquid tolletur a forti præda, et quod (3) captum est a robusto, salvabitur? Et iterum » (43, 14) : « Propter vos emisi (4) in Babylonem; Propter vos, dicit Deus Pater, emisi, idest extra misi Filium meum in Babylonem, idest in mundum, et detraxi vectes universos, idest salutis omnia impedimenta removi, et Chaldæos, idest dæmones gloriantes in navibus destruxi. Naves mentes sunt hominum in fluctibus hujus mundi divitias deportantes, quas diabolus quasi nauta regit, et gloriatur cum per eas merces suas per amaritudinem hujus sæculi quasi per mare ad vendendum deportet. Hunc negotiatorem expulit Dominus in adventu suo, et quotidie per gratiam ; unde Isaiæ (35, 7 et 9 : « In cubilibus (5), ubi dracones habitabant, orietur viror calami, et junci, et non erit ibi leo amplius, et mala bestia » : Ecce quomodo Dominus festinavit ad prædationem diaboli. Dæmones expelluntur a cubilibus, idest mentibus hominum; et sic ubi prius habitabant dracones, orietur viror calami, et junci. In calamo significatur prædicatio : In virore junci, viror fidei; et sic expellitur diabolus, qui significatur per leonem propter crudelitatem, et superbiam. Per malam bestiam intelligitur luxuria, quæ corpus enervat, et animam contaminat.

Sequitur : *Justitia plena est dextera tua.* Ne propter misericordiam Domini torpescamus, ideo subjungit de Dei justitia. Unde in Malachia (3, 1 et 3) : « Veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis »; Et statim subdit : Et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum, et argentum. Quid faciet stannum, ubi concutietur cedrus paradisi? Postea loquitur

(1) Isa., 23, 1.
(2) Vulg. : terminum.
(3) Vulg. : Aut quod captum fuerit a robusto, salvum esse poterit?
(4) Vulg. : misi.
(5) Vulg. : In quibus prius.

(Ibid., 3, 5) : « Accedam ad vos in judicio, et ero testis velox maleficis, adulteris, et perjuris, et iis, qui calumniantur mercedem mercenarii (1) sui, et qui opprimunt pupillos, et peregrinos, et viduas. » Unde Hieronymus (2). Ne putentur purva (3) crimina, quæ maleficio, et adulterio sociantur. Ex adjunctione ergo eorum ostenditur, quod opprimere pupillos, peregrinos, et viduas, et calumniari mercedem mercenarii, inter majora debent computari crimina.

SERMO LXXXVIII.

Quod diabolus tripliciter insidiatur homini, in principio, in medio, et in fine. De repressione motuum, sive sensuum carnalium, et mortificatione.

Cur timebo in die mala? Iniquitas calcanei mei circumdabit me. (Psal. 48, 6.)

Hæc est causa timoris in die judicii, scilicet *iniquitas calcanei.* Est autem calcaneus finis operationis. Insidiatur quandoque diabolus in initio operis; quandoque in progressu operis, scilicet in medio; quandoque etiam in fine. In principio autem nititur corrumpere intentionem nostram; unde in Threnis (1, 5) : « Facti sunt hostes ejus in capite ejus. » In medio; unde Psalmus (141, 4) : « In via hac, qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi. In fine; unde (Psal. 55, 7) : Ipsi calcaneum meum observabunt. Item de primo dicitur in Evangelio (Lucæ, 11, 34) : *Si oculus tuus*, idest intentio *fuerit nequam, totum* (4) *corpus tuum,* idest opus sequens *erit tenebrosum.* De secundo dicitur quod Tobias propter lassitudinem cessavit a sepultura : sic quandoque anima suggestione diaboli cessat a bono opere, et stercoribus hirundinum, idest curis, et solicitudinibus temporalium excæcatur. De tertio, Matthæi (6, 1) : *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Primum corrumpitur per pravam intentionem; secundum per interruptionem; tertium per humanum favorem. Unde dixit Deus ad serpentem (Gen., 3, 15) : *Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Unde Gregorius (5). Si caput suggestionis (6) ejus, idest diaboli conteritur, ipse calcaneo, idest fini operis insidiatur. Ideo Jacob egrediens de utero matris, calcaneum fratris sui Esau orientis tenebat. Jacob est spiritus, vel ratio : Esau carnalis motus. Calcaneus est lubricatio carnis, idest peccatum procedens ex lubrico carnis; sed Jacob, idest fortis luctator, manu, idest fortitudine calcaneum suum debet regere, ut habeat illam benedictionem : « Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata (Psal. 31, 1).

Item de Jacob legitur (Gen. 49, 32), quod pedes suos collegit in lectulo (7), idest in quiete conscientiæ. Sic obiit Jacob, idest obviam Domino ivit; non enim habuit aliquod opus, quod impediret ejus iter ad Dominum : descendit tamen ad Limbum. Hinc etiam ait Jeremias (2, 25) : « Prohibe pedem tuum a nuditate, et guttur tuum a siti », idest carnali concupiscentia. Prohibendus est siquidem pes a nuditate; Si enim pes, idest affectus nudus fuerit ab exemplo, et doctrina sanctorum Patrum, timeri poterit in deserto hujus vitæ morsus serpentis antiqui. De his pedibus habetur in Josue (10, 24) : « Ite, et ponite pedes vestros super colla regum istorum. Historia est talis. Pugnabat Josue contra quinque reges, qui fugientes latitaverunt in spelunco Macedæ. Dixit autem Josue filiis Israel : Volvite saxa magna ad os speluncæ; et postmodum consummata victoria, dixit filiis Israel : Adducite eos de spelunca; quibus adductis, dixit filiis Israel : Ite, et ponite pedes vestros super capitc eorum usque ad vesperum : quibus interfectis, projicite eos ad os speluncæ, ubi latuerunt, et volvite saxa magna ad os speluncæ. Quinque reges sunt quinque sensus corporis, qui fugiunt a facie Josue. Tunc homo non obtemperat mandatis Dei, et se abscondit in spelunca, cum in carnalibus desideriis vel deliciis immergitur. Et hoc fit in Maceda, quæ interpretatur exustio carnalis;

(1) Vulg. : Mercenarii, viduas, et pupillos : et opprimunt peregrinum.
(2) Commentar. in hunc loc.
(3) Ne putentur parva, etc. In editis sic legitur : « Nequaquam igitur levia putemus esse peccata, perjurium, et mercedem non reddere laboranti, et calumniari viduam et pupillum, et opprimere alienigenam et peregrinum : quæ maleficio, et veneficiis, et adulterio comparantur.
(4) Vulg. : etiam.
(5) Moral. l. II, in cap. 1. Job, num. 53.
(6) Si caput suggestionis, etc. In edit. Maur., Paris., tom. I, col. 36, legitur : « Cum ab initio deprehenditur, percutere calcaneum molitur : quia etsi suggestione prima intentionem non percutit, decipere in fine tendit. »
(7) Versio Syriaca; Vulg. : Super lectulum.

qui enim concupiscit, incendium habet, et exustionem. Ad os speluncæ ingentia saxa volvuntur, cum per duras comminationes, quasi per quædam repagula sensibus ostium clauditur, ne ad operationem procederent. Producuntur reges de spelunca, quando per confessionem aperitur in quo quinque sensus peccaverunt. Super colla regum pedes ponuntur, cum prava carnis suggestio reprimitur, cum primus motus eliditur; Et hoc debet fieri usque ad vesperam, idest usque ad defectum ferventis concupiscentiæ. Cum homo carnem suam crucifigit cum vitiis, et concupiscentiis, in spelunca recluduntur, ingentibus saxis ad os speluncæ appositis. Cum enim sensus corporis fuerint mortificati, tunc feliciter recluduntur in spelunca, idest ita reprimuntur, ut non jam militent contra rationem, sed rationi serviant. Saxa ingentia sunt repagula divini judicii, et divini timoris, per quæ primi motus reprimuntur, ne ad operationem, vel consensum procedant. Quid enim prodest regi, idest rationi, si triumphavit de remotis inimicis, idest superbia, invidia, et hujusmodi; et inimicos vicinos, idest primos motus non submergat?

SERMO LXXXIX.

De perpetua continuatione, et multitudine tormentorum inferni.

Sicut oves in inferno positi sunt : mors depascet eos. (Psal. 48, 15.)

In hoc versu ostenditur perpetua continuatio, et multitudo tormentorum inferni. Perpetua continuatio notatur per hoc, quod dicit *Sicut oves in inferno positi sunt;* ubi dicit Glossa : « Ovés, amissa lana manent, sic semper in istis sine consumptione substantiæ pœna invenit quod cruciet. » Multitudo tormentorum notatur per hoc, quod subditur : « Mors depascet eos », idest de pascua ad pascuam, idest de pœna ad pœnam deducet. Magister dicit in qnodam libro antiquo reperisse, quod novem pœnis affliguntur damnati, quia novem ordinibus Angelorum renuerunt sociari (1). Hæ scilicet sunt pœnæ (2), Ignis, Frigus, Vermis, Fœtor, Flagella, Tenebræ, Confusio, Horror, et Vincula. Primum erit ibi *ignis* ad puniendum ignem concupiscentiæ; ignis, inquam, ita ardens, quod si totum mare influeret, non minueret ignis ardorem. Secundum est *frigus* ad puniendam frigiditatem malitiæ, adeo magnum, et asperum, quod si mons igneus in ipsum descenderet, gelu fieret. Job (24, 10) de utroque ponit unam auctoritatem, idest : *Transibunt* (3) *ab aquis nivium ad calorem nimium.* Sed magis de utroque expresse habemus in Sapientia (16, 17 et 22) : « Quod enim erat mirabile, in aqua, quæ omnia extinguit, plus valebat ignis : Nix autem, et glacies sustinebant vim ignis, et non tabescebant. » Hoc est, quod supra dictum est : Si mons igneus in ipsum descenderet, gelu fieret. Tertium *vermes immortales,* quia sicut piscis in aqua, ita vermis in flamma vivit, ad puniendum scilicet vermes odii, et invidiæ. De hoc Ecclesiastici (7, 19): Humilia valde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impii, ignis, et vermis; Et alius vermis conscientiæ, de quo Isa. (66,24): « Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur. Quartum *fœtor intolerabilis,* de quo Isaiæ (34, 9) : Convertetur torrens ejus in picem, et humus ejus in sulphur; *Item :* Et erit pro suavi odore fœtor. Quintum est *flagella,* quibus videlicet percutientur qui hic cum hominibus disciplinam recipere noluerunt; unde in Parabolis (19, 29) : « Parata sunt derisoribus supplicia, et mallei percutientes stultorum corporibus. » Sextum *tenebræ palpabiles;* quoniam dilexerunt magis tenebras, quam lucem (Joan., 3, 19). Sapien-

(1) Renuerunt sociari. In Magistro Sententiarum id non invenimus, sed in Tractatu, qui inscribitur, *Instructio Sacerdotis,* et vol. II operum S. Bernardi, edit. Maur. Paris., col. 549, editus est; cujus Auctor, cap. 14, ait : « Habet quidem infernus, ut ex auctoribus comprobari potest, novem notabilia supplicia », atque his idcirco reprobos torqueri dicit, quia consortium neglexerunt novem ordinum Angelorum.

(2) Hæ scilicet sunt pœnæ, etc. S. Bernardus Sermone de quinque negotiationibus, et quinque regionibus, qui est XLII, in edit. Maur. Paris., vol. I, col. 1183, num. 6, de regione gehennali disserens : « Locus letifer, ait, in quo ignis ardens, ubi frigus rigens, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, mallei percutientes, tenebræ palpabiles, confusio peccatorum, innodatio vinculorum, horribiles dæmonum facies. » Et auctor Tract. superius cit. ibidem ait : « Unde illud : Malleus, et fœtor, cum vermibus, ignis, et algor, Visio dæmonica, tenebræ, rubor, ignea vincla. »

(3) Vulg. : transeat.

tiæ (17, 5) : « Ignis siquidem vis nulla potuit lumen præbere, nec siderum limpidæ flammæ poterant noctem illam horridam (1) illuminare. Septimum *confusio peccati;* quoniam ibi confundentur damnati, qui noluerunt confundi coram sacerdote salubriter; unde Jeremiæ (20, 11) : « Confundentnr vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod nunquam delebitur. Octavum *horror;* Unde Sapientiæ (17, 4) : Neque enim, quæ continebat illos spelunca, sine timore eos custodiebat : quoniam sonitus descendens turbabat (2) illos, et personæ tristes apparentes terrorem (3) illis præstabant. Nonum *vincula* ignea, quibus membra illorum vincientur, quæ per singula vitia fluxerunt. Isaiæ (28, 13) : Modicum ibi, modicum ibi, : ut vadant, et cadant retrorsum, et conterantur, et capiantur, et illaqueentur.

SERMO XC.

Qualiter Deus manifeste veniet; manifestabit se, et manifestabitur.

Deus manifeste veniet : Deus noster, et non silebit. Ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida. (Psal. 49, 3.)

Et vere *veniet manifeste,* quia manifestabit, et manifestabitur. Tunc enim in die judicii manifestabitur ejus severitas, quæ modo non cognoscitur ab insipientibus. Manifestabit enim occulta cordium, et abscondita tenebrarum; unde de ipso in Evangelio : « Sicut fulgur exit ab oriente, et paret in occidentem, ita erit et adventus Filii hominis ». Merito fulguri comparatur, quia sicut fulguris coruscatio est subita, et improvisa, sic subito apparebit, et in momento totum orbem penetrabit. Item fulgur seipsum manifestat, tenebrosam noctem illuminat, et omnia facit apparere. Item fulgur duos habet socios, strepitum tonitrui, et ictum : Similiter in judicio audient damnati tonitruum increpationis, quando dicetur eis : Esurivi, et non dedistis mihi manducare, etc. Et sentietur ictus percutientis Judicis. Item fulguri comparatur dies judicii, quia quod fulgure percussum est, frangitur, uritur, et fœtet. In die judicii frangetur superbia, in igne punietur concupiscentia, sive avaritia, in fœtore luxuria.

Sequitur : *Deus noster, et non silebit.* Apocalypsis (1, 15 et 16) : Vox ejus, quasi (4) vox aquarum multarum, et ex (5) ore ejus exibat gladius utraque parte acutus. Aquæ multæ inundantes inexplicabiliter involvent hominem, et vindicta Dei in judicio per aquas significata involvet damnatos. Bene autem dicit : Ex ore gladius, quia nullus terminus temporis erit inter sententiam, et pœnam. Item vindicta æterna dicitur gladius utraque parte acutus, quoniam in corpore, et anima torquebuntur damnati. Sequitur : « Ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida » ; De quo Danielis (7, 10) : « Fluvius igneus, rapidusque ex ore ejus exibat » (6). In fluvio, qui perpetuas habet aquas, pœnæ perpetuitas designatur; In igne, pœnæ gravitas; in eo quod dicitur, *rapidus,* tempestas valida significatur, quia nullus poterit resistere divinæ sententiæ, nec ab ipsa appellare, quoniam Deus « dedit omne judicium Filio suo » (7). Hinc etiam Petrus in secunda sua Canonica (3, 10 ad 12) : « Adveniet autem dies Domini sicut fur, in quo cæli magno impetu transient, elementa calore solventur. Cum igitur hæc dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus, et pietatibus, expectantes, et properantes in adventum Domini? » Timeamus ergo futurum judicium, ne illud nobis contingat, quod de malis dicit Isaias (29, 6) : « Eritque repente confestim : visitabitur a Domino in tonitruo, et commotione terræ, in turbine, et tempestate, et flamma (8) ignis devorantis ». In hoc, quod dicit *repente,* innuit, quod subito veniet dies judicii, et non tardabit; quod significatur per hoc, quod dicit, *confestim;* et vere tunc pugnabit orbis terræ (9) *contra insensatos.* Omnia siquidem elementa expellent a se pecccatores. Commovebitur enim terra adversus peccatorem, propter pondus peccatorum amplius ipsum non sustinens; unde Isaiæ (9, 1) : « Primo tempore alleviata est

(1) Vulg. : horrendam.
(2) Vulg. : perturbabat.
(3) Vulg. : pavorem.
(4) Vulg. : illius tamquam.
(5) Vulg. : de.

(6) Vulg. : egrediebatur a facie ejus.
(7) Joan., 5, 22.
(8) Text. hebr., Vulg. : et voce magna turbinis, et tempestatis, et flammæ.
(9) Vulg. : terrarum.

terra Zabulon, et terra Nephthali »; ubi Glossa (1) : *Captivatis habitatoribus suis* : sic expulsis peccatoribus, alleviabitur terra. Mare eos fluctibus, et tempestate pulsabit. Aer fulgure, et tonitruis, et turbine eos ventilabit, et exagitabit. Flamma ignis devorantis persequetur eos, et molestabit; et ita damnati cœlum intrare non poterunt, quia tonitruo, et fulgure eos terrebit : nec similiter in alio aliorum cœlorum sibi locum invenient; unde oportebit de necessitate quod in infernum detrudantur.

SERMO XCI.

De prævaricatione peccatoris; qualiter abutitur divina patientia, et qualiter de beneficio arguitur. Reprehenditur peccator non solum de malitia propria, sed de aliena, quam in aliis reprehendere contemnit, et omittit.

Hæc fecisti, et tacui. Existimasti inique quod ero tui similis : Arguam te, et statuam contra faciem tuam. (Psal. 49, 20 et 21.)

Hic notantur tria, scilicet prævaricatio peccatoris, cum dicit : *Hæc fecisti;* secundo divina patientia, cum subditur : *Tacui;* Tertio beneficium Domini arguentis, cum dicit : *Arguam te, et statuam contra faciem tuam.* Reprehenditur peccator non solum de malitia propria, sed de aliena, quam in aliis reprehendere contemnit, et omittit; unde Osee (10, 9) : « Ex diebus Gabaa peccavit Israel, ibi steterunt. » Satis nota est historia, quod propter uxorem Levitæ a quibusdam de Benjamin occisam, contra quos moverunt bellum filii Israel, quorum maxima multitudo interfecta fuit in primo, et secundo congressu, non quod injustam causam haberent movendi bellum contra Benjamin propter ultionem tanti sceleris, sed eo (2) quod idololatriam in domo Michæ non subverterunt; et ideo dicit : Ex diebus Gabaa peccavit Israel, ibi steterunt; in peccatis ibi permanserunt. Accidit etiam ex eo, quod quodam naturali impetu vindictam hominis potius, quam Dei injuriam vindicare voluerunt. Unde sequitur (Osee, 10, 10) : « Congregabuntur super eos populi, cum corripientur propter duas iniquitates, » scilicet ultionem humanæ vindictæ, et taciturnitatem idololatriæ; propter malitiam propriam, et malitiam Michæ, quam vindicare omiserunt. Unde Ecclesiastici (7, 8) : « Non tibi (3) alliges duplicia peccata. » Duplicia peccata alligat, qui et tenetur propriis, et non corripit aliena.

Sequitur : *Existimasti inique, etc.* Hic arguitur peccator, quia patientia Dei abutitur. Job (24, 23) : Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, et ipse abutitur eo in superbiam. Promittit siquidem peccator sibi impunitatem propter pœnitentiæ dilationem. Si vixero, dicit, bene pœnitebit in senio vitæ; cujus verba bene exprimit Malachias (3, 15): Ergo nunc beatos dicimus arrogantes : siquidem ædificati sunt facientes impietatem, provocaverunt Dominum (4), et salvi facti sunt. Et utinam attenderent quod subditur ibidem (3, 18) : « Convertimini (5), et videbitis, quid sit inter impium, et justum, et inter servientem, et non servientem Deo. » Quod verbum magis explanatur in eodem (4, 1) : « Ecce veniet dies succensus (6) quasi caminus : et erunt omnes superbi, et facientes iniquitatem, stipula : et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, qui etiam auferet (7) radicem, et germen. » Germen est superbia, et elatio sæcularis, quæ quasi ex radice procedit ex abundantia temporali. Hinc Isaias (42, 14 et 15) : « Tacui semper, silui, et patiens fui, quasi (8) parturiens loquar, dissipabo, et absorbebo simul; desertos faciam montes, et colles. » Dissipabo malos, scilicet qui modo connexi ad malum sunt, de quibus Nahum (1, 10): « Sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium. Et absorbebo simul montes, etc. » Idest superbos retrudam in ignem æternum. Unde Isaias (1, 31) : « Erit fortitudo vestra sicut stipula (9), et opus vestrum sicut ignis (10), et succendetur utrumque simul, et non erit qui extinguat.

Arguam te, dicit Dominus, *et statuam te contra faciem tuam;* quasi dicat : Quia modo habes adversam faciem, et quasi post dorsum, ego ponam eam ante te. Boni qui-

(1) Glossa hebraica, de qua vide Lyranum, et S. Hieron. in hunc loc.
(2) S. Hier. lib. III, Comm. in Osee c. 10 et Glossa Hebraica apud Lyranum in c. 20, Judic.
(3) Vulg. : Neque alliges.
(4) Vulg. : tentaverunt Deum.
(5) Vulg. : Convertemini.
(6) Vulg. : succensa.
(7) Vulg. : quæ non derelinquet eis.
(8) Vulg. : sicut.
(9) Vulg. : ut favilla stuppæ.
(10) Vulg. : quasi scintilla.

dem faciem habent ante se, quia vident, quid faciant, et propter quid; unde Ezechielis (1, 12) : « Unumquodque coram facie sua ambulabat. » Mali autem habent retrorsum, quia non considerant quid faciant; unde Jeremiæ (7, 24) : « Abierunt in voluntatibus suis, et facti sunt retrorsum. » Et illud valde terribile esset ad videndum, quod faciem suam haberet quis ad dorsum; tales siquidem sunt mali. *Arguam* ergo, dicit Dominus, idest inducam ad redargutionem. Jeremiæ (3, 23 et 25) : Vere mendaces erant colles : vere in Domino Deo nostro salus Israel. Dormiemus in confusione nostra, et operiet nos ignominia : Domino peccavimus. Hæc est redargutio, ad quam ducuntur peccatores, unde mendaces erant colles. Collis consideratur in descensu : facilius quis inde labitur, quam in ascensu. Hæc est temporalis felicitas, quæ sub humilitate consideranda est, a qua citius potest labi, quam altius ascendere ad montem. Mendaces ergo sunt tales colles, qui potius ruinam operantur, quam virtutum eminentiam largiantur. Unde ipsis dimissis transeundum est ad montem unicum, in quo est veritas, et eminentia salutaris, de quo Michæas (4, 1) : In novissimis diebus (1) erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, et sublimis super colles. Promittitur ascensus, et tamen procliviores sunt ad descensum, quoniam omne ponderosum tendit ad descensum. Multitudo montium mendax est, non ille mons, de quo Michæas: In die illa erit mons in vertice montium. In montibus temporalis abundantiæ est mendacium; sed in illo monte, super quem fundata est Ecclesia, veritas. Ad hunc montem fugiunt peccatores, quando convertuntur, dicentes : « Dormiemus in confusione nostra, operiet nos ignominia : Domino peccavimus. »

SERMO XCII.

De magna misericordia Dei, in quo dicitur magna.

Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, etc. (Psal. 50, 3.)

Magna est Dei misericordia, et in hoc attenditur magna, quia tot exacerbatus injuriis, tenet fortitudinem suam contra peccatores; unde Isaias (27, 4 et 5) : « Quis me dabit spinam, et veprem? in prælio gradiar super eam? succendam eam pariter? An tenebo (2) fortitudinem meam? » Quasi dicat Deus, loquens de vinea sua : Quis me mitem, et mansuetum, et lenem, dabit spinam, et veprem, idest durum, et asperum contra vineam meam? In prælio siquidem gradiar super eam? succendam eam pariter? Quasi dicat : Exterminabo, et conculcabo vineam meam? An tenebo fortitudinem meam, ne toties exacerbatus eos deleam? Osee (11, 8) : « Quomodo dabo te Ephraim, protegam te, Israel? hoc est, quomodo te vitiis expurgari permittam? « Quomodo dabo te sicut Adama, ponam te ut Seboim? » Adama, et Seboim fuerunt de quinque civitatibus submersis, et Adama interpretatur terrena; quasi dicat : Quomodo protegam te, quæ terrena es pro eo quod diligis terrena? Seboim interpretatur statio ejus, vel vicissitudinaria tormentorum succensio. Statio talis nihil aliud est, quam stabilitas; quasi dicat Dominus, loquens affectu compatientis : Quomodo te condemnabo, vinea mea? Et statim sequitur : « Conversum est in me cor meum (Osee 11, 8) ; » quasi dicat : Immitterem ultionem, si non misererer ipsius : Turbata (3) est in me pœnitudo mea; ac si diceret Deus : Duritia quædam esset, si vineam meam delerem, si ei misericorditer non subvenirem : nunc turbata est pœnitudo mea, idest viscera mea pati non possunt quod deleatur.

Sequitur : *Et secundum multitudinem miserationum tuarum.* Multitudo miserationum in hoc attenditur, quod ipse revocat fugientem, et ipse recipit revertentem, et quod ipse pro nobis satisfecit, et quod chirographum decreti, quod adversus nos erat, proprio sanguine delevit. Revocat fugientem; unde in Canticis (6, 12) : « Revertere, revertere, Sulamitis, ut intueamur te. » Sulamitis interpretatur misera, vel captiva, mortificans, vel mortificata. Hæc est humana fragilitas, quæ mortificata est per necessitatem moriendi. Corpus enim nostrum propter peccatum mortificatum est. Anima est mortificans seipsam per peccatum proprium : misera est propter miseriam vitæ præsentis : captivata per suggestionem diaboli.

(1) Versio *Græca LXX*; Vulg.: in novissimo die.

(2) Vulg. : tenebit.
(3) Vulg. : Conturbata.

Revocat ergo Deus hominem, ut Creator creaturam, ut Sponsus sponsam, ut Redemptor redemptum. Quid potest servus contra Dominum, etc. Et non habet reus, quid reddat Judici accusanti. Sed inde est ipsius magna misericordia, quod ipse recipit revertentem; unde Jeremiæ (3, 1): *Si dimiserit vir uxorem suam, et ipsa nupserit viro alteri* (1), *numquid non polluta, et contaminata est* (2)? *Tu autem fornicata es cum multis amatoribus:* Ego autem dico tibi, *revertere, et ego recipiam* (3) *te*. Item in hoc apparet ejus misericordia, quod ipse satisfecit pro nobis; unde: Quæ non rapui, tunc exolvebam (Psal. 68, 5). Hinc Isaiæ (46, 4): Ego feci, et ego feram, scilicet hominem, et peccata ejus ego portabo, et salvabo. Item in hoc misericordia ejus manifesta est, quod ipse delet peccata nostra, quæ scripta sunt in conscientia nostra; unde ad Colossenses (2, 13 et 14): « Donans nobis omnia delicta, delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis. » Habebat siquidem diabolus scripturam manuum nostrarum, idest malarum operationum; libellum videlicet accusationis, et chirographum decreti, idest sententiam damnationis peccatis debitam. Quid ergo poterimus nos miseri respondere? Sparsit autem Dominus super istam scripturam proprium sanguinem; et ita libellum accusationis, et decretum mortis delevit *secundum multitudinem miserationum suarum.*

SERMO XCIII.

Quomodo per hyssopum, quæ radicatur in petra, significatur humilitas, quæ fugat superbiam; et quomodo Christus est petra, superbis arida, humilibus humida.

Asperges me, Domine, *hyssopo, et mundabor, etc.* (Psal. 50, 9.)

Hyssopus est herba humilis, inflaturam purgat pulmonis, et in petra radicatur. Hæc est humilitas, quæ superbiam fugat: Christus est petra, superbis arida, humilibus vero humida; ibi enim invenit humorem, unde crescat, et exemplum, unde proficiat. Unde Ecclesiastici (40, 15): « Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos, et radices immundæ super cacumen petræ sonant, » quia scilicet non sunt radicati in petra. « Radices super cacumen petræ sonant. » Cacumen hujus petræ, Christi videlicet, est ejus exaltatio, humilitas scilicet passionis, et incarnatio, quæ ipsum extulit; unde Christus factus est pro nobis « obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum (Philip., 2, 8 et 9). Super hoc cacumen sonant radices immundæ, hoc est superbia inflati murmurant contra passionis, et incarnationis humilitatem, cum eis prædicatur; et ideo nepotes eorum, videlicet successores, et imitatores non multiplicabunt ramos, ut proficiant. De hyssopo fiebat aspersorium in die expiationis, et hodie in dedicationibus Ecclesiæ; unde in Numeris (19, 6): « Lignum cedrinum, et hyssopum, et coccum bis tinctum mittet sacerdos in flammam, quæ vaccam vorat, sumetque de cineribus, quos aqua viva superfundat, et homines contaminatione pollutos aspergat, et mundabuntur. Per lignum cedrinum Christi sanctitas. Cedrus tantum radicatur inferius, quantum ramos extendit superius; et sanctitas, quanto profundius radicatur, tanto altius extollitur. Per coccum Christi charitas, quæ Christum rubricavit sanguine passionis: charitas enim ipsum induxit ad passionem, non aliqua necessitas. Vel per coccum significantur martyres, per hyssopum Virgines propter humilitatem, per cedrum significatur odor virtutum. Sequitur: Mittet sacerdos in flammam, quæ vaccam vorat. Flamma, sicut scitis, in lumen trahit quod consumit. Hæc flamma est glorificatio, quæ vaccam, idest infirmitatem, et carnalitatem nostram devorabit, et in lumen trahet. Sumetque de cineribus, etc. Cineres isti, memoria passionis, humilitas, et sanctitas. Horum cinerum usus est, ut si per aliquam contaminationem cor pollutum fuerit, ad memoriam Dominicæ passionis mundetur, et humilietur. Aquæ vivæ his cineribus debent superfundi. Aquæ sunt contritionis lacrymæ, quæ bene dicuntur aquæ vivæ, quia hominem prius mortuum in peccatis vivere faciunt. In his lacrymis tingitur aspersorium, quo homo aspergitur, cum de peccatis conteritur, et passionis Dominicæ recordatur, ad cujus memoriam humilis factus, mundatur.

(1) Versio arabica, et paraphr. chald.; Vulg.: duxerit virum alterum.

(2) Vulg.: erit.
(3) Vulg.: suscipiam.

Hic attende, quod dicit (19, 12) : « Nisi die tertia (1) aspersus fuerit, non mundabitur in septima. » Secundum enim legem, qui die tertia aspergebatur, die septima mundus habebatur. Ad cujus notitiam nota, quod dicitur in Genesi (1, 11) : « Germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen sit in semetipso. » Per *herbam* significantur opera misericordiæ, per *lignum pomiferum faciens fructum* significatur eleemosynarum elargitio, cujus semen debet esse in semetipso. Qui enim vult eleemosynam dare, a semetipso debet incipere; unde Augustinus (2). Eleemosyna est opus misericordiæ (3) : sed verimisse tene, quod qui juste vult eleemosynam facere, a se debet incipere. Hæc aspersio tertiæ diei, ut scilicet in seipso faciat misericordiam. Sequitur : *Lavabis me, et super nivem dealbabor ;* quasi dicat : Amplius quam nivem dealbabit me Dominus, quia et ultra candorem nivis dabit lanam; quoniam non solum sancti sicut nix dealbabuntur, sed sicut lana. Isaiæ (1, 18) : « Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur : et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt, » ut nix refrigerium præstet contra fervorem tentationis, et lana calorem contra torporem accidiæ.

SERMO XCIV.

Qualiter petenda est abundantia benignitatis ad ædificationem spiritualis Jerusalem.

Benigne fac in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem (Ps. 50, 20).

Petit propheta benignitatis abundantiam ad ædificationem spiritualis Jerusalem. Et vere necessaria est benignitatis abundantia, ut cineres convertantur in lapides, ex quibus Ecclesia ædificetur. In ædificatione spiritualis ædificii pulveres, idest peccatores oportet converti in lapides, ex quibus ædificetur Ecclesia. Unde in Esdra dicitur, quod Sanaballat irridebat populum volentem ædificare Jerusalem, dicens : « Numquid ædificare poterunt lapides de acervis pulveris, qui combusti sunt » (4)? Sanaballat interpretatur abundans devoratio peccatoris. Hæc est malitia diaboli dicentis: « Numquid ædificare poterunt lapides de acervis pulveris, qui combusti sunt? » Acervi pulveris sunt peccatores in camino peccati combusti, qui bene dicuntur acervi pulveris, quia steriles, et instabiles sunt ad similitudinem pulveris. Et quia ex his pulveribus oportet construi Ecclesia, ideo petit propheta benignitatis abundantiam, per quam pulveres consolidentur in lapides.

De hujusmodi ædificatione dicit Isaias (54, 11 et 12) : « Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris, et ponam jaspidem propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos. » Lapides per ordinem positi, sunt animæ sanctæ in sancta Ecclesia pro diversitate meritorum distributæ, quæ bene dicuntur sterni, per ordinem : Habet enim Deus perpendiculum suum quasi cæmentarius, quo scilicet perpendit, utrum aliquis recedat ab ordine, et regula sanctorum Patrum. Unde Zachariæ (1, 16) : « Revertar ad Jerusalem in misericordiis : et domus mea ædificabitur in ea ; et perpendiculum extendetur super eam (5). Sicut enim cæmentarius perpendiculo suo perpendit, utrum lapides bene ordinati sint in ædificio : sic Deus bene percipit, et advertit, ne aliquis in spirituali ædificatione discordet, vel discrepet ab ordine sanctorum. Sequitur : Fundabo te in sapphiris. Sapphiri colorem habent cœlestem, et significant illos, qui a terrenis desideriis ad cœlestia exardescunt. Isti bene possunt esse fundamentum Ecclesiæ.

Alia translatio habet (6). *Præparabo tibi carbunculum,* qui invenitur in terra Hevilath (7). Carbunculus colorem habet igneum et significat prælatum, cujus verba debent esse quasi ignis. Sic Ecclesiasticus de Elia

(1) Vulg. : Si die tertio aspersus non fuerit, septimo non poterit emundari.
(2) De fide spe, et caritate, cap. 75.
(3) Est opus misericordiæ, etc. In edit. Maur. Antwerp., tom. VI, col. 165, sic legitur : « Qui enim vult ordinate dare eleemosynam, a seipso debet incipere, et eam sibi primum dare. Est enim eleemosyna opus misericordiæ, verissimeque dictum est : Miserere animæ tuæ placens Deo. »
(4) II Esdræ, 4, 2.
(5) Vulg. : Jerusalem.
(6) Versio græca LXX.
(7) In terra Hevilath. Ubi Vulgata, cap. 2 Genesis, vers. 12, habet : *Ibique,* idest in terra Hevilath, *invenitur bdellium, et lapis onychinus,* Versio græca LXX legit : *Et ibi est carbunculus.* Et S. Hieronymus, De locis hebraicis scribit : « Evila, ubi aurum purissimum, et gemmæ pretiosissimæ carbunculus, smaragdusque nascuntur. »

dicit (48, 1) : *Surrexit Elias quasi ignis, et lingua ejus* (1) *quasi facula ardebat.* Debet et lucere, et splendere per exemplum bonæ conversationis, ut lucerna ardens, et lucens, sicut dicitur de Joanne; et in Evangelio (Matt., 5, 14) : *Vos estis lux mundi.* Et attende, quod dicit, in terra Hevilath, quod interpretatur parturiens; et prælatus quasi parturiens debet esse, idest periculo animarum more parturientis torqueatur, et affligatur, ut Domino generet filios novos. Sequitur : « Ponam jaspidem propugnacula tua. » Jaspis viridis est coloris, et virtute sua fugat phantasmata. Tales debent esse doctores, et defensores Ecclesiæ; unde Ecclesiastici (7, 6) : « Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates; » ut velut jaspis habentes colorem immarcescibilem, et indeficientem, desiderium habeant æternæ felicitatis, et sanctitate conversationis suæ faciant disperire omnes phantasias, idest sæculares delectationes faciant somnium, et phantasias per contemptum videri. Unde Eccli. (34, 1) : « Vana spes, et mendacium viro insensato : et somnia extollunt imprudentem (2). » Velut enim somnium cito transit sæcularis felicitas; unde David (Psal. 75, 6) : « Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. » Hujusmodi phantasias debet fugare prælatus, non introducere, cum debeat esse jaspis. Sed hodie videmus e contrario accidere; quoniam prælati nostri ad hujusmodi phantasias capti sunt turpius quam ipsi laici, et potius eas introducunt, quam disperire faciant. Sequitur : « Portas tuas ponam in lapides sculptos. » Lapides sculpti non sine incisione, et violentia aliquam scripturam recipiunt : et prælati, qui portæ sunt Ecclesiæ, vel debent esse, ut per eas ad Deum ingrediamur, et Deus ad nos, quasi lapides sculpti debent esse, ut cum maceratione, et afflictione corporis formam accipiant cœlestem.

Item de hujusmodi ædificatione, Esdræ dicitur, ubi scilicet ostenditur, quam sollicitum, et circumspectum oportet esse, qui huic insistit ædificationi, ibi dicitur; quod ædificans unusquisque *una manu tenebat* (3) *gladium, et alia manu ædificabat* (II Esdræ, 4, 17). Qui enim spiritualiter ædificat, oportet, quod in una manu gladium teneat, ut scilicet repellat tentationes, et insultus diaboli, et alia manu lapides in structuram ponat, idest nunquam a bonis operibus cesset. Habetur etiam ibi : « Ædificantium unusquisque gladio erat accinctus. Ædificabat, et clangebat buccina » (Ib., 4, 18). Gladio siquidem est accinctus, qui carnales reprimit concupiscentias; ædificat, qui facit opus meritorium. Buccina sonante cadit Jericho, idest mundana superbia. Non enim potest ædificare muros Jerusalem spiritualiter, cui nondum ceciderunt muri Jericho. Ergo *benigne fac in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem.*

(1) Vulg. : et verbum ipsius.
(2) Vulg. : imprudentes.
(3) Vulg. : Ædificantium in muro, et portantium onera, et imponentium : una manu sua faciebat opus, et altera tenebat gladium.

SERMO XCV.

De reprobatione malorum; quomodo glorientur in malitia; et qualiter reprehenduntur quatuor vitia.

Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? tota die injustitiam cogitavit lingua tua : sicut novacula acuta fecisti dolum. Propterea Deus destruet te in finem, etc. (Psal. 51, 3 ad 7.)

In hoc loco quatuor reprehenduntur, scilicet Malitia, Iniquitas, Injustitia, et Dolus. Malitia est in oppressione proximi, iniquitas in appropriatione communis boni, injustitia in perversione judicii, dolus contra simplicitatem veritatis opponitur. De malitia, quæ est in oppressione proximi, dicit Job (24, 9 ad 11) : « Fecerunt vim deprædantes pupillos, et vulgum pauperem spoliaverunt. Nudis, et incedentibus absque vestitu, et esurientibus tulerunt spicas. Inter acervos eorum meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt. » Isti sunt oppressores pauperum, qui nudis, et incedentibus absque vestitu spicarum reliquias, et vestium, et esurientibus reliquias ciborum auferunt. Ecce quam malitiose proximum opprimunt, cum spicas etiam remanentes post messem auferunt; cum scriptum sit in lege, quod spicæ remanentes post messem, et racemi post vindemias pauperibus relinquantur; tam enim ciborum,

quam vestium reliquiæ pauperum debent esse, inter quorum acervos meridiati sunt divites, se præparantes ad secundas escas. In quo reprehenditur ingluvies glutonum, qui sordida ingluvie reservant : pauperes autem calcant torcular, et de vino non bibunt. Sequitur (Job, 24, 12) : « De civitatibus fecerunt viros gemere, et animæ vulneratorum clamabant. » Meridiari proprie pertinet ad animalia bruta, quæ in meridie ruminant jam comesta, et se parant ad comedendum. Sic et ipsi mali, tanquam bruta terræ carentia ratione, in divitiis, cibis, et potibus delectantur, et in voluptatibus jam habitis, et habendis inhiant, per fas, et nefas pecuniam acquirentes; unde minores faciunt gemere, et animas vulneratorum clamare. Vulnerati sunt illi, a quibus rapiunt, vel illi, qui indigent, et ipsis non impertiunt; ideo bene adjungitur, quia Deus inulti abire non patitur (Job, 24, 12). Vulnerantur siquidem animæ pauperum, aut dum eis propria rapiuntur, aut dum eis non ministrantur necessaria. Et hæc omnia non vindicabit Deus? Sicut dicit Amos : « Pro eo quod diripiebatis pauperes, et prædas eorum electas tollebatis ab eis : domos quadro lapide ædificabitis, et non habitabitis in eis; vineas quoque amantissimas futuris nepotibus plantabitis, et ex eis vinum non bibetis » (Amos, 5, 11).

De *iniquitate* autem, quæ est in appropriatione communis boni, dicitur in Habacuc (2, 6 et 7) : « Væ ei, qui multiplicat non sua : usquequo aggravat contra se densum lutum? » Idest qui aliena multiplicas, densum lutum contra te aggravas, quoniam in ipso luto sepelieris : « Numquid non repente consurgent, » scilicet dæmones, « qui mordeant te, et suscitabuntur lacerantes te? » Consurgent utique, sicut dicitur in Evangelio, « et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi sunt. Venient autem dies, quando inimici tui circumdabunt te, et ad terram prosternent te » (1). Modo siquidem habet dives quæ ad pacem sunt, sed in fine subito, et ex insperato animam ejus repetent. Et statim in Habacuc (2, 8) subjungitur causa, quare consurgent dæmones, scilicet « propter sanguinem hominum, et iniquitatem terræ civitatis, et omnium habitantium in ea. » Iniquitas terræ est, fructus matris terræ communis omnium sibi appropriare. Civitas autem est Ecclesia. Jus hujus est, ut omnes in ipsa congregati sub uno jure vivendi, in necessitate proximis suis subveniant. Hoc jus infringunt illi, qui proximum suum aut faciunt miserum, ei sua violenter rapiendo, aut relinquunt eos miseros in necessitate, necessaria non ministrando.

(1) Lucæ, 19, 42 ad 44.

De *injustitia*, idest de perversione judicii Amos (5, 7 et 12) : « Qui convertitis in absinthium judicium, et justitiam in terra relinquitis, pauperes in porta deprimentes. » De quarto, scilicet de *dolo*, qui simplicitati veritatis opponitur Isaias (59, 14 et 15) : « Corruit in plateis veritas, et æquitas non potuit ingredi. Facta est veritas in oblivionem, et qui recessit a malo, prædæ patuit. » Sequitur : *Propterea Deus destruet te in finem, et evellet te de tabernaculo tuo, et radicem tuam terra de viventium.* Hinc est quod Job (19, 10) : « Destruxit me undique, et pereo, et quasi evulsæ arbori abstulit spem meam; » idest ita impius evelletur, sicut arbor evulsa, quæ deinceps spem fructus non habet. Unde in eodem (18, 14) : « Avellatur de tabernaculo suo fiducia ejus, et calcet super eum, quasi rex, interitus; » Christus scilicet, et omnes Sancti ejus cum eo impium conculcabunt, radicem ejus deorsum ejicient (ibid., 16) : *Radices ejus deorsum siccentur, et sursum atteratur messis ejus;* hoc est : temporalis abundantia, in qua radicatur superbia, et omnis voluptas, in qua delectatur, dissipabitur, et peribit.

SERMO XCVI.

De excæcatione peccatorum ; et quomodo debemus videre oculo cordis, et intelligere : et quomodo oculo cordis Deus intelligitur, et operibus quæritur.

Deus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum. (*Psal.* 52, 3.)

Intelligere est oculo cordis videre. Oculo ergo cordis intelligitur Deus, et operibus quæritur. Sed oculus mentis multipliciter obscuratur : obscuratur enim quandoque amore terrenorum, quam cæcitatem, et ejus medicinam ostendit Dominus, quando luto illuminavit oculos cæci, et misit eum ad

dicit (48, 1) : *Surrexit Elias quasi ignis, et lingua ejus* (1) *quasi facula ardebat.* Debet et lucere, et splendere per exemplum bonæ conversationis, ut lucerna ardens, et lucens, sicut dicitur de Joanne; et in Evangelio (Matt., 5, 14) : *Vos estis lux mundi.* Et attende, quod dicit, in terra Hevilath, quod interpretatur parturiens; et prælatus quasi parturiens debet esse, idest periculo animarum more parturientis torqueatur, et affligatur, ut Domino generet filios novos. Sequitur : « Ponam jaspidem propugnacula tua. » Jaspis viridis est coloris, et virtute sua fugat phantasmata. Tales debent esse doctores, et defensores Ecclesiæ; unde Ecclesiastici (7, 6) : « Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates; » ut velut jaspis habentes colorem immarcescibilem, et indeficientem, desiderium habeant æternæ felicitatis, et sanctitate conversationis suæ faciant disperire omnes phantasias, idest sæculares delectationes faciant somnium, et phantasias per contemptum videri. Unde Eccli. (34, 1) : « Vana spes, et mendacium viro insensato : et somnia extollunt imprudentem (2). » Velut enim somnium cito transit sæcularis felicitas; unde David (Psal. 75, 6) : « Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. » Hujusmodi phantasias debet fugare prælatus, non introducere, cum debeat esse jaspis. Sed hodie videmus e contrario accidere; quoniam prælati nostri ad hujusmodi phantasias capti sunt turpius quam ipsi laici, et potius eas introducunt, quam disperire faciant. Sequitur : « Portas tuas ponam in lapides sculptos. » Lapides sculpti non sine incisione, et violentia aliquam scripturam recipiunt : et prælati, qui portæ sunt Ecclesiæ, vel debent esse, ut per eas ad Deum ingrediamur, et Deus ad nos, quasi lapides sculpti debent esse, ut cum maceratione, et afflictione corporis formam accipiant cœlestem.

Item de hujusmodi ædificatione, Esdræ dicitur, ubi scilicet ostenditur, quam sollicitum, et circumspectum oportet esse, qui huic insistit ædificationi, ibi dicitur; quod ædificans unusquisque *una manu tenebat* (3) *gladium, et alia manu ædificabat* (II Esdræ, 4, 17). Qui enim spiritualiter ædificat, oportet, quod in una manu gladium teneat, ut scilicet repellat tentationes, et insultus diaboli, et alia manu lapides in structuram ponat, idest nunquam a bonis operibus cesset. Habetur etiam ibi : « Ædificantium unusquisque gladio erat accinctus. Ædificabat, et clangebat buccina » (Ib., 4, 18). Gladio siquidem est accinctus, qui carnales reprimit concupiscentias; ædificat, qui facit opus meritorium. Buccina sonante cadit Jericho, idest mundana superbia. Non enim potest ædificare muros Jerusalem spiritualiter, cui nondum ceciderunt muri Jericho. Ergo *benigne fac in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem.*

(1) Vulg. : et verbum ipsius.
(2) Vulg. : imprudentes.
(3) Vulg. : Ædificantium in muro, et portantium onera, et imponentium : una manu sua faciebat opus, et altera tenebat gladium.

SERMO XCV.

De reprobatione malorum; quomodo gloriantur in malitia; et qualiter reprehenduntur quatuor vitia.

Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? tota die injustitiam cogitavit lingua tua : sicut novacula acuta fecisti dolum. Propterea Deus destruet te in finem, etc. (Psal. 51, 3 ad 7.)

In hoc loco quatuor reprehenduntur, scilicet Malitia, Iniquitas, Injustitia, et Dolus. Malitia est in oppressione proximi, iniquitas in appropriatione communis boni, injustitia in perversione judicii, dolus contra simplicitatem veritatis opponitur. De malitia, quæ est in oppressione proximi, dicit Job (24, 9 ad 11) : « Fecerunt vim deprædantes pupillos, et vulgum pauperem spoliaverunt. Nudis, et incedentibus absque vestitu, et esurientibus tulerunt spicas. Inter acervos eorum meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt. » Isti sunt oppressores pauperum, qui nudis, et incedentibus absque vestitu spicarum reliquias, et vestium, et esurientibus reliquias ciborum auferunt. Ecce quam malitiose proximum opprimunt, cum spicas etiam remanentes post messem auferunt; cum scriptum sit in lege, quod spicæ remanentes post messem, et racemi post vindemias pauperibus relinquantur; tam enim ciborum,

quam vestium reliquiæ pauperum debent esse, inter quorum acervos meridiati sunt divites, se præparantes ad secundas escas. In quo reprehenditur ingluvies glutonum, qui sordida ingluvie reservant : pauperes autem calcant torcular, et de vino non bibunt. Sequitur (Job, 24, 12) : « De civitatibus fecerunt viros gemere, et animæ vulneratorum clamabant. » Meridiari proprie pertinet ad animalia bruta, quæ in meridie ruminant jam comesta, et se parant ad comedendum. Sic et ipsi mali, tanquam bruta terræ carentia ratione, in divitiis, cibis, et potibus delectantur, et in voluptatibus jam habitis, et habendis inhiant, per fas, et nefas pecuniam acquirentes; unde minores faciunt gemere, et animas vulneratorum clamare. Vulnerati sunt illi, a quibus rapiunt, vel illi, qui indigent, et ipsis non impertiunt; ideo bene adjungitur, quia Deus inulti abire non patitur (Job, 24, 12). Vulnerantur siquidem animæ pauperum, aut dum eis propria rapiuntur, aut dum eis non ministrantur necessaria. Et hæc omnia non vindicabit Deus? Sicut dicit Amos : « Pro eo quod diripiebatis pauperes, et prædas eorum electas tollebatis ab eis : domos quadro lapide ædificabitis, et non habitabitis in eis; vineas quoque amantissimas futuris nepotibus plantabitis, et ex eis vinum non bibetis » (Amos, 5, 11).

De *iniquitate* autem, quæ est in appropriatione communis boni, dicitur in Habacuc (2, 6 et 7) : « Væ ei, qui multiplicat non sua : usquequo aggravat contra se densum lutum? » Idest qui aliena multiplicas, densum lutum contra te aggravas, quoniam in ipso luto sepelieris : « Numquid non repente consurgent, » scilicet dæmones, « qui mordeant te, et suscitabuntur lacerantes te? » Consurgent utique, sicut dicitur in Evangelio, « et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi sunt. Venient autem dies, quando inimici tui circumdabunt te, et ad terram prosternent te » (1). Modo siquidem habet dives quæ ad pacem sunt, sed in fine subito, et ex insperato animam ejus repetent. Et statim in Habacuc (2, 8) subjungitur causa, quare consurgent dæmones, scilicet « propter sanguinem hominum, et iniquitatem terræ civitatis, et omnium habitantium in ea. » Iniquitas terræ est, fructus matris terræ communis omnium sibi appropriare. Civitas autem est Ecclesia. Jus hujus est, ut omnes in ipsa congregati sub uno jure vivendi, in necessitate proximis suis subveniant. Hoc jus infringunt illi, qui proximum suum aut faciunt miserum, ei sua violenter rapiendo, aut relinquunt eos miseros in necessitate, necessaria non ministrando.

(1) Lucæ, 19, 42 ad 44.

De *injustitia*, idest de perversione judicii Amos (5, 7 et 12) : « Qui convertitis in absinthium judicium, et justitiam in terra relinquitis, pauperes in porta deprimentes. » De quarto, scilicet de *dolo*, qui simplicitati veritatis opponitur Isaias (59, 14 et 15) : « Corruit in plateis veritas, et æquitas non potuit ingredi. Facta est veritas in oblivionem, et qui recessit a malo, prædæ patuit. » Sequitur : *Propterea Deus destruet te in finem, et evellet te de tabernaculo tuo, et radicem tuam terra de viventium.* Hinc est quod Job (19, 10) : « Destruxit me undique, et pereo, et quasi evulsæ arbori abstulit spem meam; » idest ita impius evelletur, sicut arbor evulsa, quæ deinceps spem fructus non habet. Unde in eodem (18, 14) : « Avellatur de tabernaculo suo fiducia ejus, et calcet super eum, quasi rex, interitus; » Christus scilicet, et omnes Sancti ejus cum eo impium conculcabunt, radicem ejus deorsum ejicient (ibid., 16) : *Radices ejus deorsum siccentur, et sursum atteratur messis ejus;* hoc est : temporalis abundantia, in qua radicatur superbia, et omnis voluptas, in qua delectatur, dissipabitur, et peribit.

SERMO XCVI.

De excæcatione peccatorum ; et quomodo debemus videre oculo cordis, et intelligere : et quomodo oculo cordis Deus intelligitur, et operibus quæritur.

Deus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum. (*Psal.* 52, 3.)

Intelligere est oculo cordis videre. Oculo ergo cordis intelligitur Deus, et operibus quæritur. Sed oculus mentis multipliciter obscuratur : obscuratur enim quandoque amore terrenorum, quam cæcitatem, et ejus medicinam ostendit Dominus, quando luto illuminavit oculos cæci, et misit eum ad

aquas Siloe, et lavit, et vidit. Per hoc quod Dominus lutum posuit super oculos, significatur, quod amor terrenorum est cæcitas oculorum. Siloe enim interpretatur missus. Aquæ Siloe sunt aquæ Scripturæ, quæ nobis mittuntur, nunciantes, quod. « Nisi quis (1) renunciaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus » (Luc. 14, 35). Et sic eritis discipuli Domini, et sic lavati in Siloe, ab oculorum cæcitate eritis curati. Item cæcatur homo, qui squamas habet in oculo, sicut Paulus legitur habuisse. Squamæ sunt serpentis : In serpente sapientia. Squama in oculo est existimatio sapientiæ in oculo mentis, quæ mentis intellectum excæcat; unde Apostolus (Rom. 1, 22) : « Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. » Qui enim vult pertingere ad sapientiam veram, quæ Christus est, oportet, quod seipsum stultum arbitretur; et sic cadent squamæ ab oculo mentis. Item cæcatur oculus igne luxuriæ, invidiæ, et avaritiæ; unde : *Supercecidit ignis, et non viderunt solem* (Psal. 57, 9). Item cæcatus est Tobias stercoribus hirundinis, cadentibus in oculos suos ex nido hirundinum. In nido, elatio : In hirundine, levitas designatur. Stercora ex nido hirundinis procedentia sunt elationis, et vanitatis sæcularis immunditiæ, quibus mens hominis excæcatur. De sanatione autem Tobiæ legitur, quod filius ejus inunxit oculos suos felle piscis, et exivit quasi membranum de oculis suis. Membrana, sive cincina est candor gloriæ sæcularis. Si quis habet membranam, fractum est ovum, et cum fractum est ovum, non remanet spes animalis; et qui gloriæ secularis candorem appetit, cæcatur ejus oculus, nec spem habet æternæ felicitatis pro alio bono opere suo. Quod si velis sanari, ungantur oculi felle piscis. In pisce significatur diabolus : In felle piscis malitia diaboli. Fel frequenter mentitur se esse mel; et ita frequenter subtilis est inanis gloria, et per angustum foramen intrat. Nam quandoque homo videtur de bonis operibus Deo gratias agere, et mentis incurrit elationem diabolo procurante; et ita fellis est infectio, quæ creditur esse mentis devotio. Inungitur autem oculus felle, quando homo instruitur ad cognoscendam diaboli malitiam, et modis omnibus expellit inanem gloriam; et membrana, quæ cæcabat oculum mentis, cadit.

Deus ergo *de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum.* Debemus Deum quærere, sicut dicit Propheta : « Deum exquisivi manibus (Psal. 76, 3); idest operibus. Deum exquiramus, ut dicit Amos (5, 4 et 5) : *Quærite me, et invenietis* (2), *et nolite quærere in Bethel, et in Galgalam nolite intrare, et in Bersabee non intrabitis* (3). Quærite me bene vivendo, credendo, perseverando; et invenietis bene operando. Et non in Bethel, quæ alio nomine dicebatur Bethaven (4), quæ interpretatur domus idolorum; hoc est : Nolite quærere avaritiam, quæ est servitus idolorum; et in Galgalam, quæ interpretatur volutabrum, idest in volutabro, et luto luxuriæ nolite commorari; nec in Bersabee, quæ interpretatur puteus satietatis, in quo notatur gulositas, sive abundantia temporalis. Qui his compedibus est compeditus, de facili non potest viam hujus sæculi transire. Ezechielis (16, 49) : « Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, saturitas, abundantia panis, et otium ipsius, et filiarum ejus : et manum egeno, et pauperi non porrigebant. » Nota, quod dicitur Deus respicere, si est intelligens, aut requirens Deum; quasi si sit aliquis, qui aliqua compensatione velit requirere Dominum. Habemus etiam in Psalmo (26, 8): « Exquisivit te facies mea : faciem tuam, Domine, requiram. Alia translatio (5) : Quæsivi vultum tuum, Domine. Vultus Domini fuit vultus paupertatis, humilitatis, et tolerantiæ passionum. Dicit ergo Propheta : Quæsivi, ut vultus tuus signaretur super me, ut facies mea conformaretur faciei tuæ; hoc est, in paupertate, et humilitate, et hujusmodi volui in præsenti tibi conformari, et ideo requiro, ut reddas vultum pro vultu, idest vultum glorificationis pro vultu paupertatis, et humilitatis. Scio enim, quod de te dicitur : « Miserationes ejus super omnia opera ejus (Psal. 144, 9) : Res-

(1) Vulg. : Qui non.
(2) Vulg. : vivetis.
(3) Vulg. : transibitis.
(4) Dicebatur Bethaven. S. Hieronymus de Locis Hebraicis ait : « Bethaven oppidum Hebræi putant eamdem esse Bethel : sed ex eo tempore, quo ibi ab Jeroboam filio Nabat vituli aurei fabricati sunt, et a decem tribubus adorati, vocatum esse Bethaven, idest domum idoli, quæ ante vocabatur domus Dei. »
(5) Græca LXX.

picit ergo de cœlo Dominus : et ubi inveniet opera sua, illam scilicet imaginem, et similitudinem, quam fecit ipse, tradet animæ glorificationem, et corpori immortalitatem, et impassibilitatem; et sic talis poterit requiescere in die judicii per divinitatis fruitionem, ad quam, etc.

SERMO XCVII.

Qualiter petit salvari vir justus a Ziphæis, qui florentes, vel germinantes interpretantur.

Deus in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me. (Psal. 53, 3.)

Salvari petit vir justus a Ziphæis (1), qui florentes, vel germinantes interpretantur. Petit siquidem liberari ab amatoribus mundi, de quibus Sapientiæ dicitur (2, 7 et 8) : « Vino pretioso, et unguento (2) nos impleamus, nec prætereat nos flos temporis : coronemus nos rosis, antequam marcescant : nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. » Hi tradunt David, idest justum in manus inimicorum. Hi sunt, qui in omnibus locis quærunt voluntatem suam; unde in eodem capite (2, 14 ad 16) : « Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Gravis est nobis etiam ad videndum : Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, et abstinet se a viis nostris, quasi ab immunditiis ». Verba sunt Ziphæorum de justo dicentium : Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum, et depressionem ipsarum. Ducit enim eos in lucis manifestationem; et ideo gravis est ad videndum nobis : tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, etc. Nec mirum, quia præsentia quasi trufas reputat justus. Job (8, 11) : Numquid virere potest scirpus sine humore, aut crescit (3) carectum sine aqua? Scirpo, et carecto comparatur impius, quia non habet humorem, sive aquam, nisi fluxibilitatem temporalium, qua desiccante, apparebit aridus; *Justus autem florebit* (Psal. 91, 13) : Carectum secat manum tangentis, quia si quis tetigerit, idest voluerit imitari opera impii, tactu ipso, idest imitatione ipsa vulneratur; de ipso subditur ibidem (8, 16) : Humectus est (4) antequam sol veniat, et in ortu suo germen egredietur. Impius in nocte humidus videtur, idest gratia sanctitatis infusus apparet hominibus : sed coram sole, idest in die judicii desiccabitur; tunc enim abundantia temporalium desiccabitur.

Sequitur : Et in ortu suo germen egredietur. Scirpus cum flore suo nascitur, et secum semen germinis sui ducit. Sic impius in ortu suo, idest in præsenti totum et florem, et fructum accipit, nec vult expectare, quod maturescat tempore congruo; unde totum se consumet in ortu suo, et arescet in judicio. Et in hoc signatum est, quod in generatione Cain primus erat *Henoch* (5) : in generatione vero bonorum septimus reperitur *Henoch*. Henoch dedicatio interpretatur. Primus ergo in generatione malorum reperitur, quia mali in ortu suo sibi dedicant gaudium, et quietem; sed boni sibi reservant requiem, et gaudium in septima quiescentium. Isaiæ (28, 2) : Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim, et flori decidenti, gloriæ exultationis ejus, qui errant (6) in vertice vallis pinguissimæ. Sic comminatur Dominus ebriis Ephraim, quod interpretatur fructificatio : Sic eis, qui inebriati sunt amore temporalium, qui obliti sunt factoris sui; et hic dicitur flori decidenti, qui videlicet per florem transitorium a flore et spe cœlesti decidunt. Hi dicuntur errare in vertice vallis pinguissimæ, quæ dicta est Gethsemani (7), in qua Christus traditus est; et ideo solerter cavendum est ab istis. Flos iste non durat, sed cito transit; unde sequitur (Isa. 28, 4) : Et erit flos decidens gloriæ

(1) A Ziphæis, etc. Hujus Psalmi titulus est : In finem, in carminibus, intellectus David, cum venissent Ziphæi, et dixissent ad Saul : Nonne David absconditus est apud nos? Ziphæi autem, teste S. Augustino, *Enarrat.* in eumdem Psalmum, interpretantur Florentes; sive, ut ait S. Hieronymus De Nominibus Hebraicis, *Germinantes.*

(2) Vulg. : unguentis.

(3) Vulg. : crescere.

(4) Vulg. : videtur.

(5) *Primus erat Henoch. etc.* Primogenitus Cain fuit Henoch, qui genuit Irad. Gen. 4, 17 et 18. Alter vero in progenie Seth occurrit Henoch, Gen. 5, 18, filius Jared, et pater Mathusalem Iste Henoch dicitur septimus, quia in serie Patriarcharum, quæ libro I Paralipomenon texitur, septimum obtinet locum; ibi enim cap. 1, sic legitur : *Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Jared. Henoch.*

(6) Vulg. : erant.

(7) *Quæ dicta est Gethsemani, etc.* S. Hieronymus lib. IX Commentar. in Isa. cap. 28, explicans illud, in vertice vallis pinguissimæ, ait : « Significat autem locum, ubi traditus Dominus est, super cujus vallis verticem templum Domini situm est; et paucis interjectis : Super vallem pinguium, idest Gessemanim, in qua etiam nomen loci significatur, in quo Judas Dominum tradidit. »

exultationis ejus, qui est super verticem vallis pinguium, quasi temporaneum ante maturitatem autumni : quod cum aspexerit videns, et in manu tenuerit, statim devorabit illud. » Quasi dicat : Fructus præmaturus comedendi est dulcissimus, et statim illud videns recipit, et comedit; sic illum, qui fructus ante sui maturitatem anticipat, non expectans hæres fieri cum beatis, diabolus recipit, et devorat. Superbia in valle, iniquitatis profunditas; in pinguedine temporalis abundantia, ex qua prodit iniquitas; et ideo caveamus nobis ab hac valle.

Iste autem flos temporalis erit « quasi temporaneum ante tempus autumni, quod cum aspexerit videns, statim cum manu tenuerit, vorabit illud. Maturitas nostra est in patria : Sed quidam maturari vult ante tempus; et ille, qui est avidus præmaturorum cerasorum, scilicet diabolus illum rapit, et devorat. De hoc in Ecclesiaste (12, 5) : Florebit amygdalus, impinguabitur locusta, dissipabitur capparis. Amygdalus ante omnes alias arbores festinat florem suum, unde impinguat locustas : sic impius florem temporalium appetens saturabit dæmones. Item capparis est herba modica habens in summo quamdam lanuginem, qua exsufflata, nuda remanet. Per hujusmodi herbam impius florens hic intelligitur, et per lanuginem abundantia temporalis, qua exsufflata, remanet impius quasi nudus, et exponitur diabolo, a quo dissipatur.

SERMO XCVIII.

Quomodo exprimitur desiderium Claustralis affectantis ad solitudinem, et ut habeat pennas, scilicet virtutum, et habitis volet in solitudinem, ubi requiescat in contemplatione.

Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam. (*Psal.* 54, 7).

In hoc loco exprimitur desiderium alicujus assumentis solitudinem quasi claustralem conversationem, de quo Jeremiæ (48, 28) : « Relinquite civitates, et habitate in petra, habitatores Moab : et estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis. Relinquite civitatem, de qua Deus in Osee (11, 9): Ego Deus, et non homo: in medio tui sanctus, et civitatem non ingrediar, » illam scilicet civitatem, in qua *iniquitatem vidi, et contradictionem : die ac note circumdabit eam iniquitas, et labor in medio ejus, et injustitia; et non defecit de plateis ejus usura, et dolus.* Iniquitas contra proximum; *contradictio* ad prælatum; *labor* in sæcularibus sollicitudinibus ; *injustititia* in operibus; *dolus* in seditionibus; *usura* in repetitione vindictæ : talem civitatem non ingrediar, sed exeuntes recipiam. Ideo dicit : Relinquite civitates, et habitate in petra, illa scilicet, quam Jacob capiti suo supposuit; et dormivit, et vidit Angelos, et assecutus est benedictionem. Dormire claustralium est. Dormit autem aliquis, qui volens esse in torpore, et otio, recedit a cura sæculari : Capiti petram non supponit, qui recedens a cura exteriori, mentis desiderium non ponit in Christo, et talis non recipit benedictionem Jacob, quæ talis est : « Dilataberis ad occidentem, et orientem, et septentrionem, et meridiem. » Dilataberis; inquam, *ad occidentem*, idest ad occasum vitiorum, occidentibus vitiis : *Ad orientem*, idest ad lucem fidei, et bonorum operum ; *Ad septentrionem* ; ventus flans a septentrione mortificat quidquid viret, idest carnales delectationes : *Ad meridiem*; in meridie sol clarior est, ferventior : Hoc est, dilataberis ad sapientiæ claritatem, et dilectionis fervorem. Hac benedictione carebit qui in petra caput suum non collocaverit.

Bene autem sequitur : « Habitate ergo in petra, habitatores Moab; Vos, inquam, qui ex Moab, idest ex patre diabolo estis » (Joan. 8, 44). Diaboli siquidem sunt filii, qui armantur in Patres spirituales, sicut diabolus in Deum Patrem armatus fuit. Hoc signatum est in Lot, qui ex filia suscepit prolem, scilicet Moab. Lot interpretatur declinans, et significat diabolum, qui declinavit ab imperio Dei, et genuit filios ex filia sua, scilicet inobedientia, quando genuit in primis parentibus multos filios inobedientes. Item Moab interpretatur fluxus. Hæc est terrena sapientia, de qua multum gloriantur, qui conversi sunt ad claustrum. Hæc sapientia fluxibilis est. Sed Dei sapientia non fluit, sed consolidatur, et probatur, sicut legitur de manna, quæ erat *sicut pruina* (1). Hanc sapientiam docet Apostolus, dicens :

(1) Vulg. : in similitudinem pruinæ.

Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo (Gal. 6. 14). Item manna roboratur, et solidatur ad ignem, et liquefit ad solem : Sic Dei sapientia roboratur in camino paupertatis, et liquefit ad abundantiam temporalium.

Sequitur : « Estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis. » Foramen istud est vulnus in latere Christi, de quo in Canticis (2, 13 et 14) : Surge, propera columba mea, amica mea, sponsa (1) mea, et veni in foraminibus petræ, in caverna maceriæ. Christus enim non solum se (2), sed etiam latus, et cor columbæ aperuit, ut se ibi absconderet, et machinamenta diaboli comprehenderet. Dicitur etiam, quod nidificet in summo ore foraminis. Hoc enim foraminis os, quo ad nos loquitur, est sanguis Christi, qui loquitur; unde ad Hebræos (12, 24 et 25) : « Accessistis ad novi testamenti mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel; quoniam sanguis Abel loquebatur vindictam, sanguis vero Christi, misericordiam; unde subditur : Videte ne recusetis loquentem : sed in summo ore nidificate, scilicet cum columba. Sed de quo nidum faciemus? Ipse, inquam, Christus ministrat nobis fœnum, unde nidum facere possumus : Ipse enim factus caro, factus est fœnum, nobis præbens exemplum paupertatis, humilitatis, et hujusmodi. Sic ergo qui dedit nobis locum nidificandi, dedit et fœnum, exemplum scilicet mansuetudinis, et humilitatis.

SERMO XCIX.

Quam detestabilis sit iniquitas fœneratoris, et quod ex multis locis Scripturæ sacræ potest perpendi.

Non defecit de plateis ejus usura, et dolus. (Psal. 54, 12.)

Quam detestabilis sit iniquitas fœneratoris, ex multis locis sacræ Scripturæ potest perpendi. Ezechielis (18, 8) : « Si ad usuram non commodaverit, et amplius non acceperit; et loquitur de illo, qui merito suorum operum debet Deo acceptus, innuens magnum bonum esse, cessare ab usura; et in eodem sequitur (18, 17) : « Usuram, et superabundantiam non acceperit; ubi dicit Hieronymus (3) : Intellige, usuram vocari (4) superabundantiam, idest quidquid est, si ab eo, quod dederit, plus est. Et attendendum quod dicitur, *quidquid*, idest quocunque nomine fœnerator illud appellat, quod ultra sortem recipit, idest sive nomine eleemosynæ, sive nomine caritatis, usura est. Item quod usura sit homicidium, habemus in Ecclesiastico (34, 25) : « Panis egentium, vita pauperis (5) est : qui hunc defraudat, vir (6) sanguinis est. » Item quod sit furtum, ex descriptione furti haberi potest. Furtum enim est occupatio rei alienæ invito domino. Item habemus de illo, qui collegit ligna in die sabbati, quod propter observationis sanctæ sabbati molestiam graviter punitus est, Domino jubente, et dicente : Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba (Num. 15, 35). Si ergo propter collectionem lignorum die sabbati ita graviter punitus est homo ille : quid erit de usurario, qui marcas argenti colligit, et hujusmodi omnibus diebus festivis? Saltem obruendus est fœnerator lapidibus maledictionis, et excommunicationis, quibus lapidatur omnis, qui excommunicatur a sacerdote, et a turba, cum singuli respondent, *Amen.*

Item Habacuc (2, 5) : « Dilatavit quasi infernus animam, et ipse quasi mors, et non adimplebitur (7). Cum non sint alia ita odibilia, sicut mors, et infernus, inferno comparatus est, quia non potest satiari, velut infernus. Item bene morti comparatur : Mors enim non discernit personas, quoniam sine electione personarum invadit divitem, et pauperem, juvenem, et senem; sic etiam usurarius recipit usuram a paupere, sicut a divite. Non enim discernit, vel curat, utrum recipiat a leproso, vel a sano, pupillo, vel vidua, vel etiam utrum pecuniam accumulet de bonis Ecclesiæ, idest

(1) Vulg. : speciosa.
(2) Non solum se, etc. Christus non solum aperuit se ipsum, dum brachia extendit in cruce, sed etiam latus, et cor dum lancea transfigi utrumque permisit, ut columba ibi se absconderet.
(3) Lib. VI. Commentar. in c. 18 Ezech.
(4) Intellige, usuram vocari, etc. In editis legitur : « Putant quidam, usuram tantum esse in pecunia. Quod prævidens Scriptura divina omni rei aufert superabundantiam, ut plus non recipias, quam dedisti. » Et paulo post : « Alii pro pecunia fœnerata solent munuscula accipere diversi generis, et non intelligunt, usuram appellari et superabundantiam, quicquid illud est, si ab eo quod dederint, plus acceperint. »
(5) Vulg. : pauperum.
(6) Vulg. : qui defraudat illum, homo.
(7) Vulg. : adimpletur.

de patrimonio sanguine Christi acquisito. Bene ergo morti, et inferno usurarius comparatur. Imo pejor est usura, quam mors, vel infernus; quoniam de illis dicitur in Osee (43, 14) : Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne. Mors Domini et infernum momordit, et mortem destruxit. Valde detestabilis est fœnerator, et utroque detestabilior! Usura autem nequaquam mori potuit, ut desineret esse : imo nec in parte etiam modica usurarius vult eam relinquere. Infernus etiam, quod suum erat, retinuit; quod alienum, emisit. Durior est, et pertinacior quam infernus. Venit enim Christus, ut usuram destrueret; unde in Psalmis (71, 14) : « Ex usuris, et iniquitate redimet animas eorum. Denarium unum commodavit diabolus homini, scilicet peccatum; et de hoc denario vindicavit sibi totum genus humanum. Usura peccato, sive diabolo comparatur, quia sicut peccatum omnia peccatoris bona absorbet, sic usura omnia bona mutuantis annihilat. Qui ergo commodat ad usuram, filius diaboli dicitur, propter quem Christus mori noluit. Talis autem pejor est morte, et inferno, sicut dictum est. Item Juda deterior est, quia pretium sanguinis Christi, scilicet tringinta argenteos reportavit. Fœnerator vero nec etiam partem eorum, quæ male acquisivit, vult restituere.

Excommunicationem autem fœneratoris legimus in Esdra (II, 5, 7 et 13), ubi refert Nehemias quæ impediebant ædificationem Jerusalem, et dicit, quod unum de tribus impedimentis fuit usura, quia per usuras ita depauperati erant quidam, quod non poterant reædificationi templi, et civitatis vacare; unde Nehemias : « Usuras singuli ne (1) a fratribus vestris exigatis (2); et sinum meum excussi, et dixi : Sic excutiat Deus omnem virum, qui non impleverit verbum hoc; et respondit universa multitudo : *Amen*. Hæc est excommunicatio, et maledictio fœneratoris, ut scilicet, sicut vacuus erat sinus Prophetæ, cum excutiebatur, sic vacuus sit fœnerator, et excutiatur a sinu misericordiæ Dei.

SERMO C.

Quomodo Christus narrabit, et annunciabit, quod vespere captus, mane judicatus, meridie crucifixus.

Vespere, et mane, et meridie narrabo, et annunciabo: et exaudiet vocem meam. (Psal. 54, 18.)

Dicit Christus, quod ipse narrabit, et annunciabit, quod *vespere* captus est, *mane* judicatus, *meridie* crucifixus. Timenda est nobis hæc narratio; quoniam Job (36, 17) dicit ad Christum : Causa tua quasi impii judicata est, causam, judiciumque recipies », in præsenti scilicet judicium; imo dicit, quod ipse Patri narrabit, et annunciabit causam suam, qualiter captus sit, judicatus, crucifixus; unde ad Galatas (3, 1) : « Quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Christus proscriptus est» (3), idest exulatus; quasi dicat: Quis pervertit mentes vestras, ut non obediatis Christo? Qui enim debetis esse ejus hæreditas, Christum exhæredastis, et privastis hæreditate sua, et in vobis crucifigitis; ubi dicit Glossa, quod nihil a veris crucifixoribus (4) differatis in crimine: quantum enim in malis est, iterum crucifigitur. In *vespere* venit Christus in vallem Gethsemani, et ibi captus est. Gethsemani interpretatur vallis pinguium, et signat profunditatem temporalis abundantiæ, ubi capitur Christus, ut interficiatur. In *vespere* autem ideo venit, ut ostenderet, quod in illis, qui abundant, frequentius occidit lux cognitionis divinæ gratiæ, veritatis, et justitiæ. Hic omnes discipuli dormierunt; induxit enim torporem operum bonorum adeps temporalium. Increpat autem Dominus dormientes, dicens (Matth., 26, 40): « Numquid una hora potuistis vigilare mecum? » Erat autem Dominus tunc in agonia; et non erat, qui una hora vigilaret cum eo. Adhuc durat hæc agonia, et adhuc est una hora, qua diabolus super nos impugnat, et nititur interficere in nobis Christum, inducendo bona temporalia. Sed Dominus nos increpat, et suscitat dormientes,

(1) Vulg. : usurasne singuli.
(2) Vulg. : exigitis?
(3) Proscriptus est, etc. Textus græcus habet προεγράφη, quod recte a Vulgata redditur, præscriptus, idest, antea scriptus, vel ut legit versio Syriaca, depictus a Prophetis. Verum SS. Hieronymus, Beda, et alii legunt, proscriptus; eademque lectione utitur utraque Glossa interlinearis, et ordinaria, quam sequitur noster Sanctus.
(4) Nihil a veris crucifixoribus, etc. Verba Glossæ sunt : Christus est a vobis proscriptus, sicut a Pilato; et dum insufficientem creditis, a crucifixoribus non differtis.

dicendo : *Vigilate* contra diabolum, *et orate, ne intretis in tentationem* (Matth., 26, 41). Dicitur siquidem in Marco Christum dormiisse *in puppi super cervical;* per quod datur intelligi, quod si homo caput, idest mentem super cervical, idest temporalium abundantiam posuerit, in eo tepescit fides (1). In extrema parte navis sedet nauta videns totam navem, ut eam melius regat, scilicet in puppi. Damnosius dormit nauta, quam alius. Sic homo in extrema parte navis, idest vitæ suæ, quasi in sepulcro suo per jugem memoriam sedere debet, ut sic sedens in sepulcro suo, habens mortem in oculis suis, respecto crimine, navis vitæ suæ dirigat cursum. Sed si dormiat non cogitando de morte, valde periculosum est, quia nec navis fugiet ad locum tutum, nisi a Deo suscitetur.

Mane disceptatio facta est de Domino coram Pilato, utrum occideretur, vel liberaretur (2). De hoc *mane*, Job (2, 3). *Maledicta* (3) *dies, in qua natus sum.* Hæc est dies delectationis, in qua homo nascitur peccato, et seipsum adjudicat peccato. Hoc *mane* causa est, et exordium maledictionis. De hoc mane Christus in Evangelio : « Quotidie eram vobiscum (4) in templo, et non me tenuistis. » Et nunc « existis cum gladiis, et fustibus comprehendere me » (5). Hoc bene competit nobis, qui quotidie sumus cum Christo in templo, audiendo verbum Dei, scilicet Evangelium, dicta, et facta ipsius; et tamen in ipsum insurgimus cum gladiis malarum affectionum, et cum fustibus malorum operum. Sic ergo Christus in *mane* accusatus est coram Pilato. Pilatus autem laborabat ad liberationem ipsius. Pilatus malleator interpretatur, Pontius declinans; et significat mundum, qui Christo scribit verum titulum regiæ potestatis, et dignitatis, sicut habetur Sapientiæ (13, 5) : « A magnitudine enim creaturæ cognoscibiliter horum creator poterit videri. » Accusatur etiam in *mane* Christus, idest austeritas religionis christianæ; et hoc, exordio delectationis malæ. Unde in Exodo (16, 3) : « Cur induxit nos Dominus in desertum, ut nos occideret fame? » Ita criminator deliciosus, cum eum oportuit jejunare. Non enim venit Dominus, ut eum occideret fame. Pilatus tamen, idest mundus, qui non cessat tales contundere diversis tribulationibus repentinis, ostendens eis, quomodo transit mundus, et omnis concupiscentia ejus, sic nititur liberare Christum, idest austeritatem religionis christianæ, quam injuste accusant. Bene enim ostendit, quod non est appetendus, cum tot calamitatibus animum pulset, et tot adversitates ingeminet; unde in Parabolis (27, 22) : « Si contuderis stultum in pila, quasi ptisanas feriente desuper pilo, non recedet (6) ab eo stultitia ejus. Ptisana est de hordeo contuso cum pilo. Granum contusum deponit corticem. Stultus non corrigitur, licet diversis tribulationibus flagelletur in mundo. Ecce quomodo mundus Pilatus dicitur; bene enim ostendit suas delicias fluidas, et vanas, ut sic faciat nos declinare ab eis, et habeamus electionem, utrum Deum, an diabolum diligamus; unde Ecclesiastici (15, 18) : « Ante hominem vita, et mors, bonum, et malum : quod placuerit ei, dabitur illi. » Multi siquidem petunt Barabbam liberari, Christum vero crucifigi. Qui Barabbam petunt, diabolum diligunt : Barabbas autem *propter homicidium, et seditionem, quam fecerat in populo, missus erat in carcerem* (7) : et diabolus, qui mortem homini intulit, et in paradiso seditionem fecit, ideo expulsus est, et inclusus in carcerem perpetuum.

Crucifigitur autem Christus in *meridie*, idest in fervore delectationis temporalis, quia tunc magis extendit impius manum ad opera malitiæ; et tunc, quoniam in malis est, iterum crucifigitur Christus; unde clamat, dicens : *Ab altitudine diei timebo* (Psal. 55, 4).

(1) In eo tepescit fides. Apud Matthæum, cap. 8, vers. 25 et 26, territi discipuli suscitaverunt dormientem Dominum, qui eos increpavit : Quid timidi estis modicæ fidei? Quem locum exponens Glossa ord. ait : « Dormit in nobis Dominus, idest fides Domini, cum negligentius agimus, et ideo tempestas. Si vero fides resurgit, imperat ventis, et fluctibus. »

(2) Matth. 27, 1, ad 24.

(3) Vulg. : Pereat.

(4) Vulg. : Apud vos.

(5) Marci 14, 48 et 49.

(6) Vulg. : Auferetur.

(7) Lucæ, 23, 19.

SERMO CI.

Quomodo Deus vult, quod vitam nostram, quam non ignorat, annunciemus sibi in confessione; et quam commendabilis sit effusio lacrymarum.

Deus vitam meam annunciavi tibi : posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. (Psal. 55, 9.)

Vult Deus, ut vitam, quam ipse non ignorat, annunciemus ei in confessione; unde Ecclesiastici (16, 31) : « Anima omnis vitalis denunciabit (1) ante faciem ejus, et in ipsam reversio eorum. In judicio siquidem coram omnibus apparebit iniquitas nostra, nisi hic confiteamur, et satisfaciendo eam tegamus. Sequitur : *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.* Quam commendabilis sit effusio lacrymarum, ostendit Glossa super Tobiam (2), ubi dicitur: Lacryma pungit (3), oratio ungit; et ita plus movet lacryma, quam impetret oratio. Item secundo Paralipomenon dicitur (33, 11), quomodo : « Principes exercitus regis Assyriorum cœperunt Manassen, et vinctum catenis, et compedibus duxerunt in Babylonem. » Manasses rex pessimus interpretatur obliviosus, et signat peccatorem, qui regimen suum male disponit, et regiminis animæ suæ est oblitus. Ducitur vinctus in Babylonem compedibus, idest consuetudine in confusionem, et profunditatem peccati; et hoc a principibus Assyriorum, idest dæmonibus. Verumtamen attende, sicut ibidem legitur, quod in Babylone pœnitentiam egit, et lacrymas fudit, et deprecatus est Dominum (Ibid. 33, 12 et 13). Frequenter accidit, quod peccator, cum venerit in profundum vitiorum, subito se convertit ad Dominum. Unde Micheæ (4, 10) : « Dole, et satage, filia Sion, quasi parturiens : quia nunc egredieris de civitate : venies usque ad Babylonem, ibique liberaberis. » Bene ergo dicit : *Dole*, *et satage*, quia non sufficit dolere, nisi impleatur satisfactio. *Dole* ergo anima fidelis per cordis contritionem, et *satage* per satisfactionem; et non quocunque modo, sed velut parturiens, cujus dolori, et pœnæ non est simile; et confusa sis ex ignominia, *quia egredieris de civitate.* Egreditur anima, quando tanquam leprosus ab Ecclesia ejicitur, indigna Sanctorum consortio; et sic venit *in Babylonem*, ubi præ nimia confusione convertitur ad Deum. Unde : « Imple facies eorum ignominia; et quærent nomen tuum, Domine » (4). Isaiæ (15, 5) : « Per ascensum Luith flens ascendet, et in via Oronaim clamorem contritionis levabunt. » Luith interpretatur genæ. *Per ascensum Luith* ascendit flens, qui dolet de peccatis suis : lacrymæ enim ad maxillas ascendunt; et tales *in via Oronaim*, idest contritionis *clamorem levabunt.* Oronaim interpretatur foramen oculorum : clamor est confessio, quæ levatur cum effusione lacrymarum.

Item in Canticis (7, 4) : « Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis », quasi dicat : O tu anima pœnitens, *oculi tui* debent esse *sicut piscinæ*, idest velut aquarum congregationes per assiduitatem lacrymarum; et hoc in Hesebon, quod interpretatur cingulum mœroris. Et bene dicitur cingulum mœroris, quia, ut cingulum, substringit hominem, ne mores ulterius defluant. Et tales piscinæ sunt in porta filiæ multitudinis, quia per hanc portam poterit intrare ad Dominum illa, quæ prius fuerat filia multitudinis peccatorum. Jeremiæ (31, 8) : « Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis », idest a gelicidio peccati, de quo ab Aquilone pandetur omne malum : Et congregabo eos ab extremis terræ, idest a peccatis, quæ per terrenorum appetitum sunt commissa. Et quomodo congregabit? « In fletu venient, et in precibus deducam (5) eos, et adducam eos per torrentem aquarum, per viam rectant (6), et non impingent in ea » (7). Unde Job (2, 13) : « Nemo loquebatur ei verbum, quia videbant vehementem dolorem. » Item in Levitico (16, 13) : « Nebula, et vapor aromatum operiat oraculum, quod est super testimonium, ut non moriatur », scilicet ipse offerens. Testimonio convincitur quis de crimine, et per confessionem convincitur homo de peccato. Homo enim confitendo peccatum suum, seipsum judicat, et damnat; et ideo Deus cum veniat super istud testimonium, oportet quod sit oraculum divina misericordia. In oraculo enim propi-

(1) Vulg.: denunciavit.
(2) *Glossa interlin. in Tob.* 3, 11.
(3) Lacryma pungit, etc. Glossa ait : Oratio Deum lenit, lacryma cogit : Hæc ungit, illa pungit.

(4) Psal. 82, 17.
(5) Vulg.: In misericordia reducam.
(6) Vulg.: In via recta.
(7) Jer. 31, 9.

tiabatur eis Deus; quoniam misericordia superexaltat judicium (Jacobi, 2, 13). Et super oraculum oportet ascendere nebulam, idest orationem lacrymosam. Tanto fumus magis ascendit, quanto magis fervore charitatis impellitur. Convenienter per fumum, sive nebulam magis, quam per flammam significatur oratio, quia fumus non solum ascendit sicut flamma, sed etiam lacrymas adducit.

Item legitur in Osee (12, 3 et 4) : *Jacob in utero* matris *supplantavit fratrem suum, et in fortitudine sua invaluit ad angelum, et confortatus est*, quoniam *rogavit, et flevit*, et habuit benedictionem. Et quare hoc? Quasi causa subditur : Quia *flevit.* Moraliter autem per Jacob, qui dicitur supplantator, vir justus intelligitur, qui debet supplantare fratrem in utero, idest motum carnalem in cogitatione sua, et luctari cum Angelo magni consilii orationibus, et fletibus, donec obtineat benedictionem. Quod si sic confortatur, ne timeat motus illos, procul dubio benedictionis gratiam obtinebit. Sequitur in Osee (12, 6) : Misericordiam, et judicium custodi, et spera in Domino Deo tuo semper; Misericordiam ad proximum, judicium contra te, te accusando, et damnando; et spera in Domino Deo tuo. Custodi *misericordiam* ad te, ut prius miserearis tui, juxta illud : *Miserere animæ tuæ, placens Deo* (Eccli. 30, 24); et *judicium* contra te, pro peccatis teipsum condemnans; *et sic bonis operibus ad majora proficiendo, spera; spera in Deo semper; quia omnis laus in fine canitur* (1).

SERMO CII.

Verba Ecclesiæ de adventu Filii Dei in carnem.

Misit de cœlo, et liberavit me : dedit in opprobrium conculcantes me. (Psal. 56, 4.)

Verba Ecclesiæ sunt, de Incarnatione Filii Dei exultantis, et dicentis : *Misit de cœlo, et liberavit me;* et non dixit quem misit de cœlo, sed illud dicit Isaias (16, 1), dicens in persona Ecclesiæ : *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ,* idest tanquam agnum simplicem, non tanquam leonem, non tanquam severum judicem ; quia si venerit cum severitate justitiæ, nemo posset eum sustinere, quia « si iniquitates observaveris, Domine : Domine, quis sustinebit » (Psal. 129, 3)? Petit ergo eum tanquam agnum, ut in remissionem peccatorum sanguinem suum offerat. *De petra deserti* (Isa. 16, 1), idest de beata Virgine, quæ dicitur deserta, quia nullo virili opere culta. Per desertum significatur congrue Virgo Maria, quæ semper intacta remansit, et integra; et integritatis ejus firmitas, et perpetuitas ostenditur *in petra deserti.* Rationabiliter appellatur *petra*, quia inapplicabilis est omni culturæ; et ipsa terram corporis sui non solum integram, et incultam voluit esse, sed se petram fecit in perpetuitate; unde annuncianti Angelo sibi Incarnationem Filii, respondit : Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco (Luca 1, 34)? Ecce desertum ; et illud, non cognosco, idest me non cognoscere proposui, vel me non cognituram, firmatam, in proposito. Ecce quomodo beata Virgo non solum desertum vocata est, sed *petra deserti.* Sequitur : *Ad montem filiæ Sion;* quasi dicat : O Domine, *agnum emitte* de beata Virgine *ad montem,* idest ad sublevationem *filiæ Sion* idest Ecclesiæ, ut per hunc sublevetur de mundo ad cœlum, de miseria ad gloriam, ad excellentiam Ecclesiæ, vel ad dignitatem Mariæ Virginis.

Item quid miserit de cœlo Dominus, exprimitur in Psalmis (143, 7) : « Emitte manum tuam de alto, idest Dei. Hæc illa manus, quam desiderabat, et de qua dicebat Job (9, 35) : Non est, qui utrumque possit (2) arguere, » idest cohibere, « et ponere manum suam in ambobus, » subaudi, nisi Christus. Non est, qui utrumque possit arguere, idest cohibere (3), hominem videlicet a peccato, et Deum a vindicta, et ponere manum suam in ambobus, nisi Christus ; et ideo venit mediator Dei, et hominum, qui hominem arguit, ne delinqueret, et Deo obstitit, ne feriret; et manum suam posuit in ambobus, quia exempla hominibus, quæ imitarentur, tribuit, et Deo in se opera, quibus placaretur, ostendit. Scitis, quod cum duo armati sunt ad pugnam, ille solus utraque arma potest accipere, qui medius est ex utraque parte. Isti duo armati, et inimici fuerunt

(1) Glossa ord. in cap. 12 Osee.
(2) Vulg. : valeat.
(3) Idest cohibere, etc. Ubi Vulgata habet : Non est, qui utrumque valeat arguere; Versio græca LXX legit : Utinam esset nobis medians; et Arabica : Utinam modo esset judex inter nos.

Deus, et homo; homo armatus gladio culpæ, et Deus gladio vindictæ. Dei Filius venit, et posuit se medium, et mediatorem inter illos, carnem assumendo; et ita ponens manum in ambobus pacificavit utrumque, cohibens hominem, ut dictum est, a culpa, Deum a vindicta. Ideo gaudens Ecclesia clamat : *Misit de cœlo, et liberavit me;* liberavit, inquam, a peccato, et a miseria; de qua libertate, Osee (13, 14) : « De manu fortis (1) liberabo eos, et de morte redimam eos. » De morte Deus nos redimit, quoniam nobis peccata remittuntur; liberat de manu fortis, removendo miseriam vitæ præsentis. Sicut, si fortis quisquam per manum teneat aliquem ne evadat; ita mortem non possumus evadere per præsentem miseriam, quæ nos ligat.

Sequitur : *Dedit in opprobrium conculcantes me,* idest dæmones. Isaiæ (16, 4) : « Finitus est pulvis, consummatus est miser : defecit qui conculcabat terram. » Pulvis est gloria temporalis, quæ si finita fuerit, consumptus erit *miser*, idest diabolus, et confusus remanebit, qui miseros facit, quia deficient fraudes ejus, et laquei; unde sequitur : *Defecit, qui conculcabat terram*; non cœlum idest amantes cœlestia ; sed *terram*, idest amantes terrena dejicit, et conculcat. Isaiæ (14, 4 et 5) : *Quomodo cessavit exactor, quievit tributum?* Et ad hoc respondet Propheta, dicens : « Contrivit Dominus baculum impiorum, et virgam dominantium. » Quomodo cessavit exactor, idest diabolus; unde Job (39, 7) : *Clamorem exactoris non audit,* idest diaboli, qui bene dicitur *exactor*, quia novas semper exactiones nititur imponere; vel dicitur *exactor*, quia sicut accensor est culpæ, sic erit exactor pœnæ usque ad novissimum quadrantem a debitoribus. « Quomodo quievit tributum? » Qui facit peccatum, servus est diaboli, et tributum semper ei reddit. *Quomodo cessavit exactor, quievit tributum?* Ostendit Isaias, cum subdit : *Contrivit Dominus baculum,* idest flagellum, quo flagellabantur impii; *et virgam dominantium,* idest subjectionem, quia eis subjiciebantur, quibus volebant dominari. Item *dedit in opprobrium conculcantes me*, idest ipsos dæmones homines conculcantes, qui tamen a bonis conculcantur, et in futuro; et ideo quasi ad nihilum redigentur omnimoda pœnarum miseria conculcati. Unde Ezechiel (28, 17) loquens ad Luciferum : « Elevatum est cor tuum in decore tuo : perdidisti sapientiam tuam ; » quasi dicat : Per superbiam tuam perdidisti sapientiam. Et quid fiet tibi ulterius? Sequitur (28, 19) : « Omnes, qui viderint te, obstupescent super te, » quasi dicat : In tantum datus es opprobrium, quod omnes obstupescent super te, quomodo de tanta dignitate lapsus sis in tantam vilitatem. Subbit : « Nihil factus es, et non eris in perpetuum. » Nihil factus esse dicitur Lucifer, non quia non sit, sed quia suum esse semper in miseria erit, et melius esset ei non esse; et ideo subdit : Et non eris in perpetuum.

(1) Vulg. : mortis.

SERMO CIII.

Quomodo quisque debet se dijudicare; et quis est judex, accusator, testis, et tortor.

Si vere utique justitiam loquimini, recta judicate filii hominum. (Psal. 57, 2.)

Quoniam in corde naturaliter habemus scriptam justitiam, invitat nos Deus ad justum judicium, ut in nobis ipsis formam judiciariam habeamus : Ut, sicut hi sunt judicio necessarii, scilicet judex, accusator, testis, et tortor; sic habeamus rationem pro judice, conscientiam pro accusatore, veritatem pro teste, timorem pro tortore. Ratio debet esse judex, ut personas non accipiat, ut nec sibi, nec alteri parcat, attendens, quod dicit Dominus per Michæam (6, 11) : « Numquid justificabo stateram impiam, et saccelli pondera dolosa? » Nam statera impia est, quando quis peccatum proximi magnum judicat, et suum leve existimat. Vel statera dolosa est, quando quis beneficia sibi a Deo collata, sicut præbendam, vel hujusmodi, minima judicat, et si modicum quid erogaverit proximo, magnum esse judicat. Hujus enim saccelli, idest cordis pondera dolosa non justificantur apud Deum. Et præmittitur (Ibid. 6, 10) : « Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, et mensura minor iræ plena. » Adhuc ignis in domo impii, idest peccandi voluntas, quæ tanquam ignis cor incendit peccatoris. Sequitur : *Et mensura minor iræ plena;* quasi dicat : Dedi tibi multa beneficia abundanter, et tu reddis, et das in parva mensura,

et nequiter; et ideo minorem mensuram Deus implebit ira in supplicio. De hoc Job (31, 5 et 6) : « Si ambulavi in vanitate, et festinavit in dolo pes meus : appendat me in statera justa, et sciat Deus simplicitatem meam. » Statera justa est in corde nostro, quando ex una parte ponimus beneficia Christi nobis collata, et consideramus, quod non habemus quid ponamus ex altera. Et in eodem sequitur (31, 14) : « Quid faciam, cum surrexerit ad judicandum Deus? Et cum quæsierit, quid respondebo illi? » Alia translatio habet : Quid faciam (1), si examinationem mei faciat Deus? et si visitationem, quod responsum dabo? » Sicuti quando visitat episcopus parochias, tunc discutiuntur, et examinantur prælati, et solvuntur linguæ subditorum contra presbyterum, et contra abbatem suum (2) linguæ monachorum; sic quando magnus episcopus suos prælatos visitabit, unumquodque opus testimonium contra suum actorem clamabit. Ideo recte judicandum esset modo, ut illam discussionis visitationem non timeremus.

Accusator est tristis conscientia, quæ in tantum debet esse tristis de commissis, et firma de non committendis, quantum in se est, ut nullo modo divina prævaricetur, et blanditiis diaboli deliniatur; sicut Dina quæ cum multum doleret, et conscientia sua eam accusaret, tamen blanditiis Sichem delinitus est dolor ejus (3). Et quod multum proficiat tristis pro peccatis conscientia, ostendit Apostolus ad Corinthios : « Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam (4). » Contristari siquidem *secundum Deum* operatur quamdam *sollicitudinem* emendandi quod deliquimus, ne denuo peccemus : *Sed defensionem*; optime enim se excusat, qui se accusat, optime se defendit, qui se non defendit : *Sed indignationem* contra peccatorum vilitatem : *Sed timorem*, qui cautelam inducit ad culpæ evacuationem : *Sed desiderium* promovendi in melius, quia qui videt se deformatum per peccatum, ad suam laborat reformationem : *sed æmulationem* virorum bonorum, et eorum operum : *sed vindictam* rigidam in peccatorum punitionem. Si conscientia taliter egerit, merito locum accusatoris tenebit.

Testis erit veritas infallibilis, ut nec falsum dicat, nec verum taceat, et omnia, tam peccata, quam circumstantias comprehendat, et ore rotundo, non dimidiate verum dicat. Sic exigit veritas. Unde in Marco (7, 33), legitur in signum hujus rei, quod Dominus sanans surdum, et mutum, *misit digitos suos in auriculas ejus : et expuens, tetigit linguam ejus*. Tunc Dominus mittit digitos suos in surdi aurem, quando non solum peccator verbum salutis auribus capit, sed ipsum convertit in operum executionem. Sputo linguam muti tangit, quando peccator in confessione plene confitens non obviat veritati. Peccatum dulce est, et delectabile, et illa dulcedo in confessione facit hominem balbutientem : Sed saliva amara est, et opposita dulcedini, quia quæ prius diminute confiteri faciebat abominationem peccati, quando amaritudine linitur, dulcem inquinationem peccati plenius confitetur.

Tortor debet esse timor infatigabilis, qui non debet cessare, quousque debitor novissimum quadrantem reddat. Unde Evangelium : « Si fueris (5) cum adversario tuo, in via da operam liberari ab eo, ne forte tradat te judici, et judex tortori, et tortor (6) mittat te in carcerem » (7). Timor in carcere tenere debet peccatorem, donec reddat novissimum quadrantem (Matth. 5, 26), idest novissimum peccatum confessus fuerit, et per satisfactionem reddiderit; et sic laborandum est, ut ab adversario, diabolo scilicet, quando socium hujusmodi habet in via sua peccator, valeat liberari. Vel adversarius peccatori est sacra Scriptura, contraria malis actionibus prædicando.

(1) *Quid faciam, etc.* Versio Græca LXX sic legit : « Quid enim faciam, si inquisitionem mei faciat Dominus? quod, si et visitationem aliquam, responsum dabo? »

(2) Et contra Abbatem suum, etc. Sæculo decimo tertio, quo floruit S. Antonius, plura Monachorum Monasteria jurisdictioni episcoporum fuisse adhuc obnoxia est exploratum ex Cap. *Nimis iniqua.* De excessib. Prælator, et ex Privilegiis exemptionis posterius obtentis, quæ a Prospero Fagnano in V Decretal., cap. *Tuarum* enunciantur.

(3) Gen. 34, 3.

(4) II Cor. 7, 11.

(5) Vulg. Cum autem vadis.

(6) Vulg. et judex exactori, et exactor.

(7) Lucæ 12, 58.

SERMO CIV.

Quod mali spernunt habere Christum regem, et Christo contempto, diabolum sibi in regem eligunt.

Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum : sicut viventes, sic in ira absorbet eos. (Psal. 57, 10.)

Nomine rhamni intelligitur diabolus. Multi sunt, qui contempto rege Christo, in regem eligunt rhamnum. Et hoc significavit Dominus parabolice loquens discipulis suis sic : « Homo quidam abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti. Cives autem ejus oderant illum : et miserunt legationem post ipsum, dicentes : Nolumus hunc regnare super nos » (1). Homo iste Christus est, qui in regionem longinquam, idest in cœlum ascendit assumere regnum, et sedere ad dexteram Patris, et illuc assumptam humanitatem in terris elevavit, abiitque reversurus in die judicii. *Cives* sunt peccatores, qui eum odientes, mittunt legationem, dicentes : Nolumus hunc regnare super nos. Hi sunt, qui in scriptione tituli, Regi Judæorum contradicunt; de quibus Job (21, 13 et 14) : « Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt : qui dixerunt Deo : Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. » Hi sunt, qui in deliciis mundi vivunt, et sic dies in bonis temporalibus ducunt, qui Deo dicunt : *Recede a nobis, nolumus* te pauperem tribulatum *regnare super nos*. De duobus itaque, qui proponuntur, rhamnus, de quo procedit ignis, eligitur in regem ; et Christus recusatur, de quo procedunt aromata, et unguenta juxta illud : *Unguentum* (2) *effusum nomen tuum;* et contemptibiliter recusatur. Unguenta siquidem ab eo procedunt; ut enim dicit Origenes (3). Venit optimis delibutus (4) unguentis; et necesse fuit, cum sponsam esset ducturus, sponsus ad sponsam a Patre missus leprosam, et sponsæ Ecclesiæ lepram curari, quæ a tanto sponso debeat honorari. Christus igitur talis et tantus contemnitur; et rhamnus, idest diabolus, vel peccatum in regem sublimatur.

Idem est, quod legitur in libro Judicum, quod ierunt ligna silvarum, ut inungerent super se regem, et dixerunt olivæ : Impera nobis. Quæ respondit : Numquid possum deserere lætitiam meam, vel pinguedinem? Et dixerunt ad ficum : Veni, et super nos regnum accipe. Quæ respondit : Numquid possum deserere dulcedinem meam? Et dixerunt ad vitem : Veni, et impera nobis. Quæ respondit : Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum? Et tandem veniunt ad rhamnum; quæ respondit eis : Si vero me regem constituistis, venite, et requiescite sub umbra mea : Si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani (Jud., 9, 8 ad 15). Ligna silvarum sunt peccatores venientes ad Christum per fidem, qui significatur per olivam, vitem, et ficum, quem voluerunt subsistere, et dominari super se. Sed Deus respondit eis, quoniam oportet servos Domino conformari, sicut habetur Ecclesiastici (10, 2) : « Secundum judicem populi, sic et ministri ejus : et qualis rector civitatis, tales habitantes in ea ; » quasi dicat : Si vultis, quod vobis imperem, oportet vos mihi esse conformes. Sed ego oliva pinguedinem meam habeo; et vos e contra aridi estis, et steriles; unde Job (20, 21) : « Quia non remansit de cibo ejus, quod daretur pauperibus, ideo (5) nihil permanebit de bonis ejus. » Item veniunt ad vitem; et Christus respondet : Ego sum vitis vera (Joan., 15, 1), nec possum dimittere lætificationem meam; vos autem cupiditatis sollicitudine semper estis in tristitia, contra quos Ecclesiasticus (30, 24 et 25) : « Tristitiam longe expelle (6) a te : multos enim occidit. » Tristitia comes est cupiditatis. Cupidus, et avarus semper habet tristitiam, aut quod non omnia possidet, aut ne perdat. Item ego sum ficus, non possum dimittere meam dulcedinem; vos autem semper estis in amaritudine ; unde Osee (12, 14) : « Ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis », idest in voluptatibus, quæ amaritudinem inducunt.

Bene ergo expedivit Christus a talibus, ipsum in regem petentibus ; quasi dicat eis :

(1) Lucæ 19, 12 et 14.
(2) Vulg. : Oleum.
(3) Hom. I in Cantic.
(4) Venit optimis delibutus, etc. In edit. Maur. Ven., tom. III, pag. 7, num. 3, legitur : Venit delibutus unguentis : nec aliter ad sponsam poterat venire, nec decebat aliter Patrem ad nuptias Filium destinare.
(5) Vulg. : et propterea.
(6) Vulg. : repelle.

Ego sum oliva, et ita pinguis : Ego vitis, et ita jucundus : Ego ficus, et ita dulcis : Vos autem e contrario contra meam dulcedinem habetis amaritudinem ; contra jucunditatem mentis, tristitiam ; contra pinguedinem misericordiæ, crudelitatem. Veniunt ad rhamnum, et dicunt : Impera nobis. Rhamnus quidem prius nascitur herba mollis, postea induratur, et efficitur pungitiva ; et signat diabolum, qui prius mollis est peccantibus, et postea ut spina efficitur pungitivus. Job (21, 33) : « Dulcis fuit glareis Cocyti, et post se omnes homines trahit, et ante se innumerabiles. » Cocytus luctus fœminarum interpretatur. Hic est luctus æternæ damnationis, ubi perpetuo lugebunt effœminati, idest omnes sæculi voluptatibus dediti. Glareæ sunt lapilli levissimi, quos aqua secum volvit; unde Gregorius (1) : « Glareæ Cocyti sunt (2), qui contra voluptatem firmiter stare nolunt, et suis quotidie lapsibus ad mortem tendunt. » Si ergo veniunt ad rhamnum, et respondet eis rhamnus : Venite, et requiescite sub umbra mea. Requiescere sub umbra diaboli est, cum ab omni quiete receditur ; ac si diceret : *Requiescite*, idest ab omni quiete recedite : Quod autem non sit nisi labor, et miseria in opere diaboli, ostenditur ab impiis, qui dicent in futuro illud, quod Sapientiæ dicturi sunt damnati (Sap. 5, 7) : « Lassati sumus in via perditionis, et iniquitatis : ambulavimus vias difficiles, et viam Domini ignoravimus. » Sequitur : *Sub umbra mea.* Quæ est umbra rhamni ? Ignis. Et quæ quies in igne ? Unde Job (41, 10 et 11) : « De ore ejus lampades procedunt, sicut tædæ ignis accensæ. De naribus ejus procedit fumus, sicut ollæ succensæ. » De ore ejus, idest diaboli *procedunt lampades*, idest suggestiones, quæ *sicut tædæ* sunt *accensæ* ad incendendum peccatores. Qui ergo requiescere volunt sub umbra istius rhamni, ab igne diaboli devorabuntur.

SERMO CV.

Quod prædicator debet prædicare contra tria vitia gladio linguæ, scilicet contra superbiam, luxuriam, et avaritiam.

Ecce loquentur in ore suo, et gladius in labiis eorum (Psal. 58, 8).

Hic agitur de prædicatoribus, de quibus dicitur, quod *loquentur in ore suo* per prædicationem informantes bonos, *et gladius* Spiritus Sancti, quod est verbum Dei, *in labiis eorum* contra malos. Debent enim habere triplicem gladium in ore. Primus debet esse contra superbiam, de quo Isaiæ (34, 5) : « Inebriatus est in cœlo gladius meus : ecce super Idumæam descendet. » Inebriatus est *gladius* Domini vindicando angelorum peccantium superbiam : Nonne *descendet* ad vindicandum super sanguinolentos homimines, ut vindicet eorum insolentiam ? *Descendet* utique : *Ecce super Idumæam*, quæ interpretatur sanguinolenta, descendit ad ulciscendam superbiam; quasi dicat : Non est credendum, quod parcat hominibus per superbiam se elevantibus, postquam non pepercit angelis superbientibus. Hinc Abdias in principio (1, 2 et 3), ubi loquitur ad Edom, idest ad populum superbientem : « Contemptibilis tu es valde. Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum; qui dicis in corde tuo : Quis detrahet me in terram ? » Loquitur ad Edom, idest ad hominem, vel populum superbientem : *Contemptibilis es valde*, quia licet tibi magnus videaris, si bene cogitares fragilitatem, et infirmitatem tuam, te valde contemptibilem invenires : sed quia non respicis, *superbia cordis tui* te extollit, et habitas *in scissuris petrarum ;* quasi dicat : Ante peccatum homo in solida, et integra petra fuit, idest in firmitate bonorum naturalium : Quia modo per peccatum illa petra scissa est, in scissione humanum genus habitat, quia vix habet homo reliquias illius status, in quo fuit creatus. Exaltat in quantum potest *solium* suum ; sed Deus ei respondet (Ib. 1 et 4) : « Si exaltatus fueris ut aquila, et inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus », idest usque ad profundum damnationis *te detraham*, quantumcumque fueris exaltatus.

Item prædicator debet habere gladium contra luxuriam ; unde in Cantico Deuteronomii (32, 42) : Gladius meus devorabit carnes, idest motus carnales, et libidinosas tentationes. Unde Numerorum (25, 5) : « Occidat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor », idest libidini sunt consecrati. Et quod Dominus ultionem talium motuum multum diligat, ostenditur

(1) Moral., lib. XVI, num. 71.

(2) Glareæ Cocyti sunt, etc. In edit. Maur. Paris.,

in eodem capitulo, ubi legitur (25, 7 et 8): Quod cum vidisset Phinees virum et mulierem coeuntem in lupanari, perfodit ambos in locis genitalibus; et quod Dominus commendans eum de facto, in retributionem dixit: « Ecce ego do ei pacem, vel pactum (1) fœderis mei, et erit tam ipsi, quam semini ejus sacerdotium sempiternum (2), quia zelatus est pro Deo suo (Ib., 25, 12 et 13). Eamdem benedictionem habebit prædicator, qui transfodit, et interficit in aliquibus luxuriam gladio verbi Dei. Nota, quod homo iste dicebatur Zambri filius Salu de tribu Simeon, qui non est veritus intrare ad scortum Cozbi filiam Sur Madianitidem (Ib., 25, 14 et 15): Zambri interpretatur Psalmus, vel Canticum, et significat eos, qui contra Dominum insurgentes, contra gloriam nominis ejus operantur; unde in Psalmis (68, 13): « Psallebant in me, qui bibebant vinum. » Et in Threnis (3, 63): « Sessionem eorum, et resurrectionem eorum vide, idest quia modo insurgunt contra me; *ego sum psalmus*, idest derisio *eorum*. Iste Zambri est filius Salu, qui interpretatur tentationem respiciens. Qui tentationem libenter respicit, de facili in peccatum ruit; unde Gregorius (3): « Non licet (4) intueri, quod non licet concupisci. » Iste dicitur de tribu Simeon, qui interpretatur audiens tristitiam, vel nomen habitaculi, et significat illos, qui nominantur habitaculum Dei propter opinionem maxime religionis; et quia boni, et sancti cum dicuntur, et non sunt per exemplum malæ conversationis, majorem tristitiam aliis merentur damnationis. Iste copulatur Cozbi, quæ interpretatur calix immensus, vel immola mihi, in quo duo notantur, gula, et luxuria: Gula introducit luxuriam. Calix immensus pertinet ad gulam; alia interpretatio, idest immola mihi, pertinet ad luxuriam. Qui enim se totos dedicant gulæ, se totos dedicant, et offerunt luxuriæ; unde initiati Beelphegor immolabant: unde comederunt, et adoraverunt (Num. 25, 2); et per hoc quod dicit, *adoraverunt*, notat immolationem, et consecrationem *Beelphegor*. Ista dicitur *filia Sur*, qui interpretatur murus, vel angustia. Facit enim luxuria murum esse luxuriosum, ne possit evadere vitium. Facit etiam angustiam, quia murum mittit in secreto conscientiæ. Et bene dicitur *de Madian*, quod interpretatur contradictio, vel responsio; quia cum deberent divinis respondere beneficiis, potius contradicunt, et inscriptionem tituli pro posse suo corrumpunt.

Debet etiam prædicator gladium habere contra avaritiam. Unde in Exodo, ubi legitur de avaritia filiorum Israel, quod inauribus in ignem projectis, exivit idolum vituli conflatilis; propter quod confractæ sunt tabulæ mandatorum Dei. Unde præcepit Moyses, quod « ponat vir gladium super femur suum: Ite, et redite de porta usque ad portam per medium castrorum, et occidat unusquisque fratrem, et amicum, et proximum suum » (5). Nota, quod avaritia est idolorum servitus (6): Est enim idolum adorare, avaritiæ deservire. Propter adorationem idoli tabulæ legis confringuntur, quia mandata nullatenus ab avaris observantur. Ad expugnandum idololatriæ, sive avaritiæ vitium, Levitæ gladio verbi Dei armari jubentur. Unde Moyses: « Ponat vir gladium super femur suum: Ite, et redite de porta ad portam, scilicet contemptus mundi; quia prædicatores accincti gladio verbi Dei transire debent *a porta* cupiditatis *usque ad portam* contemptus mundi, *per medium castrorum*, idest indifferenter universos feriendo, donec avari ad contemptum ducantur.

Sequitur: *Et gladius in labiis eorum*. Gladius vindictæ in labiis prædicatorum dicitur esse; unde Jeremiæ (5, 12 ad 14): Non veniet super nos malum: gladium, et famem non videbimus. Prophetæ in ventum locuti sunt. Sed respondit Dominus eis ita dicentibus: « Quia locuti estis verbum istud: ecce do verba mea in ore tuo in ignem, et populum istum in ligna, et vorabit eos » ignis. Ecce quomodo gladius, vel mors in ore prædicatorum.

tom. I, col. 409 sic legitur: Qui enim contra voluptates hujus sæculi stare fortiter nolunt, glareæ Cocyti fiunt: qui suis quotidie lapsibus ad luctum tendunt, ut in æternum post lugeant.

(1) *Vel pactum*. In Hebræo legitur: « Ecce ego dans ei pactum meum pacem.

(2) Vulg.: pactum sacerdotii sempiterni.

(3) Moral., lib. XXI, in cap. 31 Job, num. 4.

(4) *Edit. Maur.* Non decet; *nonnulli, etiam editi*, non debet.

(5) Exodi 32, 2 ad 27.

(6) Ephes. 5, 6.

SERMO CVI.

De commendatione fortitudinis, et ejus partibus.

Fortitudinem meam ad te custodiam. (Psal. 58, 10.)

Fortitudo est virtus retundens impetus adversitatis. Fortitudo est laborum considerata susceptio, et periculorum diuturna perpessio. Fortitudo comparatur fluvio paradisi, qui *Tigris* dicitur, et prodiens de paradiso *vadit contra Assyrios*, qui interpretatur dirigens : sic fortitudo contra directas procedit adversitates.

Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula, protegar in velamento alarum tuarum (1) (Psal. 60, 5) : Tabernaculum, Domus militantium : tota autem vita christiana est militantis exercitium, unde Job (7, 1) : « Militia est vita hominis super terram. » In Canticis (7, 1) : *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum*, idest choros, et castra. Sulamitis interpretatur mortificans, vel mortificata, vel coccinea, rubricata scilicet memoria sanguinis passionis Jesu Christi. Sulamitis est, qui mortificatis per macerationem carnis concupiscentiis, adversarii sui castra mortificat. Per *choros*, orationes; per *castra*, macerationes carnis, quibus impugnantur tentationes diaboli, designantur. Sic quantum ad *castra*, impugnabat Apostolus, cum dicebat : *Sic pugno, non quasi aerem verberans;* quasi dicat, aereas potestates : *Castigo* enim *corpus meum, et in servitutem redigo* (2). Sic quantum ad *choros* etiam Moyses pugnabat contra Amalecitas, qui orationibus, et crucis vexillo dimicans (3), castra inimicorum superabat. Per *choros*, et *castra* etiam pax, et concordia potest designati, quod bene convenit Sulamitidi, quæ servat unitatem, et pacem ecclesiasticam. Hoc etiam per tres Marias, quæ veniunt ad monumentum non incongrue designatur, *Maria* videlicet *Jacobi*, *Maria Magdalene*, *et Maria Salome* (4). Jacobus interpretatur supplantator, *Maria* amaritudo; hæc est ergo vitiorum mortificatio. Per Magdalenam, quæ turrita interpretatur, maceratio carnis, quæ sui mortificatione, quasi quibusdam propugnaculis, adversarii tentationes expellit. *Salome* pacificus interpretatur; hæc est mentis tranquillitas ad proximum. Quælibet autem istarum vocatur *Maria*, idest amaritudo, quæ triplex debet esse, scilicet in supplantatione vitiorum, in expugnatione tentationum, et etiam, cum jam ventum fuerit ad pacem, quæ significatur per *Salome*, adepta jam victoria de vitiis, et tentationibus, restat amaritudo incolatus, quæ in sanctis viris est amarissima, secundum illud (Isa. 38, 17) : *Amaritudo mea amarissima*. De hoc incolatu, Zachariæ ultimo (14, 19 et 17) : « Hoc erit peccatum Ægypti, et hoc peccatum omnium gentium, quæ non ascenderint ad festivitatem tabernaculorum. Non erit imber, sed ruina. » Ascendere ad festivitatem tabernaculorum est, per amaritudinem separari ab amore temporalium, et reputare se semper peregrinum. Quod si non fiat, deficit *imber* gratiæ, et benedictionis dominicæ, et instat *ruina* de peccato in peccatum. Hoc est quod legitur in Genesi (12, 8) : Abraham tetendit tabernaculum inter Hai ab oriente, et Bethel ab occidente. Hai interpretatur fons, vel oculus; Bethel, domus Dei. Qui ergo bene pugnare voluerit, ponat *tabernaculum* cum Abraham *inter Hai*, quod est contra orientem; idest contra gaudium temporale, fontem, vel oculum lacrymosum, ut sit in amaritudine : et ab occidente, idest post finem vitæ, si hoc fecerit, habebit Bethel, idest domum Dei. Hoc est quod legitur in Levitico (23, 42 et 43) : « Omnis, qui de genere Israel est, manebit in tabernaculis, ut discant posteri vestri, quod habitare fecerim filios Israel in tabernaculis, cum educerem eos de terra Ægypti. » Et in eodem (23, 40) : Sumetisque vobis fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, et ramos ligni densarum frondium, et salices de torrente, et lætabimini coram Domino Deo vestro. » Arbor ista pulcherrima Christus est, *speciosus forma præ filiis hominum* (Psal. 44, 3) : Fructus hujus arboris æternæ beatitudinis est dulcedo. De hac arbore dicitur in Canticis (2, 3) : « Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus

(1) *Inhabitabo* et cetera, quæ hic sequuntur usque ad illud, quod inferius legitur, *Hæc materia, etc.*, ad aliud argumentum pertinent; et Sermone CIX omnia, et singula eodem ordine iterate exponuntur.

(2) I Cor. 9, 26 et 27.

(3) Crucis vexillo dimicans. Manus elevatas, et in modum crucis extensas tenuit Moyses, donec fugarentur Amalecitæ. S. Augustinus Serm. 352, in edit. Maur. Antwerp., tom. V, col. 954, ait : *Extensio illa manuum, Christi crux fuit.*

(4) Marci 16, 1 et 2.

inter filios»; quia inter omnes Sanctos gratia, et dignitate præcellit. Spatulæ arboris sunt triumphi Martyrum. Lignum *densarum frondium* est sacra Scriptura, in qua sunt, tanquam frondes condensæ, sententiæ sanctæ; unde (Psal. 28, 9) : « Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensa : Eis enim, qui vere cervi sunt, anhelantes fontem vivum, Deus aperit condensitates, idest loca scripturæ obscura, ut haustum venenum in iis evomant. Salix infructuosa sunt Sancti casti, et virgines, qui licet sint infructiferi, quia non generant, fructiferi tamen sunt, quia ex castitate maximum fructum præstant; unde Isaiæ (56, 4 et 5) : « Hæc dicit Dominus eunuchis, » idest castis : « Dabo eis in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius a filiis, et filiabus, » quasi nomen excellentius, quam si filios, et filias generassent: unde sequitur : « Nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. Protegar in velamento alarum tuarum. » Et hoc est, quod dicitur Numerorum (9, 15 et 16) : « Igitur die, qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes per diem, idest refrigerium contra tentationum ardorem; et quasi ignis species per noctem, idest gratiæ illustratio ad tollendam peccati obscuritatem.

Hæc materia, quæ sequitur, continuanda est cum materia superius incœpta, idest : *Fortitudinem meam ad te custodiam.*

Sed nota, quod fortitudinis quinque sunt partes : Magnanimitas, fiducia, securitas, patientia, et constantia. Has virtutis partes, et earum notificationem ostendit Job, ubi loquitur de viro forti in persona equi, dicens (39, 19) : « Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo suo hinnitum? In equo prædicator intelligitur; hinnitus est verbum prædicationis, de quo circumdatur collum prædicatoris : nam captus propriis sermonibus, et verbis oris sui alligatur, ideo dicit Job : Nunquid præbebis equo fortitudinem, etc., et exequitur Job partes fortitudinis. Et primo de magnanimitate. Magnanimitas est difficillima, et spontanea, et rationabilis aggressio; unde ibidem loquitur, et dicit (Ibid. 39, 24 et 25) : « Nec reputat tubæ sonare clangorem. Ut (1) audierit buccinam, dicit: Vah, procul odoratur bellum, exhortationem ducum, et ululatum exercitus. »

Non reputat tubæ sonare clangorem; ut audierit buccinam, dicit : Vah, quæ est vox exultationis. Per hoc ergo datur intelligi, qui justus non solum in laboribus perseverat, sed etiam in ipsis adversis exultat. Nec hoc, quod *procul odoratur bellum,* imprudenter facit, quia ex causis præcedentibus, quæ vitiorum pugnæ sequuntur, agnoscit : *Exhortationem ducum, et ululatum exercitus.* Per duces vitia, quæ prætendunt speciem sanctitatis; per *ululatum exercitus* illa vitia designantur, quæ nullas habent species rationis. Exhortatio ducum præcedit ululatum exercitus, quia vir justus prævidet, et præsentit, cum propria vitia speciem rationis super se ingesserunt, aut alia vitia, quæ sequuntur, ejus mentem quasi bestiali more confundunt.

Sequitur de fiducia. Fiducia est certa spes perducendi ad finem quod est inchoatum; et hanc partem ostendit fortius Job, cum dicit (39, 20) : « Gloria narium ejus terror », quasi dicat : Tantam habet justus securitatem obtinendi vitam æternam, ad quam nititur, quod inde gloriatur, unde malus terretur. Unde gloriatur justus mercedem expectans, inde terretur injustus judicium Domini perhorrescens. Hæc gloria, et desiderium justi, ut veniat dies judicii.

Sequitur de securitate. Securitas est incommoditates imminentes, et afflictiones non formidare; unde : Exultat audacter, in occursum pergit armatis, contemnit pavorem, nec cedit gladio. Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta, et clypeus (Job., 39, 21 ad 23) : Contemnit pavorem de futuro periculo, *nec cedit gladio* præsentis incommoditatis. *Super ipsum sonabit pharetra.* In pharetra sagittæ occultantur; et ideo per pharetram occultæ insidiæ designantur (2). Quid per hastam, nisi pœnam vicinam intelligimus, et apertam? Per clypeum duritiam mentis, vel obstinationem, quam auditor doctrinæ opponit prædicatori. Hæc omnia incommoda justus securus non formidat.

Sequitur de patientia. Patientia est virtus, contumeliarum, et omnium adversitatum impetus æquanimiter portans; et hoc ostendit, dicens : « Numquid suscitabis eum

(1) Vulg. Ubi.

(2) Ex S. Greg., l. XXXI. Mor., n. 62 ad 65.

quasi locustas » (Job. 39, 20)? Justus in hoc morem locustæ gerit, quia sicut locusta in mane torpet, et magis in fervore diei, et in æstate in volatu suo fervet; sic justus quanto fortius insurgunt tribulationum impetus, tanto robustius ad alta virtutum avolans in sustinendo se exercet.

Sequitur de constantia. Constantia autem est stabilis animi firmitas, et in proposito perseverans; unde Job (39, 21) : *Terram ungula fodit;* quasi dicat : Si terram ungula non foderet, animi firmitate non prævaleret : Constantiam enim amittit, qui terrenarum rerum amorem fortiter, et finaliter non repellit. Talis est fortitudo, et ejus species. Sed quia carmen hoc parum proderit, nisi quis eam custodierit; et quia sine Deo nequit custodiri, dicit Propheta : « Fortitudinem meam ad te custodiam, » tanquam ad radicem; quia sicut radix conservat arborem, sic misericordia Domini prævenit fortem, et conservat fortiorem. Si ergo apud ipsum, tanquam arbor apud radicem non custoditur, procul dubio arescit, et consumitur.

SERMO CVII.

De pœnitentia et quomodo per commotionem sanatur anima:

Commovisti terram, et conturbasti eam : sana contritiones ejus, quia commota est. (Psal. 59, 4.)

Ecclesia, quæ in præcedenti Dominica in anxietate, et contritione constituta clamaverat (Psal. 17, 5 et 6) : « Circumdederunt me gemitus (1) mortis, dolores inferni circumdederunt me (2), » modo clamat ad Dominum humiliter : *Sana contritiones ejus.* Et optime allegat, quare sanare debeat, dicens : « Commovisti terram, et conturbasti eam : sana contritiones ejus, quia commota est; » quasi dicat : Sanare debes, quia commota est, et signatur per hoc pœnitentia peccatoris. In commotione terræ, et conturbatione signatur mens humana, quæ difficile movetur, ut terra. Sed cum a voce Domini clamantis in cruce terra, quæ difficile movetur, et immota proprio pondere figitur, commota fuerit, non est mirum si mens humana suo compatiendo Redemptori conturbata sit, et commota; cum ipso Christo moriente « factæ sint tenebræ super terram (Matth., 27, 45) : « Obtenebrata ergo plena die claritate solis, non est mirum, si ad recordationem hujus obtenebretur claritas gloriæ temporalis; maxime cum recogitet : Si in viridi ligno, idest in Christo, in quo nullum peccatum, quid fiet in arido (Lucæ, 23, 31), idest in peccatore ab omni humore gratiæ desiccato, qui cito consumitur flamma gehennali.

Signatur autem mens hominis nomine aquæ, unde in Evangelio (Joan., 5, 2, ad 4) legitur de *Piscina,* quæ habebat quinque porticus, in quibus jacebat multitudo languentium expectantium aquæ motum, quæ motio fiebat ad descensum Angeli, et post motionem aquæ sanabantur languidi. Aqua, ut dictum est, mens hominis est : *Piscina,* corpus : *quinque porticus,* quinque sensus : *multitudo languentium,* anima infecta multitudine peccatorum. Dicitur autem anima languens, et in porticu jacere, quoties contingit eam per aliquem sensum peccare. Unde Nahum (3, 13) : « Adapertione pandentur portæ terræ tuæ, devorabit ignis vectes tuos. » Loquitur ad Ninive, idest animam, quæ sponsa dicitur ratione naturalium habituum, et gratuitorum in baptismo susceptorum; sed postea insistens in voluptatibus effœminatur, et portas sensuum aperit vitiis, et dæmonibus, quibus apertis, *ignis* peccati, et *ignis* diaboli devorat *vectes,* idest ita bona gratuita aufert, et naturalia debilitat, per quæ posset claudere ostia, ne pateret introitus inimicis, quo facto remanet anima languida, et spoliata virtutibus, et in naturalibus vulnerata. Descendit autem Angelus in piscinam, descendit scilicet, et movetur aqua, quando Spiritus Sanctus mentem concutit timore vindictæ, et terrore gehennæ, et sic movetur aqua. Et nota, quod sicut piscina, priusquam moveatur, limpidam habet aquam in superficie, limosam in fundo, per conturbationem vero tota efficitur turbulenta, et li-

(1) Vulg. : dolores.
(2) Circumdederunt me, etc. In edit. Maur. Paris. Operum S. Gregori, tom. 3, col 666, ac etiam hodie in Missali Romano, Introitus Missæ in Dominica Septuagesimæ incipit : Circumdederunt me gemitus mortis, dolores inferni circumdederunt me. In Dominica vero Sexagesimæ, post Epistolam legitur Tractus : Commovisti, Domine, terram, et conturbasti eam : sana contritiones ejus, quia mota est, etc.

mosa, sic mens peccatoris superficialiter habet claritatem gloriæ temporalis, interius latet vitæ fœditas, et immunditia, et fœtor, et concupiscentia voluptatis. Concutitur autem, et turbatur pœnitentis conscientia, ut appareat horror gehennæ contra gloriam, fœtor, et immunditia contra delectationem.

Turbata igitur aqua, descendit languidus in piscinam. Hoc est, quod de Job dicitur, quod sedebat in sterquilinio. Descendens enim in piscinam, totum se obvolvebat in limo piscinæ, quia peccator se totum debet obvolvere in peccati amaritudine, et dolore, ut singula membra, quæ habuerunt peccati delectationem, sentiant amaritudinem. Vel sic : Descendebat languidus in piscinam; et hic descensus idem est ac sessio Job sedentis in sterquilinio. Sessio humiliationem significat. Hic igitur ita descendit, qui volutatur in luto peccatorum suorum per recordationem detestando, et pro eis, nisi pœnituerit, æternam pœnam expectando, et omnia membra, per quæ peccata exercentur, fœda reputando. Sanatur autem unus, quia qui sanatur, oportet quod sit indivisus, ut non sit unus in corde, alius in ore; sed sit in ore confessio, sit in corde contritio. Clamat ergo anima : *Sana contritiones ejus ;* et causam subdit : *Quia commota est :* et hæc causa, quare petit sanari; unde Nahum (1, 3) : « Deus (1) in tempestate, et turbine viæ ejus, et nebulæ pulvis pedum ejus. Cum enim peccatorem Deus visitat, fit in conscientia tumultus cogitationum se se accusantium, et ex conflictu surgit turbo mœroris, superbiam confringens. Pes ejus in imo cordis figitur. Pes movet pulverem, pulvis autem motus generat turbinem, sive nebulam coram oculis, et obscurat. Sic ex pulvere, scilicet peccatorum memoria, surgit quædam confusio, quæ mentis inducit caliginem, idest quamdam obscuritatis, et confusionis amaritudinem, et dolorem mentis inducit, ubi prius fuerat serenitas voluptatis; unde Job (3, 5) : « Occupet eum caligo, scilicet mentis confusio, et involvatur amaritudine peccatorum.

(1) Vulg. : Dominus.

(2) Accubans in terminis. Vulg.: *inter terminos.* Verum S. Hieronymus lib. *Quæst. Hebraicarum* in Gen. cap. 49, et ex eo Glossa ord. ait : *In Hebræo ita scriptum est : Issachar asinus osseus recumbens in terminis.*

(3) Lucæ, 14, 19.

SERMO CVIII.

De duplici onere bono, et malo; de tabernaculis militantium, in quibus semper habitare debet justus.

Partibor Sichimam, et convallem tabernaculorum metibor. (Psal. 59, 8.)

Sichima interpretatur humerus; in humero fortitudo intelligitur, quia in eo imponuntur onera. Partitur ergo Deus *Sichimam,* cum distinguit inter onus peccatorum grave, et onus Domini, quod est leve. Distinguit inter Issachar, et Hemor. Issachar interpretatur merces; Hemor interpretatur asinus. De Issachar dicitur in Genesi (49, 14 et 15) : « Issachar asinus fortis accubans in terminis (2), vidit requiem, quod esset bona, et terram, quod esset optima, supposuit humerum suum ad portandum; et hoc bene congruit interpretationi, *Asinus fortis.* Hic est, qui captus a magnitudine mercedum pro labore transitorio, non existimat condignas esse *passiones hujus temporis ad futuram gloriam* (Rom. 8, 18), et optime dicitur habitare *in terminis,* idest in consideratione vitæ suæ, idest in introitu, et egressu, qui quidem nobis designantur optime his testibus, scilicet fragilitate, in qua nascimur, et miseria, in qua morimur. Ruben vero arguitur, qui habitavit inter terminos; unde dicitur in Cantico Debboræ (Judic. 5, 16) : « Ruben, quare habitas inter duos terminos, ut audias sibilos gregum? » Unde de benedictione est, quod dicitur Issachar habitare *in terminis;* de redargutione est, quod dicitur Ruben habitare *inter terminos.* Ruben *inter terminos,* idest altitudinem voluptatis : *Greges,* quia bruta sensualitatem significant; et hi sunt motus concupiscentiæ carnalis, qui bene dicuntur *sibili;* quod est serpentis. Sicut enim in ore serpentis, sic in suggestione carnis venenum infunditur : « Issachar asinus fortis vidit requiem, scilicet contemplationis, vel æternæ beatitudinis, quod esset bona, et terram, quod esset optima, idest stabilitatem vitæ æternæ : supposuit humeros, idest fortitudinem suam ad supportandum onus Domini. Taliter non facit, qui quinque juga boum emit (3), idest gravi tyrannidi quinque

sensuum, quibus satisfieri non potest, te subjicit more bestiali. *Hemor*, qui interpretatur asinus, vendit Sichimam pro centum argenteis (1), quia malus dat fortitudinem pro centum argenteis, idest pro abundantia temporali. Hemor asinus interpretatur, quia proprietatem asini tenet : asinus enim in humeris, ubi fert crucem, est debilis; in renibus, sive in posterioribus fortis est, ubi est immundus. Sic quidam, qui ad ea, quæ crucis, sunt tardi, et ad immunditiam proni; unde Jeremiæ (23, 10) : « Adulteris repleta est terra, a facie maledictionis (vel secundum aliam litteram (2) juramenti vani) luxit terra, arefacta sunt arva deserti : factus est cursus eorum malus, et fortitudo dissimilis. » Repleta est, idest iterum plena est, immemor diluvii quod per peccatum luxuriæ inundavit. Si igitur aqua diluvii per peccatum est educta, quid amplius restat, nisi diluvium ignis? *Juramentum vanum* dicit, quia pactum, quod cum Christo pepigimus in baptismo, irritum fecimus. *Arefacta sunt arva deserti*, quia a gratia deseritur anima, idest ab humore gratiæ desiccatur, ut fructum non afferat. *Cursus eorum malus*, quia non solum a malo præveniuntur, sed etiam impetu feruntur in malis. *Fortitudo dissimilis*, quia non solum malorum confortantur exemplis, sed etiam novas, et dissimiles excogitant nequitias; ut in hoc videatur eorum fortitudo præeminens, quod novum adinvenerit.

Sequitur : *Et convallem tabernaculorum metibor.* Hæc sunt tabernacula, de quibus in Numeris (24, 5 et 6) : « Quam pulchra sunt tabernacula tua, Jacob, tentoria tua, Israel! Ut valles nemorosæ, etc. Per *Jacob* caro laudabilis in sanctitate conversationis suæ; per *Israel* anima, quæ merito sanctitatis statum sibi vindicat contemplationis, per quos utriusque vitæ militia, activæ scilicet, et contemplativæ, designatur. Per *Vallem nemorosam* notatur humilitas variis densata virtutibus, quæ quasi sub umbra, et refrigerio virtutum, incentivum vitiorum repellat. Debet conformari tabernaculum hoc ei, quod vidit Moyses in monte, quia componi debet vitæ nostræ militia ad exemplum ejus, quam in sacra Scriptura, quasi in monte percipimus. Qualis autem debeat esse militans in his tabernaculis, ostenditur, cum dicitur in Apocalypsi (21, 17) : « Mensura hominis, quæ et Angeli est », quia debet considerare, quod conversus Angelus, factus est lux; et adversus factus est tenebrosus. Sic ipse, si avertatur, efficitur cum angelo apostata tenebrosus; si conversus fuerit, luce ineffabili cum bono angelo perfruetur. Item quid acturi sint angeli, vident in libro vitæ : ad veram ergo lucem debet homo se convertere, ad aspectum libri vitæ facta sui dispositione.

SERMO CIX.

De militia justi; de triplici amaritudine; de fructu ligni vitæ; et revelatione Scripturæ.

Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula, protegar in velamento alarum tuarum. (Psal. 60, 5.)

Tabernaculum domus est militantium; tota enim vita hominis est exercitium militantis, sicut dicit Job (7, 1) : « Militia est vita hominis super terram. » Idem habetur in Canticis (7, 1) : « Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? » Sulamitis, quæ interpretatur mortificans, vel mortificata, designat Ecclesiam, quæ choris orationis, et castris macerationis carnis, et concupiscentiæ mortificatione se munit, quibus impugnet tentationes adversarii. Moyses siquidem contra Amalec pugnans orationibus, vincebat; et Paulus carnis maceratione, sicut ipse dicit ad Corinthios : « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, subdit » : Sic pugno, non quasi aerem verberans (I Cor. 9, 26 et 27), scilicet aereas potestates; et ideo bene adjunguntur *chori*, et *castra*, quoniam ex ipsis etiam acquiritur unitas, et concordia pacis. Hoc etiam designant tres mulieres, quæ cum aromatibus venerunt ad monumentum, Maria Magdalene, Maria Jacobi, et Salome. Maria interpretatur amaritudo; *Magdalene*, turris. Hæc est amaritudo turris, et fortitudinis pœnitentiæ, expugnans adversarii tenta-

(1) *Pro centum argenteis*. Ubi Vulgata habet : *Emitque Jacob partem agri... a filiis Hemor patris Sichem, centum agnis;* alii legunt : centum *nummis*. Glossa marginalis : *Agnis, vel obolis, sive denariis;* et Lyranus noster ibi in postilla testatur, dictionem hebraicam esse æquivocam : quæ significare potest et agnos, et nummos. Sed consule Bibl. Max. P. De la Haye, in Concordia, et Exposit. litterali hujus vers.

(2) *Versio Græca LXX, apud S. Hieron.*

tionem; Jacobus autem interpretatur supplantator. *Maria* igitur *Jacobi* designat illum, qui mortificando carnem, et concupiscentiam, reprimendo, supplantat vitia; quod bene respondet Sulamitidi. *Salome* interpretatur pacifica, et signat pacem mentis, et tranquillitatem ad proximum acquisitam, et adeptam. Et nota, quod quælibet trium mulierum vocatur *Maria*, quoniam in supplantatione vitiorum est amaritudo, et in expugnatione tentationum; et cum per hoc adepta fuerit pax mentis, restat amaritudo ex dilatione patriæ, quæ debet esse amarissima secundum illud Ezechiæ (1) *in pace amaritudo mea amarissima*; siquidem super epistolam ad Galatas dicit Glossa (2), quod Maria mater filiorum Zebedæi fuit filia Salome; quoniam amaritudines prædictæ consequuntur pacem, et tranquillitatem.

Item de his tabernaculis, ultimo Zachariæ (14, 19 et 17): « Hoc erit peccatum Ægypti, et hoc peccatum omnium gentium, quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem tabernaculorum. Non erit eis imber, sed ruina; » quasi dicat: Hoc erit eis peccatum, et pœna peccati, qui noluerunt animum separare ab amore temporalium, et concupiscentiarum, quod deficiet in eis imber gratiæ, et benedictionis divinæ; et instat ruina de peccato in peccatum. « Ad celebrandam festivitatem tabernaculorum, » idest judicando se advenas, et peregrinos, sicut fecit Abraham, *qui tetendit tabernaculum inter Hai, et Bethel* (Gen., 12, 8) ad orientem. Per *Hai*, quod interpretatur fons, vel oculus, designatur, quod per oculum debemus sistere in fonte lacrymarum, et apponere contra gaudia temporalia, et contra prosperitatem defectivam, significatam per orientem, unde venit lux deficiens; ut in occidente vitæ nostræ quiescamus in *Bethel*, idest in domo Domini, sicut legitur Levitici (23, 42 et 43): « Omnis, qui de genere Israel est, manebit in tabernaculis: ut discant posteri vestri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cum educerem eos de terra Ægypti. » In eodem capitulo (23, 40): « Sumetis fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, et ramos ligni densarum frondium, et salices de torrente, et lætabimini coram Domino Deo vestro. » Siquidem arbor pulcherrima est Christus; unde (Psal. 44, 3): « Speciosus forma præ filiis hominum. » In Canticis (2, 3): « Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. » Subditur: « Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi: et fructus ejus dulcis gutturi meo. » Fructus Christi est nostra redemptio, et æternæ felicitatis jucunditas. Et per *spatulas palmarum* signantur triumphi martyrum: Victores siquidem palma coronantur. Per *ramos ligni densarum frondium*, diversæ sententiæ sacræ Scripturæ intelliguntur, quæ in ea sunt tanquam frondes condensæ; unde (Ps. 28, 9): « Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensa, » idest eis condensa revelantur, idest obscuræ sententiæ exponuntur, qui properant ad pœnitentiam, ut cervi ad fontem vivum, quatenus venenum peccati, quod hauserant, extinguant in aquis sacræ Scripturæ. Sequitur: « Et salices de torrente. » Salix est arbor infructuosa, et designat vitæ continentiam; sed licet infructuosi sint continentes in generando filios carnales, sunt valde fructiferi generando virtutum opera; unde Isaiæ (56, 4 et 5): « Hæc dicit Dominus eunuchis: Dabo vobis in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius a filiis, et filiabus, nomen sempiternum, quod non peribit; » quasi dicat: Eunuchis, idest castis, qui se castraverunt propter regnum cœlorum (Matth., 19, 12), dabo locum in domo mea, idest in Ecclesia, et nomen melius, quod nulla oblivione delebitur, ut dicantur patres spirituales, non carnales.

Sequitur: *Protegar in velamento alarum tuarum;* unde Numerorum (9, 15 et 16): « Igitur die, qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes per diem, et quasi ignis species per noctem. » Tabernaculum Domini est Ecclesia, quam protegit Deus nube refrigerii in ardore tentationis, et in nocte peccati illustratione gratiæ, et caritatis ad tollendam abyssum peccati.

(1) *Ezechiæ* rectius Isaiæ, 38, 17, 7.

(2) *Glossa ord. in cap.* 1 *Gal.*, *v.* 19.

SERMO CX.

De illis, qui pretium passionis Christi a se repellunt propter ingratitudinem.

Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti : ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant (Psal. 61, 5).

In his verbis conqueritur Christus de iis, qui ingrati sunt beneficio suæ passionis, et repellunt pretium redemptionis suæ, licet sit magnum, sicut dicit Petrus in sua Epistola : « Non corruptibilibus auro, et argento redempti estis de vana vestra conversatione, sed pretioso sanguine agni immaculati » (1). Ingrati siquidem sunt, qui non solum repellunt eum, peccando motu repentino, sed malitia deliberata, et excogitata. Repellunt etiam eum, qui per eum redimi, et liberari nolunt de tormento infernali. Repellunt etiam eum, qui se e tanto pretio appretiati ita vilificant, quod se videlicet pro carnali mercede dant, scilicet pro peccato; unde in Threnis (1, 11) : « Dederunt quæque pretiosa pro cibo, » idest vili, ad refocillandam animam. Pretiosum siquidem fecit Deus hominem, quem tanto pretio comparavit; et ipse pro aliquo vili cibo, vel aliquo tali se vilipendit, et tantum redemptionis pretium a se repellit; et hoc ad animam, idest animalitatem refocillandam : Non dico sanandam, imo veneno peccati inficiendam, et suffocandam. Unde Zachariæ (11, 13) : « Projice eos (2), ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. » Statuarius dicitur quasi figulus, et fusor statuarum: *Decorum pretium* dicit ironice ad ostendendum eorum vile pretium. Statuarium autem dicit figulum, qui ollas, scilicet corpora nostra fingit de luto, per quem intelligitur Deus Pater; ac si dicat : Sicut figulus scit judicare de pretio ollæ suæ, ita Deus Pater judicat, et discernit pretium redemptionis; quod non facit peccator vili pretio Deum appretians, Deo postposito, eligendo peccatum, et hoc pretium redemptionis repellendo; quasi dicat Filius ad Prophetam: *Projice illos* ad Patrem, qui est figulus, et creator, ut videlicet videat de pretio vili, quo me vendunt, et appretior ab eis, dum malunt dare animam suam pro vili pretio, quam pro meo sanguine, quem pro eis fudi; unde in eodem (Zach. 11, 12) : « Appenderunt mercedem meam tringinta argenteis. »

Ipsi, dico, quod assimilantur Judæ proditori, qui de tribu Issachar (3), legitur fuisse : Issachar enim interpretatur merces. Nonne igitur socii sunt Judæ, qui pretium passionis Christi repellendo, hanc mercedem ei retribuunt? Qui videlicet eum vilificant, et colunt iniquitatem, quam ipse odit? Unde Joel (3, 4) : « Quid mihi, et vobis, Tyrus, et Sidon, et omnis terra (4) Palæstinorum? Numquid ultionem reddetis mihi? Et si ulciscimini contra me, velociter reddam vicissitudinem in caput vestrum. » Tyrus interpretatur plasmatio; Sidon, venatio; Palæstini, ore confitentes, vel malleantes. Alloquitur siquidem Deus plasma suum, ac si diceret: O homo, quem plasmavi, quem redemi : quid causæ est inter me, et te, quod tu, qui deberes me ore tuo confiteri, orare, et venerari, me colis ore, et malleas super dorsum meum, et ut venator feram, sic me persequeris aculeo peccatorum, destruens quantum in te est religionem christianam? Et si ulciscimini contra me, ego tamen quandoque reddam; unde in hoc Psalmo. *Quousque irruitis in hominem*, idest in Christum, quasi fera irrationabilis; vel *apponitis*, alia littera (5); quasi dicat : Numquid non sufficit vobis, quod tanta passus sum in cruce, nisi irruatis in me, *tanquam parieti inclinato*, ut me dejiciatis? Verumtamen hoc faciendo, *interficitis universi vos;* quia mortuus, surrexi tamen cum potentia, et majestate, qua vobis retribuam pœnas debitas, licet vos non credatis, et apponatis dolores doloribus. *Irruitis* enim quasi in indirectum, et mortalem, non attendentes glorificationem, et peregrinationem (6). Nonne *elevata est*

(1) I Petri 1, 18 et 19.
(2) Vulg. : illud.
(3) Qui de tribu Issachar, etc. Glossa ord. in cap. 10 Matthæi ait: Judas Scariothis, a vico ubi ortus est. Vel ex tribu Issachar, præsagium suæ damnationis nomen accepit : quia Issachar, quod dicitur merces, proditionis præmium insinuat. Sed vide Lyranum ibi, et S. Hieronymum lib. IX. Commentar. in Isa. cap. 28.
(4) Vulg. : terminus.
(5) Versio Græca LXX.
(6) *Et peregrinationem.* Alludit ad illud Matth. 25, 14. Homo peregre proficiscens; quod explicans S. Gregorius Hom. IX, in Evang.: Quis, ait, *iste homo est, qui peregre proficiscitur, nisi Redemptor noster, qui in ea carne quam assumpserat, abiit in cœlum?*

magnificentia, idest humanitas Christi, *super cœlos?* (Psal. 8, 3.) In magnificentia *operatus est* etiam *salutem* vestram; unde Jeremiæ (12, 7 et 8): « Dedi dilectam animam meam in manu inimicorum: facta est hæreditas mea quasi spelunca hiænæ » (1). Hæreditas Domini, gens; unde (Psal. 2, 8): « Dabo tibi gentes hæreditatem tuam »: Hiæna animal est desæviens in cadavera mortuorum. Gens igitur, quæ deberet esse *hæreditas* Domini, efficitur spelunca hiænæ, cum desævit in humanitatem Christi, tanquam in cadaver mortuum, non attendens eum Deum glorificatum, et exaltatum. Sequitur: *Et maceriæ depulsæ.* Unde Isaiæ (25, 4): « Spiritus robustorum tanquam turbo impellens parietem; » idest: Vos impellitis quasi turbo, sed ego immobilis permaneo.

Sequitur: *Cucurri in siti;* Siquidem cursus passionis Christi tam velox fuit, ut non responderet Herodi, vel Pilato, ne tardaretur ejus passio, et differretur, vel impediretur, nostram liberans sitim; quod expressit, clamando: *Sitio* (Joan. 19, 28): Sequitur: *Ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant.* Notandum, quod benedictio sonat in multiplicatione confessionis, et orationis, et maledictio in exterminatione virtutum; unde Apostolus (Tit. 1, 16): « Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, videlicet qui virtutes ore prædicant, et operibus eas exterminant. Unde Jeremiæ (15, 10): « Non fœneravi, nec fœneravit mihi quisquam: *omnes* enim *mihi maledicunt;* quasi dicat: Non fœneravi, quia nemo voluit a me accipere gratiam, et scientiam, ut eam multiplicatam mihi redderet: nec fœneravit mihi quisquam, quoniam nemo mihi accommodavit eleemosynam, vel opera sua, ut ea multiplicata in centuplum reciperet, et vitam æternam possideret: sed maledicunt mihi omnes, idest quasi maledictum a se repellunt.

(1) *Quasi spelunca hiænæ.* Sic legit Versio Græca LXX. Sed Vulgata: *quasi leo in silva.*
(2) Lib. I, Comment. in c. 5 Jer.
(3) Vulg.: sicut.

SERMO CXI.

Contra avaros quod sperandum non est in iniquitate, idest in divitiis, nec apponendum cor, quia non satiant.

Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere: divitiæ si affluant, nolite cor apponere. (Psal. 61, 11.)

Nomine iniquitatis designantur divitiæ; unde: « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis (Lucæ 16, 9), idest inæqualitatis, idest de divitiis inæqualiter possessis. Creavit siquidem Deus divitias ad usus communes, sed de his alius possidet plus, alius minus. Unde Hieronymus (2): « Omnis dives, aut est iniquus, aut hæres iniqui. » Iniquus autem est, vel faciendo miserum, vel deserendo: faciendo si rapiat: deserendo, si egentibus non tribuat; unde Lucæ (16, 11 et 12): Si in iniquo mammona fideles non fuistis; quod verum est quis credet vobis? » Videlicet divitias regni cœlorum; et subditur: « Si in alieno fideles non fuistis; quod vestrum et quis dabit vobis? » Vestrum siquidem est regnum cælorum, ad quod habendum creati sumus: alienum est bonum temporale ad communes usus creatum. Ideo *nolite sperare in iniquitate.* Spes debet esse de futuro gaudio, sicut dicit Jacobus (5, 1 ad 3): « Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt: vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum vestrum, et argentum æruginavit, et ærugo eorum erit vobis in testimonium, et manducabit carnes vestras, quasi (3) ignis.

Item spes divitis non habet certitudinem; unde ad Timotheum: « Præcipe divitibus hujus sæculi non sublime sapere, nec sapere in incerto divitiarum, sed thesaurizare fundamentum bonum » (4). Fundamentum siquidem bonum fides est, quæ restituenda, et facienda est operibus bonis: fundamentum enim destruit, qui a fide bona opera secernit, quia fides sine operibus mortua est (5). Unde Augustinus (6): « Qui veram fidem de Deo habet, in miseriis hujus sæculi non cupit esse dives, nec ei pluris est mundus, quam Deus. » Paulus (Hebr. 11, 24 et 25): « Fide Moyses grandis factus nega-

(4) I Tim. 6, 17 et 19.
(5) Jac. 2, 25.
(6) Glossa ord. in cap. 6, I Tim.

vit se filium filiæ Pharaonis, magis eligens cum populo Dei affligi, quam temporalis peccati habere jucunditatem. » Item securitas non est in se divitiarum. Unde Paulus (I Tim. 6, 9) : Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quæ mergunt hominem in interitum, et perditionem. » Eleganter dicit, quæ mergunt: qui enim demergitur, quod tenet in manu nunquam dimittit; ita et avarus se sciat esse submersum in profundo divitiarum eas non erogando, quibus adhæret, et conglutinatur tenaciter, qui etiam audito corporis, et animæ periculo nullatenus eas in morte dimittit. « Nolite ergo sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere. Dicit rapinas, ut intelligantur activæ, et passivæ, quoniam iis qui rapiunt, etiam rapientur; unde Isaiæ (33, 1) : « Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis? cum consummaveris deprædationem, deprædaberis. » Et idem dicit Habacuc (Hab. 1, 14 et 15) : « Facies homines quasi pisces maris ; » siquidem in mari piscis major devorat minorem, ita et in mundo major minorem. Sed major quandoque capitur, et voratur ; unde subditur : *Totum sublevavit,* scilicet diabolus in hamo, totum traxit in sagena, unde ii videlicet alios spoliando devorant, et ipsi diabolo conglutinantur in pœna æterna.

Divitiæ si affluant, nolite cor apponere; unde Ezechielis (7, 19 et 20) : « Argentum, et aurum eorum non poterit eos liberare in die furoris Domini. Animam suam non saturabunt, ventres non implebuntur, quia scandalum iniquitatis eorum factum est, et imagines abominationum suarum fecerunt ex eo ; » quasi dicat : « Ex adipe prodiit iniquitas (Psal. 72, 7) : Potius suas divitias honoraverunt, et adoraverunt, quam Deum, et etiam abominationum suarum imagines, idest delectationes peccatorum, quas potius debuissent abominari. Unde Job (20, 20, 23) : « Non est satiatus venter ejus, » scilicet divitiis; et subditur : « Utinam impleatur, ut emittat in eum Deus iram furoris sui, et pluat super eum bellum suum, » idest pœnam depressam, et pluviam vindictæ; siquidem divitibus utinam venter eorum, idest mens eorum temporalibus repleatur, ut quanto plura aggregaverunt, tanto pluribus torqueantur vitiis, et sicut guttæ plures descendunt, ita et vindicta depressa super eos irruat in tormentis.

SERMO CXII.

De duplici pinguedine caritatis, et de mala pinguedine.

Sicut adipe, et pinguedine repleatur anima mea : et labiis exultationis laudabit os meum. (Psal. 62, 6.)

Adeps est pinguedo interior, et designat caritatem, quam interius debemus habere ad Deum. Per pinguedinem designatur caritas ad proximum exterior, habenda ex hoc adipe. Dicitur in Ecclesiastico (47, 1 et 2) : « Surrexit Nathan Propheta quasi adeps separatus a carne; quasi dicat : Tanta flagrabat caritate Nathan, quod separatus erat a carnali affectu. De pinguedine vero dicitur : « Holocaustum tuum pingue fiat » (Psal. 19, 4), videlicet pinguedine caritatis ad Deum, et proximum. Hæc caritas est ad modum sagiminis, quæ prunas devotionis accendit ad Deum, et carbones indignationis contra proprium peccatum, ut sic torreatur spirituale holocaustum, quod offeratur Domino, ut dicamus : *Sicut adipe, et pinguedine repleatur anima mea.* Non dicit : caro mea; tamen caro habet adipem, scilicet bona naturæ : Habet et pinguedinem, scilicet bona fortunæ; unde in libro Judicum (3, 17 ad 22) : « Erat Eglon crassus nimis; et subditur : Aod infixit gladium in ventre ejus tam valide, ut capulus sequeretur in vulnere ferrum, ac pinguissimo adipe stringeretur : nec eduxit gladium. » Per *Eglon,* qui interpretatur intellectus mortis, vel intellectus iniquitatis, designatur temporalis lascivia, surgens ex bonis naturalibus, et bonis exterioribus, scilicet caducis, quæ lascivia ducit hominem ad æternam mortem tanquam vitulum diabolo immolandum. *Aod gladium* figit, cum prælatus verbum prædicationis emittit ita valide increpando, ut *capulus ferrum* sequatur : Per capulum enim, qui quasi retiaculum est, moderamen est in correptione. *Ferrum* igitur *capulus* sequitur *in vulnere,* cum correptio emissa quasi ferrum, quadam mediocritate temperatur a corrigente. Desævit acrius in contemptores, et stringitur *pinguissimo adipe,* idest pinguedine, et adipe, quando bonis naturalibus, et gratuitis ita

obstinatur in petulantia qui corripitur, quod effectum correptionis contemnit. Unde subditur: *Nec eduxit gladium.* Ille siquidem prælatus gladium non extrahit a vulnere, qui de rigore sententiæ, et paternæ correptionis nihil subtrahit, nihil omittit de contingentibus, ut non infundat vulneribus illius sauciati oleum post vinum, scilicet jugiter reprehensiones, donec videat in vulnerato aliquod signum emendationis futuræ.

Idem de eodem adipe, et carnis pinguedine, Levitici (3, 3 ad 5) : « Adipem, qui operit vitalia, et quidquid pinguedinis est intrinsecus : duos quoque renes cum adipe, quo teguntur ilia, et reticulum jecoris cum renunculis, adolebunt ea super altare Domino. » Siquidem adeps, qui operit vitalia, designat appetitum voluptatis vitæ temporalis, quo procurantur ea, quæ faciunt ad temporalem vitam, et voluptatem corporalem, quam voluptatem debemus consumere, et adolere super altare mentis. Pinguedo exterior est affectus ad possessiones terrenas, et res familiares. Per renes, et adipem, quo teguntur ilia, designatur actus libidinosus; et quoniam in jecore est fons sanguinis, per sanguinem designatur crudelitas, sicut dicit Isaias (1, 15) : « Manus vestræ sanguine plenæ sunt, idest crudelitate. Per reticulum jecoris, quod ferunt, crudelitas designatur. Debemus siquidem hos quatuor adipes adolere Deo, idest consumere in holocaustum spirituale. Quibus consumptis, sit nobis iste adeps animæ, quem in hoc sæculo desiderat Ecclesia, dicens : *Sicut adipe, et pinguedine repleatur anima mea ;* et tunc *labiis exultationis laudabit os meum,* quia totum holocaustum Domino attribuimus. Sic enim *labiis exultationis* Deum collaudat quicumque adipem bonæ cogitationis, et operationis Deo, non sibi attribuit, et adscribit. Unde subditur (Lev. 3, 17) : « Nec sanguinem, nec adipem comedetis, » ac si diceret: Sanguinem non comedetis, idest peccatum non incorporabitis : nec adipem, idest bonorum operum pinguedinem vobis adscribetis ; imo in labiis exultationis non remordente conscientia, referetis Domino omnem adipem.

SERMO CXIII.

Quod Deus protegit suos, ut non erogent diabolo tributum vitiorum ; de quadruplici fomento ignis diaboli.

Protexisti me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem. (Psal. 63, 3.)

Hæc vox est martyris, in cujus festo decantatur iste versus. Reddit gratias Domino, quod protexit eum *a conventu malignantium;* de quo conventu in Judith (1, 10 et 11) : Misit Nabuchodonosor ad universas regiones nuncios, ut colligerent tributa : « Qui omnes uno animo contradixerunt, et remiserunt eos vacuos. » Siquidem Nabuchodonosor est diabolus, qui mittit nuncios suos ad gentes universas, ut colligant sibi tributa peccati. Et utinam remitteremus eos vacuos, sicut legitur ibi factum fuisse. Sequitur ibidem (2, 1 et 2) : « Factum est verbum, videlicet concilium in domo Nabuchodonosor, ut defenderet se ; vocavitque omnes majores natu, omnesque duces, et bellatores suos. Notabilia. Siquidem dictum, quod factum est concilium in domo Nabuchodonosor, ut se defenderet, cum negatum fuit ei tributum. Porro diabolus minores, et majores dæmones convocat, ut se defendat, cum quis non dat ei tributum peccati, quoniam tunc impugnatur diabolus, cum ei non acquiescitur. Unde dicit primo : « *Protexisti me a conventu malignantium.* Mittit Nabuchodonosor illum, videlicet Holofernem, per quem potius opinatur subjugare adversarios suos ; ita diabolus facit. Holofernes enim interpretatur infirmans vitulum saginatum, et designat potentiam diaboli, qui infirmat omnes, quos invenit vitulos per lasciviam, saginatos per abundantiam temporalem, habitantes in regione occidentali : sol enim in occidente submergitur in occasum. Habitant igitur in occidente illi, in quibus lux gratiæ submergitur in tenebris vitiorum. Ad istos Holofernes mittitur, quia ubi occidit Sol justitiæ, ibi prævalet tentatio malitiæ; ut etiam destruat omnem urbem munitam, idest sibi subjiciat animam fidelem in via virtutum vallatam, et de diversis generibus vitiorum tribuat infestationem. De quibus liberatus est justus, sicut legitur in Ecclesiastico : Adjutor, et protector factus es mihi, et liberasti me secundum multitu-

dinem misericordiæ nominis tui; et ostenduntur diversa genera persecutionem, a quibus protegitur, videlicet : A rugientibus præparatis ad escam; de portis tribulationum; et a pressura flammæ, quæ circumdedit me. Siquidem a rugientibus, idest dæmonibus, liberasti me (1), de quibus Petrus in catholica : « Diabolus tanquam leo rugiens circuit (I Pet., 5, 8) : De portis tribulationum, videlicet quinque sensuum, per quas intrant tentationes, et tribulationes ad animam. Et a pressura flammæ, idest a vitiorum omnium calefactione, qua inceditur cor ad opera diaboli facienda; de qua accensione, Osee (7, 7) : « Succensi (2) sunt omnes quasi clibanus, et devoraverunt judices suos. Siquidem unusquisque nostrum habet judicem suum, scilicet rationem, quæ devoratur, cum exardescit caminus iniquitatis : liberatur vero a flammæ pressura, cum clauduntur quinque sensus, ne intret tentatio.

Item per hanc flammam designatur fornax Babylonis, in qua tres pueri missi sunt. Succendebatur quidem fornax « stuppa, naphtha, pice, et malleolis » (Dan., 3, 46) : Quid per stuppam, quæ igne accensa cito transit in favillam, nisi vanitas secularis designatur, quæ cito tanquam flamma transit? Quid per naphtham, quæ est superfluitas olivarum, cum de his extractum est oleum, nisi mens arida ab oleo gratiæ? Ecclesiastes (9, 8) : « Omni tempore vestimenta tua sint candida, et oleum de capite tuo non deficiat; » quasi dicat : Cave a torculari diaboli, qui oleum elicit, idest omne bonum gratiæ exprimit, et non remanet nisi fæx, et duritia peccati. Torcular diaboli est tentatio cum effectu. Per picem designatur immunditia peccati, et iniquitatis. Per malleolos, qui sunt sarmenta vitis resecata, signantur mali falce iniquitatis a Christo palmite resecati, qui fructum non faciunt. His quatuor accenditur clibanus diaboli; et hæc sunt fomenta diabolicæ tentationis : hæc sunt fomenta fornacis diaboli, a qua liberatur justus; unde clamat : *Protexisti me a conventu malignantium.*

Sequitur : *A multitudine operantium iniquitatem.* Quomodo autem connexi sunt mali ad impugnationem bonorum, dicit Job (41, 14) : Membra ejus cohærentia sibi; ubi alia littera (3) : « Vir fratri suo conglutinabitur : cohærent, et non divellentur. Mali autem conglutinantur glutino iniquitatis ad impugnationem justorum; nec divellentur, quoniam uno animo, uno desiderio impugnant bonum; nec in hoc separantur, quoniam simul continentur in malitia. Tunc dicit vir liberatus : *Protexisti me a conventu malignantium,* etc., et ita protexisti, quia sagittæ eorum tyrannidis torquentur in ipsos percussores, dum videlicet æternalitater puniuntur pro pœna, quam martyribus intulerunt. Unde in fine Abdiæ (1, 18) : « Erit domus Jacob ignis, et domus Joseph flamma, domus autem Esau stipula. » Siquidem videtur, quod percussores sunt ignis devorans justos quasi stipulam : Sed e converso Jacob, idest quilibet supplantator vitiorum, et Joseph justus, in quo est virtutum augmentum, erit ignis ultionis; cum eorum justitia, et humilitas erit causa pœnæ infernalis percussoribus. Erunt ignis, et flamma, qui modo videntur stipula; et domus Esau, scilicet mali, erunt stipula, qui designantur, per Esau, qui et Edom dicitur, idest sanguinolentus. Percussores siquidem sitientes sanguinem martyrum erunt favilla, et incendium ignis gehennalis.

SERMO CXIV.

De gaudio, et lætitia, quam habebunt Sancti in judicio, et habent in præsenti in parte. De vocatione ad judicium; de quatuor lucernis, quæ erunt in judicio.

Te decet hymnus, Deus, in Sion : et tibi reddetur votum in Jerusalem, etc. (Psal. 64, 2.)

Hæc est vox (4) revertentium de captivitate peccati : unde in exequiis defunctorum revertentium de miseriis hujus sæculi decantatur. De qua reversione, Isaiæ (30, 29) : « Canticum erit vobis sicut vox (5) sanctificatæ solemnitatis, et lætitia cordis, sicut qui pergit cum tibia, ut intret in montem

(1) Eccli. 51, 2 et 4 ad 6.
(2) Vulg. : Calefacti.
(3) Versio græca LXX.
(4) Hæc est vox, etc. Psalmus iste inscribitur : Canticum Jeremiæ, et Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperent exire, e Babylone scilicet, atque in Judæam reverti; uti explicat S. Augustinus *Enarrat.*, in eumdem Psalmum 64.
(5) Vulg. : nox.

Domini ad fortem Israel. » Hic agitur de solemnitate scenopegiæ, de qua præceptum est filiis Israel, ut ascenderent ad montem, et offerrent decimas bonorum suorum in templo Domini, datorem bonorum glorificantes. Hoc canticum pertinet ad nos, qui de peregrinatione hujus mundi ad Dominum ascendentes, manipulos de omnibus, quæ in hac vita bene fecimus, portabimus exultantes, et laudis tibia personantes : Ascendentes dico de mortalitate ad immortalitatem, cum tibia laudis, et gratiarum personantes ; et ut intremus in montem Domini ad fortem Israel, de fructibus totius anni portantes manipulos nostros, idest bona opera totius vitæ nostræ. Tunc enim Deus auditam faciet vocem, et gloriam vocis suæ, idest vocem gloriosam, et glorificantem : *Venite benedicti*, etc. Tunc etiam *ostendetur terror furoris sui in flamma ignis : Ite maledicti*, etc. De solemnitate dicit Hieronymus (1). Qui in profectu est (2), et certamine, festum celebrat tabernaculorum, ut de tabernaculo ad atrium, de atrio ad domum, de domo ad templum festinet. Tabernacula sunt militantium, et *vita hominis militia est* (Job, 7, 1), in qua debemus Deo militare, ut de hac militia ad atrium veniamus. Siquidem atrium interjacet inter domum, et portam. Porta autem est angustia tribulationum, per quam oportet nos intrare ad atrium, idest latitudinem caritatis; unde (Psal. 4, 2) : « In tribulatione dilatasti mihi; » et inde ad domum, idest quietem conscientiæ, et tranquillitatis; Dehinc ad templum orationis devotæ, vel glorificationis ascendamus; unde : *Tibi reddetur votum in Jerusalem*. Hic enim sacrificia, ibi holocausta offerentur. Unde Levitici ultimo (27, 2) : « Homo, qui votum fecerit, et sponpoderit Deo animam suam, dabit sub æstimatione pretium. » Quilibet etiam nostrum fecit *votum* solemne in baptismo, quod se totum Deo redderet, scilicet corpus, et animam; et ideo quicumque spopondit, tenetur reddere, et dare pretium de bene operando. Sed hoc facere debet sub æstimatione, scilicet secundum collationem diversarum gratiarum, sub æstimatione scilicet discreta, et differenti, quoniam cui plus committitur, ab eo plus exigitur. De hac æstimatione, in eodem (27, 25): « Omnis æstimatio siclo sanctuarii ponderabitur. Siclus habet viginti obolos. Viginti oboli sunt decem denarii, et significant bona opera in impletione decalogi, ut bis decem designent caritatem ad Deum, et proximum, et denarius mandatorum observantiam. Sub hac enim æstimatione solvendum est pretium.

Sequitur : Omnis caro ad te veniet. Item Joel ultimo (3, 11 et 13, ad 14) : « Erumpite, et venite omnes gentes de circuitu, et congregamini : ibi occumbere faciet Dominus omnes robustos, » et subditur : « Mittite falces, quoniam maturavit messis : venite, et descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia, quia multiplicata est malitia populi (3), quia juxta est dies Domini in valle concisionis. » Ecce quare differtur judicium, videlicet quoadusque compleatur malitia. Quod dicit hic Joel, *erumpite*, idem Hieronymus (4) : Surgite mortui de sepulcris, venite ad judicium Salvatoris. In valle concisionis dicitur notabiliter. Conscindentur reprobi flagello Domini, cum occumbere faciet Deus robustos, et boni rapientur obviam Christo in aera (I Thess., 4, 16) : « Scrutabor Jerusalem in lucernis, et visitabo super viros defixos in fæcibus suis.

Quatuor sunt lucernæ, in quibus visitabit, et scrutabitur Deus nos in judicio. Prima, sermo divinus; unde : « Lucerna pedibus meis verbum tuum » (Ps. 118, 105). Secunda, bona operatio; unde : « Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris » (Lucæ, 12, 35). Tertia, bona intentio; unde Matthæi (6, 22) : « Lucerna corporis tui est oculus tuus. » Ibi dicit Glossa : « Intentione mentis, et luce fidei omnes virtutes illustrantur, ut reddant lucidum corpus. » Quarta est humanitas Christi; unde (Psal. 131, 17) : « Paravi lucernam Christo meo. » His quatuor lucernis scrutabitur Deus homines in ju-

(1) Lib. III Comment. in c. 14 Zachar.
(2) Qui in profectu est, etc. In editis legitur : « Quamdiu in profectu sumus, et in cursu, atque certamine, habitamus in tabernaculis... Qui in istius modi habitat tabernaculis, et de tabernaculis ad atria, et de atriis ad domum, et de domo ad templum Domini ire festinat : debet celebrare solemnia tabernaculorum, etc.
(3) Vulg. : eorum.
(4) Idem Hieronymus, etc. In editis S. Hieronymi operibus id non invenimus. Sed Glossa interlinearis in illud Joelis : *Erumpite, et venite*, habet : « Erumpite e sepulcris, et venite ad judicium Dei. »

dicio, utrum opere compleverint doctrinam sacræ Scripturæ, et utrum opera digna gloria æterna fecerint, et utrum hæc intentione bona fecerint, et utrum humilitatem Christi imitati fuerint, ut a Christo, et cum Christo semper invenirentur vivificati, et nutriti, ne *in fœcibus suis,* idest peccatorum damnarentur.

SERMO CXV.

Quod beata Virgo dicitur domus, vel templum Dei, a qua repleti sumus; et de triplici studio nostro.

Replebimur in bonis domus tuæ: sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate. (Psal. 64, 6.)

Domus proprie hominis est templum Dei; sed hoc præcipue intelligi potest de beata Virgine. Beata autem Virgo et domus est Christi hominis, et templum Dei. Quæ verum Deum, et verum hominem genuit, ipsa bene potest dici domus, et templum. Istud equidem templum sanctificatum est *mirabile in æquitate.* Mirabile in æquitate oblationis, videlicet humanitatis, quam assumpsit Dei Filius ex Virgine. Decuit enim, ut tanta humilitas esset in redemptione, quanta fuit superbia in perditione. Unus enim creaturarum rationabilium, homo scilicet, quia elatus divinitatem concupivit, Dei Filius (1) creaturarum summus *se exinanivit formam servi accipiens* (Philip., 2, 7). Hæc est illa mirabilis æquitas, et mirabilis oblatio, mira videlicet humilitas contra impiam nostram superbiam : *In bonis* siquidem hujus *domus replebimur.* Orta est enim fames in Ægypto : Joseph congessit frumentum in cellarium ad refectionem totius populi. Fames in Ægypto, fames est in mundo, postquam verus Joseph, Christus videlicet, frumentum omnium virtutum congessit in cellarium suum, scilicet beatæ Virginis ad refectionem nostram; quam refectionem Propheta desiderans, dicit (Psal. 62, 2) : « Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. » Vere anima non potest satiari, nisi solo Deo; unde Augustinus : Cum ad solum Deum (2) appetendum creata sit anima, videtur ei nihil sufficere, quod non sit Deus. Constat profecto in te, o beata Maria, quoniam in cellarium uteri tui congessit summus paterfamilias omnia necessaria familiæ suæ. Quam refectionem ipsa caro multipliciter sitit, quia esuriendo, sitiendo, lassescendo, non invenit homo remedium in temporalibus; unde Gregorius : Quidquid sibi parat (3) homo ad solatium, vertitur ei in tædium. Ideoque fames est in mundo; propter quod videlicet cellarium uteri virginalis munivit Deus illo frumento, de quo dicitur (Joan., 12, 24 et 25) : « Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet, etc. »

Ideo bene dicitur : *Replebimur*, idest iterum, et iterum, quasi bis implebimur, videlicet corporis immortalitate, et animæ glorificatione; quoniam ex ipsa beata Virgine habemus quod supplet in nobis quidquid deerat, videlicet corruptione naturæ, et defectu virtutum, et abundantia vitiorum. Hunc triplicem defectum notat Jeremias (4, 23) : « Aspexi terram, et ecce erat quasi vacua, et quasi nihil » (4). Siquidem corruptionem hominis ostendit, cum dicit : *Aspexi terram;* quoniam per peccatum homo in terram, et terrenitatem est reversus, qui ad imaginem Dei factus fuerat; unde dicit Job (38, 14) : « Restituetur ut lutum signaculum. » De vili siquidem luto factus est homo in prima sui conditione : honorem autem accepit, cum factus est ad imaginem, et similitudinem Dei. Hunc autem honorem amisit per peccatum, et rediit ad pristinum statum, scilicet vilitatem, et corruptionem. Restituitur autem per fructum uteri virginalis; ideo dicitur : Restituetur ut lutum signaculum. Dicens igitur Jeremias : *Aspexi terram,* corruptionem ostendit; defectum autem virtutum, cum dicit : *Ecce vacua erat.* Mens enim hominis est virtutibus vacua, cum est peccatis plena;

(1) Dei Filius, etc. In Epistola ad Colossenses, cap. 1, vers. 15. Dei Filius dicitur *primogenitus omnis creaturæ;* idest, uti explicat Glossa interlinearis : *Ante omnem creaturam genitus;* et : *Ipse solus genitus, alia creata.* Eodem sensu hic dicitur *creaturarum summus*, idest supra omnes creaturas.

(2) Cum ad solum Deum, etc. Videtur sumpta sententia ex lib. I Confess., c. 1 : « Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. »

(3) Quidquid sibi parat, etc. Forte ex Homil. 36, in Evang. : « Corporales deliciæ cum non habentur, grave in se desiderium accendunt : cum vero habitæ eduntur, comedentem protinus in fastidium vertunt ».

(4) Vulg. : ecce vacua erat, et nihili.

Domini ad fortem Israel. » Hic agitur de solemnitate scenopegiæ, de qua præceptum est filiis Israel, ut ascenderent ad montem, et offerrent decimas bonorum suorum in templo Domini, datorem bonorum glorificantes. Hoc canticum pertinet ad nos, qui de peregrinatione hujus mundi ad Dominum ascendentes, manipulos de omnibus, quæ in hac vita bene fecimus, portabimus exultantes, et laudis tibia personantes : Ascendentes dico de mortalitate ad immortalitatem, cum tibia laudis, et gratiarum personantes; et ut intremus in montem Domini ad fortem Israel, de fructibus totius anni portantes manipulos nostros, idest bona opera totius vitæ nostræ. Tunc enim Deus auditam faciet vocem, et gloriam vocis suæ, idest vocem gloriosam, et glorificantem : *Venite benedicti*, etc. Tunc etiam *ostendetur terror furoris sui in flamma ignis : Ite maledicti*, etc. De solemnitate dicit Hieronymus (1). Qui in profectu est (2), et certamine, festum celebrat tabernaculorum, ut de tabernaculo ad atrium, de atrio ad domum, de domo ad templum festinet. Tabernacula sunt militantium, et *vita hominis militia est* (Job, 7, 1), in qua debemus Deo militare, ut de hac militia ad atrium veniamus. Siquidem atrium interjacet inter domum, et portam. Porta autem est angustia tribulationum, per quam oportet nos intrare ad atrium, idest latitudinem caritatis; unde (Psal. 4, 2) : « In tribulatione dilatasti mihi; » et inde ad domum, idest quietem conscientiæ, et tranquillitatis; Dehinc ad templum orationis devotæ, vel glorificationis ascendamus; unde : *Tibi reddetur votum in Jerusalem*. Hic enim sacrificia, ibi holocausta offerentur. Unde Levitici ultimo (27, 2) : « Homo, qui votum fecerit, et sponpoderit Deo animam suam, dabit sub æstimatione pretium. » Quilibet etiam nostrum fecit *votum* solemne in baptismo, quod se totum Deo redderet, scilicet corpus, et animam; et ideo quicumque spopondit, tenetur reddere, et dare pretium de bene operando. Sed hoc facere debet sub æstimatione, scilicet secundum collationem diversarum gratiarum, sub æstimatione scilicet discreta, et differenti, quoniam cui plus committitur, ab eo plus exigitur. De hac æstimatione, in eodem (27, 25): « Omnis æstimatio siclo sanctuarii ponderabitur. Siclus habet viginti obolos. Viginti oboli sunt decem denarii, et significant bona opera in impletione decalogi, ut bis decem designent caritatem ad Deum, et proximum, et denarius mandatorum observantiam. Sub hac enim æstimatione solvendum est pretium.

Sequitur : Omnis caro ad te veniet. Item Joel ultimo (3, 11 et 13, ad 14) : « Erumpite, et venite omnes gentes de circuitu, et congregamini : ibi occumbere faciet Dominus omnes robustos, » et subditur : « Mittite falces, quoniam maturavit messis : venite, et descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia, quia multiplicata est malitia populi (3), quia juxta est dies Domini in valle concisionis. » Ecce quare differtur judicium, videlicet quoadusque compleatur malitia. Quod dicit hic Joel, *erumpite*, idem Hieronymus (4) : Surgite mortui de sepulcris, venite ad judicium Salvatoris. In valle concisionis dicitur notabiliter. Conscindentur reprobi flagello Domini, cum occumbere faciet Deus robustos, et boni rapientur obviam Christo in aera (I Thess., 4, 16) : « Scrutabor Jerusalem in lucernis, et visitabo super viros defixos in fæcibus suis.

Quatuor sunt lucernæ, in quibus visitabit, et scrutabitur Deus nos in judicio. Prima, sermo divinus; unde : « Lucerna pedibus meis verbum tuum » (Ps. 118, 105). Secunda, bona operatio; unde : « Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris » (Lucæ, 12, 35). Tertia, bona intentio; unde Matthæi (6, 22) : « Lucerna corporis tui est oculus tuus. » Ibi dicit Glossa : « Intentione mentis, et luce fidei omnes virtutes illustrantur, ut reddant lucidum corpus. » Quarta est humanitas Christi; unde (Psal. 131, 17) : « Paravi lucernam Christo meo. » His quatuor lucernis scrutabitur Deus homines in ju-

(1) Lib. III Comment. in c. 14 Zachar.
(2) Qui in profectu est, etc. In editis legitur : « Quamdiu in profectu sumus, et in cursu, atque certamine, habitamus in tabernaculis... Qui in istius modi habitat tabernaculis, et de tabernaculis ad atria, et de atriis ad domum, et de domo ad templum Domini ire festinat : debet celebrare solemnia tabernaculorum, etc.
(3) Vulg. : eorum.
(4) Idem Hieronymus, etc. In editis S. Hieronymi operibus id non invenimus. Sed Glossa interlinearis in illud Joelis : *Erumpite, et venite*, habet : « Erumpite e sepulcris, et venite ad judicium Dei. »

dicio, utrum opere compleverint doctrinam sacræ Scripturæ, et utrum opera digna gloria æterna fecerint, et utrum hæc intentione bona fecerint, et utrum humilitatem Christi imitati fuerint, ut a Christo, et cum Christo semper invenirentur vivificati, et nutriti, ne *in fœcibus suis,* idest peccatorum damnarentur.

SERMO CXV.

Quod beata Virgo dicitur domus, vel templum Dei, a qua repleti sumus; et de triplici studio nostro.

Replebimur in bonis domus tuæ: sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate. (Psal. 64, 6.)

Domus proprie hominis est templum Dei; sed hoc præcipue intelligi potest de beata Virgine. Beata autem Virgo et domus est Christi hominis, et templum Dei. Quæ verum Deum, et verum hominem genuit, ipsa bene potest dici domus, et templum. Istud equidem templum sanctificatum est *mirabile in æquitate.* Mirabile in æquitate oblationis, videlicet humanitatis, quam assumpsit Dei Filius ex Virgine. Decuit enim, ut tanta humilitas esset in redemptione, quanta fuit superbia in perditione. Unus enim creaturarum rationabilium, homo scilicet, quia elatus divinitatem concupivit, Dei Filius (1) creaturarum summus *se exinanivit formam servi accipiens* (Philip., 2, 7). Hæc est illa mirabilis æquitas, et mirabilis oblatio, mira videlicet humilitas contra impiam nostram superbiam : *In bonis* siquidem hujus *domus replebimur.* Orta est enim fames in Ægypto : Joseph congessit frumentum in cellarium ad refectionem totius populi. Fames in Ægypto, fames est in mundo, postquam verus Joseph, Christus videlicet, frumentum omnium virtutum congessit in cellarium suum, scilicet beatæ Virginis ad refectionem nostram; quam refectionem Propheta desiderans, dicit (Psal. 62, 2) : « Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. » Vere anima non potest satiari, nisi solo Deo; unde Augustinus : Cum ad solum Deum (2) appetendum creata sit anima, videtur ei nihil sufficere, quod non sit Deus. Constat profecto in te, o beata Maria, quoniam in cellarium uteri tui congessit summus paterfamilias omnia necessaria familiæ suæ. Quam refectionem ipsa caro multipliciter sitit, quia esuriendo, sitiendo, lassescendo, non invenit homo remedium in temporalibus; unde Gregorius : Quidquid sibi parat (3) homo ad solatium, vertitur ei in tædium. Ideoque fames est in mundo; propter quod videlicet cellarium uteri virginalis munivit Deus illo frumento, de quo dicitur (Joan., 12, 24 et 25) : « Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet, etc. »

Ideo bene dicitur : *Replebimur,* idest iterum, et iterum, quasi bis implebimur, videlicet corporis immortalitate, et animæ glorificatione; quoniam ex ipsa beata Virgine habemus quod supplet in nobis quidquid deerat, videlicet corruptione naturæ, et defectu virtutum, et abundantia vitiorum. Hunc triplicem defectum notat Jeremias (4, 23) : « Aspexi terram, et ecce erat quasi vacua, et quasi nihil » (4). Siquidem corruptionem hominis ostendit, cum dicit : *Aspexi terram;* quoniam per peccatum homo in terram, et terrenitatem est reversus, qui ad imaginem Dei factus fuerat; unde dicit Job (38, 14) : « Restituetur ut lutum signaculum. » De vili siquidem luto factus est homo in prima sui conditione : honorem autem accepit, cum factus est ad imaginem, et similitudinem Dei. Hunc autem honorem amisit per peccatum, et rediit ad pristinum statum, scilicet vilitatem, et corruptionem. Restituitur autem per fructum uteri virginalis; ideo dicitur : Restituetur ut lutum signaculum. Dicens igitur Jeremias : *Aspexi terram,* corruptionem ostendit; defectum autem virtutum, cum dicit : *Ecce vacua erat.* Mens enim hominis est virtutibus vacua, cum est peccatis plena;

(1) Dei Filius, etc. In Epistola ad Colossenses, cap. 1, vers. 15. Dei Filius dicitur *primogenitus omnis creaturæ;* idest, uti explicat Glossa interlinearis : *Ante omnem creaturam genitus;* et : *Ipse solus genitus, alia creata.* Eodem sensu hic dicitur *creaturarum summus*, idest supra omnes creaturas.

(2) Cum ad solum Deum, etc. Videtur sumpta sententia ex lib. I Confess., c. 1 : « Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. »

(3) Quidquid sibi parat, etc. Forte ex Homil. 36, in Evang. : « Corporales deliciæ cum non habentur, grave in se desiderium accendunt : cum vero habitæ eduntur, comedentem protinus in fastidium vertunt ».

(4) Vulg. : ecce vacua erat, et nihili.

unde in Genesi (1, 2): « Terra autem erat inanis, et vacua. » Inanis dicitur mens hominis sequentis inania temporalia, et per hoc vacua est a gratia; unde ibidem: « Spiritus Dei ferebatur super aquas ». Nomine aquarum mens sequens inania designatur. Super aquas non requiescet (1) spiritus meus, etc. Aqua elationes habet, et cor hominis elationes habet superbiæ. Aqua habet inquietudinem, similiter et cor humanum inquietatur per avaritiam. Aqua radios solis non recipit, sed repercutit, ita et isti, qui non tremunt sermones Dei, eos non recipiunt; unde bene dicit: *Et ecce vacua erat.* Quod sequitur: *Et quasi nihil,* designat statum peccatoris; siquidem peccator non est omnino nihil, sed quasi nihilum, quoniam scintilla rationis penitus in eo non extinguitur per peccatum, imo redeunte gratia potest reaccendi. Ideo bene dicitur: *Replebimur in bonis domus tuæ;* quoniam et ipsa beata Virgo Maria nobis acquirit misericordiam, ut qui *quasi nihil* erat per peccatum primorum parentum, fiat aliquid per reformationem Jesu Christi, et gratiæ ablutionem in sacramentis. Item ipsa acquirit nobis gratiam, ut homo vacuus a virtutibus, repleatur virtutibus, et operibus bonis. Ipsa autem peperit Filium, quo corruptio naturæ reformatur, et reparatur, et ita *terra* mentis hominis *inanis,* et *vacua,* et *quasi nihil,* in hoc cellario reperit reformationem. Item *replebimur in bonis* hujus *domus,* quoniam homo in ipsa conditione fuit quasi arbor solida, et plena, sed per peccatum quasi stipula sicca; unde Job (13, 25): « Stipulam siccam persequeris. » Venit igitur beata Virgo Maria plena gratia, de cujus plenitudine, salva reverentia Filii, omnes accepimus, ut omnes nos pauperes, venumdati sub peccato, per eam accipiamus pretium nostræ redemptionis, per quam *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis* (Isa. 9, 6). Filium suum dedit nobis beata Maria, ut pauper habeat pretium, quod persolvat, et de stipula sicca revertatur in arborem fructiferam.

(1) Super aquas non requiescet, etc. Alludit ad illud Isaiæ, cap. 66, vers. 2: « Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos? » Quem locum S. Augustinus *Enarrat.* in Psal. 103, Serm. 2, et alibi legit: « Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, et quietum »? Et S. Gregorius lib. V. Moral., in cap. 4 Job, num. 78 testatur, sic esse scriptum juxta vetustam translationem.

SERMO CXVI.

De benignitate Dei, quam contulit nobis per adventum suum; De quadruplici corona, scilicet contemplativorum, pastorum, conjugatorum, et parvulorum; de diversorum ubertate.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: et campi tui replebuntur ubertate, etc. (Psal. 64, 12, ad 14.)

Siquidem benedictio Domini est bonorum multiplicatio, et confirmatio gratiæ; unde Ecclesiastici (3, 11): « Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio matris eradicat fundamenta. » De benignitate, ad Titum (3, 4): « Apparuit benignitas, et humanitas Salvatoris nostri Dei. » De benignitate siquidem an non simile dicit Isaias? (61, 1 et 2.) « Spiritus Domini super me, eo quod unxit (2) me, ad evangelizandum pauperibus (3) misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domino. » Annus quidem placabilis est tempus gratiæ, in quo placari potest Deus etiam sæpe offensus. Benignitas quidem Christi apparet in hoc, quod ipse medetur his, qui sagittis timoris ejus vulnerantur: Indulget captivis, cum captivatos, et peccati carcere detentos, peccatorum vinculis adstrictos, damnationique addictos, donec novissimum redderent quadrantem, cum pœniteant, reddit libertati, dimittens culpam, et pœnam. *Et clausis apertionem;* unde Isaiæ (22, 22): « Dabo clavem domus David super humerum ejus. » Magna enim ostenditur benignitas, quod Christus in humeris bajulat crucem, quæ nobis, qui sumus David, facta est clavis Paradisi. Zachariæ (9, 11): « Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti, vel eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non est, vel erat aqua. »

Hujus *anni* corona est præmium æternum, quod scilicet ad modum coronæ caret principio, et fine, videlicet ipse Deus, quo coronabitur qui bene certaverit, quilibet modo suo. De hoc, Zachariæ (6, 14): « Coronæ erunt Helem, et Idajæ, et Tobiæ, et Hem, filio Sophoniæ, memoriale in templum (2)

(2) Vulg.: unxerit.
(3) Vulg.: ad annunciandum mansuetis.
(4) Vulg.: templo.

Domini. Helem, qui interpretatur somnus, significat quietem contemplativorum, qui reclinato capite in petra cum Jacob dormiunt, a tumultu, et sollicitudine temporalium quiescendo. Capiti enim petram supponere, est mentem suam in Christo collocare. Et quia multi nunc per torporem quiescunt in claustris, scilicet in spiritualibus officiis, sicut dicitur in Deuteronomio (33, 20): Benedictus Gad, quasi leo requievit in latitudine, » scilicet caritatis. Gad est claustralis, vel contemplativus, et interpretatur accinctus, non in torpore accidiæ, ut carnem blandiendo foveat, sed in latitudine caritatis accinctus contra diabolum, requiescens ut leo apertis oculis, habens videlicet apertos oculos ad Deum, et clausos ad temporalia. Helem autem, et alio nomine *Holdai*, quod interpretatur deprecatio Domini; debent enim contemplativi orationi vacare : *Idajas* interpretatur Domini notus, et significat pastores Ecclesiæ per Moysen significatos, cui dictum est a Deo: « Novi te ex nomine » (Exodi 33, 17); et Isaiæ (1) : Vocavi te (2) ex nomine, servus meus es tu Israel : cum transieris per ignem, flamma non nocebit tibi; et cum per aquas, flumina non operient te. » Tobias bonus Domini interpretatur, et significat conjugatos, qui triplici bonitate resplendent, fide, prole, sacramento, quod quantum est in ipsis, custodiunt. *Hem* interpretatur gratia Dei, et significat parvulos, qui solum gratia Dei sine merito operis sui coronantur æterna felicitate; qui bene dicuntur *filii Sophoniæ*, qui interpretatur visitatio Dei : sola enim visitatione, et misericordia Dei glorificantur parvuli. Et quoniam mirabilis est Deus in Sanctis suis (Psal. 67, 36), coronæ eorum erunt ipsius Dei, qui in omnibus Sanctis triumphat ; unde in eodem Zacharia (6, 10 et 11) : Sumes a transmigratione ab Holdai, Idaja, et Tobia aurum, et argentum : et facies coronas, quas impones capiti (3) Jesu filii Josedec magni Sacerdotis. Ab his videlicet Contemplativis transmigrantibus de vitiis ad virtutes, et prælatis, et conjugatis *sumes aurum*, idest opera caritatis ignitæ, *et argentum*, idest veræ fidei confessionem ; de quibus *facies coronas Jesu* vero *Sacerdoti*, qui in omnibus eis triumphat. Sed de *Hem* nulla fit hic mentio; quoniam a parvulis non sumitur *aurum* operationis, nec *argentum* confessionis, quia eorum ætas prohibet : tamen in eis, sicut in adultis triumphat Deus.

Sequitur : *Et campi tui replebuntur ubertate*. Campi dicuntur, qui se arabiles præbuerunt aratro prædicationis ; et non solum dicit, quod implebuntur, sed replebuntur ; quasi dicat : Plenitudine operum replebuntur ubertate præmiorum. Et ita, *pinguescent speciosa deserti;* quasi dicat : Mentes a vitiis desertæ, quæ dicuntur deserta, quæ sunt conversa in speciosa, in glorificatione pinguescent. Unde Joel (2, 22) : « Germinaverunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructrum suum, ficus, et vinea dederunt virtutem suam, scilicet fructum beatitudinis æternæ. Deserta conversa sunt in speciosa, quia lignum crucis attulit fructum suum. Ficus dulcedinis gratiæ, et vinea, idest Ecclesia suos inebrians vino eloquii, dederunt virtutem, qua effectum consequuntur in subsidiis in præsenti, sed postmodum ubertatem consequentur in futuro ; tunc enim pinguescent hoc fructu, cum æterna beatitudine perfruentur.

Et tunc *exultatione colles accingentur*. Per colles designantur prædicatores, qui in se humiles, a Deo exaltati accinguntur exultatione ; unde (Psal. 149, 6 et 7) : « Gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam, » in die judicii « in nationibus. » Sequitur : « Induti sunt arietes ovium ; » per quos prædicatores designantur. Ut notentur duces ovium Domini, induentur veste, scilicet nuptiali ; unde Danielis (12, 3) : « Qui docti fuerint, fulgebunt (4) tanquam firmamentum, et qui docuerint, erunt quasi stellæ in perpetuum. » Sequitur : *Valles abundabunt frumento*. Per valles designantur virgines, quia virginitas, sicut lilia convallium, crescit in humilitate. Abundabunt frumento, licet hic sint infructuosi. Granum videlicet, quod cadens in terra mortuum est, multum fructum affert. Vel valles abundabunt fru-

(1) Isaiæ 43, 1 et 2.
(2) Vulg. Vocavi te nomine tuo : meus es tu. Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te : cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te.

(3) Vulg. : et pones in capite.
(4) Vulg. : fulgebunt quasi splendor firmamenti : et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

mento, idest virgines in valle humilitatis Domino servientes, licet hic fuerint infœcundi, tunc multum fructum afferent. *Clamabunt* non in angustia, et timore; sed Agnum sequentes, quocunque ierit, hymnum dicent.

SERMO CXVII.

De multiplici ferculo, quo reficitur Ecclesia a Christo. De multiplici oblatione, quam offert Ecclesia Christo.

Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum : offeram tibi boves cum hircis. (Psal. 65, 15.)

Quoniam Ecclesia ad magnam sedet mensam, edocta a Salomone in Parabolis, similia præparat, et offert Deo. Ad quam mensam sedeat Ecclesia, docemur in Cantico Deuteronomii (32, 13 et 14) : « Constituit eum super excelsam terram, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo, butyrum de armento, et lac de ovibus cum adipe agnorum, et arietum filiorum Basan, et hircos cum medulla tritici, et sanguinem uvæ biberet meracissimum. » Constituta est Ecclesia super excelsam terram, idest super excelsam conversationem, ut sugeret mel de petra Christo. Christus siquidem, saxum infirmum ante passionem, dedit mel, idest dulcedicem miraculorum. Idem autem Christus, durissimum, et firmum saxum post resurrectionem, per adventum Spiritus Sancti dedit oleum sanctæ conversationis; de quo oleo, Isaiæ (10, 27) : « In die illa auferetur onus ejus de humero tuo, et jugum ejus a collo tuo, et computrescet jugum a facie olei, » idest jugum peccati a præsentia gratiæ Spiritus sancti, quoniam scilicet, Domino infundente gratiam, peccator a se repellit omnem occasionem peccandi. Sequitur : « Butyrum de armento, et lac de ovibus cum adipe agnorum. » Butyrum est pinguedo fidei, et caritatis; armentum, Patriarchæ, et Prophetæ, et ipsorum doctrina, quorum exemplo minores in Ecclesia nutriuntur; de quo butyro, Job (29, 2 et 6) : « Quis mihi det, ut sim juxta dies pristinos, quando lavabam pedes meos butyro ? » Juxta dies pristinos pedes Ecclesiæ lavantur, dum ad exemplum Sanctorum præcedentium minores in Ecclesia infusione pinguedinis refocillantur : solent enim pedes asperitate itineris lacerari.

Et lac de ovibus. Oves siquidem sunt Apostoli; unde : « Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum » (1), de quibus habemus lac sanctæ, et dulcis prædicationis, et exemplum bonæ conversationis; unde Isaiæ (60, 4) : « Filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent. » Sequitur : « Cum adipe agnorum, et arietum filiorum Basan. » Basan interpretatur pinguedo : Arietes filii Basan, idest pinguedinis, sunt prælati administrantes subditos pinguedine caritatis, et doctrina Scripturarum; unde Isaiæ (60, 7) : « Arietes Nabajoth ministrabunt tibi ». Nabajoth interpretatur propheta; filii ergo Nabajoth, filii prophetarum, videlicet prælati Ecclesiæ, qui subministrant nobis adipem Scripturarum in doctrina, et exemplo suo, dum sedent ad mensam Domini, scilicet sacræ Scripturæ; de qua mensa Job (36, 16) : « Requies mensæ tuæ plena erit pinguedine. » Requies, et pinguedo Scripturæ dicitur, quoniam in ipsa est requies a peccatis serenæ conscientiæ, et bonæ, et pinguedo caritatis. Vel mensa sacræ Scripturæ plena est pinguedine caritatis, et requie, quia operatur caritatem, et requiem interiorem. Sequitur : « Et hircos cum medulla tritici. » Hirci sunt pœnitentes, qui dicuntur cum medulla, eo quod sua peccata redimunt eleemosynis, sumentes in Sacramento altaris medullam tritici; de quo tritico : « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, etc. » (Joan. 12, 24.) Sumunt etiam in eodem Sacramento sanguinem uvæ, quam uvam tulerunt exploratores vineæ terræ promissionis; de quo vino, et frumento, Zachariæ (9, 17) : *Quid bonum est, aut quid pulchrum est, nonne frumentum electum* (2) *et vinum germinans virgines?* quasi dicat : Nihil melius, vel pulchrius illo frumento electo, scilicet Eucharistia, et vino, quod germinat virgines, quæ germinatio fit cum peccator pœnitens, per participationem Sacramentorum redditur munditiæ, et virginitati mentis.

Ad hanc mensam sedens Ecclesia præparat, et offert quotidie similia, dicens : *Holocausta medullata offeram tibi.* Hi sunt martyres, quorum caritas inossata est;

(1) Matth., 10, 16.

(2) Vulg. : electorum.

unde : Fortis est ut mors dilectio, et dura sicut infernus æmulatio (Cantic. 8, 6). Ideo dicitur caritas martyrum inossata, quoniam sicut mors omnia superat, ita et caritas eorum omnia superabat tormenta : et sicut hi, qui in inferno sunt, nullis tormentorum malleis deficere possunt, nec superari, ita nec caritas martyrum poterat extingui. *Cum incenso arietum.* Per incensum, virgines in Ecclesia. *Quasi libanus odorem suavitatis habete, et florete flores, quasi lilium* (Eccli. 39, 18 et 19). Libanus interpretatur thus, et significat virgines, quæ *odorem*, tanquam thus, bonæ famæ, et florem bonæ conversationis offerunt Domino. Arietes sunt Apostoli; unde in Parabolis (30, 29, ad 32) : « Tria sunt, quæ bene gradiuntur : Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum; Gallus succinctus lumbos; et Aries : nec est, qui resistat ei; et quartum, quod incedit feliciter »; sed non bene, subaudi; videlicet stultus, qui feliciter incedere videtur, cum elevatus est in sublime : sed quanto gradus altior, tanto casus gravior. *Offeram tibi boves cum hircis.* Boves sunt prædicatores; unde in Parabolis (14, 4) : « Ubi boves non sunt, præsepe vacuum est : Ubi plurimæ segetes », virtutum scilicet, « ibi apparet (1) boum fortitudo. » Cum quibus etiam offeruntur Deo hirci, idest pœnitentes, sicut dicit Isaias (41, 19) : « Ponam in deserto abietem, ulmum, et buxum simul. » Siquidem ulmus, licet sit arbor infructuosa, tamen ponitur cum iis fructiferis. Ulmus enim ex se fructus non habet, sed vitis fructus portans, eos ostendit quasi suos; ideoque ulmus pœnitentem significat, qui de bonis temporalibus a Deo datis, eleemosynis peccata sua redimit, ut secundum Evangelium, *de mammona iniquitatis*, idest inæqualitatis, idest de pecunia inæqualiter posessa, faciat *sibi amicos*, ut cum magistris suis Domino offeratur (2). Hirci sunt pœnitentes, ut dictum est, qui offeruntur cum bobus, quia portando bonos, et sustentando, bona illorum faciunt sua : « Qui enim recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet » (Matth. 10, 41). Non dicit mercedem pro propheta, sed mercedem prophetæ, quia tantam, quantam propheta, recipiet.

(1) Vulg. : manifesta est fortitudo bovis.
(2) Luca, 16, 9.

SERMO CXVIII.

De multiplici petitione pœnitentis, quæ notatur in Psalmo sequenti.

Deus misereatur nostri, et benedicat nobis : illuminet vultum suum super nos, et misereatur. (Psal. 66, 2.)

In hoc versu quatuor petuntur a Domino. Primo petitur misericordia, quæ consistit in peccatorum emendatione, relaxans peccata; ibi : *Deus misereatur nostri.* Secundo benedictio in gratiæ multiplicatione; ibi : *Benedicat nobis.* Tertio illuminatio mentis, et operum illustratio; ibi : *Illuminet vultum suum super nos.* Quarto misericordia, quæ consistit in collatione gloriæ; ibi : *Et misereatur nostri.* Dicit ergo : *Deus misereatur nostri.* Hoc est enim peccatoris refugium, ut Deus misericorditer agat cum ipso; ideoque imploranda est misericordia. Unde in Evangelio (Lucæ, 14, 31 et 32) : « Quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, nonne prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt (3), si possit occurrere ei cum decem millibus, qui cum viginti millibus venit ab se? Alioquin adhuc eo longe agente, mittit legationem, et rogat ea, quæ pacis sunt. » Rex iste siquidem homo est, cui Deus commisit regnum, videlicet villicationem corporis, et animæ. Veniet autem quasi ad bellum, cum ad disceptationem in judicio apparebit, dicens : « Redde rationem villicationis tuæ » (Ibid. 16, 2). Decem millia est perfectio operum; virginti millia duplex perfectio est, scilicet perfectio cogitationum, et operum; quam perfectionem Christus habuit. Cogitet igitur unusquisque nostrum, utrum cum utraque istarum perfectionum possit ei occurrere, vel saltem si perfectionem operum habet. Alioquin longe eo agente, idest Christo judicium differente, legationem ad eum mittamus lacrymarum, orationum, et eleemosynarum; et ita rogemus ea, quæ pacis sunt, dicentes : *Deus misereatur nostri.* Hoc est quod dicit Job (9, 3) : « Si volueris contendere cum eo, non poteris respondere unum pro mille »; quasi dicat : Si volueris perfectionem tuam allegare, non pro mille poteris. Petit Deus ab homine mille, idest perfectionem plenam; et unum respondere non sufficit homo : Unum, idest

(3) Vulg. : non sedens prius cogitat, si..

initium perfectionis, quia vix initium perfectionis in suis actibus ostendit; unde in eodem capite sequitur (9, 30 et 31) : « Si lotus fuero quasi aquis nivis, et effulserint velut mundissimæ manus meæ : tamen sordibus intinges me. » Aquæ nivium fiunt ex resolutione nivium, et designant aquas contritionis, et compunctionis effluentes, quando duritia peccatorum resolvitur. Si enim aquis compunctionis lotus fuero, nescio tamen utrum plene contritus, et compunctus sim digne. Ideo bene apponuntur hæ dictiones, *quasi*, et, *velut*. Quantumcunque fleat homo, nescit, utrum plene contritus sit; et quantumcunque operatus fuerit, utrum munda, et meritoria sint opera ejus ; quoniam si velut mundissimæ fuerint manus meæ, idest opera mea velut pura, tamen sordibus intinget me judicans districte, quia ad comparationem ipsius sunt opera nostra *quasi pannus menstruatæ* (Isa. 64, 6); unde dicit : *Deus misereatur nostri.*

Sequitur : *Et benedicat nobis.* Benedictio siquidem Domini designat multiplicationem gratiæ, et bonorum operum; unde Ecclesiastici (39, 27) : « Benedictio illius quasi fluvius inundavit. » Siquidem *fluvius* continuas habet aquas; et ideo merito gratiam designat, quæ quandoque homini advenit cum tanta abundantia, et descendit, quod nullus obex peccati resistit : et sicut in fluvio aquæ aquis succedunt, et continuantur, ita gretia succedit, et opera bona aperibus bonis continuantur, nisi obice peccati gratiæ fluxum interrumpamus. Unde subditur verbum terribile de interruptione (39, 28) : « Quomodo cataclysmus inebriavit aridam terram, ita ira Dei gentes, quæ non exquirunt (1) eum. Hoc verbum terribile est eis, qui interrumpunt gratiam Spiritus Sancti. Sicut enim cataclysmus, idest generale diluvium *inebriavit aridam*, ita ira Domini inebriabit gentes, quæ non exquirunt eum. De quo fluvio, Isaiæ (59, 19, ad 21) : » Cum venerit quasi fluvius violentus, quem Spiritus Domini cogit, et venerit Sion redemptor, et eis, qui redeunt ab iniquitate in Jacob : Hoc est fœdus meum cum eis, dicit Dominus. » Fluvius iste est infusio gratiæ, ut dictum est, quam cogit exire ad hominem *Spiritus Domini*, idest amor, ipsa bonitas, et sola caritas. Ipse venit quasi redemptor Sion, idest speculanti Deum, et Jacob, idest supplantanti, et luctanti contra iniquitatem, ut eam superet. Unde bene subjungitur : *Hoc est fœdus meum*, videlicet ut ego eos redimam, et miserear eis, et salvem; et ipsi obediant mihi.

(1) Vulg. : exquisierunt.
(2) Vulg. : speciem.

Sequitur : *Illuminet vultum suum super nos ;* unde Ecclesiastici (40, 22) : « Gratiam, et spem (2) desiderabit oculus ejus, et super hæc virides sationes. » Oculus siquidem divinæ misericordiæ respicit hominem, cum ei facit quod ipse desiderat, dando ei gratiam in reformatione mentis, et spem in illuminatione boni operis ; et superaddit sationes, idest gloriæ æternitatem. Sicut enim satio habet spem fructus, sic opera bona spem gloriæ. Virides dicit, quia immarcescibilis est, et æterna felicitas venturæ remunerationis, et quasi semper succrescens; unde Osee (14, 6) : « Ero quasi ros, Israel germinabit quasi (3) lilium. » Per lilium designatur candor æternitatis ; in germine, quod est certum initium fructus, designatur beatitudo illa æterna. quia sicut germen est initium rei, ita beatitudo æterna semper erit quasi initium, quia nullius finis sectione rumpetur ; unde Apocalypsis (21, 10 et 11) : « Ostendit mihi » Angelus « civitatem habentem claritatem Dei, et lumen ejus simile lapidi pretioso, sicut lapidi jaspidis, et sicut crystallus. »

Civitas ista est Ecclesia, vel fidelis anima habens claritatem, idest illuminationem a Deo collatam, et lumen ejus sicut lapis pretiosus. Quis autem sit ille lapis pretiosus, ostenditur cum subditur ibidem (Apoc., 21, 21) : « Portæ ejus ex singulis margaritis ; et in Tobia (13, 21) : « Portæ ejus ex sapphiro, et smaragdo, et lapide pretioso. » Margarita lapis est candidus, et ex omni parte perforabilis. Notabiliter ergo designat margarita lumen felicitatis æternæ, quoniam in candore margaritæ declaratur justi castitas interior, et exterior ; in perforabilitate, ipsius justi patientia designatur. Candor enim castitatis, et patientia sunt lumen Ecclesiæ. Jaspis propter perpetuum virorem designat boni operis perseverantiam. Crystallus, quia est perspicua, simplicitatem cordis designat, et oris confessionem. Crystallus enim nihil occultat, imo

(3) Vulg. : sicut.

omnia, quæ intus habet, indicat; et confessio manifestat cordis occulta.

Sequitur : *Et misereatur nostri.* Hic petit misericordiam, quæ post collationem gratiæ confertur in collatione gloriæ, quæ semper durat; unde Ecclesiastici (40, 16 et 17) : « Super omnem aquam viriditas, et ad oram fluminis ante omne fœnum evelletur. Gratia sicut paradisus in benedictionibus, et misericordia in sæculum permanet. » Aqua siquidem labilis est omnis transitoria delectatio, quæ modo videtur viridis, et in ora fluminis, idest in initio voluptatis; et ipsa ante omne fœnum, idest citius quam fœnum subito evelletur. Sed benedictio Domini, et misericordia multiplicans gratiam, et præmium mundarum cogitationum, ei operationum permanebit in sæculum sæculi.

SERMO CXIX.

Qualiter Deus educit de vinculis peccatorum; de quatuor sepulcris.

Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulcris (Psal. 67, 8).

De vinculis Deus *educit vinctos*, et *eos, qui exasperant*, et *qui habitant in sepulcris.* De vinctis gravi catena peccati dicitur Isaiæ (42, 6 et 7) : « Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctos (1), de domo carceris sedentes in tenebris. » Siquidem in tenebris sedet, qui in peccato mortali moratur, quem educit Christus, cum eum facit pœnitentem, incarceratum videlicet consuetudine peccandi : Et de conclusione, qui enim diabolo servit, compedibus peccatorum se includit, ne exeat, sicut filii Israel, circumdando civitates Ægypti, se includebant, ne possent abire; unde in Threnis (3, 9) : *Conclusit vias meas lapidibus quadris* (2). Lapis siquidem quadrus sex habet latera; et peccatum similiter ex sex constat. Consideratur enim in peccato latus deliberationis, operationis, consuetudinis, excusationis, gloriationis, et quod pejus est, desperationis. Hæc sunt latera peccati. De primo dicitur in Psalmis (106, 10) : « Sedentes in tenebris, et in umbra mortis, vinctos in mendicitate, et ferro, » idest indigentia omnis boni; in ferro, idest invincibili vinculo peccati; unde Isaiæ (49, 8 et 9) : « Dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, et possideres hæreditates dissipatas : ut diceres his, qui vincti sunt : Exite; et his, qui in tenebris : Revelamini.

Sequitur : *Qui exasperant.* Deus siquidem lenis, et patiens, et dulcis. Nos autem exasperamus lenem, irritamus patientem, exacerbamus dulcem. Unde Isaiæ (28, 21) : « Sicut in valle Gabaon irascetur, scilicet contra adversarios : « ut faciat opus suum, alienum est opus ejus : ut operetur opus suum, peregrinum est opus alienum (3) ab eo. Glossa : « Opus Dei, misereri, et parcere, et condonare. Opus non suum, sed alienum, est irasci, et punire. »

Sequitur : *Qui habitant in sepulcris.* Non dicit in sepulcro; quoniam quatuor sunt sepulcra, videlicet quatuor transgressiones quatuor legum. Hi sunt *quatuor dies* quibus jacuit Lazarus in sepulcro. Quatuor anni ficulneæ, de qua (Lucæ, 13, 7 et 8) : « Ecce tres anni, in quibus (4) venio quærens fructum in ficulnea, et non invenio. » Et subditur : dimitte eam et hoc anno, videlicet quarto. Lex quidem prima data fuit Adæ de inobedientia Dei : *Quacumque die comederis ex eo, morte morieris* (Gen. 2, 17). Hujus legis fructum quæsivit Deus, cum dixit : *Adam, ubi es?* Quali dicat : Ubi est obedientiæ tuæ fructus? Secunda fuit lex naturalis, quæ erat in corde hominis scripta; sicut : Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Tertia lex Mosaica. Quarta Evangelica. Triplex transgressio, triplex mors, tres anni steriles ficulneæ, triduum sepulturæ Lazari. His tribus sepulcris, diebus tribus quatriduani nondum suscitati, et tribus annis fructum quæsivit in ficulnea, vilelicet in genere humano; et non inveniens, aperuit quartum sepulcrum quarto anno, scilicet anno gratiæ. Eodem anno suscitavit Lazarum, et invenit in ficulnea fructum, qui putruerat in sepulcro quatuor trangressionum legum, videlicet transgressionis obedientiæ, legis naturalis, Mosaicæ, et Evangelicæ missionis.

(1) Vulg. : vinctum.
(2) Vulg. : quadratis.
(3) Vulg. : ejus.
(4) Vulg. : ex quo.

SERMO CXX.

De duplici adventu, in quorum medio dotavit Sponsam.

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri (Psal. 67, 15).

Duo cleri duo sunt adventus Christi; *Cleros* enim interpretatur *sors* (1). In primo siquidem adventu Christi sortiti sumus misericordiam; in secundo per Dei gratiam sortiemur gloriam. Hæ duæ sortes sunt duo brachia Sponsi, inter quæ Sponsa dormit; unde in Canticis (2, 6) : « Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me ; » Et alibi (Prov. 3, 16) : « Longitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra illius divitiæ, et gloria. » Longitudo dierum; ecce sors, quam expectamus in secundo adventu : « Et in sinistra illius divitiæ, et gloria; » Ecce sors, quam recepimus in primo adventu. Per divitias virtutes designat, quas contulit in primo adventu; unde Salomon (Ibid., 13, 8) : Redemptio animæ viri, propriæ divitiæ. » Per gloriam, conscientiæ designatur serenitas « In dextera ejus dierum longitudo, » æternitas videlicet, quæ in secundo adventu conferetur; unde : « Hæc est gloria nostra, testimonium conscientiæ nostræ » (2). Inter hos duos adventus dormiendum est nobis, idest cessandum a vitiis, ut sic inter medios cleros habeamus mentis oculum ex una parte ad misericordiam primi, et ex altera ad justitiam, et gloriam secundi, et ad timorem judicii, ne torpentes dormiamus in peccatis. Est et alius tertius adventus medius inter istos, de quo : « Si quis diligit me, ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus » (Joan., 14, 23). In primo siquidem adventu venit in carne, et infirmitate : In secundo venit in spiritu, et virtute dans nobis Spiritum Sanctum, et virtutes : In ultimo, in gloria, et majestate.

Sequitur : *Pennæ columbæ deargentatæ.* Columba est fidelis anima, vel Ecclesia, quæ duas habet alas, quarum quælibet habet septem pennas. Alæ Ecclesiæ sunt activa, et contemplativa vita. Pennæ activæ sunt septem præcepta de dilectione proximi, in quibus videlicet præceptis perfectio activæ vitæ consistit. Alia ala, scilicet vita contemplativa, septem habet pennas, quæ leguntur in Evangelio, videlicet, ut vir contemplativus sit pauper spiritu, vel humilis corde, mitis, vel mansuetus, lugens, esuriens et sitiens justitiam, misericors, mundi cordis, et pacificus (Matth. 5, 3 ad 9). Ista operantur munditiam contemplativæ vitæ. Hæ item alæ cum pennis suis designantur in hoc, quod Jacob servivit Laban septem annis pro Lia, et totidem pro Rachele. Lia enim est perfectio activæ vitæ : Rachel munditia contemplativæ vitæ. Hic potest fieri larga digressio. Hæ siquidem *pennæ* debent esse *deargentatæ.* In auro siquidem, et argento designatur Christus verus Deus, et verus Homo. In auro enim divinitas, in argento humanitas figuratur. Et designatur per electrum, de quo Ezechielis (1, 26 et 27) : « Super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper; et vidi quasi speciem électri. » Electrum enim est ex auro, et argento, et designat in Christo divinitatem, et humanitatem. Qui igitur dormit inter medios cleros, ut prædictum est, ejus pennæ, idest virtutes debent esse informatæ, et impressæ in similitudine, et imitatione Christi, qui est forma nostra, in qua formari debemus. Unde beatus Bernardus (3) : « Omnis virtus tam longe est a virtute vera, quam longe est a forma vera : et omnis penna ad nihilum valet, si hoc argento non fuerit deargentata. »

Sequitur : *Et posteriora dorsi ejus in pallore*, sive *in virore* secundum aliam litteram (4), *auri.* Pallor auri est languor caritatis in præsenti, perducens ad virorem auri, videlicet cœlestis sapientiæ, quæ gustabitur in futuro. De languore isto dicitur in Canticis (2, 5) : *Amore langueo.* Languentes igitur amore caritatis in desiderio cœlestium, tanquam de pallore auri traducuntur in virorem cœlestis sapientiæ. Erunt ejus posteriera in pallore auri, si pennæ ejus hic fuerint deargentatæ in imitatione Jesu Christi. Vel, *amore langueo.* Pallor in columba, seu languor in Sponsa, desiderium est æternæ dulcedinis, et jucunditatis. Et bene hæc duo conjunguntur, quia per pallorem desiderii ad virorem, et jucunditatem divinæ sapientiæ pervenitur.

(1) Glossa ord. ex S. Aug. *Enar.* in hunc Psal.
(2) II Cor., 1, 12.
(3) Serm. 4 in Adventu Domini.
(4) Juxta Hebr. apud S. Hieronymum.

SERMO CXXI.

Contra reges Ecclesiæ.

Dum discernit cœlestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon. (Psal. 67, 16.)

Discernit Deus *reges*, idest doctores, se et alios bene regentes, quos constituit super columbam suam, idest Ecclesiam; de qua discretione Apostolus (I Cor. 4, 2) : « Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur; » Et in Evangelio (Matth. 24, 45) : « *Quis, putas, est fidelis servus, et prudens, quem constituit Dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?* » Unde in Parabolis (Prov. 20, 6) : « Multi viri misericordes vocantur : virum autem fidelem quis inveniet? » Sunt perplures prælati, qui mesericordia moti, stulta compassione vitia subditorum palpant, et fatua doctrina sua non sufficiunt corripere; unde in Threnis (4, 10) : « Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos : facti sunt cibus earum, in contritione filiæ populi mei. » Manus mulierum vocat opera prælatorum, qui molles, et effæminati subditos suos non corrigunt mature, sed decoquunt eos tepiditate, et remissione sua, et præparant eos cibum devorandum sibi, et dæmonibus ; unde non modica est contritio in Ecclesia Dei. Ideo dicit : *Quis, putas, est fidelis servus, et prudens?* Unde Ezechielis (3, 17) : « Fili hominis, dedi te speculatorem domui Israel. » Notabiliter dicit *speculatorem*, ut ipse prælatus *prudens*, et providus avertat a subditis suis omnia tentamenta diaboli. Sed videmus, quod est dolendum, quod qui deberent esse speculatores, facti sunt spiculatores ; unde Osee (9, 8) : « Speculator Ephraim cum Deo meo factus est laqueus ruinæ; » quasi dicat : Ille, qui debet esse speculator in Ecclesia cum Deo, ipse factus est laqueus, et ruina Ecclesiæ.

Sequitur : *Cœlestis*. Debet enim *Cœlestis* ordinare, et sustinere rectores in Ecclesia, non potestas terrena. Quod significatur per Bacchidem, qui constituit Alcimum principem Sacerdotum (1). Quod enim fecit Alcimus, et quomodo percussus est, debet esse ad terrorem omnium prælatorum; quoniam primo Machabærum de eo legitur : « Præcepit Alcimus destrui muros domus sanctæ interioris, et opera prophetarum » : Sed percussus est a Domino, « et impedita sunt opera ejus, et dissolutus est paralysi, et obstructum (2) os ejus, nec ultra potuit loqui verbum, et mandare de domo sua » (3). Siquidem contingit sæpe, quod ii, qui per violentiam introducuntur, et ipsi in seditione muros obruunt Ecclesiæ; obruunt enim munimentum virtutis per exempla sua mala. Caveant igitur sibi, ne percutiantur a Domino cum Alcimo *paralysi* corporali, vel spirituali, ne loquelam amittant, ne possint disponere de rebus suis.

Sequitur : *Reges*. Non dicit, tyrannos; unde Isaiæ (49, 23) : « Erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ, et pulverem pedum tuorum lingent. » Reges sunt Apostoli, et eorum sequaces prælati, qui deberent esse *nutritii* Ecclesiæ, et *nutrices*, ut eam materno affectu, et omissa severitate paterna nutrirent, et pedum ejus pulverem deberent lingere, et tergere prædicatione sua venialia de cordibus eorum, et mentibus. Sed contrarium videmus, sicut dicit Sophonias (3, 3) : « Principes ejus in medio ejus quasi leones rugientes ; » Quasi dicat : Cum nutrire debeant, facti sunt sicut devoratores; cum attendere debeant, quod sunt constituti super columbam Domini, de qua in Canticis (6, 8 et alibi) : « Una est amica mea, columba mea, formosa mea, quam ipse amplectitur tanquam amicam.

Sequitur : *Nive dealbabuntur*. Hæc dictio, *nive*, adverbialiter ponitur pro *incomparabiliter;* quæ dealbatio significatur per tunicam byssinam ipsius prælati, qua significatur castimoniæ munditia. Debet enim concordare conversatio suo indumento. Sequitur, *in Selmon*, quod interpretatur umbra, et designat umbram gratiæ obumbrantem eos ab æstu carnis, et persecutionis; de cujus protectione dicit Isaias (4, 6) : « Tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, in securitatem, et absconsionem a turbine, et a pluvia ; » Ac si dicat : Tabernaculum erit prælatis, scilicet divinæ gratiæ ita dealbatis *in Selmon*, ides *in umbraculum* protectionis ab æstu tentationis ; in securitatem, quia Deus noster protector noster est, vel adjutor contra adversarium ; Et absconsionem ; unde (Psal. 60, 5) : *Pro-*

(1) I Machab. 7, 8 et 9.
(2) Vulg. occlusum.
(3) I Machab. 9, 54 et 55.

tegar in velamento alarum tuarum; A turbine, idest ab impetu majoris tribulationis; *Et a pluvia* idest tempestate minoris.

SERMO CXXII.

De triplici ingressu Christi; scilicet ut Deus in uterum Virginis, ut Rex in civitatem Jerusalem, ut Sacerdos in templum Dei.

Viderunt ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei, Regis mei qui est in Sancto. (Psal. 67, 25).

In hoc versu adventus Christi tripliciter aperitur. Ipse siquidem Christus est Deus noster : Ipse Rex noster : Ipse Sacerdos noster. Vidit enim eum Ecclesia introire uterum Virginis tanquam Deum; vidit, inquam, oculo fidei. Vidit eum tanquam regem intrare in civitatem Jerusalem. Vidit eum tanquam sacerdotem intrare in *Sancto*, scilicet *templo*, velut Sancta Sanctorum. De ingressu Christi in uterum Virginis, Ezechielis (44, 1) : « Converti (1) me ad viam portæ sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad Orientem : et erat clausa. » Sanctuarium interius est uterus beatæ Virginis, in quo fuit exterius Sanctuarium, scilicet Christus. Porta est virginitatis signaculum; via portæ est matrimonium : Secundum enim consuetudinem humanam matrimonium via est ad portam virginitatis. *Hæc porta clausa* fuit ; ac si diceret, in beatam Virginem conjugatam, sed tamen Virginem; unde bene subditur : *Vir non transibit per eam, et Princeps sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino*, idest humiliabit se, formam servi accipiens (2) Comedet, ut verus homo; unde Isaiæ (7, 15): *Butyrum, et mel comedet* quasi dicat : Quamvis ab instanti conceptionis plenitudinem scientiæ, et gratiarum perfectionem habeat, tamen parvulorum comedet edulium tanquam parvulus; et hoc coram Domino, idest ad voluntatem Domini; unde : *In quo mihi bene complacui* (Matth. 17, 5). Subditur in Ezechiele (44, 3): «Per viam vestibuli portæ ingredietur.» Vestibulum dicitur auris Virginis ideo, quia ingressus est per aurem Virginis (3) : ipsa enim Virgo concepit per aurem, et in ingressu porta fuit clausa. Hoc est quod dicitur : Virgo ante partum, Virgo post partum.

Sequitur; Ingressus Dei mei. De hoc ingressu dicitur in Zacharia (4) : Dicite filiæ Sion : Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subjugalis, ut dispergat (5) quadrigam de Ephraim, quod interpretatur fructificans; et signat fructificantes in temporalibus, qui amori temporalium sunt dediti. Et bene per quadrigam significantur ; in quadriga enim quatuor sunt rotæ, et designant quatuor tempora anni, in quibus insudatur propter augmentum rerum temporalium.

Sequitur: *Qui est in Sancto*, scilicet *templo*. Legalis enim sacerdos intrabat in Sancta Sanctorum cum sanguine alieno, sed Christus summus Sacerdos noster in proprio sanguine intravit in Sancta Sanctorum, idest in cœlum, sicut dicit Apostolus : « Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, non per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa » (6). Si ergo Christus

(1) Vulg. : Convertit.
(2) Ezech. 44, 2 et 3.
(3) Ingressus est per aurem Virginis, etc. Figurate loquitur, quemadmodum S. Gregorius Neocæsariensis Serm. 3 in Annunciat., tom. III Biblioth. PP. edit. Lugdun., p. 313, col. 2, inducit Deum Archangelo Gabrieli mandantem : « Vade ad Mariam virginem... Loquere in auribus arcæ meæ ratione præditæ, ut auditionis mihi paret ingressum, » sive, ut inter spuria S. Joannis Chrysostomi Opera, tom, II edit. Maur. Paris., pag. 798, legitur : « Proficiscere ad Virginem... Loquere ad aures rationalis arcæ, præpara mihi auditus ingressum. Auctor Sermonis, S. Augustino olim adscripti, X de Tempore, et in edit. Maur. Antwerp. in Appendicem, tomi V, Part. II, inter supposititios rejecti, col. 155, num. 32 : Deus per Angelum loquebatur, et Virgo auribus impræguabatur. S. Proclus CP. Orat. III de Incarnat., tom. VI, Biblioth. PP. pag. 593 : Sancta quidem Virgo suum uterum commodavit : Verbum aurem per autem insiliit. Et S. Fulgentius Serm. de laudibus S. Mariæ, t. IX, Biblioth. PP. pag. 107, col. 1 : « Quoniam diabolus per serpentem Evæ loquutus, per Evæ aures mundo intulit mortem, Deus per Angelum ad Mariam pertulit Verbum, et cunctis sæculis vitam effudit. Angelus sermonem ejecit, et Christum Virgo concepit. O conjunctio sine sordibus facta! Ubi maritus sermo est, et uxor auricula. » Ejusmodi autem locutiones figuratæ sunt, non vero propriæ, quibus plane significatur, vocem angelicam conceptam aure Virginis, cui credidit assentiendo, primum veluti instrumentum fuisse, quo adducta fuit ad Christum in utero concipiendum, ut eleganter expressit Prudentius in Apotheosi versib. 579 et 580 :

Ipsa coruscantis monitis sacra Virgo ministri
Credidit, atque ideo concepit credula Christum.

(4) Matth. 21, 5, et Zach. 9, 9 et 10.
(5) Vulg. : et disperdam.
(6) Hebr. 9, 11 et 12.

proprio sanguine intravit; et nos intramus in sanguine, idest in carnis mortificatione. Christi sanguinis effusione admirati sunt Angeli, sicut dicitur Isaiæ (63, 1) : « Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine virtutis suæ? » Quasi dicat: Iste formosus in munditia conceptionis, nativitatis, conversationis, qui etiam *speciosus forma præ filiis hominum* (Psal. 44, 3), qui gradiebatur in multitudine virtutis suæ, et suscitatione mortuorum, patratione miraculorum, merito de Edom tinctis vestibus venit, in sanguine proprio intrans in Sancta Sanctorum. Quid sibi facient miserrimi peccatores, non in munditia, sed in immunditia conversati, non in fortitudine, sed fragilitate, et lapsu multiplici gradientes? Qui etiam nec modicum volunt facere; quomodo intrabunt in Sancta Sanctorum?

SERMO CXXIII.

De generali resurrectione bona; de damnatione reproborum.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israel, magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus. (Psal. 67, 34 et 35.)

Hic Propheta futurum nobis denunciat judicium, in quo sonabit in tuba, idest in voce terribili, et manifesta, qua excitabuntur qui venturi sunt ad judicium, et resuscitabuntur; unde Isaiæ (26, 19) : « Expergiscimini, et laudate, qui habitatis in pulvere: quia ros lucis ros tuus ; » quasi dicat : Conjungentur pulveres tui, idest conjunctio pulverum tuorum sicut ros lucis, idest comparabilis luci. Sicut enim ros illuminat vitrum sine admixtione extrinsecæ materiæ, sic ex sua propria materia resurget homo, sicut Job dicit (1) : « Lignum habet spem : si præcisum fuerit, rursum virescit, et rami ejus pullulant. » Lignum præcisum est homo mortuus; rami ejus, membra diversa. *Cum senuerit in terra truncus ejus*, idest si corpus ejus redactum fuerit in pulverem, *ad odorem aquæ germinabit;* aquæ scilicet divinæ gratiæ; sicut cum diceret: Cum sentio odorem hujus rei, nihil mihi incorporatur ex ea. Ideo non dixit, ad aquam, imo ad aquæ odorem germinabit, ita quod non admiscebitur aliquid extrinsecæ materiæ. De hoc, Ezechielis (37, 4 et 6) : « Ossa arida audite verbum Domini. » Ecce « ego dabo super vos nervos, et succrescere super vos faciam carnes, et superextendam vobis cutem, et dabo vobis spiritum, et vivetis. » Ecce apertissima prophetia de resurrectione. Ideoque vos ita resuscitati date gloriam Deo super Israel, idest super visione Domini, et fruitione plenaria. Quam gloriam docet Canticum Exodi, scilicet de transitu nostro, idest de transitu mortalitatis ad immortalitatem; illud scilicet: « Cantemus Domino : gloriose enim magnificatus est, equum, et ascensorem projecit in mare. Fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem (Exod., 15, 1 et 2).

Sequitur : *Magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus;* ac si diceret : In nubibus, idest in nube apparet *virtus, et magnificentia ejus;* de qua nube, Exodi (14, 24) : Jamque advenerat vigilia matutina, et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam nubis, et ignis, interfecit exercitum eorum. » Vigilia matutina dicitur dies judicii, et resurrectionis, in quo evigilabunt corpora mortuorum; nubes vero dividens in Ægyptios, et Israelitas, et sententia in judicio dividens bonos a malis, quæ sententia declarat Christi magnificentiam in salvatis, et damnatis. Siquidem illa columna erat quædam nubes, in qua erant quatuor proprietates. In hoc enim, quod dicitur *nubes*, designat refrigerium, et obscuritatem. In hoc quod ipsa appellatur *ignis*, claritatem, et ardorem significat. De illa quidem nube duæ fient nubes in judicio; conjungentur enim splendor, et refrigerium, et ex iis fiet nubes, in qua declarabitur *magnificentia* Domini præstantis splendorem, et glorificantis sine aliqua obscuritate, et refrigerium sine omni læsione; conjungentur ardor, et obscuritas, in quibus exercebitur, et apparebit *virtus ejus* in suppliciis damnatorum. Vel sic : Nubes siquidem illa quatuor habebat : obscuritatem, et ardorem ignis quoad Ægyptios; refrigerium, et splendorem quoad Hebræos. De nube autem ista duæ fient nubes in die judicii, quia obscuritas, et ignis jungentur simul ad obtenebrandos, et consumendos reprobos : refrigerium vero, et splendor ad delectandos, et illuminandos beatos. Et hoc est : *Magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus.*

(1) Job 14, 7 ad 9.

SERMO CXXIV.

Qualiter Christus a malis circumdatur, et affligitur; de tribus vitiis.

Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam, etc. (Psal. 68, 2 et 3.)

Clamat hic Filius ad Patrem, petens liberari. Plenus siquidem esset indignatione, si vasa testea contra figulum insurgerent; et modo non apparet aperte indignatio, quia oportet ipsum Filium Dei factorem omnium clamare, ut liberetur hominibus, qui sunt factura sua. Clamat siquidem alibi (Psal. 58, 2 et 3) : « Eripe me de inimicis meis, Deus meus : et ab insurgentibus in me libera me. Eripe me de operantibus iniquitatem, et de viris sanguinum salva me. » Hic, ut supra dixi, eodem modo petit liberari, scilicet ab inimicis. Inimicus Dei est, qui diligit iniquitatem, et odit justitiam. Sed est peccatum cogitationis, a quo tanquam ab inimico petit Christus liberari, dicens : « Salvum me fac Deus : Eripe me de inimicis meis, Deus meus. » Sequitur : *Et ab insurgentibus in me*. Insurgit in Deum, qui malum, quod corde concipit, in manifesto loquitur; hoc est peccatum locutionis. Sequitur : *De operantibus iniquitatem*. Operatur quis iniquitatem, cum cogitatio non solum ad verbum, sed ad operationem procedit; et talis insurgit contra Deum, et colaphizat eum. Sequitur : *Et de viris sanguinum*. Vir sanguinis dicitur, qui per pravum exemplum suum non solum insurgit in Deum blasphemando, et jurando, sed etiam in proximos, eos pravo exemplo corrumpendo. Primo enim dicitur peccator inimicus, peccatum concipiendo : Secundo in faciem Domini spuit : Tertio colaphizat : Quarto in membris suffocat; unde Jeremiæ (12, 8) : « Facta est hæreditas mea quasi leo in silva; » quasi leo, dicit, qui scilicet in oviculam irruit magno impetu, et rugitu. Et subditur : « Dedit contra me vocem suam, et ideo odivi eam. » Hoc idem dicit Hieronymus (1) : « Canes impudentes (2) clamabant : Crucifige; nec Domini saturabantur opprobriis, eo quod plures adhuc suscitarunt blasphemias novas (3), et opprobria contra Deum, associata iis, quæ illata fuerunt ei in passione. Ideo dicit : *Salvum me fac Deus*, scilicet a peccato cogitationis. *Quoniam intraverunt aquæ*, idest peccatum locutionis. *Infixus sum in limo profundi;* hic notatur peccatum operis. « Veni in altitudinem maris; » hic notatur peccatum consuetudinis, et notorium.

Vel per aquam designatur voluptas carnalis; per limum, avaritia; per altitudinem maris, superbia. Cui expositioni concordat illud, quod legitur in Jona (2, 6) : « Circumdederunt me aquæ usque ad animam meam; hoc est, quod hic dicitur *Intraverunt aquæ usque ad animum meam*. Et quod ibi dicitur : « Abyssus vallavit me », hoc est, quod hic dicitur : *In limo profundi infixus sum*. Et quod ibi dicitur : « Pelagus operuit caput meum, » hoc est, quod hic dicitur : *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me*.

« Circumdederunt me aquæ usque ad animam. » Siquidem anima sedem habet in sanguine (4); et Christus sanguinem suum quasi animam vult in nobis vivere, idest

(1) Comment. in Psal. 67.

(2) Canes impudentes, etc. In editis legitur : « Canes dicit ipsos Judæos, qui clamaverunt : Crucifige, crucifige. »

(3) Blasphemias novas, etc. S. Hieronymus lib. I. Commentar. in Amos cap 1, ait : « Antiquum furorem, et iracundiam tenentes, usque hodie in Synagogis suis sub nomine Nazarenorum blasphemant populum christianum. »

(4) Anima sedem habet in sanguine. Sic illud Gen. 9, 4 : « Carnem cum sanguine non comedetis; Glossa interlinearis exponit : Quia, inquit, sedes animæ in sanguine est; ut per animam ista temporalis vita intelligatur, et sit sensus : Temporalis vita, maxime et potissimum sanguine continetur in corpore. Interpretatio autem est S. Augustini, qui in Heptat. lib. III, quæst. 57, explicans illud Levit., 17, 10 : « Anima omnis carnis, sanguis ejus est, » ut legunt LXX, sive ut in Vulg. : Anima carnis in sanguine est, ait : Quid est quod prohibens edendum sanguinem dicit : Anima omnis carnis, sanguis ejus est? Numquidnam si animam pecoris sanguinem dicimus, etiam anima hominis sanguis putanda est? Absit. Quomodo ergo non ait : Anima omnis carnis pecoris sanguis est, sed Anima, inquit, omnis carnis sanguis ejus est? In omni utique carne, etiam hominis caro deputatur. An quia vitale aliquid est in sanguine, quia per ipsum maxime in hac carne vivitur, qui in omnibus venis per cuncta corporis membra diffunditur, ipsam vitam corporis, vocavit animam, non vitam, quæ migrat ex corpore, sed quæ morte finitur? Qua locutione dicimus istam vitam temporalem esse, non æternam, mortalem, non immortalem : cum sit immortalis animæ natura, quæ ablata est ab Angelis in sinum Abrahæ; et cui dicitur, Hodie mecum eris in paradiso; et quæ in tormentis ardebat inferni. Secundum istam ergo significationem, qua perhibetur anima, etiam hæc temporalis vita, dixit Apostolus Paulus, non enim facio animam meam pretiosiorem quam me : ubi se ostendere voluit et

memoriam sanguinis, et passionis suæ, quam memoriam carnalis voluptatis aquæ ita circumdant, et opprimunt, quod extinguunt; et hoc est : Circumdederunt me aquæ; sive : *Intraverunt aquæ usque ad animam meam*. Ista memoria in nobis extincta, extinguitur in nobis Christus, et ita non vivit in nobis Christus. Unde Job (16, 19) : « Terra ne operias sanguinem meum, et non inveniat in te locum latendi clamor meus. Terra sanguinem operit, cum amor terrenorum memoriam sanguinis Christi opprimit. Clamor autem ipsius sanguinis locum latendi non invenit; sed lingua taceat, quod mens credit. Vel : Terra, idest terrenus amor, et carnalis voluptas non operias sanguinem meum; quoniam de cruore auditur : « Petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt (Matth., 27, 51 et 52). Sequitur : *Abyssus vallavit me*. Abyssus, quæ est sine fundo, est avarus, qui se facit limum profundi, ut semper sit procul a fundo, idest alveo gratiæ, quoniam « avarus non implebitur pecunia » (Eccle., 5, 9), unde dicit : « Infixus sum in limo profundi, idest in avaro, et non est in ipso substantia, quia veram amisit similitudinem Jesu Christi, in qua, et per quam subsistere debuerat. Non est in eis substantia, idest imago Dei in eis impressa. Hoc est, quod dicit : « Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me »; et Jonas : « Pelagus operuit caput meum. » Caput Christi est humilitas, quæ ipsum magnificavit, et exaltavit, per quam etiam humilitatem meruit exaltari; unde Apostolus (Philip., 2, 9) : « Propter quod Deus exaltavit illum. » Pelagus ergo caput operiens, est superbia in nobis humilitatem demergens; et hoc est : « Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me. »

SERMO CXXV.

Contra prælatos Ecclesiæ. Quod sacerdotes dicuntur portæ.

Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta : et in me psallebant, qui bibebant vinum. **(Psal. 68, 13.)**

In veteri testamento solebant judices sedere in porta Tabernaculi, ut ingredientibus, et egredientibus possent justitiam, et judicium exhibere. In quo prælati Ecclesiæ designantur, qui sedere debent in porta Ecclesiæ, idest omnibus vita, et doctrina præire, et scire de ingredientium, et egredientium vitiis, et moribus judicare, ut ingredientium per pœnitentiam, et conversationem approbent bonam vitam, et mores, egredientium vero per peccatum, et inhonestatem vitæ, hoc ipsum et in ipsis sciant, et possint punire. Sed pauci sunt modo tales; et ideo arguuntur per prophetam Amos (5, 12) : « Hostes justi accipientes munus, et pauperes deprimentes in porta. » Benedicit *hostes justi*, eo quod justum, idest Christum, vel ipsam justitiam persequuntur, dum propter munera excæcati, injuste judicant, suo judicio pauperem opprimendo. Arguuntur etiam sicut doctores, qui cum clavem scientiæ teneant, nec ipsi intrant, nec alios intrare permittunt. Unde dissipata est hæc porta, sicut dicit Esdras (2, 13): « Egressus sum ad portam stercoris, et considerabam murum Jerusalem dissipatum. » Porta sterquilinii erat porta illa, per quam efferebantur stercora de civitate; et significat sacerdotem, qui debet esse porta Ecclesiæ, per quam efferantur sordes peccatorum. Per ipsum enim debent mundari subditi a suis immunditiis, scilicet doctrina sua, vita, et prædicatione. Debent etiam esse muri Ecclesiæ, eam protegendo.

Sed consideravit Propheta murum istum dissipatum, et portam consumptam per vitæ pravitatem; unde patet, civitati periculum imminere. Munita enim debet esse Ecclesia, ob hoc ut periculum non timeat, ipsis prælatis tanquam muro. Unde in eodem (3, 14) : *Portam sterquilinii ædificavit Melchias filius Rechab, princeps vici Bethacharam*. Melchias interpretatur regnum Dei, quod debent esse sacerdotes, quia per ipsos debet regnare Christus in Ecclesia, et in cordibus fidelium; de quibus in Apocalypsi (5, 10) : « Fecisti nos regnum, et sacerdotes; » et Petri :« Vos estis genus electum, regale sacerdotium » (I Petri 2, 9). Qui etiam significantur in hoc, quod dicitur, filius Rechab, quod interpretatur quadriga : Ipsi enim debent esse filii quadrigæ, idest filii Evangelii, quod per quatuor volu-

mori paratum pro Evangelio. Nam secundum significationem, qua anima dicitur illa, quæ migrat ex corpore, magis eam pretiosam faciebat, cui tantum meritum conquirebat. Sunt et aliæ hujusmodi locutiones. Vita itaque ista temporalis maxime sanguine continetur in corpore.

mina, tanquam currus per quatuor rotas fertur; et signatum est in Exodo (25, 13 et 15) ubi dicitur, quod *vectes*, quibus arca fœderis portabatur, *semper erant in circulis;* Quia sacerdotes semper debent esse in meditatione divinæ legis, et in exercitio sacræ eruditionis, ut sic congruat eis illud, quod subditur : *Princeps vici Bethacharam*, quod interpretatur domus eruditionis tristitiæ. Debent enim erudire subditos, de suis iniquitatibus contristari, ut sic ædificent in eis *sterquilinii portam*, idest peccati tristitiam, et dolorem, per quam portam omnes immunditiæ de corde hominis efferantur, scilicet confessionem.

Sed hæc porta miserabiliter dissipatur per vitam pessimam prælatorum, de qua conqueritur Dominus per Prophetam dicentem : *Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta : et in me*, idest contra me *psallebant, qui bibebant vinum.* Psallunt enim multi contra Dominum, et præcipue sacerdotes, quibus dicitur per Amos (5, 23) : « Aufer a me tumultum carminum tuorum; et cantica lyræ tuæ non audiam. » Loquitur Deus ad quemlibet sacerdotem, ad quem præcipue pertinet cantare, et legere in Ecclesia, qui hic jure reprehensibilis extiterit. Cantus enim, et carmina non placent Domino, sed sunt ei in tædium, et tumultum; unde dicit : « Aufer a me tumultum carminum tuorum; » Quasi dicat : Tumultum faciunt mihi carmina, et cantus tui. Super quem locum dicit Hieronymus (1) : « Pulchre cantica Levitarum, quibus debent laudare Dominum, vel Deum, vocat tumultum confusum, et sonitum, quia non est speciosa laus in ore peccatoris; et ut ita dicam, est suum, et clamor asinorum. » Hi enim sunt, de quibus dicit alias Propheta (6, 5 et 6) : « Qui canitis ad vocem psalterii : sicut David putaverunt se habere vasa cantici, bibentes in phialis vinum. » Putant enim ipsi pingues canonici se satisfecisse, si in choro unum *Alleluia*, vel unum Responsorium bene cantant, et alte; et in domibus suis postea vadunt lascivire, habentes plausores, histriones, joculatores in cœnis. Unde Hieronymus (2) : « *Non sufficit pleni gutturis libido, nisi tibiarum, et psalterii, et lyræ canticis aures mulceantur; ut quod fecit David in cultum Domini, Levitarum ordines, et organorum reperiens varietates, vos in luxuriam convertatis.* » Hi sunt procul dubio, qui psallunt contra Dominum, qui etiam bibunt *vinum*, idest temporalem delectationem; de quo vino in Proverbiis (31, 4 et 5) mater loquitur ad filium, ita dicens : « Noli Lamuel, noli regibus dare vinum, quia nullum est secretum, ubi regnat ebrietas; » et sequitur : « Ne forte obliviscantur judiciorum » Domini, et *mutent* demum causam filiorum pauperis (3). Lamuel interpretatur, in quo est Deus, quia quilibet homo justus, qui non debet dare regibus, scilicet sacerdotibus vinum, idest temporolem delectationem, hoc est non debet consentire, quod habeant, quia nullum est secretum, ubi regnat ebrietas; unde Horatius (4) : *Quid non ebrietas designat? operta et recludit, etc.* » Item quare vinum istud non debent habere? Sequitur : *Ne forte obliviscantur judiciorum, et mutent causam filiorum pauperis.* » Sacerdotes enim, et clerici temporalibus delectationibus dediti justa Domini judicia non recolunt, unde non juste judicant, sed muneribus, et sæcularibus delectationibus, filiorum pauperis, idest pauperum causam mutant; unde bene dicit Propheta : *Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta, et in me psallebant, qui bibebant vinum.*

SERMO CXXVI.

De temporali voluptate, et quod omnia bona destruit.

Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum. (Psal. 68, 16.)

Tria ponit hic Propheta in persona cujuslibet justi. Primum, non demergi in tempestate aquæ : Secundo, non absorberi in profundo : Tertio, non urgeri os putei super eum. Per aquam hic intelligimus voluptuosam tentationem; unde Nahum (3, 8 et 10), loquens ad Jerusalem, idest ad animam, ita dicit : « Numquid melior es Alexandria populorum, quæ habitat in fluminibus? Aquæ in circuitu ejus : Sed et ipsa in transmigratione ducta est in captivitatem. » Alexandria interpretatur auferens angustias tenebrarum, quæ alio nomine dici-

(1) Lib. II Commentar. in c. 5 Amos.
(2) Lib. III Commentar. in c. 6. Amos.

(3) Prov. 31, 4 et 5.
(4) Epist. lib. v, epist. 5 ad Torquatum.

tur *No*, quod interpretatur quies (1), per quam delectatio sæcularis intelligitur, quæ aufert cogitationem, et memoriam infernalium tenebrarum e mente hominis, ut non doleat de peccatis; unde in Genesi (4, 8) Cain occidit Abel. Cain possessio, Abel luctus interpretatur. Cain occidit Abel, quia abundantia temporalis luctum pro peccatis delet. Unde sequitur : *Quæ habitat in fluminibus*, idest in abundantia sæcularium voluptatum; quæ voluptates aquæ nomine designantur, per flumen vero abundantia earum notatur; unde bene dicitur : *Aquæ in circuitu ejus*. Et quoniam habitat in fluminibus, subditur verbum terribile : « Et ipsa in transmigratione ducta est in captivitatem. » Quod cum factum sit ad litteram, fit tamen mystice quantum ad quamlibet animam. Cujuscumque enim hominis anima est in mundo isto aquis istis circumdata, et in fluminibus his posita, et in tenebris angustiarum infernalium sui oblita, ipsa procul dubio in transmigratione, hoc est in morte sine pœnitentia ducetur in captivitatem æternam.

Propheta, dirigens sermonem ad animam sub typo civitatis Jerusalem, quod de ipsa desiderat, sub quæstione ponit primo : *Numquid melior es Alexandria populorum?* Quasi dicat : Utinam melior esses. Et hoc ipsum petit David cum dicit : *Non me demergat tempestas aquæ*, idest tempestas voluptatis tentationis, quæ quidem, licet quandoque lenta et remissa, nihilominus corrumpit. Unde Job (14, 19) : « Lapides excavant aquæ, et alluvione paulatim terra consumitur. Lapides sunt corda hominum; quæ contra tentationes debent esse dura sicut lapis; et tamen cum paulatim succrescat tentatio, alluvio mentem vincit, sicut gutta lapidem. Quandoque enim est violenta, et impetuosa; unde Job (36, 14) : « Morietur in tempestate anima impiorum (2) et vita eorum inter effæminatos. » Moritur siquidem anima impii in tempestate, idest in tentatione violenta, de qua dicit Job (41, 22) : « Fervescere faciet quasi ollam profundum maris » (3). Per quod intelligitur vita sæcularis, in qua sicut in profundo maris plus est voluptuosæ tentationis, et tempestatis. Unde plus periculum fecit Dominus, idest fieri sustinuit, ut ferveat sicut olla, quæ cum fervet, fumum emittit, qui cum ad oculum pervenit, turbat eum : sic cum tentationis fumus ad oculum rationis venit, perturbat eum, ne videat verum lumen. De hac olla, Ezechielis (24, 3 ad 5) : « Pone ollam, et mitte in eam aquam : Congere frusta ejus in eam, omnem partem bonam, femur, et armum, electa, et ossibus plena : pinguissimum pecus assume, compone quoque strues ossium sub ea : Efferbuit coctio ejus, et discocta sunt ossa illius in medio ejus. » Et subditur in Job (41, 22) : Pones (4), cum unguenta ebullierint.

Olla est cor humanum; aqua in ea posita, delectatio sæcularis; pecus pinguissimum, cor hominis caritatis pinguedine saginatum, quod si in hac aqua ponitur, necesse est quod fiat, quod sequitur; scilicet ut femur, idest propago boni operis, armus, idest fortitudo in tolerandis adversis, et in perseverantia boni operis; *et omnis pars plena ossibus*, idest omne opus bonum, et virtuosum in ea congeratur, idest congestum seorsum ponatur. Quantumcunque enim bonus fuerit aliquis, si delectationi mundanæ, et tentationi voluptuosæ cor apposuerit cum consensu, necesse est ut omnis caritatis pinguedo, et omnium bonorum fortitudo congesta ab ejus anima separetur; et quare? quia *efferbuit coctio, et omnia ossa cocta sunt in medio ejus*. Nota, quod in olla carnes ponuntur ad coquendum, et ex ebullitione efficitur, ut cum carnes coctæ fuerint, ab eis ossa de facili separentur. Sic ex fervore tentationum, scilicet cum consensus advenerit, et voluptas, accidit ut ossa, scilicet virtutes, et bona opera a carne, idest a corde hominis carneo per mollitiem, dividantur. Quandoque autem contingit hoc per id quod sequitur. « Et pones quasi cum unguenta ebulliunt. » Natura siquidem est unguentorum, ut cum calefiunt, et ebulliunt, tunc reddant fragrantiam ampliorem. Sic cum delectationis carnalis, sive mundanæ fervet ardor, tunc amplius delectat, magis sentitur effectus. Quare timens Propheta sic orat : « Non me demergat tempestas aquæ. »

Sequitur : *Neque absorbeat me profundum*. Legimus de Jona (1 et 2), quod cum

(1) Vide S. Hieron., lib. II. Comment. in c. 3 Nahum. et Gloss. ord.
(2) Vulg. : eorum.

(3) Vulg. : mare.
(4) Vulg. : Et ponet, quasi cum unguenta bulliunt.

vellet deferri per mare in Tharsis, dedit naulum, ut deferretur; et absorbuit eum cete : et clamabat de ventre ceti ad Dominum; et præcepit Dominus pisci, et evomuit eum in aridam. Mare, mundus : Cete, diabolus : Jonas, peccator : Naulum est pretium remigii. Tharsis interpretatur exploratio gaudii,et significat gaudium mundi, ad quod ut deferatur peccator, dat naulum, idest propriam animam, et defertur per mare. Hic devoratur a diabolo : Sed quia id restat; clamet de ventre ceti sicut Jonas, idest de profunditate peccati : et præcipiet Dominus cete, idest diabolo ut evomat eum in aridam, hoc est in siccitatem ignis, et amoris divini, qui fluida restringit, et restringere facit. Quod providens Propheta, dicit : « Non absorbeat me profundum. » Et si forte absorbeatur, subdit petens, ut non urgeat super eum puteus os suum, quia quandiu non clauditur os putei, potest haberi spes exeundi; quia quandiu vivit homo, in quantacunque profunditate vitiorum absorptus fuerit, si clamaverit ad Dominum, antequam os putei claudatur, ab hoc poterit liberari. Sed si morte præveniente super eum clausum fuerit, nulla spes erit de cetero resurgendi. Hoc formidans Sanctus hic orat : « Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum. »

SERMO CXXVII.

Qualiter Christus quæritur, et ubi inveniatur, vel non inveniatur; et de quatuor vitiis.

Quærite Dominum, et vivet anima vestra (Psal. 68, 33).

Docemur hic quærere Dominum, ut vivamus secundum Deum. Quomodo autem quæratur, vel ubi inveniatur, vel non inveniatur, habetur in Canticis (3, 1 et 2) : ubi dicit sponsa : « In lectulo quæsivi per noctem (1) quæsivi quem diligit anima mea : quæsivi illum, et non inveni. Surgam, et circuibo civitatem per vicos, et plateas »; et dicit : Et ibi non inveni. Bene siquidem dictum est, quia ubi res non est, non potest inveniri. Lectulus iste est felicitas, et delectatio temporalis, et sæcularis; nox est peccatum ; sed in his non est Christus, nec inveniri potest; et propter hoc dicit : « Quæsivi illum, et non inveni. » Sed dicet quis : Ad quid ergo quærebat? Hoc fecit, ut innueret multos errore deceptos, qui Dominum in temporalibus quærunt, putantes eum ibi invenire; sed tramite devio, sicut dicit Philosophus; nam sic mali ipsum quærunt, et appetunt, sed sic ipsum non inveniunt, sicut hic dicitur : Quæsivi, et non inveni. Et dicit : « Surgam, et circuibo civitatem per vicos, et plateas. » Civitas mundus est; in hac autem non est Christus. Unde Osee (11, 9) : « Ego Deus, et non homo, et non ingrediar civitatem. » De qua autem civitate hic intelligatur, ostenditur in Nahum (3, 1 ad 3) : « Væ civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena : Non recedet a te rapina, vox flagelli, et vox impetus rotæ, et equi frementis, et quadrigæ ferventis, et equitis ascendentis, et micantis gladii, et fulgurantis hastæ. » Ecce civitas, in qua, si quæratur Dominus, non invenitur; quæ videlicet est civitas sanguinum, quia mundus in maligno positus homines linguis suis interficit; in qua nulla veritas, sed omne mendacium; *dilaceratione plena*, detractione, et odio; a qua *non recedet rapina*, quia ibi opprimitur pauper, pupillus, et vidua, ibi est fur, fœnerator, et raptor; ibi est *vox flagelli*, idest tribulatio; et persecutio, quas in Sanctos mundus exercuit, et exercet. *Impetus rotæ*, discursus est per diversa genera vitiorum. *Equus fremens* est diabolus, cujus ascensores impetuose feruntur in peccati præcipitium. *Quadriga fervens* est quadriga Pharaonis, quæ cum ipso Pharaone submergenda est, quæ quatuor rotas habet, quæ sunt, spes, gaudium, timor, et dolor. Hæ sunt quatuor animi passiones : Spes de futuro commodo temporali, Gaudium de jam habito, Timor ne amittatur, Dolor autem de amissione. *Eques ascendens* homo peccator est. *Micans gladius*, verbum nequam arte rethorica palliatum. *Hasta fulgurans* est verbum venenatum, vel tentatio lucens, quasi transfigurans se in Angelum lucis. Hæc sunt hujus oppidi munimenta. Propter quod non invenitur Dominus, nec illic habitat; et sic iste quærens non invenit in civitate ista. Unde bene dicit Sponsa : « Quæsivi illum, et non inveni. »

Ubi est ergo quærendus? Ubi scilicet hæc

(1) Vulg. : noctes.

omnia transit homo; quod notat Sponsa, consequenter addens (Cant. 3, 3): « Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem »; et sequitur: « Num, quem diligit anima mea, vidistis? » Ipsi tamen non respondent. *Vigiles* sunt doctores ecclesiæ, ad ejus custodiam vigilantes quoad doctrinam, a quibus, et in quibus cum quæritur Dominus, non respondent, quia non invenitur in eis quoad vitam, quod est valde ad confusionem ipsorum, ut lingua clament, et opere taceant; imo quidam eorum nec ore, nec opere respondent, cum tamen de officio eorum est, ut prædicent, et doceant. Pertranseundum est eos; unde subnectitur (3, 4): « Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea. » Pertranseunt illi, qui opera, quæ ipsi non habent, faciunt, et sic Deum inveniunt; et per eos facto transitu, Deum, qui ultra est, invenient transeuntes. Nota, quod dicit: *Cum pertransissem;* necesse est enim omnia mundana pertransire, ad hoc ut inveniatur Deus, donec veniatur ad unitatem Ecclesiæ, ad quam nos invitat Sponsa. Sophoniæ (2, 1 et 2): « Convenite » gentes, et « congregamini gens non amabilis, priusquam pariat jussio quasi pulverem transeuntem diem, antequam veniat super vos ira furoris Domini? » Dicit peccatoribus, quibus loquitur hic Propheta, dispersis per multiplicia genera peccatorum: *Convenite gentes*, scilicet in unitatem per confessionem, et pœnitentiam, antequam veniat super vos dies indignationis Domini. Dies ista, dies judicii est, quam pariet *jussio*, idest Omnipotentis voluntas, tanquam *pulverem transeuntem*. Pulvis transiens est pulvis subito turbine motus; sic et dies illa erit subito transiens. Antequam ergo accedat, Propheta nos admonet: Convenite in unitatem Ecclesiæ; et sequitur (Ibid., 2, 3 et 4): « Quærite Dominum omnes mansueti terræ: Quærite justum, quærite mansuetum; et ideo quærite » in præsenti. Quia Gaza destructa erit, et Ascalon in desertum, Azotum in meridie ejicient, et Accaron eradicabitur. Gaza interpretatur fortitudo; per quod intelligitur potentia sæcularis, quæ in die illa penitus destruetur. *Ascalon*, ignis homicida; et per hoc luxuria, per quam intelligimus ignem, qui interficit omnes, qui similiter destruetur. *Azotus*, ignis generationis; et significat avaritiæ, et cupiditatis ignem, a quo mala cuncta generantur, et quæ *in meridie*, idest in fervore iræ summi judicis ejicietur. *Accaron* vero interpretatur sterilitas; et hæc est gloria sæcularis, quæ est vana, et sterilis, et infœcunda: Et hæc tunc eradicata, et infœcunda, et oblita erit. Propter hoc dicit Propheta: *Quærite;* et ne videretur, quærendum esse solummodo pro timore pœnæ, subdit etiam præmium æternæ vitæ dicens: « Quærite, et vivet anima vestra; unde in Parabolis (8, 35 et 36): « Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino: qui autem in me peccaverit, lædet animam suam.

SERMO CXXVIII.

De profunditate peccantium, et de tribus vitiis.

Deus in adjutorium meum intende: Domine, ad adjuvandum me festina (Psal. 69, 2).

Clamat Propheta in persona cujuslibet viri justi, a Domino petens auxilium festinanter. Et bene opus est, quia imminet necessitas, ex quo cecidit primus Angelus, et ex quo etiam peccavit primus homo. Unde in Apocalypsi (9, 1 ad 9): « Vidi stellam de cœlo cadentem (1) in terram, et data est ei clavis putei abyssi: Et aperuit puteum abyssi, et exivit (2) fumus sicut fumus fornacis ardentis (3), et obscuratus est sol, et aer de fumo putei: et de fumo exierunt locustæ, similes equis paratis ad prælium: et facies earum ut facies hominum, et habebant capillos sicut capillos mulierum; dentes earum ut dentes leonis, et habebant loricas ferreas. » Stella ista est Lucifer primus Angelus. Primus homo cadens in terram, idest in terrenitatem per inspirationem malitiæ sibi habitaculum præparavit. Et *data est ei clavis putei abyssi*, idest profundidatis malitiæ: *Et aperuit puteum*, scilicet seipsum manifestando in opere. *Et exivit fumus;* hoc est exemplum pravum ita vehementer accendens alios in malitiam, et corrumpens sicut fornax ardens stipulam, vel aliam materiam, quam corrumpit. Vel sic: Puteus abyssi, cujus clavis data est ei ut aperiret, est profunditas malitiæ in peccantibus la-

(1) Vulg.: cecidisse.
(2) Vulg.: ascendit.
(3) Vulg.: magnæ.

tenter, quam ipse aperit, quia manifeste peccare facit, et ita ascendit fumus, per quem obscuratur sol, et aer. Sol illuminat, et aer illuminatur, idest tam ille, qui lumen non ab homine, sed a Deo solo prius habuit, quam ille, qui lumen ab ipso homine ad exemplum ipsius bonæ conversationis obtinuit, qui per solem, et aerem signati sunt, obscurantur, et ab eis lumen gratiæ aufertur. Vel sic : Sol illuminat, et aer illuminatur; per quod intelliguntur majores, qui debent illuminare, et minores, qui debent illuminari; qui obscurantur per fumum ascendentem, idest per pravum exemplum sublimium, quod ad modum fumi excæcat oculos insipientium, et eos imitantium; unde locutæ de fumo exierunt. Locusta in altum salit, sed ab aere decidit, et signat inanis gloriæ cupidos, qui cum per propriam elationem in altum salierint, in momento cadunt; et merito ex isto puteo exeunt, quia ex profundo malignitatis cordis ventus mundi istius, et alia signa superbiæ exeunt. Vel : *Locustæ de fumo exeunt*, idest imitatores malitiæ in altum se erigentes ut locustæ, sed cito cadentes, quia quanto per elationem se erigunt, tanto velocius in deterius cadunt. Sunt etiam locustæ, quia corrosores bonorum per detractionis vitium, similes etiam sunt equis, idest diabolis ad prælium contra Dominum paratis, quia veloces ad discurrendum, et feroces ad impugnandum, impetuose feruntur contra bonos; unde Jeremiæ (8, 6) : « Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium. Facies earum sicut facies hominis, et habebant capillos, sicut capillos mulieris. » Per hoc hypocritæ designantur, quod similitudinem habent veri hominis, et justi; sed eorum capilli, hoc est operum suorum finis, ut mulieris, quæ se seduxit, et hominem; et sic finis eorum. Seipsos, qui deberent esse ut veri homines, decipit finis operum suorum, ut mulieris, idest tanquam imbecillium, et effæminatorum per carnis mollitiem. Quorum *dentes ut leonis*. Leones dentes habent lacerantes, et fœtidos, per quos intelliguntur detractores, qui crudelitate fœtida alios lacerant, et corrumpunt. *Et habebant loricas ferreas*. Loricæ ferreæ peccatorum est concatenatio, ubi videlicet macula maculæ connectitur per mentis obstinationem. Et ecce necessitas, quare clamat vir justus. *Deus in adjutorium meum intende*.

Sequitur : *Domine, ad adjuvandum me festina*. Et quare petit festinari? Quia *soluti sunt quatuor Angeli, qui alligati erant in flumine magno Euphrate* (Apoc., 9, 15 et 14). Hi sunt quatuor diaboli quatuor virtutibus cardinalibus oppositi, qui alligantur per baptismum, sed solvuntur, cum homo baptismatis fidem frangit. Quia baptismalem innocentiam pauci servant, ob hoc illi diaboli sunt soluti, unde clamat vir justus ad Dominum, ut eruatur ab eis, dicens : *Domine, ad adjuvandum me festina*. De iis diabolis in Apocalypsi (9, 17 et 19) : « Vidi equos, de quorum ore exivit ignis, et fumus, et sulphur, » potestas autem ipsorum *in ore eorum*. Equi, diaboli sunt. Equos ascendunt homines peccatores ad currendum velocius in peccatis, et ii etiam sunt fortiores, *de quorum ore*, idest venenata suggestione exit ignis avaritiæ, qui quanto magis accenditur, tanto magis ardet, et semper appetit materiam, in qua ardeat. Avaritia igni comparatur, quia insatiabilis est ardor habendi, sicut ignis; unde Ecclesiastici (14, 9) : « Insatiabilis est oculus cupidi in parte iniquitatis : non satiabitur, donec consumat » injustitiam. Vult consummare injustitiam, ut possit consumere pecuniam : Veruntamem insatiabilis est arefaciens animam. Fumo comparatur superbia, quæ ad modum fumi in altum erigitur, et convolvitur, sed de facili evanescit. Unde Isaiæ (9, 18) : « Succendetur in densitate saltus, et convolvetur in superbiam (1) fumi. Sulphur attribuitur luxuriæ propter fœtorem. Isaiæ (34, 9) : « Convertentur torrentes ejus in picem, et pulvis ejus, vel humus (2) in sulphur. » Potestas eorum est in ore ipsorum, quoad suggestionem; « et in caudis eorum, quæ similes sunt serpentibus aculei. » Hoc est posse dæmonum, ut in principio per blandimenta suggestionum mulceant, et in fine acerrima pœna pungant. Unde Ecclesiastici (2, 2 et 3) : « Quasi a facie colubri fuge peccata : et si accesseris ad illa, » scilicet consentiendo suggestionibus diaboli, « suscipient te dentes leonis; » quia qui in principio suggestionis tibi blandiebatur, in fine quasi in cauda exeret pugionem, et

(1) Vulg. : convolvetur superbia.

(2) Vulg. : et humus ejus. Text. Hebr. cum vers. Syr., et paraphr. Chald., et pulvis ejus.

torquebit. Diabolus enim, qui est incentor culpæ, ipse erit exactor pœnæ. Hoc est quod Lucæ dicitur (19, 42 ad 44), quod Dominus flens super Jerusalem, dixit : « Quia si cognovisses et tu, » subintellige, flens, « et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi sunt : » sed « venient in te dies, et circumdabunt te vallo, et ad terram prosternent te. » Super quem locum dicit Glossa : Qui enim fuerunt (1) incentores culpæ eorum, erunt exactores pœnæ. Plangit enim Dominus reprobos, qui nesciunt, cur plangantur : imo exultant in rebus pessimis, qui suggestionibus dæmonum decepti pacem se putant habere. Sed venient dies, quando ipsi, qui suggesserunt, eos ad societatem suæ damnationis trahentes, circumdabunt undique, et coangustabunt, non solum operum, et locutionum, sed etiam cogitationis flagitia ante oculos replicantes. Exigent pœnam, et supplicium ab iis, quibus nunc concedunt multitudinem voluptatis. Ne ergo per hæc merita culparum vir justus veniat ad exactorem pœnarum, clamat et dicit : *Deus in adjutorium meum intende : Domine, ad adjuvandum me festina.*

SERMO CXXIX.

Quod petit justus a Deo adjutorium, quoniam erectus est inimicus ad pugnandum ; quomodo fit Deus inimicus.

Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum : ut salvum me facias; vel secundum aliam litteram (2), *in domum refugii, ut salvum me facias : quoniam firmamentum meum, et refugium meum, es tu.* (Psal. 70, 3.)

Petit hic generaliter justus, ut Deus sit ei *in protectorem;* et bene expedit, quia contra eum quotidie erigitur diabolus inimicus, sicut habemus in Threnis (1, 9), ubi clamat Propheta dicens « Vide, Domine, afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus » meus. Vide, inquam, afflictionem ut subvenias, non iniquitatem ut punias : quoniam erectus est inimicus ut sibi me subjiciat. Sequitur (1, 10) : « Manum suam misit ad omnia desiderabilia ejus, quia vidit gentes ingressas sanctuarium tuum, de quibus præceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam. Sanctuarium Domini est cor hominis, vel nostræ conscientiæ secretarium, de quo præcepit Dominus, ne in ipsum intrent hostes. Hostes enim tunc intrant sanctuarium, cum carnales cogitationes, et mundanæ sollicitudines irrumpunt nostræ mentis habitaculum; et tunc mittit diabolus manum ad omnia desiderabilia ejus, quia aufert virtutum ornamenta. Vel sanctuarium Domini est cor hominis, et gentes sunt cogitationes, quæ cor mutant : quod cum videt diabolus, manum mittit, quod si possit, eas perducat ad effectum, quod est desiderabile ejus; et tunc opus est, ut clamet homo cum Propheta : *Esto mihi in Deum protectorem, etc.* Bene necesse est, ut sic clamet, quia cum velocitate, et impetu surgit diabolus, sicut habetur in Threnis (4, 19) : « Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli : super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis. » Aquilæ cœli debent esse prædicatores, volando in altum per contemplationem cœlestium, oculum intuitionis figendo in verum solem, et in cadaver Christi mortui per imitationem passionis suæ, et mortis, ut sic essent velociores, verbo, et exemplo populum instruendo, quando scilicet persecutores Ecclesiæ, idest diaboli, et pravi homines suggestionibus, et pravis moribus pervertunt. Sed contrarium est de prædicatoribus nostri temporis, de quibus dicit Propheta : Velociores sunt aquilis cœli, potius scilicet pervertendo, quam ipsos informando; unde bene sequitur : *Super montes persecuti sunt nos.* Montes sunt prælati, qui quando corrumpuntur, cæteri seducuntur. Quod iterum signatur per hoc, quod sequitur : *In deserto;* eo quod desertum appellatur vita claustralis, vel eremitica, quæ solitaria est, quibus insidiatur diabolus, quosque quandoque decipit.

Timendum est justo simplici, et clamandum : *Esto mihi in Deum protectorem;* Ideo sequitur : *Et in locum munitum;*

(1) Qui enim fuerunt, etc. Glossa interlin. in illud Lucæ, 12, 58, *et judex trudat te exactori,* ait : diabolo, qui pœnam exigit pro reatu, quem suggessit : Diabolus a S. Augustino Enar. in Psal. 142, num. 8, dicitur operis mali persuasor, supplicii exactor. Et S. Gregorius, lib. XXX Moral. in cap. 39, num. 71 : Quis, inquit, hoc loco exactor accipi nisi diabolus potest? qui suadendo intulit culpam, sæviendo exigit pœnam.

(2) Versio Syr. et Chald.

quasi dicat : Necesse est, quia munitiones nostræ dissipatæ sunt, sicut habemus in Threnis (2, 5) : « Factus est Dominus velut inimicus : præcipitavit Israel, præcipitavit omnia mænia ejus, dissipavit » omnes « munitiones ejus, et replevit in filia Juda humiliatum, et humiliatam. » Et bene dicit, velut inimicus, quia in veritate non est inimicus, sed videtur, cum gratia subtrahitur, qua subtracta præcipitatur Israel, idest anima, quæ Sponsa debet esse Christi, quia avertitur a complexibus Sponsi per peccatum, et tunc flagellatur ab eo ; et quæ per pœnas destituta videtur, per flagella cautius revocatur : *præcipitatur* permissive : præcipitantur etiam mænia ejus. Nota, quod in civitate sunt quædam ad munitionem, sive ad defensionem, ut fossata, muri, turres, et aliæ firmitates ; quædam vero mænia sunt ad decorem, sicut major, vel minor ambitus murorum, politi lapides, ex quibus facti sunt, æquidistantia fossorum, et similia, quæ sunt ad ornatum ejus murorum. Ita in anima quædam sunt, sine quibus durare non posset, quin periret perpetuo, ut fides, spes, charitas, et virtutes ; et hæc præcipitat Deus, et illa dissipat, cum tam illa, quam ista ab Ecclesia, vel ab anima auferri permittit : quædam propter melius se habere, ut genera linguarum, interpretatio sermonum, et donum aliarum gratiarum, quæ subtrahit. Gratiam Dei præcipitat, et dissipat animæ munitiones, hoc est virtutes, et mœnia, idest Ecclesiæ Dei dona diabolus inimicus, replens illam, quæ debet esse filia Juda per confessionem, *humiliatum*, idest sensum illecebris irretitum, *et humiliatam*, idest cogitationem in terrena demersam. Quod ne accidat, clamet ad Dominum cum Propheta : *Esto mihi in Deum protectorem, etc.*, et dicat : *Quoniam firmamentum meum es tu* contra lubricitatem peccati. Vel, *firmamentum meum es tu*, ne amando sim lubricus in platea voluptatis, de qua in Threnis (4, 18) : « Lubricaverunt vestigia nostra in itinere, » vel capite omnium *platearum*. In spatiosa enim, et lata via voluptatis pedes mei ad pejora sunt de facili proclives. *Et refugium meum es tu* contra timorem diaboli, et peccati. Hoc est enim refugium, quod dicitur in Psalmis (103, 18) : « Petra refugium herinaciis, et leporibus (1), alia littera ; quia Christus et *leporibus*, idest timidis, et *herinaciis*, idest minutis, et quotidianis peccatorum spinis obsitis est *refugium*.

(1) Versio Arabica, et Syriaca.

SERMO CXXX.

Qualiter laudandus sit Deus ; de multiplici justitia ejus.

Adjiciam super omnem laudem tuam. Os meum annunciabit justitiam tuam. (Psal. 70, 14 et 15.)

Vox primi hominis reformati. Laudandus enim erat Dominus ab ipso, quia ipsum formavit abundantem, elegantem, potentem, ut innuitur in Genesi (1, 26), ubi dicitur : « Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram ; sed superlaudandus, cum omnibus bonis ipsum spoliatum per suam inobedientiam, in meliorem statum sua restituerit misericordia ; quod ipse Propheta attendens, in persona ipsius ait : *Adjiciam super omnem laudem tuam ;* magis enim laudandus, quia recreavit. Ibi enim *dixit, et facta sunt :* hic factus est homo ipse Christus, passus pro homine. *Super laudem* igitur creationis adjicienda est laus recreationis.

Sequitur : *Os meum annunciabit justitiam tuam.* Hic dicit Ecclesia, quod annunciabit justitiam Dei, illam scilicet, de qua dicit Isaias (56, 1) : « Juxta est salus mea, ut veniat, et justitia mea, ut reveletur. Quæ sit hæc justitia, in eodem post pauca habetur (v. 6 et 7) : « Omnem custodientem sabbatum ne polluat illud » per iniquitatem, et omnem tenentem fœdus, quod pepigit in baptismo, talem « adducam ad montem sanctum meum, » scilicet æternæ felicitatis. Sabbatum interpretatur requies, per quod designatur puritas conscientiæ, et tranquillitas mentis, quam qui non turbaverit per peccatum, et fœdus cum Domino inierit per baptismum, inviolatumque servaverit, ipse Deus de justitia sua ineffabili ducet eum in montem sanctum suum, hoc est in celsitudinem felicitatis æternæ. De cujus justitia, Isaias (59, 17) : « Indutus est justitia, ut lorica, et galea salutis in capite ejus. » Caput Christi, divinitas ; *galea*, humanitas. Unde *galea in capite*, humanitas in divinitate : Sicut enim galea caput operit, sic Christi humanitas divinitatem cooperuit, et celavit : et

indutus Christus tali *justitia*, et armatus, pro homine pugnans, de diabolo triumphavit. Quia enim diabolus manum suam extendit in eum, in quo nihil habebat, juste amisit hominem, in quo aliquid juris habere videbatur. Juste meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate. Hæc itaque fuit ejus justitia, qua indutus fuit Deus ad pugnandum contra dæmonem, ut lorica. Unde Job (26, 12 et 13) : « Prudentia ejus percussit superbum, et obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus. « Prudentia ejus humilitas fuit Christi, et hæc percussit diabolum superbum, sicut prudentia stultum. « Et eductus est coluber tortuosus. » Duo hic conglutinantur in unum ; per hoc enim quod dicitur, *prudentia*, ostenditur, quod prudentia Christi stultitiam diaboli, qui nolebat eum Deum credere, superavit ; et humilitas superbiam ejusdem, quia totum hominem obtinere præsumebat, dejecit ; et ita « obstetricante manu ejus eductus est coluber tortuosus, » idest ad modum obstetricis diabolum de cordibus, in quibus quiescebat, eduxit. Justitia ejus fuit, ut tanta esset in Deo humilitas, quanta in homine fuit superbia. Sicut enim homo de infimo voluit fieri supremus, sic Christus de supremo factus est infimus ; de quo Ecclesiastici (24, 7) : « Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis. » Per columnam nubis ejus humilitas intelligitur, in qua sedebit in throno judicans fines terræ, quia omne judicium dedit Filio Pater (Joan. 5, 22). Vel, Columna nubis est humanitas : Nubes, unde « Ascendet Dominus super nubem levem » (Isa. 19, 1) : Columna propter rectitudinem, et fortitudinem. Ad hanc ipse se humiliavit, cum esset in altissimis divinæ naturæ apud Patrem. Isaiæ (48, 12) : Ego primus, et ego novissimus ; quia qui primus erat, et excellentissimus per divinitatem, factus est novissimus, et infimus per humanitatem ; et hæc est justitia, quam annunciat Ecclesia.

Aliam annunciat, et annunciando laudat idem Isaias (48, 11) et loquitur Filius : « Propter me faciam, ut non blasphemer, et gloriam meam alteri non dabo. » Deus Pater duas naturas creaverat, angelicam videlicet, et humanam. Angelica, quoad illos, qui ceciderunt, offenderat in æqualitatem Dei, et ita in Filium. Homo offenderat in sapientiam, et scandalizatus fuerat in ea, et ita in Dei Filio : ille appetendo æqualem Deo fieri ; iste concupiscendo sapientiam boni et mali. Quia igitur in eo offenderat, ne videretur inde posse blasphemari de perditione eorum, dixit : « Propter me faciam, ut non blasphemer » ; non pro meritis eorum faciam, idest redimam etiam liberando quod potest liberari, et redimi, videlicet hominem, qui per alium peccavit, non diabolum, qui per seipsum, nulla seductus suggestione deliquit. « Et gloriam meam alteri non dabo. » Poterat enim esse (1), ut si mortem Filius non subiisset pro redemptione generis humani, ad quod misit eum Pater, quod ipse quasi blasphemiam incurrisset. Justum ergo fuit, ut qui mori venerat, moreretur, ut sic omnem blasphemiam curaret, nec per ipsum staret, ut genus humanum redimeretur ; unde dicit : « Propter me faciam, ut non blasphemer : et gloriam meam alteri non dabo ; gloriam, quam scilicet habeo resurgendo, alteri non dabo ; quod fieret, si alius redimeret. Vel, « Gloriam meam alteri non dabo «, quia carnem assumens, in persona propria, non per alterum, salutem operabor. Hanc itaque justitiam annunciat Propheta in persona redempti hominis, ita dicens : *Os meum annunciabit justitiam tuam.*

SERMO CXXXI.

De septem tribulationibus, a quibus liberatur justus ; de triplici abysso, sive carcere ; et de consolatione Dei.

Quantas ostendisti mihi tribulationes, et mala (2) : *et conversus vivificasti me : et de abyssis terræ iterum reduxisti me.* (Psal. 70, 20.)

Quot, et quantas tribulationes passus fuerit iste Sanctus pro nomine Jesu commemorat, quatenus de ipsis, per virtutem nominis Jesu, se sentiat, liberatum, et reddat gratias ampliores, et ardentius moveatur ad ejus nominis dilectionem. De quibus tribu-

(1) Poterat enim esse, etc. Glossa interlinearis Isaiæ verba sic interpretatur : « Propter misericordiam meam, non pro meritis vestris liberabo vos, ut non blasphemer in gentibus, quasi impotens liberare. » Si ergo Dei Filius humanum genus non redemisset, blasphemiis gentium, aut dæmonum, velut impotens, fortasse impeti potuisset.

(2) Vulg. : multas, et malas.

lationibus, Job (5, 19 ad 22) : « In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum. » Quæ sint istæ septem tribulationes, statim subjungit, dicens: « In fame eruet te de morte, et in bello de manu gladii : a flagello linguæ absconderis, et non timebis calamitatem, cum venerit : in fame, et vastitate ridebis, et bestias terræ non formidabis. » Fames est indigentia verbi Dei, quæ est magna tribulatio; ubi enim verbum Dei non patet, non minus imminet periculum animarum, quoniam corruunt. In hac fame et tribulationem custodit sæpius eos, et de morte æterna, qui deinde aliud occasionaliter consequitur, eripit Christus suos, vel mittendo prædicationem eis, vel aliquod solatium mittendo; et hoc est, quia dicit : « In fame eruet te de morte ». *Et in bello :* Bellum enim est tentatio carnis, et spiritus, de qua in oratione Domini a petimus liberari, cum dicimus : *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos.* De ipsa eruit Deus sæpius suos sanctos, quamvis ex utraque parte insiliat, sicut « gladius ex utraque parte acutus » (Apoc. 1, 16) quod voluit notare cum dixit : « Et in bello de manu gladii. »

Sequitur : « A flagello linguæ absconderis. » Flagellum est dura increpatio, qua extremo die impii ferientur, cum eis ita Deus loquetur : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare*, etc. (Matth. 25, 42). Unde sententia durior subsequetur, cum dicet : *Ite maledicti, etc.* : « Non timebis calamitatem, cum venerit. » Ridebis, cum venerit, calamitatem, secundum aliam litteram (1), idest diem judicii, de qua dicit Sophonias (1, 15) : « Dies illa, dies iræ, calamitatis, et miseriæ, etc. » « In fame, et vastitate ridebis ». Per vastitatem intelligimus multitudinem tormentorum; unde in Evangelio de servo inutili dicitur : Ligatis pedibus, et manibus mittite eum in tenebras exteriores (Matth., 22, 13) donec reddat ultimum quadrantem, idest, donec satisfecerit a maximo usque ad minimum. *In fame.* Fames est defectus veræ satietatis; unde Isaiæ (65, 13) : « Servi mei comedent, et vos esurietis : bibent, et vos sitietis »; quia dum mali affligentur, boni delectabuntur in Domino. In iis autem Sancti ridebunt, quia divinæ justitiæ adhærentes, pœnis impiorum non condolebunt : Nihil timentes, nec etiam *bestias terræ*, idest diabolos, qui bestiæ terræ dicuntur, eo quod terram homines vastant, vel terrenos homines vastantes; ipsis enim erunt exactores pœnæ, quibus fuerunt incentores culpæ. Boni autem non timebunt eos sævientes, quia non sunt secuti eos blandientes. Hæ tribulationes, quas ostendit per experientiam suis Christus; quas cum experti fuerint, et in iis a Domino approbati, si ad Dominum clamaverint, per suam clementiam conversus vivificat, et liberat eos Christus; quod bene novit Propheta cum dixit : *Et conversus vivificasti me.*

Sequitur : *Et de abyssis terræ iterum reduxisti me.* Dicit Psalmista, *de abyssis*, non de abysso; ut notetur duplex abyssus, de quibus Job (7, 12) : « Numquid ego sum mare, aut cetus, quia circumdedisti me carcere »? Carcer duplex est; unus animæ, scilicet corpus; alius carcer nostræ iniquitatis. De primo, Sapientiæ (9, 15) : « Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. » Carcer enim corporis, in quo anima inhabitat, eam gravat, et claudit, ne quantum cupit, exeat ad cœlestia contemplanda; et sensum deprimit, idest deorsum premit ad terrena, ut nequeat intendere ad superna. Dicit ergo Job : « Numquid ego sum mare, etc. » quasi dicat : Cum diabolus in cordibus carnalium velut in quodam carcere recludatur, ne liceat ei nocere bonis, nisi in quantum permittitur : Ego, qui corde in cœlo sum, cur carnis *carcere* deprimor? Per *mare*, mali, sive corda carnalium; per cetum significatur diabolus. *Cetus* in mari est diabolus in homine perverso. Mare rupibus, et scopulis coarctatur. Cetus vero in mari reclusus, extra non potest vivere, nec nocere; et significat diabolum in corde hominis clausum, et ipsum cor hominis voluntate Domini, et permissione divina arctatum, quarum uterque virtute sic clauditur, ut neuter, quantum velit, in malitia sua contendere non concedatur; ad quorum similitudinem Job sic dicit : « Numquid mare ego sum, ant cetus »? qui propter copiam corruptelæ bonum facere, quantum volo, nequeo : et quare? quia *circumdedisti me carcere*, idest propria gravitate. Secun-

(1) Secundum aliam litteram. In unum, vel alterum vetustum codicem irrepere id potuit. Nulla tamen Versio sic legit.

dus carcer est, qui dicitur iniquitatis, de quo Isaiæ (42, 7) : « Educ vinctum (1) de domo carceris sedentem in tenebris, et umbra mortis ». Iniquitas, et peccatum tenebræ sunt, cordis oculos obscurantes, ut non videant verum lumen. Dicuntur etiam umbra mortis, quia sicut umbra continuatur corpori, ita mors perpetua impiæ actioni. Est item abyssus lacus inferni, de quo Zachariæ (9, 11) : « Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua, idest refrigerium gratiæ, et pax quietis æternæ. Hæ sunt abyssi, de quibus dicit Propheta : *Et de abyssis terræ iterum reduxisti me.*

Sequitur : *Multiplicasti magnificentiam tuam*, sic scilicet operando. In hoc enim apparet, quod magnus sit, quia sic probat et servat, turbat et sedat, carcerat et liberat; quod ostendit, cum dicit Psalmus : « Et conversus consolatus es me ; » et hoc multiplici consolatione, scilicet : Eripiendo a periculis ; unde idem alibi (Psal. 85, 17) : « Fac mecum signum in bonum, ut videant qui me oderunt, et confundantur ». In sublevatione flagellorum ; unde Isaiæ (40, 1 et 2) « Consolamini, consolamini popule meus, loquimini ad cor Jerusalem, quoniam completa est malitia ejus, » scilicet afflictio, et quia reddita, et « dimissa est iniquitas illius. » consolamini etiam in missione Spiritus Sancti Paracliti. Cum enim Dominus sublevat flagella, « completa est malitia ejus » : idest afflictio, in conferendo Spiritum Paraclitum ; unde (Joan., 16, 7) : Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet vobis (2) : si autem abiero, mittam eum ad vos.

SERMO CXXXII.

In die Epiphaniæ, de tribus Regibus offerentibus tria munera.

Reges Tharsis, et Insulæ munera offerent : Reges Arabum, et Saba, dona adducent. (Psal. 71, 10.)

Istud ad litteram scimus factum, cum illi tres *Magi* venerunt cum muneribus adorare Dominum natum in Bethlehem (Matth. 2, 1 ad 11) : Sed videmus spiritualiter adimpleri in Ecclesia. *Tharsis* interpretatur exploratio gaudii, vel dissipatio speculi, vel dissipatio speculæ. Speculum istud est sacra Scriptura, in qua debet se homo speculari, ut videat in eo immunditias in facie, hoc est vitia, et aqua lacrymarum tergat eas; quod non faciet, si speculum frangit, et dissipat. Clericus, qui ad præbendam, vel alium honorem anhelat, et quodcunque mundi gaudium appetit, vel explorat, similis est homini, de quo dicit Jacobus (1, 23 et 24) : Si quis auditor est verbi, et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo; consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est, qualis fuerit; et hujusmodi non sunt hi reges. Est etiam ipsa sacra pagina specula, in qua debet quasi in excubia poni justus, ut in alto per contemplationem locatus, a longe sibi provideat a persecutoribus venturis; unde Jeremiæ (31, 21) : « Statue tibi speculum, et pone amaritudines. » Sed hoc speculum dirimunt, et dissipant mundi amatores, et temporalium gaudiorum. Hi non sunt reges Regi magno munera offerentes. Sed illi, qui sunt æterni gaudii speculatores, qui mundi vana gaudia supputant, et bonum exaltant; de quibus Salomon in Proverbiis (20, 8) : « Rex, qui sedet in solio judicii, intuitu suo dissipat omne malum » : Hi sunt reges Tharsis, et Insulæ.

Insula in medio mari posita, in mediis fluctibus stat quieta, in amaritudine dulcis, et in ipso maris fœtore odorifera. Ita justus in medio mundi situs, in persecutionibus stat immotus, in vitiorum amaritudine servat dulcedinem conscientiæ, et in fœtore mundi non perdit odorem bonæ famæ. Qui tales sunt, Deo offerunt munera. Qui enim est rex Insulæ, offert Deo lilium devotæ conscientiæ, quod est salus ejus. Inde est quod Jesse, et Isai idem nomen sunt (3), et ad hoc competenter faciunt. *Jesse* enim interpretatur holocaustum Insulæ; *Isai*, salus mea. Ille quidem munus Insulæ offert, quod Deo gratum est, qui holocaustum offert

(1) Vulg. : Et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.

(2) Vulg. ad vos.

(3) Idem nomen sunt. Patrem Davidis, quem cap. 4 Ruth, v. 22, Vulgata cum Textu Hebr. et Paraphr. Chald. vocat Isai; Græca, Syriaca, et Arabica nuncupant *Jesse* : Matthæi vero cap. 1, vers. 5 a Vulgata, Græca, et Arabica nominatum *Jesse*, Syriaca et Persiaca dicunt *Isai*. Unum ergo, idemque esse nomen videntur *Isai* et *Jesse*. Verum Glossa ord. in loc. cit. Matth. quam Lyranus sequitur, *Pater David*, ait, *sæpius nominatur Isai, sed binomius fuit.*

lationibus, Job (5, 19 ad 22) : « In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum. » Quæ sint istæ septem tribulationes, statim subjungit, dicens: « In fame eruet te de morte, et in bello de manu gladii : a flagello linguæ absconderis, et non timebis calamitatem, cum venerit : in fame, et vastitate ridebis, et bestias terræ non formidabis. » Fames est indigentia verbi Dei, quæ est magna tribulatio; ubi enim verbum Dei non patet, non minus imminet periculum animarum, quoniam corruunt. In hac fame et tribulationem custodit sæpius eos, et de morte æterna, qui deinde aliud occasionaliter consequitur, eripit Christus suos, vel mittendo prædicationem eis, vel aliquod solatium mittendo; et hoc est, quia dicit : « In fame eruet te de morte ». *Et in bello :* Bellum enim est tentatio carnis, et spiritus, de qua in oratione Domini a petimus liberari, cum dicimus : *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos.* De ipsa eruit Deus sæpius suos sanctos, quamvis ex utraque parte insiliat, sicut « gladius ex utraque parte acutus » (Apoc. 1, 16) quod voluit notare cum dixit : « Et in bello de manu gladii. »

Sequitur : « A flagello linguæ absconderis. » Flagellum est dura increpatio, qua extremo die impii ferientur, cum eis ita Deus loquetur : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare*, etc. (Matth. 25, 42). Unde sententia durior subsequetur, cum dicet : *Ite maledicti, etc.* : « Non timebis calamitatem, cum venerit. » Ridebis, cum venerit, calamitatem, secundum aliam litteram (1), idest diem judicii, de qua dicit Sophonias (1, 15) : « Dies illa, dies iræ, calamitatis, et miseriæ, etc. » « In fame, et vastitate ridebis ». Per vastitatem intelligimus multitudinem tormentorum; unde in Evangelio de servo inutili dicitur : Ligatis pedibus, et manibus mittite eum in tenebras exteriores (Matth., 22, 13) donec reddat ultimum quadrantem, idest, donec satisfecerit a maximo usque ad minimum. *In fame.* Fames est defectus veræ satietatis; unde Isaiæ (65, 13) : « Servi mei comedent, et vos esurietis : bibent, et vos sitietis »; quia dum mali affligentur, boni delectabuntur in Domino. In iis autem Sancti ridebunt, quia divinæ justitiæ adhærentes, pœnis impiorum non condolebunt : Nihil timentes, nec etiam *bestias terræ*, idest diabolos, qui bestiæ terræ dicuntur, eo quod terram homines vastant, vel terrenos homines vastantes; ipsis enim erunt exactores pœnæ, quibus fuerunt incentores culpæ. Boni autem non timebunt eos sævientes, quia non sunt secuti eos blandientes. Hæ tribulationes, quas ostendit per experientiam suis Christus; quas cum experti fuerint, et in iis a Domino approbati, si ad Dominum clamaverint, per suam clementiam conversus vivificat, et liberat eos Christus; quod bene novit Propheta cum dixit : *Et conversus vivificasti me.*

Sequitur : *Et de abyssis terræ iterum reduxisti me.* Dicit Psalmista, *de abyssis*, non de abysso; ut notetur duplex abyssus, de quibus Job (7, 12) : « Numquid ego sum mare, aut cetus, quia circumdedisti me carcere »? Carcer duplex est; unus animæ, scilicet corpus; alius carcer nostræ iniquitatis. De primo, Sapientiæ (9, 15) : « Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. » Carcer enim corporis, in quo anima inhabitat, eam gravat, et claudit, ne quantum cupit, exeat ad cœlestia contemplanda; et sensum deprimit, idest deorsum premit ad terrena, ut nequeat intendere ad superna. Dicit ergo Job : « Numquid ego sum mare, etc. » quasi dicat : Cum diabolus in cordibus carnalium velut in quodam carcere recludatur, ne liceat ei nocere bonis, nisi in quantum permittitur : Ego, qui corde in cœlo sum, cur carnis *carcere* deprimor? Per *mare*, mali, sive corda carnalium; per cetum significatur diabolus. *Cetus* in mari est diabolus in homine perverso. Mare rupibus, et scopulis coarctatur. Cetus vero in mari reclusus, extra non potest vivere, nec nocere; et significat diabolum in corde hominis clausum, et ipsum cor hominis voluntate Domini, et permissione divina arctatum, quarum uterque virtute sic clauditur, ut neuter, quantum velit, in malitia sua contendere non concedatur; ad quorum similitudinem Job sic dicit : « Numquid mare ego sum, ant cetus »? qui propter copiam corruptelæ bonum facere, quantum volo, nequeo : et quare? quia *circumdedisti me carcere*, idest propria gravitate. Secun-

(1) Secundum aliam litteram. In unum, vel alterum vetustum codicem irrepere id potuit. Nulla tamen Versio sic legit.

dus carcer est, qui dicitur iniquitatis, de quo Isaiæ (42, 7) : « Educ vinctum (1) de domo carceris sedentem in tenebris, et umbra mortis ». Iniquitas, et peccatum tenebræ sunt, cordis oculos obscurantes, ut non videant verum lumen. Dicuntur etiam umbra mortis, quia sicut umbra continuatur corpori, ita mors perpetua impiæ actioni. Est item abyssus lacus inferni, de quo Zachariæ (9, 11) : « Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua, idest refrigerium gratiæ, et pax quietis æternæ. Hæ sunt abyssi, de quibus dicit Propheta : *Et de abyssis terræ iterum reduxisti me.*

Sequitur : *Multiplicasti magnificentiam tuam*, sic scilicet operando. In hoc enim apparet, quod magnus sit, quia sic probat et servat, turbat et sedat, carcerat et liberat; quod ostendit, cum dicit Psalmus : « Et conversus consolatus es me ; » et hoc multiplici consolatione, scilicet : Eripiendo a periculis ; unde idem alibi (Psal. 85, 17) : « Fac mecum signum in bonum, ut videant qui me oderunt, et confundantur ». In sublevatione flagellorum ; unde Isaiæ (40, 1 et 2) « Consolamini, consolamini popule meus, loquimini ad cor Jerusalem, quoniam completa est malitia ejus, » scilicet afflictio, et quia reddita, et « dimissa est iniquitas illius. » consolamini etiam in missione Spiritus Sancti Paracliti. Cum enim Dominus sublevat flagella, « completa est malitia ejus » : idest afflictio, in conferendo Spiritum Paraclitum ; unde (Joan., 16, 7) : Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet vobis (2) : si autem abiero, mittam eum ad vos.

SERMO CXXXII.

In die Epiphaniæ, de tribus Regibus offerentibus tria munera.

Reges Tharsis, et Insulæ munera offerent : Reges Arabum, et Saba, dona adducent. (Psal. 71, 10.)

Istud ad litteram scimus factum, cum illi tres *Magi* venerunt cum muneribus adorare Dominum natum in Bethlehem (Matth. 2, 1 ad 11) : Sed videmus spiritualiter adimpleri in Ecclesia. *Tharsis* interpretatur exploratio gaudii, vel dissipatio speculi, vel dissipatio speculæ. Speculum istud est sacra Scriptura, in qua debet se homo speculari, ut videat in eo immunditias in facie, hoc est vitia, et aqua lacrymarum tergat eas; quod non faciet, si speculum frangit, et dissipat. Clericus, qui ad præbendam, vel alium honorem anhelat, et quodcunque mundi gaudium appetit, vel explorat, similis est homini, de quo dicit Jacobus (1, 23 et 24) : Si quis auditor est verbi, et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo; consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est, qualis fuerit; et hujusmodi non sunt hi reges. Est etiam ipsa sacra pagina specula, in qua debet quasi in excubia poni justus, ut in alto per contemplationem locatus, a longe sibi provideat a persecutoribus venturis; unde Jeremiæ (31, 21) : « Statue tibi speculum, et pone amaritudines. » Sed hoc speculum dirimunt, et dissipant mundi amatores, et temporalium gaudiorum. Hi non sunt reges Regi magno munera offerentes. Sed illi, qui sunt æterni gaudii speculatores, qui mundi vana gaudia supputant, et bonum exaltant; de quibus Salomon in Proverbiis (20, 8) : « Rex, qui sedet in solio judicii, intuitu suo dissipat omne malum » : Hi sunt reges Tharsis, et Insulæ.

Insula in medio mari posita, in mediis fluctibus stat quieta, in amaritudine dulcis, et in ipso maris fœtore odorifera. Ita justus in medio mundi situs, in persecutionibus stat immotus, in vitiorum amaritudine servat dulcedinem conscientiæ, et in fœtore mundi non perdit odorem bonæ famæ. Qui tales sunt, Deo offerunt munera. Qui enim est rex Insulæ, offert Deo lilium devotæ conscientiæ, quod est salus ejus. Inde est quod Jesse, et Isai idem nomen sunt (3), et ad hoc competenter faciunt. *Jesse* enim interpretatur holocaustum Insulæ; *Isai*, salus mea. Ille quidem munus Insulæ offert, quod Deo gratum est, qui holocaustum offert

(1) Vulg. : Et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.
(2) Vulg. ad vos.
(3) Idem nomen sunt. Patrem Davidis, quem cap. 4 Ruth, v. 22, Vulgata cum Textu Hebr. et Paraphr. Chald. vocat Isai; Græca, Syriaca, et Arabica nuncupant *Jesse* : Matthæi vero cap. 1, vers. 5 a Vulgata, Græca, et Arabica nominatum *Jesse*, Syriaca et Persiaca dicunt *Isai*. Unum ergo, idemque esse nomen videntur *Isai* et *Jesse*. Verum Glossa ord. in loc. cit. Matth. quam Lyranus sequitur, *Pater David*, ait, *sæpius nominatur Isai, sed binomius fuit.*

per carnis mortificationem, et libamen per mentis devotionem; et talis vere potest dicere : Salus mea.

Reges Arabum, et Saba dona adducent. Arabia interpretatur humilis; unde Arabes humiles. Hi offerunt Domino aurum, et congrue; Aurum enim pretiosius est omnibus metallis, et aptius ad opus quodlibet de eo faciendum. Sic humilitas obedientiæ pretiosior est omnibus virtutibus, et magis habilis ad quodlibet opus meritorium faciendum. Qui hanc habent, vere Domino aurum offerunt. Hic est effectus caritatis, qui per auri colorem designatur : Vincit enim humilitas omne malum; unde Salomon in Parabolis (21, 28) : *Vir obediens loquetur victorias*(1). Arabia interpretatur Occidens, et Arabs Occidentalis; quod bene competit humili, et obedienti pauperi, cui totus occidit fulgor inanis gloriæ, et temporalis, sicut in Occidente splendor decidit nostri Solis. Qui tales sunt, *reges Arabum* sunt, sive Arabes sunt : vere enim aurum, hoc est virtutum odorem Domino offerunt. *Saba* interpretatur incensio, vel conversio, sive rete; quæ tria notantur in Isaia (60, 6) : « Omnes de Saba venient, aurum, et thus deferentes, et laudem Domino annunciantes. Qui enim *de Saba* venit, dum cor ipsius amor divinus accendit, ei *thus* devotæ orationis offert. Quem vere Deus convertit, ei ex debito laudes solvit. Qui autem hoc facit, in rete, sive in compedem pedem ponit; dicit enim Ecclesiasticus (6, 25) : « Fili, injice pedem, » idest mentis affectus, quibus fertur homo spiritualiter, « *in compedes, et collum tuum in torques ipsius,* » idest sermones tuos, quia collum via sermonis est; qui, inquam, talis fuerit, ut nonnisi per sapientiam agat aliquid, vel loquatur, profecto aurum sapientiæ competenter Deo offert.

SERMO CXXXIII.

Contra Prælatos.

Erit firmamentum in terra in summis montium; superextolletur super Libanum fructus ejus : et florebunt de civitate sicut fœnum terræ. (Psal. 71, 16.)

Terra ista est Ecclesia, cujus *firmamentum* debent esse presbyteri, et prælati; quia sicut firmamentum cœli dividit *aquas ab aquis,* scilicet superiores ab inferioribus, sic ipsi debent superiores delicias dividere a terrenis, in seipsis operando, et in subditis instruendo, a similitudine, sive firmitate denominati debent eos confirmare, et multiplici varietate fulgere virtutum, sicut firmamentum stellarum multitudine, et varietate. Unde ipsi debent esse *in summis montium,* idest super alios montes, idest minores sacerdotes, in Ecclesia excellentes. Sed invenimus inter prælatos nostri temporis paucos tales. Fere omnes huic sententiæ contradicunt; unde Osee (5, 1 et 2) : Audite hoc, sacerdotes, et attendite domus Israel, et domus regis auscultate : quia vobiscum (2) est judicium, quoniam laqueus facti estis speculationi, et sicut rete expansum super Thabor, et victimas declinastis in profundum. » Audite hoc, o vos *Sacerdotes,* idest prælati, qui estis domus Israel, qui videntes estis per Scripturæ intelligentiam; et domus regis, quia positi estis ad regendum alios : *vobiscum judicium est,* quia justo judicio aget vobiscum Dominus. Deberent siquidem sacerdotes victimare subditos Deo per macerationem carnis, quam in ipsos verbo, et exemplo effunderent, et sic eos ad cœlestia elevarent : Sed ipsi perverso opere, et prava doctrina eos victimant diabolo, et in profundum inferni declinant; unde *facti* sunt *laqueus, et rete* diaboli expansum super Thabor. Thabor interpretatur veniens lumen. Est ergo sensus : Vos, a quibus debuit venire lumen, expandistis rete avaritiæ vestræ et iniquitatis, quo laqueastis, vel retuistis subditos, et sic declinastis victimas in profundum, quia eos victimastis diabolo. Vel : Thabor interpretatur lepra veniens. Lepra veniens peccatum irrepens est, quasi de via in minores rudes veniat. Superexcrescit tamen per exemplum pessimum prælatorum, et hi dicuntur « laqueus, et rete expansum super Thabor. » Et bene dicitur *expansum,* ut plures capiat; quia capit plures diabolus per malum exemplum prælatorum, quam cæterorum.

Deberent etiam esse montes firmi, non lubrici, sicut montes Gelboe, qui lubrici interpretantur, quibus maledixit David, ut habetur in secundo libro Regum (1, 18 ad

(1) Vulg. victoriam.

(2) Vulg. vobis.

22) : « Considera Israel pro his, qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati. Inclyti Israel super montes tuos interfecti sunt. » Et sequitur : « Quomodo ceciderunt fortes » in bello? « Nolite annunciare in Geth, neque annuncietis in compitis Ascalonis : ne forte lætentur filiæ Philisthiim, ne exultent filiæ incircumcisorum. » Postea sequitur maledictio : « Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniat (1) super vos, neque sint agri primitiarum : quia ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo, sanguine (2) interfectorum »; vel potius, maledicentur sanguine interfectorum. Dirigitur sermo ad prælatum : O Israel, o prælate, qui vides Deum per Scripturæ intelligentiam, non tamen per contemplationem, vel operationem bonam. « Considera pro his, qui mortui sunt»; quasi, considera pœnas tibi imminentes pro illis, qui ad pravum exemplum tuum mortui sunt, cum in excelso solio te viderent contra Dei legem, et justitiam facientem, et hi fuerunt non quicumque, sed inclyti. Inclyti sunt viri justi, et fideles de Ecclesia, qui interficiuntur super montes, idest super prælatos operibus suis pravis. Et sequitur verbum notabile : « Quomodo ceciderunt fortes » Israel, idest prælati, qui quomodo corruant, non debemus annunciare *in Geth*, quod interpretatur torcular; hoc est coram divitibus, et potentibus hujus sæculi, qui divitias extorquent pauperum, sicut torcular vinum. Vel : *Nolite annunciare in Geth;* quasi dicat : O vos prælati, nolite publice peccare, ita quod pateat potentibus : *nec in compitis Ascalonis*, hoc est coram quolibet peccatore. Ascalon enim interpretatur ignis homicida, per quod intelligitur ignis luxuriæ, et avaritiæ, vel alterius vitii interficientis animam hominis. Vel : *Nolite annunciare in Geth;* quasi dicat : Non divulgetis peccata vestra potentibus, et aliis, qui për ardorem iniquitatis accensi se, et alios interficere non verentur. Et sequitur, quare non debent vulgare : Ne scilicet « lætentur inde filiæ Philisthinorum », mali videlicet, qui effæminati sunt per vitia; unde vocantur filiæ cadentes morte, inebriati aureo calice Babylonis. Multum enim gaudent mali, cum vident prælatos Ecclesiæ sibi similes, et inde sumunt audaciam gravius delinquendi. Vel : « Ne lætentur filiæ Philisthinorum », idest conscientiæ peccatorum, quæ sunt filiæ dæmonum per peccatum, accipientes excusationem, et audaciam in peccato. Licet enim plurimi prælatorum sint *Montes Gelboe*, idest lubrici per immunditiam vitæ, non sunt tamen coram sæcularibus infamandi. Sequitur autem maledictio contra tales montes, ubi dicitur : Nec ros divinæ gratiæ, nec pluvia sapientiæ, vel doctrinæ veniat super vos, nec sint agri primitiarum, fructus ferentes Domino primitivos; difficilius est enim eos, cum sunt mali, convertere, quam alios rudes, et simplices. Sequitur : « Ibi abjectus est clypeus Saul, » idest viri fortitudo, « quasi non esset unctus oleo », idest quasi non fuerit baptizatus. Ad litteram enim videmus, per exemplum pravorum sacerdotum subditos trahi ad peccatum ita de facili, ac si virtus baptismi nulla esset in eis. Sed ipsi maledicentur a sanguine interfectorum, idest ab eis, qui per exemplum eorum sunt interfecti, quia clamat sanguis eorum, sicut clamavit sanguis Abel contra Cain. De hoc monte dicitur in Threnis (5, 18) : « Propter montem Sion quia disperiit, vulpes ambulaverunt in eo. » Sion, Ecclesia; Mous, prælatus constitutus in specula, qui quia dispesriit propter diversitatem vitiorum, *vulpes*, idest diaboli in ea ambulant, in ea locum habent, et demoliuntur Ecclesiam, contrahentes ad se multitudinem subditorum.

Sequitur : *Superextolletur super Libanum fructus ejus*. Fructus siquidem arborum, idest bonorum operum super omnia temporalia extolluntur, quæ significantur per *Libanum*, quod interpretatur candidatio. Vel : *Superextolletur super Libanum fructus ejus*, quod non de malis intelligitur, sed de bonis, quorum fides, et virtus permanet in æternum. Vita autem malo-

(1) Vulg. : veniant.

(2) Sanguine interfectorum. Versio Arabica legit : « O montes Gelboe... qnoniam ibi fracta est lancea gigantum, lancea Saulis, qui unctus erat oleo : et impleta est terra vestra sanguine cæsorum, et adipibus gigantum. » Deinde, puncto interjecto, prosequitur : « Arcus Jonathanis non erat solitus retrocedere, gladius Saulis nunquam redibat vacuus. » Itaque effusionem sanguinis Vulgata jungit sententiæ posteriori : A sanguine interfectorum, ab adipe fortium, sagitta Jonathæ nunquam rediit retrorsum; Arabica vero anteriori, et Versionem istam hic secutus est noster Sanctus.

rum, quæ terrena est, per mollitiem aquarum; per fluxum autem terrarum aqua non transibit, unde Ecclesiastici (40, 11 et 12) : « Omnia, quæ de terra sunt, in terram convertentur, et aquæ omnes in mare convertentur (1). Omne munus, et iniquitas delebitur, sed fides in æternum stabit. »

Et florebunt de civitate, sicut fœnum terræ. Commendatio fructum bonorum ostendit, quomodo, et quam cito pereat flos malorum, quia impii non florebunt; unde in Ecclesiastico (40, 13) : « Substantia impiorum (2) quasi fluvius siccabitur, et sicut tonitruum magnum in pluvia peribit. » Flumen in hieme aquas habet, sed in æstate siccatur : Sic mali in hieme hujus vitæ delectationis aquas habent, sed desiccabuntur, cum venerit æstas felicitatis æternæ. Pompa transibit sæcularium, quæ tanquam ictus tonitrui quasi cito transit. Vel : « Substantia impiorum sicut fluvius siccabitur, » idest velociter dissipabitur, « et sicut tonitruum magnum in pluvia peribit. » Tonitruum est superbia nobilium, ex constrictu nubium, abundantiæ scilicet temporalis, et dignitatum oriens; sed cito, etiam cum tumultu transit, quia periit memoria eorum, et velut *tempestas transiens non erit impius.* (Prov. 10, 25.)

SERMO CXXXIV.

Contra otiosos; et de superbia contra Clericos; et de jactantia contra hypocritas.

In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur : ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate, et impietate sua. (Psal. 72, 5 et 6.)

Hic reprehenduntur præcipue delicati, qui effugiunt laborem in præcepto primi hominis descriptum (Gen., 3, 19) : « In sudore vultus tui vesceris pane » tuo. Nec impune effugiunt, quia qui hic fuerit expers laborum, erit et quietis futuræ. Qui ergo in deliciis, non in sudore, pane vescitur, filius Adæ non est, quia præceptum non exequitur. *Nec cum hominibus flagellabuntur.* Flagellum separat granum a palea; ita tribulatio bonos a malis : Et etiam tribulatio purgat hominem a superbia. Qui ergo non flagellatur, nec a sorde superbiæ liberatur. Superbia autem comparatur hic paleæ, quia sicut granum tandiu latet sub palea, donec flagello feriatur, sic homo tandiu manet in superbia, donec per tribulationis flagellum corrigatur. Unde cum non flagellentur mali, *tenuit eos superbia,* quæ palea est, idest levis, et vana. Et quia *non sunt in labore,* nec per tribulationem flagellati, ideo sunt a superbiæ vanitate detenti; contra quam superbiam dicit Job (28, 25) : « Qui fecit ventis pondus, et aquas appendit in mensura. » Ventus, anima; pondus, corpus. Fecit enim Deus animæ *pondus* corporale, ne, tanquam Angeli primi, per superbiam efferretur. *Aquas* autem, idest delectationes mundi, et carnis in mensura appendit, ut non ultra, quam necesse sit, homo in eis positus submergatur. Vel, Aquæ sunt vitæ fluiditas, quam tamen Dominus appendit in mensura, quia « mensurabiles posuisti dies nostros » (3). Hæc sunt duo, quæ homines debent humiliare, videlicet in carne *pondus,* et fluiditas vitæ.

Et quia hæc non considerant homines delicati, præcipue clerici, *operti sunt iniquitate, et impietate sua.* Iniquitate, hoc est inæqualitate; non enim judicant inæqualitatem honestatis et honoris, scientiæ et operationis, virtutis et oneris, meriti et mercedis. Debetur enim ex æquo honestas honori, scientiæ opus, oneri virtus, mercedi meritum. Ex æquo honestas honori; ut sicut præest honore, præsit honestate; Opus scientiæ; ut quanto quis noverit quid eligendum, quid fugiendum, tanto magis illud satagat complere opere, et sermone docere : Oneri virtus; ut humeris suis onus importabile non imponat : Meritum mercedi; ut qui magnas expectat retributiones, non pigrescat magno opere mereri laborando. Sed contrarium est hodie de nostris clericis.

Vel per iniquitatem, et impietatem intelligitur vana gloria, quæ est impietas in Deum, et iniquitas in proximum; cujus partes sunt inobedientia contra Deum, et jactantia hypocrisis. Jactantiæ autem quatuor sunt species, quas breviter comprehendere potes hoc versu : Ex se, pro meritis, falso, vel præ omnibus, inflant. Ite-

(1) Vulg. : revertentur.
(2) Vulg. : Substantiæ injustorum quasi fluvius siccabuntur, et sicut tonitruum magnum in pluvia personabunt.
(3) Vulg. : meos.

rum jactantia multipliciter : cum bonum, quod habet homo, sibi attribuit, non Deo; sibi, idest meritis suis datum : cum despectis cæteris singulariter vult videri. Alia est hypocrisis, quæ rapinam exercet in proximo. Hypocrita enim est, dum inique agens, quasi de sanctitate venerationem habere desiderat, vitæ alienæ laudem rapere intentat; unde Job (27, 8) : « Quæ est spes hypocritæ si avare rapiat, et non liberet Deus animam ejus »? Rapit siquidem hypocrita mundanam gloriam, sive famam, cum de non sua facit suam, sicut raptor, vel avarus, cum rapit pecuniam alienam. Sicut enim raptor furtum sibi attribuit, sic hypocrita nomen famæ sibi adscribit. Sed quæ merces hypocritæ? In eodem Job (8, 16) : « Humectus videtur, antequam veniat sol, et in ortu suo germen ejus egreditur » (1). Sicut enim ante solem scirpus humectus cernitur, sic hypocrita ante judicium virens aspicitur. Sic est de hypocrita, qui apparet germinosus in mundo, antequam veniat verus Sol, actus uniuscujusque discutiens; quia in fervore judicii arescet. Ipse etiam quasi scirpus mane cum germine oritur, quia in operis sui primordio fructum quærit, videlicet ut ab hominibus honoretur: Sed germen ejus a fructibus operis egreditur in suo ortu, idest quam cito oritur, perit; non enim de bono opere, quod facit, aliquod præmium consequitur, nisi vanam gloriam, et famam, quam præsentialiter quærit, de qua procedunt contentiones, et præsumptiones. Unde etiam ipsi hypocritæ comparantur *sepulcris dealbatis, quæ sunt plena ossibus mortuorum* (Matth., 23, 27). Ossa mortuorum percussa non dolent; sic nec ipsi, percussi verbo prædicationis : sed litigant, et contendunt de sanctitatis ostentatione. Inde etiam procedunt novitatum præsumptiones, de quibus Hieronymus ad Eustochium (2) : « Viros fuge, quos videris catenatos, quibus fœminei contra Apostolum crines, et hircorum barba, nigrum pallium, nudi pedes per impatientiam (3) frigoris. Crede mihi : Hæc omnia sunt diaboli argumenta; quia nec affectatæ sordes, nec exquisitæ munditiæ, vel deliciæ conveniunt Christiano. »

SERMO CXXXV.

Contra divites, qui modo prosperantur; quod in die judicii pugnabunt electi contra impios; de disciplina filiorum.

Et dixi : Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas : et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis. (Psal. 72, 13 et 14.)

Errorem, et correctionem stulti populi versus iste continet. Sunt enim quidam fatui homines, et decepti, qui cum multa bona fecerint, et aliquid adversitatis eis advenerit, et malos florere videant, ita dicunt : Nos pro nihilo bene facimus, sine causa justificamus cor nostrum, etc. In quorum persona loquitur David, cum dicit (Psal. 72, 2 ad 4) : « Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns; quia non est respectus morti eorum, et firmamentum in plaga eorum. Similiter habemus in Habacuc (1, 13 et 14) : « Quare respicis (4) contemptores, et taces? conculcante impio justiorem se » Vel : « Quare respicis super iniqua agentes, et taces, impio justiorem se devorante? Et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptilia non habentia ducem, sive principem. » Semper homines sunt pisces maris; subintellige, in quo majores devorant minores: « Et qnasi reptilia non habentia ducem, » et post subditur : « Propter hoc lacerata est lex, et non pervenit usque ad finem judicium, quia impius prævalet adversus justum » (Ibid. 1, 4).

Sed tales reprehendit Asaph (5) in Psalmo,

(1) Vulg : egredietur.
(2) De custodia virginit., cap. 12.
(3) Edit. in patientia.
(4) Quare respicis, etc. Versio Græca LXX apud S. Hieronymum sic legit : « Quare non aspicis super contemptores, tacebis cum devoraverit impius justiorem se? Et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptilia non habentia ducem. » At Vulgata : « Quare respicis super iniqua agentes, et taces, devorante impio justiorem se? Et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem. »

(5) Reprehendit Asaph, etc. Paulo superius dixerat : « In quorum persona loquitur David, cum dicit : Mei autem pene moti sunt pedes. » Ideo autem hic ait : « Sed tales reprehendit Asaph in Psalmo; quia istius Psalmi titulus est : *Psalmus Asaph*. Et S. Hieronymus Prooemio in Commentarios Psalmorum : « Per titulum, inquit, intelligitur, in cujus persona cantatur. » Hinc S. Augustinus, Enarrat. in hunc Psalmum : *Cujus vox*, ait, *est Psalmus? Asaph. Quid est Asaph? Asaph Synagoga interpretatur. Vox est ergo Synagogæ, etc.*

consequenter dicens : « Existimabam, ut cognoscerem hoc, labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam novissima (1) eorum. Sic enim faciebat Asaph, quod ipse nitebatur scire, qua de causa Dominus sic affligit justos, et permittit florere malos; et ideo fere movebatur per se non percipere, donec veniret ad sanctuarium, et intelligeret eorum ultima. Sanctuarium Domini est cœlestis patria : malorum vero novissima, mors æterna. Ipse enim, cum hoc sanctuarium per contemplationem intrabat, tunc ultima malorum miserabiliter videbat, et tunc fortis, et gaudens erat, nec eum fortuna malorum prospera amplius irritabat. Quod et debet facere quicunque taliter movetur. Debet enim respicere ad novissima peccatoris, de quibus Jeremiæ (12, 3) : « Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis », vel cæsionis. Saginatis enim, ut vituli, nihil restat, nisi securis occisionis. Nam vituli, et boves impinguantur, sive in lege (2) propter sacrificium, sive inter homines propter esum; ita et mali præsentibus deliciis fruuntur ut pingues in sacrificium diaboli. Sed illud sacrificium terribile est, et horrendum, de quo Apostolus ad Hebræos (10, 27) : « Terribilis est expectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios Christi. » Ecce quid eis relinquitur. Ignis enim æmulabitur, et quasi armabitur pro Domino contra ipsos. Hoc est quod dicitur Sapientiæ (5, 18) : « Armabit creaturam ad ultionem inimicorum. » Armabitur creatura in ultione Domini contra impios; et vere armabitur. Nomine creaturæ, primas, et principales designat, scilicet quatuor elementa. Terra enim armabitur terræ motu, volens excutere peccatorem. Cœlum tonitruo, et grandine, ne ad ipsum peccator veniat se defendens. Aer turbine, aqua vero tempestate, ut locum in eis non inveniat. Flamma vero ignis, ut devoret, et perdat. Quomodo autem armetur creatura, ostendit Isaias (29, 6) : « Eritque repente confestim. A Domino exercituum visitabitur in tonitruo, et commotione terræ, et voce magna, et tempestate, et flamma ignis devorantis » eos. Erit enim tunc peccatorum discussio, bonorum operum omissorum exprobratio, damnabilis sententiæ prolatio. Hæc tria notantur in illis tribus versibus (3) qui cantantur in exequiis defunctorum : *Tremens factus sum ego, et timeo, dum discussio venerit* : ecce peccatorum discussio. *Quid ego miserrimus dicam, vel quid faciam* : Ecce bonorum operum omissorum exprobratio. *Dies illa, dies iræ, calamitatis, et miseriæ, etc.* Ecce sententiæ executio. Hoc est, quod vidit Balthassar manum scribentem in pariete : *Mane, Thecel, Phares* (Dan. 5, 25 ad 28) : *Mane* numeravit : *Thecel* appendit : *Phares* divisit. Numeravit bona, et invenit pauca : appendit mala, et invenit multa : divisit hæc multa ab illis paucis sententiam proferendo, scilicet : *Ite maledicti, etc.*

Hinc est ergo, quod si respicerent justi flagellationem, non moverentur pedes, idest affectus eorum propter felicitatem mundanam, et transitoriam. Primo respiciant in seipsis, et sustineant patienter, ut possint cum ipso David dicere : « Castigatio mea in matutinis, » quasi in uno matutino, et in alio, scilicet in duplici matutino est mea correctio. Et sic in hoc debent intelligi duo mane : unum, quo Christus fuit captus, retentus, flagellatus : aliud, in quo resurrexit ad gloriam. Si enim consideremus illud mane, de quo Matthæi (4) : « Facto mane omnes principes, et seniores inierunt consilium, ut Jesum morti traderent, et vinctum adduxerunt, et tradiderunt Pontio Pilato : consideremus etiam aliud *mane*, illud videlicet, in quo resurrexit. In istis duobus erit correctio nostra ; et sic castigemus nos in matutinis, ut non cum fatuis, et insipientibus ipsorum pacem momentaneam æmulemur. Correctio enim filiorum est in adversis. *Quis est filius, quem non corripit pater?* ait Apostolus ad Hebræos (12, 7 et 8) :

(1) Vulg. : in novissimis.

(2) Supple Mosaica.

(3) In illis tribus versibus, etc. In Defunctorum exequiis tres olim versiculi concinebantur; quorum primus : Dies illa, dies iræ, etc.; alter : « Quid ego miserrimus dicam, vel quid faciam, dum nil boni perferam ante tantum Judicem? » tertius : « Tremens factus sum ego », etc. Sic testantur vetusti Codices etiamnum superstites; eorumque unus apud Clariss. Virum P. D. Joannem Chrysostomum Trombelli Canonicorum Regularium SS. Salvatoris Bononiæ Abbatem servatur. Versiculus autem ille, « Quid ego miserrimus », excidit decennio ab obitu S. Antonii, idest anno 1241 quo Gregorius IX per Apostolicas litteras, Pio vestro Collegio, datas Laterani VI idus junii, quæ leguntur in Regesto Annalium P. Lucæ Waddingi ad eundem annum, approbavit Breviarium juxta ritum, et morem Romanæ Ecclesiæ coordinatum.

(4) Matth., 27, 1 et 2.

Quod si extra disciplinam estis, ergo adulteri, et non filii estis. Flagellat enim omnem filium, quem recipit; unde Augustinus (1) : Unicum quoque (2) sine omni peccato; Ad hoc enim eum in carnem misit, ut sine flagello non esset. Qui ergo flagellat unicum, qui sine peccato est : relinquet adoptatum, qui est cum peccato? Tu ergo, si fueris extra numerum flagellatorum, eris extra numerum filiorum; qui enim est exceptus a passione flagellorum, exceptus est a numero filiorum. Igitur castigatio nostra est in matutinis, ut cognoscamus, quod notio filiorum est in adversis, reducendo ad memoriam mane Christi ad mortem traditi, deinde mane resurrectionis; scientes quod cum Christo per calicem passionis veniemus ad mane resurrectionis.

SERMO CXXXVI.

Contra delectationes carnales; de reformatione cordis; de vita æterna, et suppliciis damnatorum.

Quid enim mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram? Defecit caro mea, et cor meum : Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum, etc. (Psal. 72, 24, ad 26.)

Vox cujuslibet viri sancti, vel jam assumpti in gloriam, vel hanc ipsam contemplantis per speciem, cujus contemplatione, et desiderio *defecit* in se *caro*, idest carnalis voluptas; *defecit cor*, idest cogitatio vitiosa; et hoc faciente Domino, qui est cordis sui reformator, cum per peccatum fuerit cor hominis deformatum. Unde Jeremiæ (23, 15) : « Ecce ego cibabo eos absinthio, » idest peccati amaritudine, conscientia remordente : « Et dabo illis potum fellis » (3), idest delectationis carnalis blandimentum (4). Vel Absinthium est amaritudo ex terra : Fel amaritudo ex carne; Igitur cibatur homo *absinthio, et felle*, cum amaritudinem contrahit ex temporalium dilectione, et carnali delectatione. Item in eodem (31, 30) : « Omnis, qui comederit uvam acerbam, dentes ejus obstupescent. Uva acerba, uva non matura est, fructus scilicet ante tempus. Hæc est temporalis delectatio, qua si quis satiari desiderat, quasi fructum ante tempus comedere festinat; ipsa enim vigorem, et robur animæ facit obstupescere. Ad modum autem uvæ acerbæ obstupescunt dentes ejus. Qui de mundi dilectione pascitur, spiritualem delectationem sentire nequit. Uva autem matura est gloria, et delectatio æterna, de qua dicitur : « Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus » (Psal. 33, 9).

Reformatur autem homo per gratiæ infusionem, et cœlestis gaudii contemplationem. De reformatione legitur in eodem Jeremia (31, 33) : « Dabo legem meam in visceribus eorum, » idest gratiam in cordibus eorum : « Et in corde eorum scribam eam, et ego ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. » Dabo legem meam in visceribus eorum, non in tabulis lapideis, sed in tabulis carneis, scilicet cordis; unde sequitur : et in corde eorum ego, et non alius magister, scribam eam, et ego ero eis in Deum, in quo videlicet delectabuntur, non in mundanis, ut prius. Vel ita : « Dabo legem meam in visceribus eorum; » legem, videlicet dulcedinem, et affectum de dilectione Dei, et proximi; et sic fiet reformatio, unde Proverbiorum (24, 13) : « Comede, fili, mel, quia bonum est, et favum dulcissimum gutturi tuo. » Per mel intelligitur divinitas; per favum vero cum melle mixtum humanitas conjuncta divinitati designatur. Comede, idest delectare in contemplatione divinæ essentiæ, et consideratione caritatis ineffabilis, qua Dei Filius assumpsit carnem. Hic est cibus justorum, cum per internam contemplationem hujusmodi delectantur.

Sequitur : *Defecit caro, et defecit cor*, ita etiam ut veluti fons huc illuc ducatur, et admirando dicat : *Quid enim mihi est in cœlo?* idest quantum bonum expecto in glorificatione; vel quantum bonum *mihi*

(1) Serm. De Pastorib. in. c. 34 Ezech. al. de Temp. 165 nunc 46.

(2) Unicum quoque, etc. In edit. Maur. Antwerp. tom. V, col. 161 et 162, sic legitur : « Flagellat autem, inquit, omnem filium quem recipit. Et tu forte exceptus eris? Si exceptus a passione flagellorum, exceptus a numero filiorum. Ita ne, inquies, flagellat omnem filium? Prorsus ita flagellat omnem filium, ut et unicum. Unicus ille de Patris substantia natus, æqualis Patri in forma Dei, Verbum, per quem facta sunt omnia, non habebat unde flagellaretur : ad hoc carne indutus est, ut sine flagello non esset. Qui ergo flagellat unicum sine peccato; numquid relinquit adoptivum cum peccato? »

(3) Vulg. Et potabo eos felle.

(4) Supple, felle conspergam.

est in cœlo, non valeo exprimere. Et bene debet admirari illud, de quo dicit Isaias (24, 16) : « Secretum meum mihi, secretum meum mihi, » quasi dicat : Promissum est nobis præmium in cœlo, et illud tantum est, quod ineffabile est. Ineffabile etiam est tormentum damnatorum. Et hoc est secretum. Dicit *secretum* propter divinitatem, quia *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum* (I Cor. 2, 9). De magnitudine hujus boni, quod nobis in cœlo reservatur, dicitur in Deuteronomio (33, 28) : « Solus oculus Jacob in terra frumenti, et vini, cœlique caligabunt rore. Per frumentum, quod sustentat, et corroborat, confirmatio, et materia corruptionis nostræ carnis; per vinum, quod lætificat cor, supernæ felicitatis gaudium in anima designatur. Unde ibidem sic dicitur : « Caligabunt rore cœli, » idest Apostoli, et Sancti alii, qui per prædicationes in terris cœlestem gloriam nobis clarescere fecerunt; Quæ claritas non est nisi umbra, et caligo respectu illius veræ beatitudinis, quam satis possumus admirari, cum illam miraremur mirabilem claritatem respectu hujus cœli nostri materialis, cum splendor a sole melius illuminatur caligante. Sed attendendum, quod illam non videbit, nisi *solus oculus Jacob*, idest per pœnitentiam luctantis, de quo verum est, quod Osee dicit (12, 4) : *Invaluit* Jacob *ad angelum*, idest in angelum, *confortatus est, flevit, et oravit* (1). Sic enim debet facere, qui sicut Jacob vult luctari, ut confortet membra debilia ad opera bona per usum et assuefactionem bene operandi. Unde Isaiæ (35, 3) : « Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate. Nulla membra adeo debilia sunt ad operandum, sicut ejus, qui nonnisi mollia, et delectabilia quærere consuevit. Confortare debet homo talia membra, et seipsum, et flere pro peccatis, et orare; et sic benedictionem cum Jacob obtinebit, et videbit suis oculis terram frumenti, et vini.

Siquidem oculi peccatoris ad terrena respiciunt, quoniam ubi amor, ibi oculus : sed qui ad luctam confortatur, oculum figit in Deum, ut si homo, cujus oculus Dominus sit, de quo Zachariæ (9, 1 et 2) : « Deus (2) est oculus hominis, et omnium tribuum Israel. Onus verbi Domini in terra Hadrach, quod interpretatur molle, et acutum, per quod signantur illi, qui acumine ingenii præeminent, et mollitie delectationum torpent, scilicet clerici, et prælati. In terra talium erit onus æternæ damnationis : Et in terra Damasci. Damascus interpretatur bibens sanguinem. Super talibus erit onus, qui sanguinem bibunt, et sitiunt proximorum. « Emath quoque in terminis ejus. » Emath interpretatur indignatio. Dei autem indignatio conjuncta erit Damasco, videlicet eis, qui delectantur in perpetratione peccati. *Qui elongant se* a Deo, *peribunt;* unde in eis dicitur esse *onus Domini*, quia per ipsos Deus oneratur, de quibus, Ezechielis (16, 17) : « Tulistis vasa decoris de auro, et argento meo, et fecistis imagines masculinas, et fornicati estis in eis. » Per aurum sapientia; per argentum eloquentia designatur. Hæ sunt decor Domini, et ornatus, de quibus faciunt Clerici imagines masculinas, cum quibus fornicantur, quando sapientiam, et eloquentiam in usus pravos convertunt, vel pro inani gloria prædicando, vel pro præbenda, vel pro pecunia in foro placitando. Dat Dominus quibusdam aurum sapientiæ, et argentum eloquentiæ, quæ sunt vasa decoris in homine, quibus ita quandoque abutuntur, quod ita corrumpunt, et violant animæ puritatem.

SERMO CXXXVII.

Quod Deus tripliciter memor est Ecclesiæ suæ, scilicet consolidando, explorando, et congregando.

Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio (Psal. 73, 2).

Orat propheta, ut Deus memor sit congregationis suæ. Hæc autem congregatio Ecclesia est, cujus Deus multipliciter memoratur, congregando, consolidando, explorando. Unde David (Ps. 146, 2) : Ædificans Jerusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit. Israel dicitur vir videns Deum, qui est cor, sive anima hominis cujus dispersiones congregat Deus, unde ædificet *Jerusalem*, idest Ecclesiam. Quandiu enim anima hominis per vagas, variasque cogitationes dispergitur; quod fit, cum « a fructu fru-

(1) Vulg. : et rogavit eum.

(2) Vulg. Domini.

menti, vini, et olei sui multiplicati » (Psal. 4, 8) fuerint homines, et præcipue clerici divites : non poterit anima illa a suis dispersionibus congregari, ut cum David dicat (Psal. 26, 4) : « Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. » Ædificat autem Deus Jerusalem, cum cor hominis sæcularibus pompis renunciat, et deliciis; et cæmento caritatis junctus est cum fidelibus, et unum efficitur cum eisdem. Unde Amos (7, 7) : « Ecce vir (1) stans super murum litum, et in manu ejus trulla cæmentarii ; » super murum, idest Ecclesiam ex hominibus luteis congregatam, quæ per trullam, idest per humilitatem suam corda eorum caritatis cæmento sic jungit, ut sicut lapides in muro, sic ipsi unum in fide, et caritate permaneant; unde : « Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una. » (Act., 4, 32.) Vel : *Ecce vir, etc.* Vir iste divinitatem significat; trulla est humanitas; murus, Ecclesiæ congregatio; cæmentum, caritas. Stat ergo vir super murum habens trullam, quia beneficium humanitatis vehementer nos consolidat in caritate; quare cæmento nos superinducit, ut multi simus unum in Christo. Sic ergo Ecclesiæ memor est, congregando.

Memoratur etiam consolidando, dum mittit carbones desolatorios, idest sententias Scripturarum, et exempla Sanctorum, quibus tanquam prunis desolantur, et succenduntur delectationes sæculares : vel carbones desolatorios, destruentes in nobis vanum mundi solatium. Unde Ezechielis legitur (10, 2), quod ait Angelus « ad virum indutum lineis : Ingredere in medio rotarum, quæ subtus cherubim sunt, et imple manum tuam prunis igneis (2), quæ sunt inter cherubim, et effunde super civitatem. » Vir iste indutus lineis Christus est, qui indutus fuit carne humana, et munda, multis passionibus, sive tunsionibus dealbata; quod in lino fit, antequam veniat ad candorem : cui loquitur Angelus, idest Pater sic : « Ingredere in medio rotarum, etc., » quod etiam factum est. Rotæ sunt conversationes humanæ, in quarum medio ingressus est; ipse enim *inter homines* (3) *conversatus est, et in terra* (4) *visus est.* Et bene dicuntur esse *subtus cherubim*, quia scilicet *paulo minus ab Angelis* (5) *minoratus* (Hebr. 2, 9). Implevit manum suam *prunis igneis* idest Scripturæ sacræ sententiis, et Sanctorum exemplis novi, et veteris testamenti, et effudit *super civitatem*, idest Ecclesiam, quibus prunis accensa, cogitationes mundanæ, a cordibus fidelium repelluntur.

Memor est etiam Dominus Ecclesiæ, explorando; unde Zachariæ (2, 1 et 2) : « Ecce vir, et in manu ejus funiculus mensorum : ut metiatur Jerusalem, et videat quanta sit ejus longitudo, et latitudo. » Vir iste Christus est; *funiculus* ejus mensurans est sacra Scriptura, de qua mensura in Apocalypsi (21, 17) : « Mensura hominis, quæ est Angeli. » Angelus in vultu legis, ipsius qui adimpleat voluntatem, non transgrediens in aliquo; sed et homo in vultu Domini, qui in sacra Scriptura debet legere voluntatem Domini, et eam adimplere, non transgrediens ejus fines. Habet ergo : « Mensura hominis, quæ est Angeli. » Sed quæ est mensura Angeli? Hæc quoniam id solum agit, quod faciendum legit in libro vitæ, et quocumque mittitur, intra Deum currit. Est ergo mensura hominis, quæ est Angeli, si illud solum agit, quod in libro scripturæ divinæ legit, et quidquid facit, in Deum facit, non transgrediens terminos sibi a Deo positos. Habet ergo vir iste funiculum, ut perpendat civitatis mensuram in longum, et latum. Sequitur in auctoritate Zachariæ: « Quo tu vadis? Et dixit ad me : ut metiar Jerusalem, et videam quanta sit latitudo, et longitudo ejus. » Civitas ista mens hominis est, sive anima, cujus longitudo debet esse perseverantia, et fortitudo in adversitatibus tolerandis, et sustinendis; latitudo vero caritas. Quanta debeat esse longitudo perseverantiæ, et latitudo charitatis, docet Apostolus dicens : Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (Philip., 2, 8); ecce fortitudinis longitudo. Sed non quamcumque mortem passus est, imo *mortem crucis;* ecce latitudo. In extensione ambarum manuum signatur, quod nos etiam debemus eas caritate extendere, dando nos ipsos, quod per

(1) Vers. Arab. et LXX ap. S. Hieron. Vulg. : Dominus.
(2) Vers. Syr. Vulg. : ignis.
(3) Vers. Syr. at Vulg. : cum hominibus.
(4) Vers. Græca LXX et Syr., sed Vulg. : in terris.
(5) Vulg. : modico quam Angeli.

dexteram, et nostra, quod per sinistram designatur; et sic sciet Christus nostræ mensuram civitatis. Vel: « Christus factus est obediens usque ad mortem; » Ecce longitudo perseverantiæ: patientia enim nostra debet incipere ab obedientia, progrediens non solum usque ad pœnas difficiles, sed etiam usque ad mortem, imo et usque ad mortis vilitatem se extendens. Multi enim fortes in gravibus, sæpe deficiunt in vilibus; quod totum notatur ibi: « Christus factus est obediens pro nobis usque ad mortem, mortem autem crucis. » Ubi autem dicitur: *Pro nobis*, latitudo ostenditur caritatis. Extendit *pro nobis* in cruce dexteram, et sinistram, ut et nos extendamus pro proximo, et ad proximum non solum nos, sed etiam nostra; et sic sciet Christus nostræ mensuram civitatis: et sic *memor* est suæ *congregationis*, explorando.

Sequitur: *Quam possedisti ab initio*. Possidet Christus siquidem Ecclesiam suam, et animam fidelem ab initio baptismi. Unde Jacobus (1, 18): « Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus, » quod sumus per baptismum; et hoc etiam fecit redimendo virgam hæreditatis suæ (Psal. 73, 2), quæ virga redempta est, et de statu colubri rediit in statum proprium: quod fit, cum homo, qui prius virga fuerat, factus est coluber per peccatum; per passionem vero Christi recuperavit virgæ statum. Et Christus de virga factus est coluber (1), de virgine carnem assumens, ut homo de colubro virga fieret, unde venit. Item: « Ut simus initium aliquod creaturæ ejus. » Possidet itaque Deus Ecclesiam suam ab initio baptismi, ex quo initiavit, et consecravit eam sibi per gratiam in baptismo, rubricato sanguine consecratam. Redemit enim virgam sibi hæreditariam, quam ut de serpente virgam faceret, de virga factus est ipse serpens, quoniam de immortali factus est mortalis, ut de mortali homo fieret immortalis.

SERMO CXXXVIII.

Quod salus, sive Christus communis est omnibus: de inconstantia cordis, quod solidatur; qualiter dæmones tribulantur, cum peccatores ad Deum convertuntur.

Deus noster operatus est salutem in medio terræ, etc. (Psal. 73, 12 ad 15.)

Operatus est Dominus *salutem in medio terræ*, idest communiter ad omnes gentes, ut fidem, et gratiam ejus perciperet, quicumque, vellet: sicut solis radios habet, qui ab eis non vult fugere, vel abscondi; unde: « In sole posuit tabernaculum suum » (Psal. 18, 6). Sed notandum, quod qui solem vult videre, vel habere, necesse est, ut se in radiis ejus ponat; non enim aliter posset habere, vel videre: similiter et de Christo vero sole, cujus radii sunt humilitas, benignitas, paupertas, et patientia. Quot enim exempla honestatis ab ipso habemus, tot luminis radios ad nos mittit. Qui ergo paupertatem fugit, amplectendo divitias: qui humilitatem deserit, dum superbit; quomodo solem videbit istum? Qui non intrat hos radios, non potest attingere ad salutem. *Operatus est* igitur *salutem in medio terræ*.

Qualiter autem eam operatus sit, ostenditur, cum subditur: *Tu confirmasti in virtute tua mare*. Virtus hæc est Spiritus Sanctus, quo confirmat mare, idest cor hominum fluidum vento tentationum, ut sit firmum et solidum. Contra cor tale fluidum, et inconstans dicit Ecclesiasticus (5, 11): « Non ventiles te in omnem ventum, et non eas in omnem viam. » In omnem ventum se ventilat, et in omnem viam vadit, qui luxum sæculi sequitur, et timorem Domini servare se putat, volens mundo, et Christo æqualiter militare. Item in eodem (18, 30 et 31): « Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere; quia si dederis, vel præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. » Post concupiscentias scilicet carnales *non eas, et a voluntate* scilicet carnali, et voluptuosa avertere. Si præstiteris animæ, idest animalitati concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis, scilicet dæmonibus.

(1) Factus est coluber. Ven. Beda Commentar. in Psal. 118, vers. 223: « Serpens æneus, inquit, est Christus, qui venit in similitudinem carnis, sed non in carne peccati, sicut serpens ille formam quidem serpentis habuit, sed non verus serpens fuit. »

« Contribulasti capita draconum in aquis, » immundorum spirituum; et eleganter dicitur, *contribulasti*. Tribulato enim homine per spiritum contritionis pro delectationibus, quas habuit, tribulantur et dracones, scilicet dæmones saluti hominum invidentes, qui prius, cum delectaretur, delectabuntur. Vel : « contribulasti capita draconum in aquis. » Aquæ sunt delectationes sæculares, in quibus homo per pœnitentiam tribulatur, tribulatur diabolus per amissionem. Unde Ezechielis (29, 3 ad 5) : « Ecce ego ad te, Pharao rex Ægypti, draco magne, qui cubas, vel accubas in medio fluminum tuorum, et dicis : Meus est fluvius. Extraham te de medio fluminum tuorum, et universi pisces tui squamis tuis adhærebunt; et projiciam te in desertum, et omnes pisces fluvii (1) tui. » Pharao est diabolus, rex Ægypti, idest infernalium tenebrarum. Ægyptus enim interpretatur tenebræ, quæ alio nomine hebraice dicitur *Romi*, vel *Misraim*, quod interpretatur tribulans, vel angustans; quod bene competit diabolo tribulanti hominem, et angustanti per tentationes. Draco in aquis natans est ipse diabolus natans in deliciis voluptuosis, sive ipse peccator, qui signatur per id, quod dicitur, cubas in medio fluminum tuorum, scilicet voluptatum, sive delectationum suarum. Extrahitur autem inde, cum homo (2) pœnitet de peccatis, et voluptati corporali renuncians, pro voluptate acidis, vel aridis utitur, et macerat carnem suam. « Et universi pisces tui squamis tuis adhærebunt. » Pisces sunt peccatores, qui cum delectantur, adhærent squamis diaboli. Squamæ sunt exteriores, et ultimæ partes piscis; per quod designantur exteriores partes diaboli, quibus diversimode adhærent peccatores : sicut quidam capiti, quidam gulæ, quidam ventri, quidam aliis membris secundum diversas vitiorum qualitates, et varietates. Sequitur : « Projiciam te in desertum », hoc est in solitudinem pœnitentiæ, « et omnes pisces fluvii tui ». Pisces extra aquam moriuntur; nam sicut a flumine positi in aridam moriuntur, sic ipsi peccatores ejecti a fluxu vitiorum moriuntur peccatis, et cum ipsis diabolus moritur, non audens ipsos super illis vitiis ulterius tentare.

Sequitur : *Tu confregisti capita draconis : dedisti eum escam populis Æthiopum.* Hoc erit in die judicii; unde Isaiæ (27, 1) : « In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, grandi, et forti, super Leviathan serpentem vectem, et super Leviathan serpentem tortuosum. » In die illa *visitabit*, idest animadvertet *Dominus in gladio suo duro :* Gladius durus propter sævitiam, quam impii tolerare nequibunt; grandis, quia nulli effugere poterunt; fortis, quia nullus sustinere poterit, nec illi resistere. *Super Leviathan*, quod interpretatur additamentum eorum, quia postquam primis parentibus culpam mala suggestione intulit, hanc graviori persuasione augere præsumpsit, promittens : *Eritis sicut dii.* Item dicitur serpens, quia insidias molitur effundere; vectis autem, quia fortis usque ad vectem percutit, sive propter vigorem superbiæ; tortuosus propter dolositatem. Istum tantum et talem dat escam populis Æthiopum, ideo sequitur : « Dedisti eum escam populis Æthiopum. » Dat siquidem diabolum Deus justis in escam, idest sustentationem, et valetudinem, cum ex ipsis tentationibus ipsi justi proficiunt, et convalescunt. Vel : « *Dedisti eum escam populis Æthiopum* », idest iis, qui prius erant magni propter peccatum, quoniam facti humiles de tentatione proficiunt, et dealbantur candore virtutum, et sic cribrati mundantur. Unde in Evangelio (Lucæ, 22, 31) : « Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret tanquam triticum. » In cribrando triticum volant paleæ, et terra cadit inferius; sic diabolus tentans justum, facit paleas advolare, idest peccata venialia, et terram, idest peccata ponderosa, et mortalia cadere; et sic remanet triticum purum. Et sic in cribro tentationis purgatur pulvis peccatorum, et advolat, palea vanitatis.

Tu siccasti fluvios Ethan. Hoc modo etiam Dominus operatur *salutem in medio terræ*, quando peccata in corde hominis facit arescere, siccato videlicet fluvio Ethan, idest diaboli, qui interpretatur fortis. De hac desiccatione dicit Isaias (19, 5 et 8) : « Et arescet aqua de mari, et fluvius desolabitur, atque siccabitur. Mœrebunt piscatores, et lugebunt omnes in flumen mittentes hamum, et expandentes rete super faciem aquarum emarcescent. » Arescet *aqua de mari*, idest carnalis fluxus in amaricato

(1) Vulg. : fluminis.

(2) Sic.

per pœnitentiam; *et desiccabitur fluvius*, idest inundationes pravorum consiliorum desiccabuntur; et *mœrebunt piscatores*, quia tristantur dæmones, quando siccantur flumina voluptatum. *Mittentes hamum, et expandentes rete.* Piscis in hamo captus, aliquid habet, quo decipitur; captus a rete, nulla dulcedine allicitur. Ita sunt quidam, qui aliqua dulcedine capiuntur a peccato; sed multi gratis, nulla tracti voluptatis illecebra, vitio se submittunt. Vel sic : « Et arescet aqua de mari, etc. » Aqua maris est multitudo pravarum cogitationum; fluvius, delectatio temporalis, quæ cum arida fuerit per gratiam, *mœrebunt piscatores*, idest diaboli, qui sunt *mittentes hamum, et expandentes retia.* In hamo est esca, in quo deceptio, vel delectatio innuitur; per quod signatur, quod quosdam capiunt diaboli per delectationes peccati, quosdam vero per nullam, imo in tantum sunt obstinati, quod licet in peccato nullam habeant delectationem, tamen peccant.

SERMO CXXXIX.

De bono die, et malo; de bona nocte, et mala; de aurora, et sole.

Tuus est dies, et tua est nox : Tu fabricatus es auroram, et solem. (Ps. 73, 16.)

Dies ista est dies nativitatis Christi, de qua Isaiæ (9, 2) : Populus gentium, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Hæc lux est vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. (Joan., 1, 9.) Hæc est lux, quæ fugat peccati noctem, et tenebras; de qua nocte dicitur in libro Sapientiæ (18, 14 et 15) : « Dum quietum silentium tenerent (1) omnia, et nox in suo cursu iter medium perageret (2), omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus venit » (3). Nox iniquitatem, sive peccata designat. Nox media est inter vespere, et mane. Sic peccatum, sive iniquitas medium locum tenet inter Legem, quæ per vespere, et Evangelium, quod per mane intelligitur. Et in hoc statu medio fecit nox cursum suum, in qua notatur abundantia peccatorum, per quam silebant omnia a laude Domini. Unde tunc illuxit dies, de qua dicitur hic : *Tuus est dies, et tua est nox.* Est enim nox bona obscurans diem malum, cui maledixit Job (3, 3 et 5) : « Pereat dies, in qua natus sum, et nox, in qua dictum est : Natus (4) est homo in mundo. Obscurent eum tenebræ, et umbra mortis, occupet eum caligo, et involvatur amaritudine. » Pereat *dies*, idest carnalis delectatio; *et nox*, idest mentis excæcatio; *in qua natus est homo*, idest factus est peccator. *Pereat*, idest vigore justitiæ, et pœnitentiæ destruatur. *Obscurent eum*, idest diem peccati, *tenebræ*, scilicet lamenta pœnitentiæ, *et umbra mortis*, idest mors Christi, quæ simpla fuit. Diem hic appellat delectationem carnalem, sive gloriam mundanam, in qua prius nascitur homo peccator; tunc enim primo peccator efficitur, cum in carne, vel gloria delectatur, sicut homo tunc primo est, cum nascitur. Per noctem semper intelliguntur tenebræ, et obscuritas. Dicit ergo, obscuretur hæc nox, sive tenebræ umbra mortis Christi; unde idem Job consequenter ait : *Obscurent* eum tenebræ, *et umbra mortis.* Umbra enim mortis dicitur mors Christi; non enim fuit vere mors (5), sed mortis umbra, sive figura, respectu scilicet mortis nostræ. Mors ejus simpla fuit, sed nostra duplex : morimur enim per culpam, et pœ-

(1) Vulg. : contineret.
(2) Vulg. : haberet.
(3) Vulg. : prosilivit.
(4) Vulg. : Conceptus.
(5) Non enim fuit vere mors, etc. S. Gregorius, lib. IV *Moral.* in cap. 3 Job num. 30, ac 31, et ex Glossa ord. in illud, *et umbra mortis*, ait : Umbra mortis mors carnis accipitur quia sicut vera mors est, qua anima separatur a Deo, ita umbra mortis est, qua caro separatur ab anima. Unde recte voce Martyrum per Prophetam dicitur. « Humiliasti nos in loco afflictionis, et cooperuit nos umbra mortis. » Quos enim constat non spiritu, sed sola carne mori, nequaquam se vera morte, sed umbra dicunt mortis operiri. Quid est ergo, quod beatus Job, ad obscurandum diem pravæ delectationis postulat umbram mortis; nisi quod ad delenda peccata ante Dei oculos, Dei et hominum mediatorem requirit, qui solam pro nobis mortem carnis susciperet, et veram mortem delinquentium per umbram suæ mortis deleret? Ad nos quippe venit, qui in morte spiritus, carnisque tenebamur : unam ad nos suam mortem detulit, et duas nostras, quas reperit, solvit. Si enim ipse utramque susciperet, nos a nulla liberaret. Sed unam misericorditer accepit, et juste utramque damnavit. Simplam suam duplæ nostræ contulit, et duplam nostram moriens subegit. Unde et non immerito uno die in sepulcro, et duabus noctibus jacuit, quia videlicet lucem suæ simplæ mortis, tenebris duplæ nostræ mortis adjunxit. Qui ergo solam pro nobis mortem carnis accepit, umbram mortis pertulit, etc.

nam; unde mors nostra est mors pœnæ, et mors culpæ. Sed mors ejus solummodo pœna fuit, cujus mors simpla nostram obscuravit duplicem, et destruxit, sicut umbra aufert claritatem; et ob hoc dicta est *umbra mortis*, quia putatus est mori (1), sicut alii moriuntur.

Sequitur : *Tu fabricatus es auroram, et solem*. Aurora est illustratio gratiæ, quam obtinet, qui luctatur cum Domino sicut Jacob; unde Deus ad Jacob (Gen., 32, 26) : Dimitte me, quia (2) aurora est; quasi dicat viro justificato : Luctatus es, jam aurora est, quia jam habes gratiam. Tantum enim debet homo luctari cum Domino, ut habeat hanc auroram. Huic auroræ succedit sol pleni luminis, dies scilicet æternitatis; unde Proverbiorum (4, 18) : « Justorum semita, quasi lux splendens, procedit, et crescit usque ad perfectam diem. » Vel aurora est vir justus, de quo Job (24, 17): Si subito aurora apparuerit, arbitrantur umbram mortis, quia cum boni honoribus sublimantur, mali eos tanquam umbram mortis, et tenebras arbitrantur, qui per eum puniri timent. Et loquitur de impiis, quibus gravis est, ut mors, visio justi hominis, et tota vita ejus; unde Sapientiæ (2, 15) : « Gravis est etiam nobis ad videndum. Est etiam justus homo sol; unde Ecclesiastici (50, 6 et 7) : « Quasi stella matutina in medio nebulæ, et quasi luna plena in diebus suis lucens (3), et quasi sol fulgens, sic iste refulsit in templo Dei; » et loquitur de Confessore, vel Martyre, vel alio sancto viro. Per nebulam intelliguntur mali doctores, et prælati, de quibus dicit. Petrus in sua Canonica (4) : « Hi sunt fontes sine aqua, nebulæ turbinibus agitatæ. » Tales sunt mali prælati : Fontes sine aqua doctrinæ, non nubes terram subditorum compluentes, sed nebulæ turbulentæ oculos videntium excæcantes. Inter istas nebulas fulget justus, et lucet per bona opera, sicut stella matutina, et quasi luna plena in diebus suis. Quare dictum est, *in diebus suis* : Cum potius videatur melius dictum, in noctibus, eo quod luna de nocte luceat? Quia viri sancti non habent noctem peccati, sed diem bonorum operum continuum; unde non solum sunt luna, sed etiam sol, quia sicut sol non solum grossum illuminat, sed etiam arcana, et minutissima; luna nonnisi grossa : sic viri sancti, et perfecti illuminantur ita, ut non solum grossa peccata videant, sed etiam inter arcana, idest venialia, et minuta peccata dijudicent. Vir justus non solum ut luna est, sed etiam ut sol, quia non solum majores maculas, verum etiam minores per confessionem ostendit.

SERMO CXL.

De solidatione, et fabricatione vasorum, scilicet electorum; de prælatis, qui dicuntur columnæ.

Liquefacta est terra, et omnes, qui habitant in ea : ego confirmavi columnas ejus. (Psal. 74, 4.)

Illud, quod solidatum est, ad calorem, vel humorem liquefit : sic anima, quæ per malitiam in obstinationis glacie solidata est, quandoque ad calorem divinæ gratiæ liquefit. Unde in Canticis (5, 6) : « Anima mea liquefacta est, ut locutus est. De tali liquefactione habetur tertio Regum (7, 45 et 46) : « Omnia vasa, quæ fecit Hiram regi Salomoni in domo Domini, de auricalco erant; et in campestri regione Jordanis in terra argillosa inter Sochoth, et Sartham fudit ea. » Hiram interpretatur excelsus Pater, et significat Deum Patrem : Salomon, pacificus Filius; Vasa in domo Domini sunt animæ; domus, Ecclesia; et sunt *de auricalco*, quia fideles in præsenti aliquid habent purgandum, sed in futuro erunt quasi aurum; « in regione campestri », per quod signatur planities, et serenitas conscientiæ, quam habent justi. Per Jordanem, baptismus, in quo notatur humilitas men-

(1) Quia putatus est mori, etc. Cum enim omnes filii Adæ duplici morte moriantur, scilicet spirituali per peccatum saltem originale, et corporali per separationem animæ a corpore : Judæi, quorum falsa persuasione, uti S. Lucas, cap. 3, scribit, Christus Dominus *putabatur filius Joseph, qui fuit Heli... qui fuit Adam*, utraque cum cæteris morte illum occubuisse arbitrabantur. Sane S. Hieronymus, lib. XIV Comment. in Isa., c. 53, explicans illud : Et cum sceleratis, sive ut legunt LXX, cum iniquis reputatus est, ait : Iniquos autem, cum quibus reputatus est, Marcus evangelista latrones intelligit, scribens; et crucifixerunt cum eo duos latrones, unum a dexteris, et alterum a sinistris. Et impleta est Scriptura, quæ dicit : Et cum iniquis reputatus est... Vere enim reputatus est inter peccatores, et iniquos. Glossa autem interlinearis addit, a Judæis.

(2) Vulg. : jam enim ascendit aurora.

(3) Vulg. : lucet.

(4) II Petri, 2, 17.

tis. Terra argillosa debent esse prælati, quæ recipit formellas, et est rubra et tenax. Sic prælati debent esse tanquam formellæ per prædicationem, et bonam operationem, et animas subditorum in se recipere, informando renatos : tenaces propter glutinum caritatis, rubri propter desiderium passionis, et solidati igne tribulationis. Et ad hoc quod dicitur, *inter Sochoth, et Sartham*, Sochoth interpretatur tabernaculum; Sartham, princeps dæmoniorum. Liquefit, dum ex una parte considerat tabernaculum corporis proprii, scilicet fragilitatem, et pronitatem, et ex alia instantiam adversarii, scilicet diaboli, recurrens ad auxilium Dei nostri, liquefit scilicet per amorem.

De istis duobus dicit Job (30, 17 et 18) : Nocte perforatur os meum doloribus; ecce infirmitas, et dolor carnis : Et qui me comedunt, non dormiunt, ut me devorent; ecce instantia diabolicæ tentationis. Sequitur: « In multitudine eorum consumitur vestimentum meum, et quasi capitio tunicæ succinxit (1) me ». In multitudine eorum *consumitur vestimentum meum*, quia dum multipliciter instant, quandoque qui adhærebant Ecclesiæ, vel Christo per amoris connexionem, disjunguntur ad eorum suggestionem. Et *quasi capitio tunicæ succinxit me*. Tunica est sollicitudo vitæ præsentis, de qua alibi (2) : « Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Capitium est miseria nostræ fragilitatis, quia miseria nostra debet nos succingere, et restringere, ut non defluamus per vanas concupiscentias voluptatum, quia dæmones *non dormiunt*, volentes nos demolire, et devorare. Liquefit quandoque terra in bonis solidata per ignem diaboli, idest peccati; unde Isaiæ (54, 16) : « Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas, et proferentem vas in opus suum ». Faber iste est diabolus, a Deo creatus secundum substantiam, non secundum malitiam; et ipse sufflat peccatum in igne, idest in incentorio vitiorum, in suggestione sua, et profert vas in opus suum, quia malum efficit juxta voluntatis suæ arbitrium, ut scilicet ipsum faciat avarum, invidum, vel luxuriosum; quia quosdam coquit igne superbiæ, et quosdam igne avaritiæ, alios igne luxuriæ, et hujusmodi vasa diaboli sunt.

Ego confirmavi columnas ejus. De hujusmodi columnis legitur tertio Regum (7, 15 ad 19) : Finxit Hiram duas columnas æreas, et duo capitella, quæ ponerentur super capita columnarum, et in capitellis malogranata, et retiacula, et lilia : et linea duodecim cubitorum ambiebat utramque columnam. Per columnas prælati Ecclesiæ, Ecclesiam sustentantes; æreæ propter prædicationis sonoritatem. Columnæ etiam dicuntur propter rectitudinem, et longitudinem, et fortitudinem, quam debent habere; quod etiam ex interpretatione nominum illarum perpenditur, quarum una vocabatur Jachin, et interpretatur fortitudo, et altera Booz, quod interpretatur in robore. Debet enim habere duplicem fortitudinem, scilicet patientiam, et longanimitatem. Fortis per tolerantiam adversorum, et rectus, et longanimis per expectationem præmiorum. *Duo capitella* sunt duo Testamenta; et bene dicuntur esse super columnas, quia prælatus semper debet observare omnia præcepta, et quasi onus super se portare. *Duo* capitella, duo Testamenta, quæ bene dicuntur esse capita columnarum, quia semper prælati eis inhærere debent, aliter vivere sine ipsis non poterunt, sicut nec aliquis sine capite vivere potest. In istis capitellis erant malogranata, in quibus intelligitur multiplex operatio virtutum : in retiaculis, nexus caritatis, ad quam invitamur : in liliis, expectatio futuræ repromissionis, scilicet beatitudinis æternæ, quæ nobis promittitur. Per lineam duodecim cubitorum, quæ cingebat utramque columnam, doctrina duodecim Apostolorum intelligitur, qua debet se cingere prælatus, ne nimis sit gracilis per inertiam, vel nimium grossus, sive turgidus per elationem. Ista doctrina debent prælati constringi, ne diffluant in vitia. Sicut autem cingulum non bene convenit homini, si nimis sit exilis, vel nimis grossus : sic doctrina Apostolica non bene convenit prælato, si fuerit nimis exilis per inertiam, vel nimis grossus, et inflatus per superbiam.

(1) *Text. Hebr.* cinxit. Vulg. : succinxerunt.

(2) *Cantic.* 5, 3.

SERMO CXLI.

De triplici pace, ad se, ad Deum, ad proximum; quod tria sunt, quæ expellunt Dominum de habitatione cordis, qualiter in hac pace confringuntur arma diaboli.

In pace factus est locus ejus, et habitatio ejus in Sion, etc. (Psal. 75, 3 et 4.)

Triplicem pacem debemus habere. Pacem in se, idest in corde debet homo habere, pacem ad proximum, et pacem ad Deum. *In pace factus est locus* Domini. Malachiæ (2, 4 et 5) : « Pactum meum cum Levi, dicit Dominus exercituum : Pactum meum fuit cum eo vitæ, et pacis, et dedi ei timorem Domini, et timuit me, et a facie nominis mei pavebat. » Pactum Dei est cum Levi, idest cum Sancto, cum quo est pactum vitæ, si servaverit pactum pacis, in qua debet vivere. Qui enim habet pacem in se per repressionem motuum carnis, talis est Levi, de operibus carnis assumptus ad obsequium Jesu Christi, et cum eo pacificatur Christus. De hac pace dicitur in Job (8, 5 et 6) : *Si diluculo consurrexeris*, scilicet per pœnitentiam, *et Deum omnipotentem fueris deprecatus*, scilicet animo pœnitenti : *si mundus*, scilicet corde, *et rectus* ore vixeris, vel *incesseris*, *statim evigilabit ad te, et pacatum reddet habitaculum justitiæ tuæ;* idest præsentis vitæ tranquillitatem restituet, et futuram benedictionem superaddet. Et sic *in pace factus est locus ejus.* De qua pace in Psalmis (121, 6) : Rogate, quæ ad pacem sunt Jerusalem, scilicet ut demus pauperibus (1), et ab illis accipiamus; idest demus illis de temporali abundantia, et ab eis recipiamus de spirituali. Unde Apostolus (2) : « Non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate, in præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat : ut et illorum », scilicet meritorum « abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas ». Per hoc etiam pervenitur ad pacem, quæ est ad Deum, imo ad pacem, quæ Deus est. Amant enim se hæc duo, ut qui facit justitiam, inveniat pacem; unde in Psalmis (84, 11) : Justitia, et pax osculatæ sunt. Quod si hanc pacem non dilexerimus, sed odio habuerimus, timendum est, ne oporteat nos dicere : « Miserere mei, Domine : vide humilitatem meam de inimicis meis » (3). Habeamus hanc pacem triplicem; quam etiam nobis ostendit Apostolus, dicens (4) : « Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur »; ut spiritus vester, scilicet ratio vestra servetur integra non consentiendo carni; et anima, scilicet sensualitas sit integra serviendo rationi, ne fornicetur a Deo petendo exteriora; et corpus sit integrum sine querela, ne aliquid agat, unde aliquis conqueratur.

De hac pace dicit Isaias (59, 8) : « Semitæ eorum incurvatæ sunt eis; omnis, qui calcat in eis, ignorat pacem. » Malorum enim semitæ, idest opera, incurvatæ sunt de recto in stortum : et omnis qui calcat, idest imitatur eos, ignorat pacem, quæ est ad Deum, vel quæ Deus est. Idem Isaias (57, 20) : « Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus ejus in conculcationem, et lutum ». Fervent per avaritiam, et luxuriam, et ebulliunt per amaritudinem sollicitudinis acquirendi; et sic expellunt Spiritum. In pacato enim quiescit Dominus : in impio autem, qui ut mare fluctuans et tempestuosum turbatur, quiescere non potest. Tria enim sunt, quæ expellunt Spiritum Sanctum ab habitaculo suo, scilicet duplicitas cordis, obscuritas, et iniquitas. Hæc tria notantur in Sapientia (1, 5) : « Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, et corripietur a superveniente iniquitate. » Per hoc quod dicit, *effugiet fictum*, notatur duplicitas cordis; per hoc quod dicit, auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, notatur obscuritas; per hoc quod dicit, et corripietur a superveniente iniquitate, notatur iniquitas. Unde in Genesi (1, 2) : « Terra erat inanis, et vacua : et Spiritus Dei ferebatur super aquas. » Terra erat inanis et vacua : Ecce duplicitas (5).

(1) Ut demus pauperibus, etc. Explicantur ea, quæ a vers. 6. Psalmi 121 : *Et abundantia diligentibus te*, ad vers. 8. *Propter fratres meos*, etc. leguntur.

(2) II Cor. 8, 13 et 14.

(3) Psal. 9, 14.

(4) I Thessal., 5, 23.

(5) Ecce duplicitas. Agnoscit duplicitatem in terra, quæ erat inanis, et vacua; sive quia *nomine terræ*, ut dicit Glossa ord., duplex elementum intelligimus, ipsam videlicet, et ignem, qui in ea latet; sive quia, ut ait Beda in Hexameron : « Inanis

« Et tenebræ erant super faciem abyssi »: Ecce obscuritas, quæ est in abysso, idest in corde perverso : « Et Spiritus Dei ferebatur super aquas » : Ecce iniquitas (1), quia Spiritus Sanctus expectat, ut accipiatur, ideo reclamat, ut revocetur ab aliquo pœnitente, cui paratus est infundere suam gratiam.

Item de hac pace, Isaiæ (57, 19) : « Ego creavi fructum labiorum pacem ei, qui longe est, et qui prope est, et sanavi eum. » Fructus labiorum, quem habemus per confessionem, « est ipse Christus pax nostra, qui fecit utraque unum » (2). In hac pace confregit Dominus potentias, arcum (3), scutum, gladium, et bellum : potentias, inquam, Deus confringet; *arcum*, idest dolum, unde Osee (7, 15 et 16) : *In me cogitaverunt malitiam, reversi sunt, ut essent absque jugo, facti sunt quasi arcus dolosus.* Arcus dolosus projicit sagittam contra tenentem arcum : sic malus facit convertendo dolum suum in Deum, cogitando malum; et quos tueri deberet, percutit, et inimicis parcit. *Scutum* est mentis obstinatio. Job (41, 6) : « Corpus ejus quasi scuta fusilia, et compactum squamis sese prementibus. » Omne vas, quod fusile est, durum est, sed quanto plus in altum elevatur, cum labitur, fragilius frangitur. Corpus ergo Leviathan, omnes iniqui, qui per obstinationem duri sunt, sed per vitam fragiles, scutis fusilibus comparantur, quia ne ad se corripientium verba perveniant, quasi adversantium jaculis scuta defensionum parant. « Compactum squamis sese prementibus. » Corpus diaboli, idest reprobus, cum de iniquitate corripitur, quibus valet tergiversationibus se excusare conatur et quasi quasdam defensionis squamas objicit, ne transfigi veritatis sagittis possit. Gladius confringetur, de quo Ezechielis (32, 27) : « Descenderunt ad infernum cum armis suis, posuerunt gladios suos sub capitibus suis, et fuerunt iniquitates eorum, in ossibus eorum, quia terror fortium facti sunt in terra viventium. » Gladii sunt munimenta malitiæ, cum quibus tamen descendunt in infernum. Bellum est impugnatio Domini; unde Job (15, 25 ad 27) : « Tetendit adversus Deum manum suam, et contra Omnipotentem roboratus est : cucurrit adversus Deum (4) erecto collo, et pingui cervice armatus est. Gregorius (5) : « Contra Deum manus extendere, est in prava operatione, despectis ejus judiciis, perseverare. Contra Omnipotentem roboratur, quia prosperari in sua malitia permittitur. Qui erecto collo adversus Deum cucurrit, idest in malo opere obstaculum de adversitate non habuit, dum quæ Creatori suo displicent, cum audacia perpetravit. Pingui cervice : Pinguis cervix est opulenta superbia affluentibus rebus, quasi multis carnibus fulta. Faciem crassitudo operit, quia terrenarum rerum abundantia mentis oculos premit. »

Et habitatio ejus in Sion. Sion interpretatur specula, vel mandatum, et vere Deus habitat *in Sion*, quia in observatione mandatorum Dei fit pax Domini in corde hominis; unde in Joanne (14, 23) : « Si quis mandata mea servaverit (6), Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. » Habitat etiam *in Sion*, quod sonat speculatio; et in contemplatione sapientiæ fit locus pacificus, unde in Proverbiis (8, 12) : « Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus »; et Ecclesiastici (38, 25) : Scribe in tempore otii, et in tempore vacuitatis invenies illam, vel sic : Sapientiam scribe (7) in tempore vacuitatis, et qui immoratur (8) actu, sapientiam percipiet.

erat, ac vacua terra, cum adhuc tota abysso, idest immensa profunditate tegebatur aquarum : » nam tertio tantum die, ut habetur Gen. 1, 9 congregatæ sunt aquæ in locum unum; et tunc apparuit arida, quæ prius aquis operta non apparebat.

(1) Ecce iniquitas, etc. Inhæret interpretationi mysticæ S. Isidori, apud Glossam ord., dicentis : « Super aquas, corda scilicet fluctuantia, quæ mentis quietem amiserant, quia eis Spiritus non innitebatur, sed superferebatur, quasi potens naturam a confusione in melius revocare. »

(2) Ephes. 2, 14.

(3) Psal. 75, 4 : Potentias, arcum. Ubi Vulgata habet : Ibi confregit potentias arcuum, scutum, etc. S. Gregorius lib. XXXII *Moral.* in cap. 41 Job, num. 49 legit : Ibi confregit cornua, arcum, scutum, etc.

(4) Vulg. eum.

(5) Moral. lib. XII in c. 15 Job, n. 48 ad 50.

(6) Vulg. sermonem meum servavit.

(7) Sapientiam scribe. Sic legunt S. Gregorius lib. XVIII *Moral.* in cap. 28 Job, num. 68, et Glossa interlinearis, et passim antiqua Biblia, et Codices Mss. Sed Vulgata : *Sapientia scribæ.*

(8) Vulg. minoratur.

SERMO CXLII.

Contra superbos voluptósos; de tribus vitiis, malitia, luxuria, avaritia, et de quatuor rotis pro unoquoque vitio; et de pœnis inferni.

Ab increpatione tua, Deus Jacob, dormitaverunt, qui ascenderunt equos. (Psal. 75, 7.)

Hic ostenditur, quod *ab increpatione* Domini formidabunt, qui ascendunt *equos* superbiæ, et in deliciis mundi quiescunt. De increpatione Domini dicitur alibi (1) : « Super montes stabunt aquæ ». Aquæ deliciarum stabunt super montes, qui *fugient ab increpatione tua*, Domine. Hoc est, quod dicitur ad Romanos (6, 21) : « Quem fructum habuistis, in quibus nunc erubescitis? nam finis illorum mors est; » quia mali fugiunt prædicationem verbi Domini. Unde Apocalypsis (18, 7) : « Sedeo regina, et vidua non sum, et luctum non videbo. » Verba sunt Babylonis de honore, et dignitate, et rerum abundantia superbientis, et impunitatem sibi promittentis. Sed inde hæc omnia fugient, quia etiam eam Dominus increpat ibidem (18, 8) : « Ideo in una die venient plagæ ejus, mors, et luctus, et fames ». Imo et a voce tonitrui formidabunt. Quid autem sit tonitruum, ibidem (18, 21), subditur : « Sustulit unus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare, dicens : Hoc impetu mittetur Babylon », vel pereat Babylon « illa magna civitas, et ultra non invenietur. » Hic legitur, quod qui ascendunt equos, scilicet superbiæ, *dormitaverunt ab increpatione*, quasi obstinati mente Domini monita contempserunt. Hic habemus, de quibus dicitur in Job (41, 19 et 20) : « Non fugabit eum vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundæ : quasi stipulam æstimabit malleum, et deridebit vibrantem hastam. » Superbi lapides fundæ in stipulam vertunt, et quasi stipulam existimant malleum, scilicet mente obstinati verbum increpationis, et æternæ pœnæ in eos futuræ ictum non metuunt, imo quod plus est, ipsum Christum, qui erit hasta vibrans cum veniet ad judicium, derident, et vilipendunt. Gregorius (2) : A reproborum cordibus eum sagitta prædicatoris non excutit, quia si ab illo, scilicet diabolo, apprehenditur, verba jam prædicantium contemmit audire. Funda, Ecclesia est; lapides, verba prædicantium, quæ exeunt ab Ecclesia, quibus adversantur pectora fœtentia Leviathan. Itaque qui fortes Ecclesiæ, despicit velut infirmos, quasi in stipulam versi sunt ei lapides fundæ. Per malleum desuper venientem, pondus cœlestis percussionis exprimitur. Leviathan malleum despicit, quia supernæ animadversionis ictus formidare contemnit; et quasi stipulam existimabit malleum, quia devinæ vindictæ terrores, et pondera velut levissimas paleas putat. Et deridebit vibrantem hastam. Vibrare hastam, est ei æternam mortem ex districta animadversione præparare, quam deridebit, quia quidquid grave, quidquid horribile prævidet, pati non metuit; sed quo se æterna pericula, vel tormenta evadere non posse conspicit, eo in exercenda malitia, vel nequitia durior assurgit. De ista hasta, quæ Christus est, dicitur in Habacuc (3, 11) : « In luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ. » Hasta fulgurans Christus est, quem derident.

De istis equis dicit etiam Ezechiel (26, 10) : « Inundatione equorum operiet te pulvis eorum, et a sonitu equitum, et rotarum, et curruum movebuntur muri tui. » Per equos, superbia, quæ tantum excæcat, quod operiuntur oculi rationis, et discretionis, et caligant. *A sonitu equitum, et rotarum, et curruum*, scilicet a sonitu vanitatis, et pompæ sæcularis movebuntur muri, idest virtuosi, qui se debent opponere murum pro domo Domini. Equites sunt diaboli, de quibus in Exodo (15, 4) : « Electi principes ejus submersi sunt; alia scriptio (3) habet : « Terni statores (4) submersi sunt. Dicuntur autem *Terni statores*, quasi in tribus stantes, videlicet in malitia, luxuria, avaritia. Habet autem malitia currum suum, quatuor rotis fundatum, quæ sunt sævitia, audacia, impudentia, et impatientia. Si quis

(1) Psal. 103, 6 et 7.
(2) Moral. lib. XXXIV in c. 41 Job, num. 21.
(3) Antiqua versio. lat.
(4) Terni statores, etc. Versio græca LXX legit: *Projecit electos ascensores tristatas.* Porro S. Hieronymus, lib. VII Commentar. in Ezechiel. cap. 23 scribit : « In Exodo legimus : Electos ascensores tristatas : pro quibus latina simplicitas ternos statores transtulit. Tristatæ autem nomen est apud Græcos, secundi gradus post regiam dignitatem. » Verum Origenes Homilia VI in Exodum, tom. II edit. Maur. Ven. pag. 98, num 3 legit : Electos ascensores, ternos statores demersit; et qui sint terni statores, prolixa explanatione declarat.

autem legerit in secundo Machabæorum (1) de illo magno rege Antiocho, reperire poterit hæc quatuor. Inveniet enim, quod sævus fuerit in occidendo Judæos sine causa : parvulos, et adultos interfecit; in quo notatur sævitia, sive crudelitas. Quam audax, templum Dei spoliando! Spoliavit omnibus vasis, et pretiosis ornamentis : ecce audacia. Quam impudens in sacrilegio! quam impatiens moræ! In furorem versus, et impatienter festinando, dum ad destructionem iret Judæorum, jussit agitari currum sine intermissione, et præ nimia festinatione de curru cecidit, et fractis membris percussus est plaga insanabili, et invisibili, ita quod fœtore suo totus exercitus gravaretur, et etiam sibi ipsi esset intolerabilis; propter enim intolerabilem fœtorem proprii corporis miserabiliter vitam tædiosam finivit.

Item luxuria in quatuor equos dividitur, idest quatuor habet rotas, quæ sunt ventris ingluvies, mollities vestis, appetitus libidinis, et resolutio corporis. Unde Amos (6, 4) : Væ vobis, qui dormitis in lectis eburneis : Ecce resolutio corporis; Et lascivitis in stratis vestris : Ecce appetitus libidinis; Qui comeditis agnum de grege, et vitulos de armentis (2) : Ecce ingluvies ventris. De qua ingluvie, et de vestium mollitie in Evangelio dicitur (Lucæ, 16, 19) : « Homo quidam induebatur purpura, et bysso, et epulabatur quotidie splendide. » Item equi currus avaritiæ sunt quatuor, vel quatuor habet rotas, quæ sunt pusillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, oblivio mortis. Pusillanimitas arguitur ab Augustino (3), dicente super versum Psalmi (7) : « In quacumque die invocavero te, ecce cognovi, quia Deus meus es » sic : « Ecce magnæ divitiæ. Quantumlibet avarus sis, sufficit tibi Deus. Avaritia terram quærebat possidere totam; adde et cœlum, et quod plus est, qui fecit cœlum et terram. » Et est sensus : In quacunque die invocavero te, audies me. In quo Domini clementia advertitur, quæ quolibet tempore nostram conversionem expectat. Inhumanitas; unde Hieronymus (4) : Quia omnis dives, aut iniquus, aut hæres iniqui. Unde Habacuc (2, 6 et 7) : « Væ, qui multiplicat, vel congregat non sua : usquequo aggravat contra se densum lutum, idest per lutea opera peccati acquirit : Nunquid non repente consurgent, qui mordeant te? et suscitabuntur lacerantes te, » idest Angeli, quibus traduntur in pœnam. Contemptus Dei; unde in Psalmis (51, 9) : Prævaluit in vanitate sua; unde Augustinus (5) : « Nihil est vanius eo, qui putat plus valere nummum, quam Deum. » Oblivio mortis; Ecclesiastici (5, 10) : « Noli esse anxius in divitiis injustis : non enim proderunt tibi in die obductionis, et vindictæ, » et Hieronymus (6) : « Facile contemnit omnia, qui semper se cogitat moriturum; » E contra vero qui non cogitat, libenter pecuniam congregat.

Sequitur : *Tu terribilis es, et quis resistet tibi?* Ad excitationem dormientis hic subditur. Qui enim hic dormientes non sentiunt, in fine sentient, velint, nolint. Ex tunc enim ira tua manifesta erit, et vindicta ab æterno prævisa, et præordinata. Unde Isaiæ (30, 33) : « Præparata est ab heri Thopheth, a rege præparata, profunda, et dilatata. Nutrimenta ejus ignis, et ligna multa, et flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. » Thopheth, scilicet vallis gehennæ præparata est ab heri, idest ab æterno, a rege omnipotente præparata, et dilatata. Nutrimentum ejus ignis, et ligna multa, scilicet impii, qui erunt materia nutriens illum ignem : et flatus Domini sicut torrens succendens eam, idest de voluntate Domini succendetur sicut torrens sulphuris, quia ibi erit fœtor intolerabilis, et ignis inextinguibilis.

SERMO CXLIII.

Qualiter debemus videre, vigilare, et orare.

In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis nocte contra eum, et non sum deceptus; vel *coram eo* (7), *alia littera* (Psal. 76, 3).

Iste versus complectitur, et insinuat illa tria, quæ dicuntur in Marco (13, 33) : « Videte, et vigilate, et orate. » Quod dicitur ibi, *Videte*, respondet quod hic dicitur, *In die tribulationis;* Tribulatio enim diem fa-

(1) II Mach. 5, 11 ad 27, et c. 6 et 7, per tot. et c. 9, 4 ad 28.
(2) Vers. Syr., sed Vulg. : de medio armenti.
(3) Enarr. in psal. 55, num. 27.
(4) Lib. II Comment. in c. 5 Jer.
(5) Enar. in Ps. 51, num. 16.
(6) Ep. ad Paulin., de studio Scriptur. in calce.
(7) Versio græca LXX.

cit, et oculum mundanis prosperitatibus excæcatum sanat, et illuminat. Unde in Apocalypsi (3, 18) : « Inunge oculos tuos collyrio, ut videas. » Collyrii pinguedo oculos sanat; tribulatio enim tanquam collyrium, velut pinguedo sanat, et illuminat; unde ibidem (3, 19) : « Ego, quos amo, arguo, et castigo. » Quod ibi dicitur, *Orate*, respondet quod hic dicitur, *Deum exquisivi manibus meis*. Non enim *nocte* tantum, sed etiam mundis manibus, idest operibus est orandum. Unde prima ad Timotheum (2, 8): « Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira, et disceptatione. » Bene autem dicit, *sine ira, et disceptatione*, alioquin dicetur eis, quod in Isaia (1, 13 et 15) legitur : Incensum vestrum abominatio est mihi : manus enim vestræ plenæ sunt sanguine, idest opera vestra plena sunt peccatis; et ideo oratio vestra non placet mihi. Quod in Marco dicitur, *Vigilate*, respondet quod hic dicitur, *Nocte coram eo*. Ideo Propheta invitat nos ad vigilandum tribus vigiliis, unde dicitur : *Anticipaverunt vigilias oculi mei* (Psal. 76, 5).

Ista tria debemus attendere in oratione, scilicet insinuare humanam miseriam, captare benevolentiam, postulare veniam. Primo insinuare miseriam captivitatis, et infirmitatis. Captivitas in tribus consistit: In incolatus diuturnitate, in pondere laboris, et in crudelitate exactoris. In incolatus diuturnitate : « Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est » (Psal. 119, 5). In pondere laboris, qui imponitur captivis, sicut legitur in Exodo, in aqua, terra, et palea ad faciendum lateres. In palea, levitas; in aqua, voluptas; in terra ponderositas designatur. Ista cum coquuntur, indurantur; coquuntur lateres per peccati consuetudinem. Intelligitur crudelitas exactoris, idest diaboli, per hoc quod sequitur : Non dabuntur ultra vobis paleæ, nec minuetur numerus laterum ; *et dispersus est populus per universam terram ad colligendas paleas* (1). Palea evacuata a grano levitatem habet, cum grano ponderositatem. Sic mens humana granum habens, de quo dicitur (Joan. 12, 24) : « Nisi granum cadens in terram mortuum fuerit, » pondus habet firmitatis, et constantiæ : ab eo autem evacuata, levis est; scilicet sine grano levitatem habet, cum grano ponderositatem; unde absque grano a quolibet vento dispergitur, et vana remanet, vana, et levia sectando. Sic homo, quando evacuatur grano frumenti, quod « cadens in terram, si mortuum fuerit, multum fructum affert (Ibid. 12, 25), » qualibet tentatione, et mentis turbine rapitur. De ista vanitate, Jeremiæ (2, 5) : « Dilexerunt (2) vanitatem, et vani facti sunt; » Et per hoc, licet non habeantur paleæ, non minuitur tamen numerus laterum, quia quandoque, quamvis diabolus non ministret paleam levitatis per suggestionem, non tamen minuitur numerus peccatorum, quia ipse homo variis affectibus discurrens per temporalia, acquirit sibi, et congregat sponte paleas vanitatis; unde sequitur : Dispersi sunt per Ægyptum ad colligendas paleas, quia quandoque diabolo non suggerente, tales quasi paleæ disperguntur per multas vanitates vitiorum, ut sic evanescant.

De miseria carnis legitur in Psalmis : Sedentes in tenebris, idest morantes in peccatis, vel in ignorantia propriæ fragilitatis, qui vincti sunt prava consuetudine, et sedent in ignorantia propriæ fragilitatis ; Et umbra mortis, scilicet vitiosa vita, quæ umbra, et imago est itineris æternæ, vel futuræ mortis, et ei continuatur, ut umbra corpori; Vinctos in mendicitate, idest in immunditia per indigentiam boni; vel vinctos in mendicitate pedibus desiderii, et affectibus vinctis compedibus peccatorum : Et ferro, quia vincula peccatorum sunt ferrea, et indissolubilia, quibus affectus mentis ligantur. De miseria infirmitatis, de qua dicitur, habes ibi (3) : « Esurientes, et sitientes : anima eorum in ipsis defecit; quia Omnem escam abominata est anima eorum. Esurientes, et sitientes sunt curiosi sæculi, qui veritatis satietatem in sæculo quærunt, et tamen non inveniunt; quod est eis tormentum, unde sequitur : Anima eorum in ipsis defecit, quia ea, quæ sibi sunt noxia, cupiunt, et sic deficiunt a bono, et tabescunt interius; et sic omnem escam abominata est anima eorum.

Debemus captare benevolentiam, reducendo ejus beneficia ad memoriam, qui eduxit nos de tenebris, remittendo peccatum in baptismo. Misit enim Filium suum, et eru-

(1) Exodi 5, 6 ad 12.
(2) Vulg. Ambulaverunt post.

(3) Psal. 106, 5 et 18.

divit nos, et eripuit nos; unde : Eripuit me de inimicis meis fortissimis (Psal. 17, 18). Nam liberavit nos a fortibus inimicis, sanando a morte, et timore mundano; a fortioribus, scilicet tentationibus propriæ carnis, quæ magis nos impugnat; a fortissimis, idest dæmonibus, quia « non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem, sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum. » (Ephes., 6, 12.)

Debemus postulare veniam, implorando auxilium; quæ postulatio consistit in labore, dolore, et amore. De labore habemus de Martha, quando dicitur : « Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima (Luc., 10, 41). Sollicita quidem erat, ne opus tarde fieret : Et turbaris erga plurima, ne tepide, sed ferventer ageret. De dolore exemplum habemus in Maria Magdalene, quæ de se tot obtulit holocausta, quot in se invenit delectamenta. De amore habemus exemplum in Joanne evangelista, qui carnales delectationes refugit, et super pectus Domini in cœna recubuit (Joan., 21, 20) : Christo pendenti in cruce inseparabiliter adhæsit; et sic nos faciamus : De fonte sapientiæ Verbi potavit; per quod ad dilectionem Domini invitamur, ut tandem ad fontem sapientiæ perveniamus.

SERMO CXLIV.

De virtute baptismi; de districtione judicii; de profunditate peccati; de modo curandi.

Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ, et timuerunt, et turbatæ sunt abyssi (Psal. 76, 17).

Quatuor commemorantur in hoc versu, scilicet virtus baptismi, districtio judicii, profunditas peccati, modus curandi. Virtus baptismi ostenditur, cum dicit : *Viderunt te aquæ, Deus.* Potuisset dicere : Tetigerunt te aquæ, Deus; sed maluit dicere : *Viderunt te aquæ*, quia sicut oculus viso lumine illuminatur, et illuminat totum corpus, ita aqua baptismi, quando Christus baptizatus est, illuminata est a Christo, et illuminat totum corpus Ecclesiæ. Aqua convertibilis est naturæ, quia potest calefieri ab igne, et calefacta calefacere alium. Sic tactu corporis Christi mundata, mundat interius calore gratiæ collatæ. Et bene convertibilis est aqua, quia cum tangit aliquid, tingitur ab ipso, et tingit illud; unde baptismus dicitur tinctio unde : « Ite (1), docete omnes gentes, baptizantes, idest tingentes (2) eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. » (Matth., 28, 19.) Unde dixit filiis Zebedæi (Marc., 10, 38) : « Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum (3), aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari? » Idest in tinctione passionis, qua ego intingar (4), et quam intingam? Unde Apostolus ad Romanos (6, 3) : « Quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus, » idest tincti. Lana tincta sanguine colorem suum amittit, si vinum superfundatur. Sic innocentia data in baptismo amittitur, si vinum carnalis delectationis adjungatur, et rubricatio sanguinis Christi per mortale peccatum ab anima deletur, et sic decoloratur. Sicut aqua tingitur, et tingit, si aqua tingens Christum, tincta est; contingens, sanctificata est ab ipso, et sanctificat alios. Si quærit aliquis : cum non tingat nisi exterius, quomodo possit mundare, et tingere interius? Dicimus, quod in virtute verborum prolatorum recipit hujusmodi efficaciam. Sicut enim verbum docentis non tangit exterius nisi aurem, et tamen interius tangit animam; ita ista tinctio, licet exterius fiat, tamen interius animam intengens purgat.

Viderunt te aquæ, Deus. Per aquas populi intelliguntur, quia fluunt ad aquarum similitudinem ; unde Ecclesiastes (1, 4) : *Generatio præterit, et generatio advenit : terra vero in æternum stat.* Sicut aqua veniens impellit præcedentem, ita generatio sequens impellit præcedentem. Et bene per aquam populi intelliguntur, quia sicut omnia flumina a mari exeunt, et ad mare revertuntur, ita vita hominis, quando de mundo exit, ad terram revertitur, et facit quamdam rotam. Unde Jacobus (3, 6) : « Lingua rotam humanæ (5) nativitatis inflam-

(1) Vers. Arab., Syr., et Pers. Vulg. : Euntes.
(2) *Idest tingentes, etc.* Ubi Vulgata habet, *baptizantes eos :* S. Zeno, lib. II, tract. 13, edit. Veron., pag. 180, legit, *intengentes eos.*
(3) Vulg. : ego bibo.

(4) Qua ego intigar, etc. Versio Arabica illud Marci, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari, sic legit : et tingi tinctura, qua tingar.
(5) Vulg. nostræ.

mat, idest contaminat cursum instabilem vitæ nostræ, inflammata a gehenna. » Sed contra hanc rotam dicitur hic : *Vox tonitrui tui in rota*, idest comminationis, unde sequitur : *Viderunt te aquæ, et timuerunt*. Et hic notatur districtio in hac rota, qua vertitur homo in terram, in qua apparet severitas divinæ vindictæ. Hoc est tonitruum contra hanc rotam, secundum id, quod alibi dicitur (Psal. 59, 6) : « Ut fugiant a facie arcus, dedisti metuentibus te significationem. » Duo colores in arcu sunt, scilicet duæ sagittæ, quibus in hac vita Deus percutit; unde (Psal. 41, 8) : *Abyssus abyssum invocat*. Abyssus pœnæ in hac vita ostendit abyssum, idest æternam damnationem secuturam ad malos; unde Nahum (1, 8) : « In diluvio prætereunte faciet consummationem loci ejus, et inimicos ejus persequentur tenebræ. » Et diluvium fluxus nostræ nativitatis, quo prætereunte, consequens est, ut consummetur in manente. Vel, diluvium est præsentis vitæ fluxibilitas, et instabilitas, in quo diluvio flagellantur omnes. Quidam autem non purgantur, quidam vero purgantur. Qui igitur non fuerit purgatus in diluvio prætereunte, consequens est ut consummetur in diluvio manente. *Et turbatæ sunt abyssi*. Per abyssum profunditas peccati, idest sine fundo. Hæc est luxuria; abyssus dicitur sine candore : Et avaritia, quæ in tenebras ducit, et circuit sæcularem, quæ est sine omni discretionis lumine; unde Samson cæcatus ad molam ponitur, idest avarus ad circuitum temporalium. Per abyssum etiam notatur superbia; unde Job (38, 30) : *Superficies abyssi constringitur*, hoc est superbia congelatur. Superbia impenetrabilis est sagittis correptionis, quia superbus verbo correctivo vix, aut nunquam humiliabitur.

In hoc quod dicit : *Turbatæ sunt*, modus sanationis ostenditur. Turbatur aqua, ut piscis extrahatur, et capiatur. Turbatur conscientia, ut animæ salus speretur, et ita sanetur ab infirmitate, qua detinetur; unde (Psal. 40, 4) : « Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus. » Qui laborat in infirmitate corporis, stratus paratur, et stramentum supponitur, et mollia superponuntur, scilicet in stratu carnis; sed in stratu animæ sit e contrario, quia in infirmitate animæ stipula superponitur, idest asperitas pœnitentiæ, carnis maceratio, et hujusmodi, ut ad summam quietis mollitiem perveniatur. Debet poni cinis, et pulvis, unde sumptus est homo, et redigi debet; et libere discerni, et quasi super memoriam delectabilium collocari.

SERMO CXLV.

Qualiter movetur terra, scilicet cor pœnitentis per illustrationem ; qualiter mare, idest humanum genus dulcoratur; de profunditate, et obscuritate divinitatis.

Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ : commota est, et contremuit terra, etc. (Psal. 76, 19 et 20.)

Præmisit superius : *Vox tonitrui tui in rota;* et : *Vocem dederunt nubes*, idest prædicatores, qui ad irrigandam, et fœcundandam terram mentis pluunt doctrinis, coruscant miraculis; unde Job (36, 29 et 30) : « Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet. » Nubes extendit Deus, dum ministris, idest suis prædicatoribus viam aperiens, eos in mundi latitudine defendit. Hæ nubes tentorium ejus sunt, quod in itinere Domini poni solet, quia ad nos per gratiam veniens, intra mentes prædicatorum suorum operatur. Per has nubes suo lumine fulgurat, quia per prædicatores suos insensibilitatis nostræ tenebras etiam miraculis illustrat, cum videlicet nubes istæ verbis pluunt, vel miraculis coruscant. Per prædicatores cardines quoque maris operuit, et extremos etiam mundi terminos ad divinum amorem convertit. Debent extendi quasi tentorium, ut sint sicut pelles Salomonis, quæ commendabiles erant in tribus; in fortitudine, mollitie, et plulchritudine. Unde in fortitudine notatur patientia in adversis tolerandis; in mollitie, obedientiæ tractabilitas in mandatis exequendis; in pulchritudine, ornamentum virtutum, quod consistit in duobus : Debent esse rubricatæ (1) per passionis Christi imitationem, hyacinthinæ per divi-

(1) Debent esse rubricatæ, etc. Glossa interlinearis in illud Cant. 1, 4. Sicut pelles Salomonis, ait : De pellibus rubricatis fecit sibi tabernaculum Salomon. Verum Origenes lib. II in Cantic., t. III edit. Maur. Ven., pag. 34 explicans verba Sponsæ : « Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis », inducit sponsam sic alloquentem : Sed et pellibus Sa-

nitatis contemplationem; et sic debent extendi nubes istæ. Et notandum quod dixit: *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ*. Per orbem terræ significavit hominem, in quo fit hujusmodi coruscatio. Modum nostræ nativitatis insinuat forma orbicularis, dum se convertit, et ad seipsam redit; sic homo considerans fragilitatem vitæ suæ, et peccata sua, per pœnitentiam ad seipsum rediens, seipsum Deo reddit. Item forma orbicularis licet in aliqua ejus parte diminuta fuerit, si convertatur, non advertitur: sic homo peccator, licet aliquid de innocentia, vel hujusmodi aliquid per peccatum amiserit, si convertatur, illud non advertitur; unde in Ezechiele (18, 21 et 22): « Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor. » Unde Hieronymus : Qui ad veritatem (1) revertitur, mendax non habetur, postquam mentitur.

Sequitur : *In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis*. Hoc est illud mare, et hæ sunt aquæ, de quibus dicitur in Zacharia (14, 8) : « Egredietur fons (2) aquæ vivæ de templo Domini, et vadet usque ad mare mortuum, quod nihil habet vivens. Nulli enim pisciculi esse poterant in mari mortuo : nihil in eo vivebat. Sed de templo Domini, idest de sinu Patris egressus est Salvator, qui carne assumpta dulcoravit hoc mare mortuum, et amarum humanæ conditionis. Hoc est quod legitur quarto Regum (2, 19 ad 21) : Venerunt filii Prophetarum dicentes ad Elisæum : Ecce habitatio hujus civitatis, idest Jericho, optima est, sicut tu vides : sed aquæ pessimæ sunt, et terra sterilis. Quibus dixit : Afferte mihi vas novum, et mittite in illud sal; quo facto ait : Hæc dicit Dominus: Sanavi aquas has, et non erit in eis ultra mors, neque sterilitas. Civitas ista est mundus, cujus habitatio in se bona est, quia res bonæ sunt secundum sui naturam; sed aquæ pessimæ sunt, scilicet fragilitas, quæ fluit ad mortem, et pronitas peccandi, quæ fluit ad damnationem. Mittitur sal in vas novum fictile, idest Sapientia Patris in uterum Virginis veniens, corpus humanum sine peccato assumpsit, et sic sanatæ sunt aquæ, idest dulcoravit, reprimendo pronitatem peccandi per collationem gratiæ in præsenti, et fluxum mortis per certam expectationem resurrectionis in futuro ; et tunc penitus sanabit. Unde Osee (13, 15) : « Adducet Dominus ventum urentem, et siccabit venas mortis » (3). Vel aliter : per aquam Jericho intelligguntur carnales delectationes, aquæ amaræ, quia ad amaritudinem pœnæ æternæ inducunt. Sal missum in vas fictile est amaritudo pœnitentiæ in peccatoris corde. Hæc est lignum correctionis, quod positum in aquis Mara, idest in amaritudine contritionis, eas dulcoravit. Hæc est vinum increpationis, quod Samaritanus posuit in vulneribus sauciati. Hæc est fel piscis, per quod sanantur oculi Tobiæ, quia voluptates sanantur contritionis amaritudine, voluptates scilicet luxuriæ, vel alterius peccati. Notandum, quod dixit : « Non erit ultra mors, nec sterilitas. » Peccatum duo habet in se, delectationem, et fœtorem ; et Dominus vult servare fœtorem luxuriæ, scilicet ut fœcundet mentem amaritudine, ita quod in aquis voluptatis, quando extincta fuerit delectatio, fœtor peccati remaneat. Amaritudo tollit mortem delectationis, fœtor vitium sterilitatis emendat. Hoc est quod legitur in Evangelio, ubi dicitur de ficu infructuosa : « Sine illam, ut fodiam, et stercora ponam, et faciat fructum (4): sin autem, succides illam (5). Stercora missa ad ficulneam sunt peccatorum abominatio ad animam, sive ad memoriam reductorum, quia dum memoria inde tangitur, compungitur, et quasi per tactum stercoris, quæ sterilis erat, redit ad fœcunditatem boni operis.

lomonis comparatis me, quæ non aliæ sunt, quam pelles tabernaculi Dei. Vide annotationem (2) ad Sermonem LXXXII, col. 783.

(1) Qui ad veritatem, etc. Istud in S. Hieronymo non invenimus, sed in S. Gregorio, qui Homil. 29 in Evang. juxta edit. Maur. Paris., tom. I, col. 1570, num. 3 ait : « Apud misericordem judicem nec ille fallax habebitur, qui ad veritatem revertitur, etiam postquam mentitur : quia omnipotens Deus dum libenter nostram pœnitentiam suscipit, ipse suo judicio hoc quod erravimus, abscondit. »

(2) Vulg. : Exibunt aquæ vivæ de Jerusalem : medium earum ad mare Orientale ; quod exponens S. Hieronymus, lib. III Commentar. in Zachariam, scribit : Ad mare Orientale, quod Græcorum libri λίμνην ἀσφαλτίτιν vocant, et vulgo mare appellatur mortuum, ex eo quod nihil in aquis ejus possit vivere.

(3) Vulg. : ejus.

(4) Vulg. : « Dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora : et siquidem fecerit fructum : sin autem, in futurum succides eam. »

(5) Lucæ, 13, 8 et 9.

Sequitur : *Et vestigia tua non cognoscentur*. Hoc est contra curiosos invisibilium scrutatores; unde in Parabolis (23, 5) : « Ne erigas oculos ad opes, quas habere non poteris (1); quia facient sibi pennas ut (2) aquilæ, et volabunt in cœlum. » Opes istæ sunt abundantia divinitatis, quam homo perscrutando penetrare non potest. Item Job (11, 7 ad 9) : « Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelsior cœlo est, et quid facies? profundior inferno, unde cognosces? Longior terra mensura ejus, et latior mari, » quia nec justi, nec peccatores nec Angeli altitudinem ejus attingunt; et dæmonum astutias longe subtilius judicat: et quantumcunque mens acuatur in inquirendo districtionem futuram, non agnoscit; unde : « Quis novit potestatem iræ tuæ? (Psal. 80, 11.) Et idem Job : « Qui tenet vultum solii sui, et expandit super illud nebulam suam. » Unde dicit Gregorius (3) : « Cognitio ejus solii, seu vultus tenetur, quia a nobis in hac vita regni ejus gloria non cognoscitur. Super quo recte expandi nebula dicitur, quia sicut est, illa cœlestis gloria non videtur; et ab ipsa videnda ignorantiæ nostræ obscuritate caligamus. »

SERMO CXLVI.

Contra malos prælatos; et de tribus vitiis.

Filii Ephrem intendentes, et mittentes arcum, vel intendentes arcubus (4) secundum aliam litteram : *conversi sunt in die belli*. (Psal. 77, 9.)

Hoc est, quando sacerdotes in tentationibus succumbunt, nec resistunt. De hac conversione habetur in Josue (17, 15 et 16), ubi Josue loquitur ad tribum Ephraim, dicens : « Ascende in silvam, et succide tibi spatia in terra Pherezæi, et Raphaim. Qui responderunt : Non poterimus ad montana conscendere, quia ferreis curribus utuntur Chananæi. » Hæc dicit Deus filiis Ephrem, idest filiis fructificationis, scilicet sacerdotibus, ut ascendant *in silvam*, idest prædicent peccatoribus, qui comparantur silvæ propter sterilitatem, quia sunt rudes, et steriles fructu bonorum operum, et acquirant sibi possessionem in terra Pherezæi, et Raphaim. Istos debent plantare verbo, exemplo, et doctrina; et sic succidentur ad opus Ecclesiæ. Pherezæus, separans, vel divisus interpretatur, per quod intelligitur superbus, qui separat se ab aliis; unde Sophoniæ (1, 4) : « Disperdam de hoc loco reliquias Baal, et nomina æditorum cum sacerdotibus. » Baal interpretatur in sublimioribus. De hoc Gregorius (5): Sicut « aurarum flatu stipula in altum tollitur, sed casu concito ad ima revocatur »; et sicut « fumus ad nubila attollitur, sed repente intumescendo in nihilum dissipatur »; sic reliquiæ Baal, idest superbiores qui superbiunt de gradu, in quo sunt. Præterea significat avarum, qui per multas sollicitudines distenditur, et dividitur; unde Ecclesiastes (1, 13, et 3, 10) : « Vidi occupationem magnam, quam dedit Deus hominibus (6), ut occuparentur in ea, ut distendantur »; idest sicut pellis distenditur, sic corda avarorum.

Hæc est occupatio terrenæ sollicitudinis, qua occupati sunt avari. Item Proverbiorum (20, 26) : « Dissipat impios rex sapiens, » idest avaros, quorum animus per diversa vitia vagatur; et incurvat super illos fornicem, idest arcum triumphalem, idest triumphum suum, districte comminando. Pherezæus interpretatur divisus. Jeremiæ (6, 13 et 14) : « A minore usque ad majorem omnes avaritiæ student, et a propheta usque ad sacerdotem omnes faciunt dolum. Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes, Pax, pax, et non erat pax. » Contra hujusmodi Pherezæum mitti debent filii Ephrem, scilicet boni prædicatores, ut eos Domino acquirant. Item contra Raphaim, qui interpretatur matres resolutæ, sive absolutæ. Isti sunt prælati, quorum manus mulierum misericordium coxerunt filios suos : et facti sunt cibus earum in contritione filiæ populi mei. » (Thren., 4, 10). Mulieres sunt prælati effæminati, qui coquunt hædos in lacte matris suæ, scilicet peccatores in de-

(1) Vulg. : non potes.
(2) Vulg. : quasi.
(3) Moral., lib. XVII, in c. 26 Job, num. 39.
(4) Intendentes arcubus, etc. Teste S. Augustino, Enarrat. in istum Psalmum LXXVII : Nonnulli codices græci habere dicuntur, tendentes et mittentes arcubus, ut sine dubitatione subaudiamus sagittas.
(5) Moral., lib. XVII, in cap. 24 Job.
(6) Vulg. : Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum.

lectatione peccati coquunt adulando, palpando vitia contra præceptum Domini; et hoc faciunt in contritione filiæ populi mei, idest in destructione Ecclesiæ. Sed dicitur eis a Domino : « Ascendite in silvam, et succidite vobis spatia in terra Pherezæi, et Raphaim. » Et filii Ephrem respondent: « Non poterimus ascendere in montem, quia ferreis curribus utuntur Chananæi. » Per Chananæos dæmones intelliguntur; per currus ferreos felicitas temporalis, quæ est ferrea, quia sicut ferrum domat omnia metalla, sic felicitas temporalis, qua utuntur dæmones ad decipiendum, fere domat omnia corda.

Isti sunt Ephratæi, qui vocati noluerunt venire cum Jephte ad expugnandum Chananæos, contra quos Jephte animam suam, idest vitam in manibus suis posuit, idest in operibus, et triumphavit. Vocati sunt filii Ephrem, et noluerunt venire; sed venientes ad rivum Jordanis contra Jephte, interfecti sunt, non valentes dicere *Scibboleth*, sed *Sibboleth* dicebant, idest palea. *Sibboleth* granum insulsum interpretatur; *Scibboleth*, spica. Sic prælati, qui nolunt venire cum Christo, et ponere animam, idest vitam suam ad triumphandum de diabolo, quando venient ad Jordanem, idest ad judicium, non habentes fructum, cum sint sal infatuatum, ad nihilum valens, projicientur in sterquilinium inferni, et sicut palea sine grano frumenti comburentur, dicentes *Sibboleth;* unde Isaiæ (29, 4 et 6): « Humiliaberis, de terra loqueris, et de humo audietur eloquium tuum »; et ibidem: « Visitabitur in tonitruo, et commotione terræ, et voce magna turbinis, et tempestatis, et flammæ ignis devorantis; » et vere tunc humiliabuntur prælati mali. Unde Zachariæ (11, 4): « Pasce pecora occisionis; » et Jeremiæ (50, 6): « Grex perditus factus est populus meus ». Proditus est; quia hic sequitur (1) : vel ut legitur in Zacharia (11, 5): « Qui possederant, occidebant, et non dolebant, et vendebant ea, dicentes: Benedictus Dominus, divites facti sumus: et pastores eorum non parcebant eis. » Vendunt enim prælati subditos suos, scilicet diabolo, quia non curant de eis, nisi lac, et lanam; unde Osee (7, 8 et 9): « Ephraim in populis ipse commiscebatur : Ephraim factus est subcinericius panis, qui non reservatur. Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit. » Commiscebatur cum populis non pœnitentibus, et quasi unus ex eis factus ipse est panis non reservatus, idest omni genere sordium plenus. Isti sunt sacerdotes, et prælati, qui debent esse panis, idest fortitudo subditorum; sed alieni, idest dæmones comedunt robur, cum non sint reversi ad pœnitentiam; contra quos dicitur in Ecclesiastico (7, 7 et 8): « Non pecces in multitudinem civitatis, nec te immittas in populum, neque alliges duplicia peccata. »

(1) Quia hic sequitur, scilicet in eodem vers.: Pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus; propterea omnes, qui invenerunt, comederunt eos.

SERMO CXLVII.

Quod propter percussionem petræ fluunt triplices aquæ : in prima percussione petræ Christi, duo rivi, scilicet baptismi, et sanguinis; in secunda, aquæ misericordiæ : de petra peccatoris fluunt aquæ lacrymarum.

Percussit petram, et fluxerunt aquæ. (Psal. 77, 20.)

Percussa est petra, et fluxerunt aquæ (Exodi, 17, 6; Joan., 19, 34). Percussus est Christus in latere, et fluxerunt rivi duo, unus aquæ, scilicet baptismi, alter sanguinis, scilicet nostræ redemptionis. De rivo baptismi dicit Zacharias (13, 1): « In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris, et menstruatæ. » Hic est fons baptismi, qui patet omnibus, in quo omnes renascuntur, et a peccatis purgantur. Per menstruatam intelligitur immunditia, quæ est a nobis; per peccatum immunditia, quæ venit exterius per suggestionem diaboli, vel mundi, quæ omnes ibi dimittuntur, tam intrinsecæ, quam extrinsecæ. De secundo rivo dicitur Jeremiæ (12, 9): « Nunquid avis discolor hæreditas mea mihi? » Quasi dicat: Non. « Nunquid avis tincta per totum? » quasi dicat: Imo. Et quare? Quia perfecta memoria passionis Christi debet intingere omnia membra nostra, et imprimi in corde; et sic erimus avis tincta per totum. Item aliter: *Percussit petram.* Virga accessit ad petram, et fluxerunt aquæ. Virga ista, beata Virgo, de qua Isaiæ (11, 1): « Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet; » quæ accessit ad

petram, scilicet ad Christum filium suum accedens quotidie percutit cum instantia precum; et ex eo exeunt aquæ misericordiæ, de quibus Isaiæ (55, 1) : « Omnes sitientes venite ad aquas : et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite; emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum, et lac. » Omnes sitientes, idest pœnitentes de peccatis, qui vultis habere fluenta gratiæ, properate ad præmium per confessionem, et pœnitentiam; vel properate per fidem, et contritionem, emite per confessionem, et comedite per gratiæ infusionem, in qua delectemini : emite, inquam, absque argento bonorum operum, et absque ulla commutatione meritorum, vel operum; vel sine argento, idest sine nitore bonorum operum. Ubi aliquid emitur, aliud datur pro empto : sed qui peccator est, non habet bonum, per quod emat gratiam Dei, sed malum habet, quod Deus non curat pro pretio : quia omne bonum a Deo, sed malum a nobis, et a diabolo habemus; et ideo fit illud commercium sine commutatione aliqua, quasi dicat : Deus confert gratiam gratis.

Item cor durum percutitur virga disciplinæ, quam Deus immittit; et fluunt aquæ compunctionis, et lacrymarum; unde Jeremiæ (31, 9) : « In fletu venient, et in misericordia reducam, vel in precibus (1) : et deducam (2) eos per torrentes aquarum in viam rectam, et non impingent in ea. » Torrentes aquarum vocat abundantiam lacrymarum, per quas adducit Dominus peccatorem in viam rectam. De hujusmodi torrentibus dicit Isaias (7, 18 et 19) : « In die illa sibilabit, idest inspirabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti, et api, quæ est in terra Assur; et venient, et requiescent omnes in torrentibus vallium, et in cavernis petrarum, et in omnibus frutetis, et in universis foraminibus. » Sibilus Domini est ejus levis vocatio; vel in sibilo notatur levis prædicatio : extremum fluminum mare est : musca animal insolens, et inquietum est, et significat insolentiam, et inquietudinem avarorum, qui semper sunt in cordis amaritudine, et solliciti in temporalibus. Præterea musca amat dulcia in tantum quod in eis se ingerit mergendo, et in eis moritur; et significat gulosos, et luxuriosos, qui in tantum se immergunt voluptatibus, quod in eis moriuntur. Istis sibilat per levem vocationem; et tamen musca non venit : imo tanquam leo rugit; et tamen nolunt attendere.

Sibilat api, quæ est in terra Assyriorum. Assur, idest diabolus : apes Assur, dæmonum apes, idest impatientes, qui sunt possessio dæmonum. Apis tandiu mellificat, quandiu nullum aculeo suo percusserit; sed in percussione alicujus vim mellificandi amittit. Sic quandiu aliquis patientiam suam servaverit, virtutem bene operandi habebit : sed cum per impatientiam aliquem pungit, vim mellificandi amittit, nisi pœnituerit. Ad hunc sibilum veniunt, qui sunt, et requiescunt in torrentibus vallium, idest in humilitate per abundantiam lacrymarum, et in cavernis petrarum, idest in exemplis Sanctorum prædecessorum, Christo petræ adhærentium, in quibus debent requiescere contra tentationes diaboli, sicut columba, quæ nidificat, et manet in cavernis petræ. Sed serpentes in cavernis terræ requiescunt : sic avari, et luxuriosi in exemplis malorum. Et requiescunt in frutetis, idest asperitate pœnitentiæ. Hæc est enim requies veri pœnitentis, in frutetis, in quibus sunt spinæ pungentes. Sic nos debemus habere compunctionem omnium peccatorum, et ibi requiescere; unde in Psalmis (31, 4) : « Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina. » In foraminibus petræ, idest in memoria Dominicæ passionis, et ejus imitatione; quia requies Christi est in vallibus, idest in humilibus.

SERMO CXLVIII.

De quatuor vitiis, scilicet luxuria, superbia, gula, et ira.

Et dedit ærugini fructus eorum, et labores eorum locustæ. (Psal. 77, 46.)

Hoc concordat cum illo Joelis (1, 4) : « Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo. » Hic notantur luxuria, superbia, gastrimargia, sive gula, et ira. Item residuum erucæ, idest luxuriæ comedit locusta, idest superbia, quia quidquid evadit luxuriam, consumitur superbia,

(1) In precibus. Versio syriaca in polyglottis legit : « Cum deprecatione revertentur. »

(2) Vulg. : adducam.

cum de continentia quis extollitur. Et residuum locustæ comedit bruchus, quia bruchus totus est in ventre, et illum, qui evasit luxuriam, et superbiam, ventris ingluvies facit gastrimargiam, idest castitatem mentis, et corporis mergentem, et deliciosam. Residuum bruchi comedit rubigo, quia etsi non restent supradicta tria, adhuc est vermis invidiæ, quæ pestis omnem fructum bonorum operum consumit; unde Isaiæ (55, 13) : Pro urtica crescet, vel orietur tibi myrtus, idest pro pruritu luxuriæ orietur tibi temperantia, scilicet quando Deus infundit gratiam. Consumit autem eruca olera, et herbas, quibus insidet; unde Amos (4, 9): « Oliveta vestra, et ficeta vestra comedit eruca; et non redistis ad me, dicit Dominus. » Eruca enim est ranuncula, quæ nascitur in horto. Hæc est iracundia, quæ consumit omnia, et dulcedinem mansuetudinis devastat; et ob hoc, Joelis ibidem (1, 5): « Expergiscimini ebrii, qui scilicet calice luxuriæ inebriati estis : et flete, et ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine : quoniam periit ab ore vestro. » Periit, dicit, non peribit, quia parum durat eorum delectatio. Per hanc etiam omnis dulcedo mentis, et corporis periit; unde Ecclesiastici (11, 29) : Malitia unius horæ oblivionem facit, vel oblivionem æternam inducit luxuriæ maximæ (1): multo fortius ergo malitia, sive angustia pœnæ æternæ oblivionem luxuriæ debet facere.

Per locustam intelligitur superbia; unde Joel (1, 6), subjungit : « Gens ascendit super terram meam, fortis, et innumerabilis. » Per gentem, vitium superbiæ, quæ est a principe tenebrarum, et ejus similiter ducens originem, quæ omnia bona devastat; de qua in Apocalypsi (9, 3) : « De fumo putei exierunt locustæ in terram, et data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ. » Per putei profundum, diaboli malitia, de qua procedit fumus, idest superbia, quæ nascitur de tentatione diaboli, et quanto plus ascendit, tanto plus evanescit, et annihilatur. Scorpio ore blanditur, et cauda pungit : ita superbia, quia quando homo videt se in altum gradum attolli, felicitatem sibi proponit; sed de hoc corruens, graviter cruciatur. Locusta autem fructus comedit, quia superbia universa bona in homine destruit. De hoc in Exodo (10, 13 et 15), legitur : Ventus urens levavit locustas, et operuerunt superficiem terræ, et comederunt herbam terræ, vel devorata est herba terræ, et quidquid fuit in arboribus. » Per herbam, minora opera; per arbores, sive poma, majora opera, quæ omnia per superbiam consumuntur.

« Residuum locustæ comedit bruchus. » Per hoc gula designatur; unde Nahum (1, 4 et 5) : « Infirmatus est Basan, et Carmelus, et flos Libani elanguit. Montes commoti sunt ab eo, et colles desolati sunt. » *Basan* interpretatur bruchus; *Carmelus*, mollis, et tenellus, quia molles, et tenelli sunt gulosi, et dissoluti. *Flos Libani* est candor hujus mundi, et tam hi, quam illi infirmabuntur, et deficient. Hæc est gula; et hoc est quod legitur, quod Moyses interfecit Og regem Basan in Edrai (2). *Og* interpretatur conclusio; *Basan*, bruchus; *Edrai*, inundatio pastus. Hi enim interficiuntur *in Edrai*, idest in inundatione pastus, quos diabolus incarcerat, et ad pœnam æternam reservat. Hoc est, quod Nabuzardan princeps coquorum (3) muros Jerusalem, idest ædificia animæ destruxit (4). Nabuzardan autem præparans paleas interpretatur, quia gulosus futurus est palea æterni ignis. De eadem gula Joel (1, 6) subjungit : Dentes ejus ut dentes leonis, idest fortes ad incidendum, et molares ejus ut catuli leonis. Dentes enim gulosi sunt ut dentes leonis ad incidendum, et molares ut catuli leonis ad escas quotidie molendum. Vel, molares ejus ut catuli leonis, qui diu, et bene masticant cibum.

« Residuum bruchi comedit ærugo », idest iracundia. Per æruginem denigrantem, et consummantem spicas ira intelligitur, de qua Job (5, 2) : « Virum stultum (5), interficit iracundia, et parvulum occidit invidia »; et idem (20, 16) : « Caput aspidis (6) suget. et occidet eum lingua viperæ. » Ubi dicit Gregorius (7). « Cum tranquillitatem mentis ira diverberat, dilaniatam quodam modo,

(1) Vulg. : magnæ.
(2) Num. 21, 33 ad 35.
(3) Princeps coquorum. Vide Annotationem (1) ad Sermonem LXXVI, col. 765.
(4) IV Reg. 25, 10.
(5) Vulg. : Vere stultum. Consule Notam (3) ad Serm. LXXX, col. 778.
(6) Caput aspidis, sic legunt Versiones Syriaca, et Arabica. Sed Vulgata : aspidum.
(7) Moral., lib. V, num. 78.

scissamque perturbat, ut sibimetipsi non congruat, ac vim intimæ similitudinis amittat. Quanta ergo sit iracundiæ culpa pensemus, per quam dum mansuetudo amittitur, supernæ imaginis similitudo vitiatur. Per iram, justitia relinquitur; gratia vitæ socialis amittitur : quia qui se ex humana ratione non temperat, necesse est, ut bestialiter solus vivat. Et iterum Gregorius (Ibid., n. 79 et 80) : « Cogitationes iracundi vipereæ generationes sunt, quæ mentem, matrem suam occidunt. Nonnullos enim ira citius accendit, facilius deserit. Nonnullos vero tarde commovet, sed diutius tenet. Alii namque calamis similes, citius flammam faciunt, sed protinus in favillam frigescunt. Alii lignis gravioribus non dispares, accensionem tarde suspiciunt, sed semel accensi difficilius extinguuntur. Alii et citius iracundiæ flammas accipiunt, et tardius deponunt. Nonnulli vero et tarde suscipiunt, et citius amittunt. Vel (ibid., lib. XV, n. 19) : Quia venenum aspidum concite, viperæ tardius occidit; per aspidem violenta, et subita ; per viperam diuturna tentatio designatur.

SERMO CXLIX.

Ad Religiosos de tribus fructibus terræ promissionis; de natura lilii.

Et abstulit sicut oves populum suum, et perduxit eos tanquam gregem in deserto. (Psal. 77, 52.)

Viri religiosi hic comparantur ovibus; unde in Canticis (4, 2) : « Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascendunt (1) de lavacro, omnes gemellis fœtibus, et sterilis non est inter eas. » Viri religiosi per *dentes* signantur, quia sicut dentes sunt in carne, et non sunt caro, sic ipsi existentes in carne, sunt fortes in tribulatione, non viventes secundum carnem. Dicuntur etiam *grex tonsarum,* quia sicut oves suis exutæ velleribus, alios vestiunt, ita ipsi per operationes bonas alios reficiunt, et orationibus muniunt, et frigus diabolicæ tentationis expellunt. *Quæ ascendunt de lavacro*, idest de baptismo; nam in baptismo loti, iterum per pœnitentiam se abluunt. *Omnes gemellis fœtibus;* in quo signatur major, et minor pœnitentia, unde Jeremiæ (2, 22) : « Si laveris te nitro, et multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me ». Nitrum majores maculas (2) pellit, et magis abluit pannos : *Borith* vero minores; unde major, et minor pœnitentia significatur, quibus debent se mundare. *Omnes gemellis fœtibus*, scilicet per activam, et contemplativam, quibus debent exerceri; vel per geminam caritatem. *Et sterilis non est inter eas*, quia sicut mare mortuorum cadavera vomit, sic religio malos, et impatientes evomit.

Sequitur : *Et perduxit eos tanquam gregem in deserto.* Bene per desertum religio signatur; unde Isaiæ (35, 1) : « Lætabitur deserta, et invia, et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium ». *Deserta* dicitur religio, quia raro colitur habitatore : *Invia* dicitur, quia arcta, et angusta via dicitur via quæ ducit ad vitam (3); unde Jeremiæ (Thren. 1, 4) : « Viæ Sion lugent, eo quod non sint, qui veniant ad solemnitatem ». Consuetudo erat antiquitus, quod tubis populi vocabantur ad festa, et erant tubæ argenteæ, et ductiles. Sed modo sunt duæ tubæ, quæ sonant, scilicet Augustinus, et Benedictus (4); argenteæ per eloquentiam, ductiles per vitam, sive per pœnitentiam malleis tribulationum : et pauci sunt, qui veniant ad religionis solemnia celebranda : pauci sunt, qui accipiant sibi pennas columbæ, ut volent in solitudinem; cum sint multi, qui accipiunt pennas upupæ, ut nidificent in stercoribus luxuriæ, et multi pennas milvi, ut volent ad cadavera rapienda, idest ad carnales voluptates superbiæ, et avaritiæ.

Et bene dicitur religio desertum, cui est comparabilis, quia habet similia beneficia illis, quæ collata fuerunt filiis Israel, et similes pœnas, vel vindictas : quia sicut *illis manna pluit* Deus (5), ita veris claustralibus abundantiam infundit gratiæ. Ibi gustabatur fructus promissionis, scilicet ficus, et uva, et malogranata, ita et hic. In ficu,

(1) Vulg. : ascenderunt.
(2) *Ex S. Hieron. lib. I Comm. in Jer.*
(3) Matth. 7, 14.
(4) *Augustinus et Benedictus.* Cum apud Montem Pessulanum Sermones istos Sanctus conscriberet, Ordo S. Basilii in Occidente defecerat : Patriarcha Seraphicus adhuc vitam agebat : cæteri Ordines tunc florentes, aut S. Augustini, aut S. Benedicti regulam profitebantur.
(5) Psal. 77, 24.

dulcedo de contemplatione; uva, hilaritas mentis, et interna jucunditas: et malogranata, quia claustrales veri dulcedinem contemplationis cum mente hilari degustantes, de commotione proximi sui gaudent. Et sicut aquæ *Mara* dulcoratæ sunt in deserto per impositionem ligni (1), ita et hic amaræ tribulationes et suggestiones facile per jugem memoriam passionis Christi dulcorantur, et leviter sustinentur. Similes vindictæ sunt hic, quia sicut in deserto desiderabant ad ollas carnium Ægypti reverti, et per iram Domini carnes habuerunt pro quo mortui sunt (2), ita ii, qui ad carnalia desideria revertuntur, iram Domini incurrunt, et retro respicientes cum uxore Lot puniuntur conversa in statuam salis infatuati (3). Contra quos dicit Marcus (9, 48): « Omnis enim igne salietur, et omnis victima sale salietur. » Ille, qui intrat claustrum, seipsum victimat Deo; unde oportet, quod prius igne cremetur, et sale sapientiæ condiatur; et vermes motuum, qui nascuntur in carne, extinguat, ne lacerent mentem. Manna liquefiebat ad solem, et indurabatur ad ignem: ita quandoque, imo multoties religiosi dissolvuntur ad prosperitatem temporalium, et abundantiam, et solidantur ad ignem paupertatis, et tribulationis. Unde quotiescunque Dominus dat eis temporalium abundantiam, debent timere, quod ex ira Domini proveniat, sicut filiis Israel iratus carnes dedit. Et sicut Dathan, et Abiron cum Core, ad dignitates, et prælationes aspirantes, absorpti sunt (4), ita et hi similiter aspirantes peribunt tanquam illi a diabolo absorpti. Et sicut Maria contra Moysen murmurans, lepra percussa est (5), sic detractores murmurantes contra abbatem, vel suum priorem, maculam similem incurrunt.

Exultabit solitudo. Nomine solitudinis ipse homo solitarius intelligitur; unde Jeremiæ (15, 17): « A facie manus tuæ sedebam solus, quoniam comminatione, vel amaritudine (6) tua replesti me. » A facie tua sedebam solus, a tumultu mundanarum rerum. Et florebit solitudo sicut lilium. Stipes lilii solidus est, et erectus; folium viride est; et flos candidus, boni odoris, medicinalis, similis campanæ, repansus. Sic religiosus, solidus per veram, et non fictam pœnitentiam; erectus per desiderium æternæ beatitudinis, et supernorum contemplationem, viride habet folium per spem immarcescibilis coronæ, et per charitatis nitorem; per florem designatur spes fructus; candidus per castitatem, habet odorem per sanctitatis opinionem; medicinalis contra tumorem superbiæ per humilitatem; similis campanæ, invitando alios ad bona opera per exemplum; repansus, quia post bona opera sua debet ad se reflecti per considerationem fragilitatis, ne extendatur in elationem.

SERMO CL.

De ira et furore Dei, quem excitant peccatores in præsenti; de percussione inimicorum ejus.

Excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a vino; et percussit inimicos suos in posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis. (Psal. 77, 65 et 66.)

Excitatur Dominus clamore culparum, clamore orationum, et clamore pauperum. Dicitur *excitatus tanquam dormiens*, quia naturaliter patiens est; unde dormire dicitur, et dissimulare peccatum hominis. Hæc est ira columbæ, de qua dicit Jeremias (25, 38): « Dereliquit quasi leo tabernaculum (7) suum, quia facta est terra eorum in desolationem a facie iræ columbæ, et a facie iræ furoris Domini. » Dominus quasi leo fortis, quandiu manet in tabernaculo, sive umbraculo mentis humanæ, non timendus adversarius; sed dum intraverit suggestio diaboli, facta est terra mentis desolata. A facie iræ columbæ, idest Domini, quia Deus quanto diutius ad pœnitentiam peccatores expectat, tanto gravius ipsos percutiet; quod ostendit, cum dicit: a facie furoris Domini, quia gravis erit ad sustinendum. Unde Jeremiæ (44, 21 et 22): « Ascendit super cor ejus, et non poterat Dominus portare ultra

(1) Exodi 15, 25.
(2) Num. 11, 31, ad 34.
(3) Gen. 19. 26.
(4) Num. 16, 1 ad 33.
(5) Ibid., 12, 1 ad 10.
(6) Vel amaritudine, etc. Ubi Vulgata habet: « Solus sedebam, quoniam comminatione replesti me, » S. Hieronymus legit: Solus sedebam, quoniam amaritudine replesti me. Et in Poliglottis versio græca LXX: Solus sedebam, quoniam amaritudine repletus sum; Arabica etiam: Sedi solus, quia repletus sum amaritudine.
(7) Vulg.: umbraculum.

propter malitiam studiorum vestrorum, et propter abominationes, quas fecistis. » Valde notabile est, quod dicit : *Non poteral ultra portare Dominus*. Multum enim in hoc patientia Dei commendatur, et malitia nostra reprehenditur, quæ ipsum diu sustinentem, quasi violenter ad vindictam compellit.

Sequitur : *Tanquam potens crapulatus a vino*. Vino passionis inebriatus Dominus, excitatus est ad feriendum contemptores suos ; unde Isaiæ (63, 4) : « Dies ultionis in corde meo, quod intelligi debet, dum penderet in cruce : annus tribulationis (1) meæ venit ; et in eodem (63, 5) : « Indignatio mea ipsa auxiliata est mihi. » Ebrietas potentem potentiorem facit ; et post somnum facilius irascitur ad feriendum : sic indignatio ; unde sequitur : « Conculcavi eos (2) in furore meo, et inebriavi eos in indignatione mea, » quia non solum est creator, sed etiam redemptor ; propter quod de ipsis conqueritur. De qua ira columbæ dicit Isaias (63, 2), et introducuntur Angeli tanquam loquentes ad Filium in Ascensione : « Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua musto sunt plena (3) ? » Unde dicit Hieronymus (4) : « Magis tibi convenit clementia, quam crudelitas ; » quia sicut Dominus repræsentat Patri cicatrices suas, orando pro amicis, ita in ultionem adversariis.

Sequitur : *Et percussit inimicos suos in posteriora*, scilicet Philisthæos, idest dæmones, et Azotios (5). Azotus interpretatur ignis uberum. Hic est mundus, cujus amatores sunt Azotii, qui sugentes mammillas mundi trahunt ignem avaritiæ, et hujusmodi ; qui colunt Dagon, quod interpretatur piscis tristitiæ, quia tales putant capere reti suo piscem, et capiunt serpentem, idest diabolum, qui est piscis tristitiam inferens æternam. Isti ponunt *arcam juxta Dagon* (6), jurantes in Domino, et in Melchom, dum verbis tantum Domino serviunt, servos autem diaboli operibus se ostendunt ; unde Sophoniæ (1, 5) : « Qui jurant in Domino, et jurant in Melchom. » Isti non audent calcare super limen Dagon, quia nec vitæ suæ introitum considerant, nec egressum (7), contra quos in eodem Sophonia (1, 9) sequitur : « Visitabo super eos, qui transiliunt limen » (8), quod habitatores hujus mundi transiliunt. Percutiuntur in secretiori parte, scilicet in judicio, in quo omnes inimici Christi percutientur, quia omnes immunditiæ eorum, quæ modo latent, tunc comparebunt. Unde Jeremiæ (2, 26 et 27) : « Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur, sic confusi sunt domus Israel, ipsi, et reges eorum, principes, et sacerdotes et prophetæ eorum, dicentes ligno, minori peccato : Pater meus es tu ; et lapidi, majori, et graviori : Tu me genuisti. » Per lapidem signatur peccatum obstinationis, cum sint indurati in malitia ; per lignum, minus peccatum ; quia per majora et minora corruentes, honorem, quem Deo Patri debent, vitiis exhibent : et ideo opprobrium sempiternum habebunt ; unde Jeremiæ (20, 11) : « Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod nunquam delebitur.

Unde Zachariæ (1, 20 et 21) : *Ostendit mihi quatuor fabros*, qui, sicut ibidem dicitur, missi erant, ut dejicerent cornua Gentilium. Isti sunt prædicatores quadrati quatuor virtutibus cardinalibus, et imitatores doctrinæ quatuor Evangeliorum, qui missi sunt a Domino ad destruendam potentiam dæmonum, et efficaciam ipsorum ; unde : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum* (Matth., 10, 16). Sunt autem missi præcipue contra quatuor affectiones animam obruentes, de quibus Boetius (9) : Gaudia pelle, Pelle timorem, Spemque fu-

(1) Vulg. : redemptionis.
(2) Vulg. : populos.
(3) *Musto sunt plena ?* Vulgata legit : « Et vestimenta tua sicut calcantium in torculari ? At versio Arabica : *Et indumentum tuum, veluti conculcantis lacum, musto plenum ?* Et S. Hieron. Comment. in hunc locum, inducit Angelos sciscitantes, ac dicentes : « Nunc scire volumus, quare vestimenta tua sint velut musto tincta. »
(4) Lib. XVII Comment. in cap. 63 Isaiæ.
(5) I Reg., 5, 6 ad 12.
(6) Ibid., 5, 2.
(7) I Reg., 5, 5.
(8) *Qui Transiliunt limen*. Vulgata legit : « Visitabo super omnem, qui arroganter ingreditur super limen. » Textus vero Hebraicus : « Visitabo super omnem transilientem super limen. » Et S. Hieron. Commentar. in Sophoniam, hunc Vulgatæ locum exponens, ait : « Porro, quia in eo ubi nos interpretati sumus : Qui arroganter ingrediuntur super limen, potest intelligi secundum Hebraicum : Qui transiliunt limen ; et hoc historice sentiendum est : Vindicabo super eos, qui juxta Regum primum librum non calcant limen, idolorum superstitionibus servientes. Nam 1 Reg. 5, 5, legitur : Propter hanc causam non calcant sacerdotes Dagon, et omnes, qui ingrediuntur templum ejus, super limen Dagon in Azoto, usque in hodiernum diem.
(9) De Consol. Phil., lib. I, Metr. sept.

gato, Nec dolor adsit: Nubila mens est, Hæc ubi regnant; et Joel (1, 4): Residuum erucæ comedit locusta, residuum locustæ bruchus, residuum bruchi comedit rubigo. Contra hæc missi sunt Apostoli, Jacobus, Petrus, Joannes, Judas, qui septem ediderunt Epistolas; nec sine mysterio quatuor (1) scripserunt, scilicet quadrificum mundum doctrina sua septiformi gratia Spiritus Sancti repleverunt. Vel quadrati erant quatuor virtutibus, et repleti erant septem donis Spiritus Sancti. Jacobo competit Justitia, quia de fide, et ejus operibus agit, quæ justificant, et etiam quia docet quid unicuique faciendum sit. Petro temperantia, ad quam orat dicens: « Obsecro vos abstinere a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam (2). Qui autem temperantiam habet, firmus est. Joanni competit fortitudo, qui primum de caritate agit, quæ fortem reddit; unde Salomon in Canticis (8, 6): *Fortis est ut mors dilectio.* Judæ competit prudentia. Superna prudentia est confiteri peccata, et laudare Dominum. Dicitur Thaddæus, idest corculus (3); et opus est prudentiæ cor servare; unde Salomon (4): *Omni custodia serva cor tuum.* Canonicæ dicuntur epistolæ istæ, quia a semitis fidei non exorbitant. Canon autem idem est quod regula. Est autem epistola (5), in qua ejus materia sunt virtutes et vitia, vel fratres dispersi; intentio, vitia extirpare, et virtutes inserere; utilitas ex intentione pendet.

Modus agendi talis est, quia præmittit prologum. usque ibi: « Omne gaudium existimate fratres mei. » Secundo hortatur perfectos ad tolerandam tentationem exteriorem, ibi: *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.* Tertio præmunit infirmos contra interiores tentationes, ibi: *Beatus vir, qui suffert tentationem, etc.* Quarto aggreditur admonitionem moralem usque in finem ab illo loco: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram, etc.*

SERMO CLI.

Qualiter Deus eligit pœnitentes de portione eorum.

Et elegit tribum Juda, montem Sion, quem dilexit, et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum. (Psal. 77, 68 et 69.)

Per istos significantur pœnitentes, qui non timent intrare mare rubrum, sicut nec Judas (6). Isti sunt vere pœnitentes; et hoc multum debet eos adducere ad imitationem Dominicæ passionis, quod mare habebat rubras arenas, et Dominus sanguine suo rubricavit viam pœnitentiæ; unde in Genesi (49, 11): « Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum. » In vino mordax compunctio notatur; in stola, quæ est interius vestimentum, interior mentis conversatio; quia in vino compunctionis debet totam mentem, et ejus actionem lavare. « In sanguine uvæ pallium suum. » Pallium extrinsecum est indumentum; Christus est uva (7) passa in cruce, in cujus memoria passionis per imitationem debet extrinsecam conversationem, et omnes actus suos intingere; et sic poterit facile omnem pœnitentiam sustinere. In Josue (15, 1 ad 3) legitur: « Egressa est sors Judæ ab Edom usque ad desertum Sin. Initium ejus a summitate maris salsi, et a lingua, quæ respicit ad meridiem; egrediturque contra ascensum scorpionis, et pertransit in Sinai. » Hæc est descriptio pœnitentis. *Edom* sanguis interpretatur, per quod sanguis peccati intelligitur. Ibi incipit terminus *Judæ*, quia quilibet vere pœnitens debet terminum, et metam figere peccatis suis in confessione, ut ultra non peccet; et qui fortis erat ad peccandum, jam emolliatur per misericordiam, fortis tamen ad bene operandum, et

(1) Nec sine mysterio quatuor, etc. Ex illis duodecim, quos Christus Dominus *eligit*. uti legitur in Evangelio Lucæ, cap. 6, 13, et *Apostolos nominavit*, quatuor tantum, Sancti videlicet Petrus, Joannes, Jacobus, et Judas canonicas scripserunt Epistolas.

(2) I Petri, 2, 11.

(3) Ex Com. in cap. 3 Marci S. Hieronymo, olim adscripto.

(4) Prov. 5, 23.

(5) Est autem Epistola, etc. Agit de Epistola catholica S. Jacobi Apostoli.

(6) Sicut nec Judas. In illud Exodi, 14, 22. *Et ingressi sunt filii Israel*, etc. Lyranus noster hæc scribit: « Dicitur communiter ab Hebræis, et catholicis, quod filii Israel formidabant intrare mare post Moysen; et tunc tribus Juda, quæ erat constantior, primo intravit post Moysen, et aliæ consequenter consecutæ sunt. » Sed ista traditio inter fabulas amandatur a S. Hieronymo lib. III Commentar. in Osee, cap. 11, vers. 12.

(7) Ex Glossa ord.

satisfaciendum; unde Jeremiæ (49, 22) : « Et erit cor fortium Idumææ in die illa, quasi cor mulieris parturientis; quasi dicat : Sicut fuit peccator fortis ad malum perpetrandum, sic fortiter debet conteri, et quasi parturiens dolore confiteri. *Usque ad desertum Sin.* Sin interpretatur tentatio. *In meridie;* in quo fervor tentationis notatur, quæ non debet habere locum in pœnitente. Ab Edom igitur usque ad desertum Sin contra meridiem, terminus est Judæ; quia a peccato usque ad fervorem tentationis debet dirigi oculus pœnitentis, ut peccatum relinquat, et ita in se terminet, et fervori tentationis quantum potest resistat; unde Ecclesiastici (2, 1) : « Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, et timore, et præpara animam tuam ad tentationem. » In hoc autem, quod sequitur, ostenduntur tres partes pœnitentiæ. *Initium ejus,* scilicet maris : Ecce amaritudo contritionis, quia contritio ab amaritudine debet incipere, quæ debet esse salsa; in qua notatur carnis mortificatio. Sal vermes occidit, et a putredine carnes servat : sic carnis mortificatio conservat pœnitentes, ne accedant ad peccandum. « Et a lingua, quæ respicit ad meridiem : » Ecce confessio. Auster flat a meridie, qui cum sit calidus, glaciem dissolvit. *Lingua,* idest confessio respiciens ad dominicam gratiam dissolvitur a peccatis; unde : « Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in Austro » (Psal. 125, 4); quia gratia solvit glaciem iniquitatis. « Egrediturque contra ascensum scorpionis, » idest ascensum diaboli; in quo notatur satisfactio, quæ debet confici contra peccatum. Nam scorpio blanditur capite, cauda pungit, contra cujus ascensum pœnitens egreditur per opera satisfactionis. Quanta enim malitia diabolus contra nos ascendit, tanto contra eum debemus egredi, ut excessum malitiæ operibus pœnitentiæ commensuremus; unde sequitur : *Et pertransit in Sinai.* Sinai mensura interpretatur, et designat mensuram pœnitentiæ, quia debet satisfactio parificari, vel mensurari culpæ, nec debet esse par fructus pœnitentiæ ejus, qui minus peccavit, et illius qui magis; unde : *Facite dignos fructus pœnitentiæ* (Lucæ, 3, 8).

Sequitur : *Montem Sion, quem dilexit.* Mons iste Ecclesiam signat. Per *montem,* vitæ excellentia; *Sion,* specula; quia utrumque convenit prælato. In Ecclesia autem, et de Ecclesia contemplantur boni prælati, quasi de specula, quid futurum sit, et minoribus nunciant, unde Isaiæ (21, 8) : « Super speculam Domini ego sum, stans jugiter per diem, et super meam custodiam ego sum, stans totis noctibus. » Hæc est Ecclesia, super quam debet stare prælatus vigilans, super gregem suum excubans. Sed quid audivit? Idem Isaias sequitur (21, 9) : « Cecidit, cecidit Babylon, et omnia sculptilia deorum ejus contrita sunt in terram; » quia prælatus, vel prædicator duplicem ruinam quantum ad animam, et quantum ad corpus debet annunciare gregi suo futuram : *Et omnia sculptilia ejus,* idest vitia corporis, et animæ, scilicet omnia peritura, idest cogitationes vanitatis in terram prosternentur; tot enim habet homo *sculptilia,* quot habet vitia.

Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum. Unicornis (1) non potest a venatoribus capi, nisi cum viderit virginem pulcherrimam, et ornatam, cujus gremium intrans, ibidem capitur. Sic quidam feroces, et superbi non capiuntur a prædicatoribus, nisi promissionibus virginis Ecclesiæ speciosæ velut in gremio capiantur. De istis venatoribus dicitur Jeremiæ (16, 16 et 17) : « Mittam eis multos venatores, et venabuntur eos de omni monte, et de omni colle, et de cavernis petrarum : quia oculi mei super omnes vias eorum. » Per montem, superbia; per colles, declivia, quia superbi declives sunt, et proni ad peccandum; *et de cavernis,* per quod occulti in malitia notantur; *petrarum,* per quod duritia notatur, quia malitiosæ, et obstinatæ mentes per Dei gratiam a bonis prædicatoribus ab erroribus suis revocantur, ut sint *sanctificium,* idest templum Domini.

SERMO CLII.

De sævitia diaboli contra christianos, contra quem clamandum est ad Deum, ut liberemur.

Adjuva nos, Deus salutaris noster et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. (Psal. 78, 9.)

Sicut enim Israeliticus populus petiit a Domino adjuvari contra Antiochum regem.

(1) Ex Beda Comment. in Psal. 77.

pessimum, et impugnatorem sanctitatis: sic spiritualiter contra diabolum per orationem debemus implorare auxilium Domini. Legitur in primo Machabæorum (1, 41 et 42): « Sanctificatio ejus desolata est sicut solitudo, dies festi ejus conversi sunt in luctum, sabbata ejus in opprobrium, honores ejus in nihilum. Secundum gloriam ejus multiplicata est ignominia ejus, et sublimitas ejus conversa est in luctum. » Sanctificatio ejus desolata est; per quam mens intelligitur, quæ sanctificata est per Spiritum Sanctum, et fit deserta per peccatum; unde Joel (2, 3): « Ante faciem ejus ignis vorans, et post eum urens flamma: quasi hortus voluptatis terra coram eo, et post eum solitudo deserti. » Mens illustrata per gratiam Spiritus Sancti dicitur esse hortus delectabilis, antequam diabolus intret illam per vitia; sed post ingressum fit solitudo, quia ipsi, subtrahitur gratia. « Dies festi ejus versi sunt in luctum; » unde Malachiæ (2, 3 ad 5): « Dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, et assumet vos secum; et scietis, quia misi ad vos mandatum istud, ut esset pactum meum cum Levi. » Debemus enim hoc timere in solemnitatibus nostris, ne stercora se immisceant illis, idest mortalia peccata, et trahant nos secum in infernum, quia pactum Domini vitæ, et pacis, et timor ejus est cum Levi, idest cum assumpto a gratia Domini. Saul, cum obtinuisset regnum, devictis Amalecitis, quia pepercit regi Agag, reprobatus est a Domino (1). Timeamus, ne, sicut Saul, reprobemur et nos, qui pactum sanctæ conversationis non servavimus solemnizando. Sabbata ejus in opprobrium; et sic versa sunt sabbata nostra in opprobrium, unde dæmones gaudent hostes nostri. Jeremiæ (Thren., 1, 7): « Viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata ejus. » Sequitur: « Honores ejus versi sunt in nihilum: secundum gloriam ejus multiplicata est ignominia ejus. » Propter quod feriandum est a vitiis, et debemus dicere contra Antiochum, idest diabolum: *Adjuva nos, Deus salutaris noster.*

« Et jussit Antiochus rex coinquinari sancta, et populum Dei (2), et ædificari aras, et templa, et idola, et immolari carnes suillas, et pecora communia » (I Mach., 1, 49 et 50). Pecora communia sunt opera vitiosa, et manifesta, quæ nullam excusationem habent. Per suillas carnes, quæ findunt ungulam, et ideo participant cum mundis animalibus, *sed non ruminant* (3), opera per pravam intentionem corrupta, licet appareant bona, intelliguntur, quæ cum non fiant bona intentione, fiunt sacrificia diaboli, tanquam carnes suillæ. Et præcepit relinquere filios incircumcisos (4), idest opera bona, quæ debent circumcidi a vana gloria; unde Job (9, 28): « Verebar omnia opera mea, » idest perscrutabar, ne aliquid se immisceret illis. In eodem libro Machabæorum (1, 57) habetur, quod Antiochus ædificavit abominandum idolum desolationis Jovis (5) super altare Dei. Jovis interpretatur inimicus; et omne vitium inimicum est Deo. Altare, mens hominis, super quam ædificatur idolum Jovis, cum mortaliter peccatur; unde Augustinus: Inimica est Deo (6) luxuria, inimica est gula: Quare loqueris cum illa?

Sequitur: « Et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos. » Isaiæ (42, 8): « Ego Dominus, et hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus; » et idem (26, 13 et 14): « Domine Deus noster, domini possederunt nos absque te, » idest contra te: « tantum in te recordemur nominis tui. Morientes non vivant, et gigantes non resurgant. » Tot quisque dominis servit, quot peccatis, et tot habet dominos, quot vitia. *Propitius esto peccatis nostris.* Simile habetur quodammodo in Isaia (48, 9 et 10): « Propter nomen meum longe faciam furorem meum, et laude mea infrænabo te, ne intereas. Ecce excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis. » Longe enim Dominus facit furorem suum, idest vindictam, parcendo peccatis nostris. Et laude mea infrænabo te, idest tanta bona faciam tibi, quod abundantia bonorum illo-

(1) I Reg., 15, 9 et 23.
(2) Vulg.: Israel.
(3) Deut., 14, 6 ad 8.
(4) I Mach., 1, 51.
(5) Idolum desolationis Jovis, etc. Glossa ord. in hunc locum habet: « Antiochus Epiphanes abominandum idolum desolationis in templo statuit Dei, hoc est simulacrum Jovis Olympii. » Idem legitur lib. II Machab., cap. 6, vers. 2: « Contaminare etiam, quod in Jerosolymis erat templum, et cognominare Jovis Olympii. »
(6) Inimica est Deo, etc. In editis S. Augustini operibus id frustra quæsivimus.

rum erit quasi frænum, ne vacilles huc, atque illuc currendo per vitia; unde sequitur (v. 11) : « Propter me faciam, ut non blasphemer : et gloriam meam alteri non dabo, » idest conferam tibi gratiam.

SERMO CLIII.

De cursu malorum, et de percussione eorum, nisi convertantur.

Deus virtutum, *converte nos : et ostende faciem tuam, et salvi erimus.* (Ps. 79, 4.)

Petit Asaph (1), ut Deus nos convertat; et nos similiter petamus, dicentes : *Domine, converte nos* a cursu malo. Unde Jeremiæ (8, 6,) : « Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium; » quia sicut equus impetuose vadit ad bellum, ita fertur cum impetu peccator, ut faciat bellum contra Deum; unde Jeremiæ (2, 23 et 24) : « Cursor levis explicans vias suas; Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui : nullus avertet eam : omnes, qui quærunt eam non deficient : in menstruis ejus invenient eam. » Peccator enim est levis cursor, festinans ad peccandum, explicans vias suas, idest quod erat plicatum in cogitatione, explicat in actione peccati. « Onager assuetus in solitudine, » etc. Per Onagrum, qui ad solum ventum gliscit animal, cum quo coeat, intelliguntur peccatores luxuriosi, qui ad solum nomen alicujus, vel aspectum mulieris gliscunt ipsam; et avari ad odorem alterius boni cupiunt scilicet domos, vel vineas, vel reditus alienos. « In desiderio animæ suæ attraxit ventum, » idest animalitates suas, quibus allicitur; vel per ventum intelligitur amor temporalium, a quo non possunt avelli temporalium amatores. Nullus avertet eam, quia sicut meretrix omnes ad se recipit, nec aliquis patietur repulsam; unde sequitur : Omnes, qui quærunt eam, non deficient, scilicet dæmones non deficient, sed invenient locum fornicandi, et eam menstruatam, sive pollutam peccatis invenient. De hoc etiam dicitur Jeremiæ (23, 10) : « Factus est cursus eorum malus, et fortitudo dissimilis, » quia veloces pedes eorum in malum, et fortes sunt, non quocunque modo, sed dissimiliter; quasi dicat : Nil videntur egisse, nisi novas inventiones peccandi inveniant : non enim in malo se fortes judicant, nisi nova peccata inveniant, et dissimiliter ea operentur, alios in modo, et nequitia excedentes.

Dicitur ergo : *Converte nos, Deus virtutum* ab hoc cursu : converte nos, Deus, aliter non convertemur : *converte, et ostende faciem tuam.* Sed nos debemus ad ipsum converti, et orare, ut nos convertat; unde in Threnis in fine (5, 21 et 22) : « Converte nos, Domine, ad te, et convertemur : innova dies nostros, sicut a principio. Sed projiciens, iratus es contra nos vehementer. » Sed nisi ad eum convertamur, arcum divinæ vindictæ sentiemus; unde (Ps. 7, 13) : « Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit : arcum suum tetendit, et paravit illum; » et Jeremiæ (21, 13 et 14) : « Ecce ego ad te habitatricem vallis solidæ, atque campestris, dicit Dominus; qui dicitis : Quis percutiet nos? et quis intrabit domos nostras? Et visitabo super vos juxta fructum studiorum vestrorum, et succendam ignem in saltu ejus : et devorabit omnia in circuitu ejus. » Civitas Jerusalem in eminenti monte sita erat; et dicitur tamen habitatrix vallis propter peccata, quia civitas, quæ in valle est, expugnari potest, et quantumcunque, quis superbiat, debet considerare, quod Dominus de cœlo potest ipsum expugnare; unde sequitur : « Visitabo vos juxta vias studiorum vestrorum, et succendam ignem, etc. » Per quod ostenditur, quod Deus non judicat tantum propter mala opera, quæ facit quis, sed etiam propter bona, quæ omisit; quia non solum arbor mala exciditur, et in ignem mittitur, sed etiam omnis, quæ non facit fructum bonum (Matth., 7, 19).

Deus virtutum, quasi factor signorum; unde Ecclesiastici (36, 6) : « Innova signa, et immuta mirabilia; Et Jeremiæ (31, 22) : *Novum faciet* (2) *Dominus super terram: Mulier* (3) *circumdabit virum,* intelligitur, gremio uteri sui. Extolle (4) adversarium, et affige inimicum (5). Hominem iniquum,

(1) *Petit Asaph.* Iste Psalmus LXXIX præsefert hunc titulum : *In finem, Pro iis, qui commutabuntur, testimonium Asaph.* Vide, quæ diximus in notis ad Sermonem CXXXV, col. 918, nota 5.

(2) Vulg. : creavit.

(3) Vulg. : Femina.

(4) Extolle, etc. Consule Annotationem (9) ad Sermonem L, col. 698.

(5) Eccli, 36, 9.

qui erat adversarius Deo, ipse extulit, se incarnando, ut affligeret inimicum, idest diabolum, qui est inimicus, quia irreparabiliter peccavit; et tunc carne assumpta, clementiæ suæ faciem nobis ostendit. *Ostende nobis faciem tuam.* Hæc est illa facies, de qua dicit Isaias (26, 17 et 18): « Sicut quæ concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus a facie tua, Domine. Concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum. » Ab hac facie conceperat illa, quæ dicebat in Canticis (1, 12 et 2, 16): « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, idest inter sanctos, quorum doctrina, vita, et exempla valent ad tumorem superbiæ in nobis sanandum, sicut lilia ad membra sananda.

SERMO CLIV.

De adventu, et de duobus uberibus Domini; de vinea Ecclesiæ, quæ a Domino plantata est.

Respice de cœlo, et vide, et visita vineam istam: et perfice eam, quam plantavit dextera tua: et super filium hominis, quem confirmasti tibi. (Psal. 73, 15 et 16.)

Petit hic Asaph, idest fidelis Ecclesia, ut Deus faciat ipsam videre; et nos cum ipsa debemus petere: *Respice de cœlo, et vide, et visita vineam istam*, idest fac nos videre; quod est dicere: Pone tabernaculum tuum in sole, idest appareas nobis in carne; quia Filius Dei est sol, qui tot radios in nos mittit, quot sanctitatis exempla, quibus illuminamur, ut recedamus a tenebris vitiorum. *Visita vineam istam;* scilicet peccatricem animam tu potes sanare, quod dicitur in Canticis (1, 1 et 2): « Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia ungentis optimis. Duo sunt ubera Jesu Christi, idest longanimitas in expectando tardantes, et clementia in recipiendo revertentes. Hæc ubera fragrant unguentis optimis, quia dicit Origenes (1): « Venit Filius Dei delibutus unguentis optimis ut leprosam, quam volebat ducere, totam mundaret ». Et bene oportet, quia si infirmetur peccator desperatione, quæ maxima lepra est, habet in promptu clementiam Domini, ipsum recipientis.

(1) Hom. I. in Cantic.

Visita vineam istam. Vinea Ecclesia est; unde Isaie (5, 1 et 2): « Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei. Et sepivit illam, et lapides elegit ex illa, et ædificavit turrim in medio ejus, et torcular extruxit in ea ». Ecclesia enim facta est Christo dilecto, de quo dictum est: *Hic est filius meus dilectus* (*Matt.* 3, 17). Sequitur: *In cornu*, idest in potentia, et robore: *Filio olei*, quia unxit eum Deus, Deus suus oleo lætitiæ. Et ipse sepivit eam angelorum custodia, quia unicuique nostrum ab ortu nativitatis deputatus est bonus Angelus ad custodiam. *Lapides elegit*, idest removit offendicula vitiorum: *Turrim ædificavit*, unde Proverbiorum (18, 10): Turris fortissima nomen Domini. Et *torcular extruxit in ea*, videlicet crucem, ubi quasi uva exprimitur sanguis Christi, ut pulli aquilæ bibant sanguinem, sicut dicit Job (39, 30), idest Sancti, qui avide festinant ad passionis Christi imitationem. Unde Ezechielis (19, 2): « Mater tua leæna inter leones cubavit, in medio leunculorum enutrivit leunculos (2) suos ». Leæna exponit se morti pro catulis suis nutriendis, et defendendis. Mater ista est Ecclesia, quæ pro salute filiorum suorum in fide exponit se morti; Et in eodem (v. 10 et 11): « Mater tua quasi vinea in sanguine tuo super aquam plantata est: fructus ejus, et frondes creverunt ex aquis multis. Et factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium, et exaltata est statura ejus inter frondes ». In malogranato est flos fructum proferens. Hæc est unitas Ecclesiæ in caritate conjuncta, cujus pulchritudo est innocentia, et est plantata super aquam, vel sanguinem Christi, unde fertilior est. Radix est baptismus, cujus fructus, et frondes, idest boni conversi ad fidem, creverunt per aquas prædicationis, scilicet Apostolorum, et eorum sequacium, et sic factæ sunt ei, idest Ecclesiæ, virgæ solidæ in sceptra dominantium. Ita factum est in primitiva Ecclesia, quæ bonos viros, et fortes habuit, et religiosos, propter quos multitudo fidelium crevit, cum rectores Ecclesiæ essent solidi in fide, et vita contra persecutiones, vel tribulationes, et suggestiones diaboli. Sed modo, cum multiplicata est Ecclesia in divitiis, virgæ ejus conversæ sunt in folia; unde in eodem (v. 11 et 12): « Vidit altitudinem suam in

(2) Versio Arab.; Vulg.: catulos.

multitudine palmitum suorum, et evulsa est in ira, in terramque projecta, et ventus urens siccavit fructus ejus : marcuerunt, et arefactæ sunt virgæ roboris ejus : ignis comedit eam, » quia ignis superbiæ, avaritiæ, et luxuriæ modo fere totam istam terram devorat.

Et perfice eam, quam plantavit dextera tua, et super filium hominis, quem confirmasti tibi. Vinea plantata in terra sterili multum fructificat : sic Ecclesia multum fructificat, quæ plantata est in terra, idest corpore Christi. *Et perfice eam, etc.* Quæ inchoata est in primitivis Patribus, perfice eam plantatam super Filium hominis. Plantata siquidem est super Filium hominis; unde est ergo, quod non debeat fructificare, cum super totius sanctitatis fontem sit plantata? Propter hoc conqueritur in Jeremia (2, 31) : « Nunquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina? » Solitudo nullum fructum facit : Terra serotina facit, sed tarde. Nunquid ergo, dicit Christus, ego talis sum, qui nullum faciam fructum, vel tarde faciam? Quasi dicat : Non. Sed quod vinea non facit fructum, inde est, ut dicit Ezechiel in eodem (19, 13 et 14) : « Et nunc transplantata est in desertum, in terra invia, et sitienti. Et egressus est ignis de virga ramorum ejus, qui fructus ejus comedit : et non fuit in ea virga fortis, et sceptrum dominantium». Terra, invia et sitiens est mundus iste, qui impedit eos, qui volunt facere aliquem fructum. Et egressus est ignis, scilicet peccati, et malitiæ, *qui fructus comedit;* unde sequitur verbum flebile, et terribile, scilicet : « Planctus est, et erit in planctum ». Transplantata siquidem est in deserto, in amore mundi, deserto a Dei gratia, qui mundus est terra invia, viatores Jerusalem impediens; et sitiens, quia arida a rore gratiæ, et inde egreditur ignis malitiæ, et comedit fructum, quem deberet Ecclesia facere. Et ita non est fortis in ea per bona opera, nec dignus dominii prælatione, sed est planctus, et ipsa erit in planctum.

SERMO CLV.

De Beata Virgine; de tribus solemnitatibus, quæ fiebant in veteri Testamento; et de vocatione Domini.

Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ. (Ps. 80, 4.)

Neomenia idem sonat, quod nova luna : *Neos* enim novum ; *menes*, hoc est initium mensis. Vel secundum aliam litteram (1), Buccinate in initio mensis. Est ergo buccinandum in mensis initio, in accensione lunæ; in accessione enim solis fit accensio lunæ. Per lunam igitur intelligitur beata Virgo, ad quam accedente Verbo Dei, factum est initium perfectionis nostræ. Per solem intelligitur Filius Dei. Bene ergo fit accensio lunæ, idest beatæ Virginis in accessu solis, idest in conceptione Domini; unde Isaiæ (66, 23). « Erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato, » Erit mensis ex mense, quia perfectio Ecclesiæ est ex perfectione beatæ Virginis; et ideo : Buccinate in Neomenia tuba. Ecclesiastici (43, 7) : « A luna signum diei festi, luminare, quod minuitur in consummatione. » A luna signum diei festi, idest a conceptione beatæ Virginis, quando Filius Dei conceptus est, vel quando ipsa nata est, quæ nova luna dicitur esse initium gaudii nostri. Ipsa est luna, quæ minuitur a lumine diei festi, idest a sanctitate Filii Dei. Ipsa luminare, quod minuitur, quando humilitata est dicens : *Ecce ancilla Domini, etc.* (Lucæ, 1, 38). « Mensis iste secundum nomen ejus est, crescens mirabiliter in consummatione. » (Eccl., 43, 8.) Hoc enim sonat nomen ejus, *Maria*, quod dicitur amara, quia ex amaritudine mentis, et pœnitentiæ initium est, et perfectio vitæ bonæ, in hoc tempore autem mirabiliter crescit ad perfectionem futuræ gloriæ. Vel aliter : Luna quando accenditur a sole, semper revertitur lux lunæ ad terram; nam ante accensionem lux lunæ lucet versus cœlum : sic quando Filius Dei incarnatus est de beata Virgine, lumen suum per ipsam ad nos convertit, qui cognitus erat tantum Angelis; unde Ezechielis (1, 27) : « Vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis, intrinsecus per circuitum ejus : A lumbis ejus, et desuper, et a lumbis ejus

(1) Secundum aliam litteram, etc. Versio Syriaca legit : Clangite cornibus initio mensium; et Arabica : Clangite initiis mensium buccina; Sanctus vero Augustinus, Enarrat. in hunc Psalmum : Tuba canite in initio mensis.

usque deorsum vidi quasi speciem electri, vel ignis splendentis in circuitu. » Per electrum Christus significatur, quia electrum fit de auro, et de argento, sed aurum pallescit, et inde argentum virescit. Sic Christus, qui est electrum, in quo duæ naturæ unitæ sunt, divina scilicet et humana, quasi in electro. Per aurum divinitas, per argentum humanitas. Pallescens fuit, quando humiliata fuit majestas, ut exaltaretur humanitas ad consortium Domini. *A lumbis*. Per lumbos Incarnatio : ante Incarnationem splendebat ignis desuper; post Incarnationem lumen suum deorsum splenduit, quasi luna, et sic splendor lunæ versus est ad nos; unde buccinandum est tuba.

Sonus tubæ invitabat ad bellum, ad epulum, et ad solemnitates, scilicet in Pascha, Pentecoste, et Scenopegia (1). Vocat Deus ad solemnitatem Paschæ, in qua azyma cum lactucis agrestibus, et carnes assæ igni comedebantur (2). Per carnes igne assas, quæ offerebantur in Pascha, signantur pœnitentes, qui debent urere, idest macerare carnem suam in aristis peccatorum. In Pentecoste, primitiæ frugum (3), in quo notantur initia bonorum operum ipsius pœnitentis. In Scenopegia de omnibus frugibus offerebant collectam (4); in quo perfectio bonorum operum notatur. Invitamur ad epulum, quia ut dicit Augustinus (5) : « Dominus sapientiam suam, qua pascuntur Angeli, ut lac nobis faceret, carne indutus venit ad nos, » ut solido cibo in lac converso reficiamur quasi parvuli. De hoc cibo dicitur in Job (6, 5) : « Nunquid rugiet onager, cum habuerit herbam? aut mugiet bos, cum ante præsepe plenum steterit? » Stamus ante præsepe plenum, in quo est herba, et fœnum, quia Filius beatæ Virginis in præsepe, idest in Ecclesia ponitur, ut fœno carnis suæ fideles reficiantur. Invitamur ad bellum, quia habemus regem, quem sequi debemus; de quo Zachariæ (9, 9) : « Exulta satis, filia Sion, jubila filia Jerusalem : Ecce Rex tuus venit (6) justus et salvator. » Postea declarat, quæ sint arma ejus, et quomodo destruit castra inimicorum, dicendo : *Ipse pauper, et ascendens super asinam;* et cum his armis, scilicet per humilitatem, et contemptum mundanorum, dicit Dominus : Ego « disperdam quadrigam Ephraim, et equum de Jerusalem, idest volubilitatem, et superbiam in sæculo fructificantium; et sic per humilitatem, et contemptum vocat nos Deus ad prælium.

Sequitur : *In insigni die solemnitatis vestræ*, idest die, vel signo valde signato, de quo Isaiæ (7, 11) : « Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra; » quia ex quo divinitas juncta fuit humanitati, nunquam ab ipsa separata est : sed Filius Dei fuit in carne in sepulcro, et cum anima descendit in inferno, unde suos extraxit, et de diabolo triumphavit; et sic habemus signum Regis de inferno; cujus ope possumus vincere diabolum. Habemus signum ejusdem Regis nostri de cœlo, quia carne glorificata in cœlum ascendit; et hoc est, *sive in excelsum supra.*

SERMO CLVI.

Quod in tribulatione vocatus Deus, paratus est subvenire.

In tribulatione invocasti me, et liberavi te : exaudivi te in abscondito tempestatis : probavi te apud aquam contradictionis. (Psal. 80, 8.)

In tribulatione invocandus est Dominus, quia ipse potens est liberare; unde Isaiæ (19, 20) : Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis, inimici spiritualis, scilicet diaboli, et mittet eis salvatorem, qui salvet infirmos, et propugnatorem, qui expugnet tentantes dæmones, et liberatorem, qui liberet a compedibus peccatorum. In Exodo (2, 23) habetur : Ingemuerunt (7) filii Israel propter opera et vociferati sunt ad Dominum, et clamor eorum ascendit ad Dominum, etc. Hic congruus ordo verborum, si volumus, ut Deus exaudiat nos. Ingemiscendum est enim, vel plangendum primo per contritionem, et postea vociferandum est per confessionem, et tunc ascendit clamor noster ad Dominum.

Exaudivi te in abscondito tempestatis; de qua tempestate, Job, (9, 9) : « Qui facit

(1) Num. 10, 9 et 10.
(2) Exodi, 12, 8.
(3) Ibid., 34, 22.
(4) Levit. 23, 34 et 36.
(5) Enarrat. II, in Psal. 30, num. 9.
(6) Vulg. : veniet.
(7) Vulg. : ingemiscentes.

Arcturum, et Oriona, et Hyadas, et interiora Austri. » Arcturus in axe cœli septem stellis lucet, semper versatur; et nunquam mergitur. Sic Ecclesia, sive anima in axe veritatis lucet ex septiformi gratia Spiritus Sancti repleta, et dum tribulationibus versatur, non deficit, sed erigitur. Oriona signum est tempestatis hiemalis, quod excitat mare, terramque perturbat. Hæ sunt tentationes cordis, sive tempestates : sed Deus facit Hyadas, idest pluviales stellas orientes vivere, idest confert gratiam, et serenitatem conscientiæ, quia tunc novus sol mentibus hominum clarius lucet. « Et interiora Austri. » Auster, fervor Spiritus Sancti, qui glaciem mentis dissolvit, sicut Auster, qui est calidus, et aquas, quas Aquilo congelat, dissolvit; unde Canticorum (4, 16) : Surge Aquilo, et veni Auster, idest Spiritus Sancte, perfla hortum meum, et fluant aromata. Surge Aquilo, qui mentem algebas : et veni Auster, et perfla hortum meum, idest interiora cordis gratia Spiritus Sancti illustra : et fluant aromata, idest devotiones de horto mentis deliciarum tendant ad Deum, et compunctiones. Unde in Canticis (3, 6) : Quæ est ista, quæ ascendit sicut virgula fumi, idest devotionis, ex aromatibus myrrhæ, et thuris? Quia compunctio debet esse ex carnis mortificatione : hæc est myrrha; et thure devotionis, quia carnis mortificatio debet præcedere devotionem ; unde in Canticis (4, 6) : Vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris, idest ad eminentiam, sive excellentiam devotæ orationis.

In abscondito tempestatis probavi te. in abscondita mentis turbatione probat Deus hominem, unde Nahum (1, 3) : « Dominus in tempestate, et turbine viæ ejus, et nebulæ pulvis pedum ejus. » Quando enim tempestatur cor, et est in turbine, et confundit se fluctibus, idest amaritudinibus peccatorum suorum, et dolet recordando illa, tunc sunt viæ Domini ad cor. *Et in turbine,* quia sicut turbo pulverem ab imo ad summum sublevat, sic concitat spiritus mœroris pulverem peccatorum ab imo cordis ad oculum cognitionis, et sic fit via Domini. De hac autem tempestate dicitur : « Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus. » (Psal. 92, 4.)

(1) Vulg. : ministro.
(2) Vulg. : populum incredulum.

Sequitur : *Probavi te apud aquam contradictionis.* Aquæ contradictionis, sunt aquæ Scripturæ; unde in Matthæo (5, 25 et 26) : Esto consentiens adversario tuo, dum es in via, sæculi scilicet, idest sermoni divino, qui est contrarius voluntati hominis in sæculo conversantis : ne forte tradat te judici, et judex tradat te exactori (1), qui ponat te in carcerem, donec reddas ultimum quadrantem; qui novissimus quadrans reddi non potest. Hoc est peccatum, in quo quatuor sunt quadraturæ, scilicet delectatio, consensus rationis, executio operis, finalis impœnitentia. Delectatio, consensus rationis, vel executio operis possunt dissolvi : sed quarta, scilicet finalis impœnitentia nunquam dissolvetur.

SERMO CLVII.

Quod peccator non credit Domino, sed potius diabolo. Quod sumus cohæredes Christi ; et de vilitate, et morte hominis.

Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis. (Psal. 81, 6 et 7.)

Diabolus dixit : Eritis sicut Dii (Gen. 3, 5) ; et creditum fuit ei. Deus dicit : *Eritis Dii, et filii Excelsi;* et non creditur illi. Imo non tantum dicit; sed etiam extendit tota die manus suas, ut det nobis promissum, scilicet esse Deos; et nullus respicit ad manus ejus; unde Isaiæ (65, 2 ad 4) : « Tota die expandi manus meas ad populum non credentem (2), sed contradicentem (3) mihi, qui graditur in via non bona post cogitationes suas. Populus, qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam semper : qui immolant in hortis, et sacrificant super lateres : qui habitant in sepulcris, et in delubris idolorum dormiunt. » Tota die expandit manus suas in cruce pro nobis, nec erubuit pius magister, ut nos amplecteretur; et non vult ei homo credere, sed diabolo. « Qui immolant in hortis. » Hoc est contra clericos. Hortus sunt carnales deliciæ; immolare ergo *in hortis* est dicere Horas, et orationem in carnalibus deliciis, ut juxta ignem, et in lecto suo, non dimittendo etiam alias carnales delectationes. In tertio re-

(3) Vers. græca LXX.

gum (21, 2 et 3) habetur quod Naboth noluit vineam suam converti in hortum oletum, imo potius elegit mori. Vinea ista mens hominis est habentis vinum compunctionis, quam diabolus nititur convertere in hortum olerum, scilicet carnalium deliciarum. Hæc est caro nostra, quam diabolus convertit in hortum suum. Per *lateres* peccatorem induratum consuetudine ; Per *sepulcrum*, quod continet in se fœtorem, et vermes cum ossibus mortuorum, intelliguntur mentes hominum plenæ fordibus peccatornm. *Et dormiunt in delubris*, sacrificantes idolis suis. Delubra dicuntur a delendo, vel diluendo. Multi sunt, qui dormiunt in peccatis, cum putant posse dilui per orationes, jejunia, et eleemosynas, remanentibus idolis in cordibus suis ; et sic sacrificare Deo videntur, cum sacrificent idolis, scilicet diabolo.

Dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes; ut dicit Apostolus (Rom. 8, 17) : « Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. » Cum autem cohæredes simus Christi, attendere debemus, quomodo ad hæreditatem pervenit Christus. Humiliando autem se, obediens factus Patri usque ad mortem, mortem autem crucis (Phil., 2, 8), ad eam pervenit, ut et nos per humilitatem, et mortis sustinentiam hæreditatem cum eo adipiscamur. « Ascendit super occasum : Dominus nomen illi (Psal. 67, 5); et ideo glorificatus est in resurrectione, et exaltatus in ascensione : unde oportet nos passionem ejus imitari usque ad mortem, si voluerimus esse Dii.

Sequitur : *Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis.* In Luca (10, 18) dicitur : « Videbam satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. » Gloria temporalis comparatur fulguri, quia caro disparet ad modum fulguris.

Cavendum est ergo, ne per inanem gloriam cadamus, per quam ceciderunt Angeli, cum simus cohæredes Christi, et Excelsi filii, sed per humilitatem ascendamus, sicut et cohæres noster Christus. Ad hoc enim ut humiliaretur homo, dedit nobis, unde debemus humiliari ; unde dicit Job (28, 25): « Qui fecit ventis pondus ». Per ventos animæ intelliguntur ; et ut non evanescerent, fecit Dominus pondus corporum, ne extollerentur in superbiam, sicut fecit Angelus malus, non habens pondus. Unde Gregorius dicit (1) : « Animas, quas dum superna gratia replet, maturitate indita graves reddit, ut ab intentione Domini non jam levi motu desiliant. Vel ventis pondus facere, est concessam hic electis de virtutibus gloriam permixta infirmitate temperare. Quia Sancti, qui levante spiritu ad superna rapiuntur, ne aliqua elatione superbiant, quibusdam tentationibus deprimuntur. » In primo Machabæorum (2, 62 et 63) : Gloria hominis stercus, et vermis est. Hodie extollitur, et cras non invenietur : quia conversus est in terram suam, et cogitatio ejus periit. « Et sicut unus de principibus cadetis. » Unde Isaiæ (30, 31 et 32) : « A voce enim Domini pavebit Assur virga percussus : Et erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum. » Assur, idest diabolus, et membra ejus, pavebit in futuro, quia percutietur virga, idest ultione judicii Dei; cujus transitus virgæ erit fundatus, quia sicut hic voluntarie usus est creaturis ad deceptionem, sic erit ibi de pœna in pœnam fundatus sine fine, quia ignis inextinguibilis pugnabit contra materiam inconsumptibilem peccatorum, et istam requiescere faciet Dominus super eum, quando sancti exultabunt in gloria. Vel sic : « A voce enim Domini pavebit Assur virga percussus, etc. », pavebit Assur, diabolus scilicet, et membra ejus in futuro : et transitus virgæ, idest percussio ultionis æternæ de tormento in tormentum transiens, erit fundatus, non transitorius. De hoc in Psalmis (80, 16) : « Et erit tempus eorum in sæcula, idest variatio pœnarum (2) æterna, quia transibunt de calore ignium ad algorem nimium (3). « Quam requiescere faciet Do-

(1) Moral., lib. XIX in cap. 28 Job, n. 8 et 9.

(2) Variatio pœnarum æterna. Glossa ord. in illud Psalmi 80 : « Et erit tempus eorum in sæcula », habet : Variatio eorum per pœnas.

(3) Ad algorem nimium. Illud Job 24, 19 : « Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, aliqui exponunt, inquit Lyranus, de pœna gehennæ, dicentes, quod ibi est quædam commutatio de maximo frigore ad maximum incendium ad majorem afflictionem ; et sequens littera concordat, cum dicitur : Et usque ad inferos peccatum illius. Sane Ven. Beda lib. II in cap. 7 Job ait : Quasi duas gehennas S. Job dicere videtur, ignis, et frigoris, per quas diabolus, hæreticus, et homo impius commutetur... Sed si gehenna tantummodo ignis est, forte in ipsa talis sensus cruciatuum fiat illis, qui in ea torquebuntur, ut nunc quasi ignem ardentem sentiant, nunc nimii algoris incendium; et pœnalis commutatio nunc frigus sentientibus, nunc calorem, quasi de loco ad locum transitus

minus super eum », quia æternaliter permanebit; imo ut in eodem sequitur : « In tympanis, et citharis, et in bellis præcipuis expugnabit eos », idest reprobos. « In tympanis, et citharis, quia lætabitur justus, cum viderit vindictam. » Et in bellis præcipuis, quia cum materia inconsumptibili pugnabit ignis inextinguibilis.

SERMO CLVIII.

De septem vitiis, quæ conjurationem contra Deum faciunt.

Adversum te disposuerunt testamentum, tabernacula Idumæorum, et Ismaelitæ, Moab, et Agareni, Gebal, et Ammon, et Amalec : alienigenæ cum habitantibus Tyrum. (Psal. 82, 6 ad 8.)

Testamentum, sive pactum videntur quidem fecisse contra Deum mali, quasi conjurati; unde Isaiæ (8, 12) : « Omnia, quæ loquitur populus iste, conjuratio est. » Qui sint isti, qui hoc *testamentum,* vel pactum disponunt contra Dominum, ostenditur, cum subditur : *Tabernacula Idumæorum, et Ismaelitæ.* Idumæi ab Edom, qui Seir, et Esau (1) dictus est. Edom terrenus, vel sanguineus interpretatur; Seir, hispidus : Et significat illos, qui alios suo malo exemplo necant, vel compellunt in sanguine peccare. Seir, qui Esau dictus est, interpretatur quercinus, et significat duritiam cordis eorum, qui sunt indurati in peccatis, de quibus Jeremiæ (48, 40) : « Ecce quasi aquila advolabit, et extendet alas suas ad Moab. » Et paulo infra (49, 17) : « Et erit Idumæa deserta : omnis, qui transibit, stupebit, et sibilabit super omnes plagas ejus. » Idumæi, terrenorum amatores, qui sunt deserti a gratia Dei, quibus transiens sibilabit; cum enim considerabunt sancti pœnas eorum, exultabunt, et Dei justitiæ congaudebunt, quia lætabitur justus, cum viderit vindictam (2).

Tabernacula Idumæorum, et Ismaelitæ. Ismaelitæ interpretantur obedientes sibi, et non Deo, qui scilicet vivunt in desideriis animæ suæ. De talibus dicit Joannes (1, 11) : « In propria venit, et sui eum non receperunt », illi scilicet, qui sui sunt, et non Domini, scilicet superbi, et luxuriosi, vagantes post concupiscentias suas. Moab interpretatur aqua paterna. Hæc est superbia, quæ est origo, pater, et mater omnium vitiorum : quia sicut aqua solidum dissolvit, ita superbia fortes dissolvit ; unde secundo Regum (8, 2) : « Percussit David Moab, et mensus est eos funiculo, coæquans terræ, idest menti humili ; unde Jeremiæ (48, 46) : « Væ tibi, Moab, periisti popule Chamos, quia comprehensi sunt filii tui, et filiæ in captivitatem. Hæc est pœna superborum, qui ad correptionem Dei nolunt humiliari. Chamos interpretatur affectans ; quasi dicat : Væ tibi, superbe, qui magna affectas, et alta scrutaris. Et quare sit ei væ, ostenditur in eodem capite (48, 45) : « In umbra Hesebon steterunt de laqueo fugientes : quia ignis egressus est de Hesebon, et flamma de medio Sion, et devorabit partem Moab, et verticem filiorum tumultus. » Hesebon interpretatur cogitationes ; Sion, germen inutile, quia cogitationes nullum fructum facientes, et superbiæ actus filii sunt tumultus.

Agareni, idest advenæ, et significant carnales homines, qui se alienant a Domino. Hæc est caro, quæ advena, et indomita est, et fugit a facie dominæ suæ Saræ, idest rationis ; unde in Genesi dicitur, quod Agar fugiebat a facie Saræ dominæ suæ : *A facie dominæ meæ fugio* (3). Sed Angelus consuluit ei, dicens : *Revertere ad dominam*

æstimetur; et inde fortassis illud sit, quod Dominus ait in Evangelio : « Mitte illum in tenebras exteriores, illic erit fletus, et stridor dentium » : ut hic stridor dentium de rigore frigoris oriatur. Ubi et similitudinem quamdam ex nostris corporibus aliquatenus possumus invenire, in quibus ex fellis rufi abundantia, quod est calidissimum, in typicis morbis intolerabilis rigor præcedit ignem febri ardentissima secuturum : et dicuntur a medicis hæc duo, quæ sibi contraria dignoscuntur, ex una fellis materia in homine procreari.

(1) Qui Seir, et Esau, etc. Glossa interlinearis in illud Gen. 36, 19. *Ipse est Edom*, habet : « Qui et Esau, et Seir. » Et S. Hieronymus lib. Quæst. Hebraic. in Genesim, agens de geminis Rebeccæ filiis scribit : « Et egressus est primus rubeus totus, sicut pellis pilosus. Ubi nos pilosum posuimus, in Hebræo habet Seir. Unde et Esau, sicut et alibi legimus, Seir, idest pilosus est dictus. Et dixit Esau Jacob, da mihi gustum de coctione rubea ista, quia deficio : propterea vocatum est nomen ejus Edom. Rubrum, sive fulvum lingua Hebræa Edom dicitur. Ab eo igitur, quod rubeo cibo vendiderit primitiva sua, fulvi, idest Edom, sortitus est nomen. » Et lib. I Commentar. in Amos, c. 1. Edom ipse est, qui et Esau : alio nomine appellatur Seir. Et ab Edom, Græco sermone, Idumæa dicitur.

(2) Psal. 57, 11.

(3) Gen., 16, 8 et 9.

tuam, et humiliare sub ea; quia Angelus magni consilii præcipit carni, ut obediat rationi, ne fugiat in desertum. *Gebal* præruptum interpretatur, et significat hypocritas, qui positi in alto, ab opere suo prærumpitur bona intentio, et sic corruunt in devorationem damnationis. *Et Ammon.* Ammon, dolens, vel turbidus, per quem invidus intelligitur, qui de bonis proximi dolet. Unde Amos (1, 13) : « Super tribus sceleribus filiorum Ammon, et super quatuor non convertam eum : eo quod dissecuerit prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum. » Galaad, quod interpretatur acervus testimonii, est Ecclesia, in qua sunt acervi testimonii, idest sancti novi, et veteris testamenti testificantes, qui dicuntur *prægnantes*, scilicet repleti bonis operibus, et fructificantes, quos invidi volunt discerpere, et dissecant, et dilacerant eos ad dilatandum terminum suum, idest detrahunt operibus eorum, occultant bona eorum, ut ipsi fœcundi, non illi appareant; et ideo Dominus super eos vultum suæ clementiæ non convertit.

Amalec interpretatur lingens sanguinem. Et de isto sæpe dictum est. *Alienigenæ*, qui et Philisthiim (1) dicuntur, et interpretantur potione cadentes, *cum habitantibus Tyrum.* Tyrus interpretatur negotiatio; et bene ista duo conjunguntur, quia negotiatores de mendacio in concupiscentiam ruunt; unde Leo papa (2) : « Inter vendentis ementisque commercium difficile est non intervenire peccatum. » Et hoc dicit, quia cupiditas, et mendacium semper communicant negotiationem; unde Ecclesiastici (27, 2) : « Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic inter medium venditionis, et emptionis angustiabitur peccatum. »

SERMO CLIX.

Quod tripliciter confundit Deus bona confusione.

Imple facies eorum ignominia; et quærent nomen tuum, Domine. (Psal. 82, 17.)

Hoc optat Propheta, ut facies peccatorum impleantur ignominia, ut sibi, et aliis videantur ignominiosi, et sic pœniteant; unde Osee (5, 5) : « Respondebit, illis arrogantia Israel in facie ejus : et Israel, et Ephraim ruent in iniquitatibus suis. » Hoc facit Deus, ut multoties cadant homines per superbiam in luxuriam, et in enormia peccata, ut per ignominiam peccati sui cessent a pravis operibus suis confusi. Tribus modis confunditur peccator : cum beneficium Domini exprobratur illi, et inde confusus redit ad Dominum; unde Ezechielis (16, 62 et 63) : « Suscitabo ego pactum meum tecum : et scies, quia ego Dominus. Ut recorderis, et confundaris, et non sit tibi ultra aperire os præ confusione tua, cum placatus fuero tibi in omnibus, quæ fecisti. Pactum inter nos et Deum est pactum misericordiæ, quod videbatur mortuum, quando permittebat civitatem, vel animam peccatricem affligi propter peccata sua; quod pactum Deus suscitat in nobis per beneficiorum recordationem, quo pacto confundimur contra ipsum male operari, et nobis ipse placatur, nec tamen os aperimus, quia non hoc nobis, sed divinæ misericordiæ attribuimus, quod liberati sumus a peccato.

Secundo confunditur peccator homo, cum in comparatione iniquitatis suæ, aliorum iniquitas minor ostenditur; unde Ezechielis (3) : « Justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es. Ergo et tu porta confusionem tuam, quæ vicisti sorores tuas peccatis tuis, sceleratius agens ab eis : justificatæ sunt enim a te. Non fuit autem Sodoma soror tua audita in ore tuo, in die superbiæ tuæ, antequam revelaretur malitia tua : sicut hoc tempore in opprobrium filiarum Syriæ, et cunctarum in circuitu tuo filiarum Palæstinarum, quæ ambiunt te per gyrum. » Syria, sublimis interpretatur; Palæstina, sive Philisthæi (4), cadentes poculo, scilicet confusionis. Per filiolos intelliguntur Judæi; per filias, Gentiles. Majori confusione plena sunt peccata christianorum, quam Judæorum, sive Gentilium.

(1) Qui et Philisthiim, etc. S. Augustinus Enar. in hunc Psalmum, et ex ipso Glossa ord. habet : « Alienigenæ quamvis et ipso nomine latino se indicent alienos, et ob hoc consequenter inimicos, tamen in Hebræo dicuntur Philisthiim, quod interpretatur cadentes potione, velut quos fecit ebrios luxuria sæcularis. » Et sanctus Hieronymus lib. I Commentar. in Amos, cap. 1, ait : « Philisthiim, quos LXX semper alienigenas transtulerunt. Ubicumque enim in veteri testamento ἀλλοφύλους, idest, alienigenas legerimus, non commune nomen omnium externarum gentium, sed proprie Philisthiim, qui nunc Palæstini vocantur, accipiendi sunt. »

(2) Epist. ad Rustic. Resp. ad Inquis., XI.

(3) Ezech., 16, 51, 52, 56 et 57.

(4) Sive Philisthæi, etc. Ubi Vulgata habet,

Item alio modo confunditur quis, cum manifestatur ejus ignominia, quæ alias latebat; unde Ezechielis (16, 37) : « Ego nudabo ignominiam tuam coram eis, et videbunt omnem turpitudinem tuam. » Peccat aliquis occulte, sed quandoque obstinatur ita, quod permittit Deus suum peccatum propalari in apertum, ut confusus erubescat, pudeat, et emendet; unde Isaiæ (47, 1 ad 3) : « Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon, sede in terra : non est solium filiæ Chaldæorum, quia ultra non vocaberis mollis, et tenera. Tolle molam, et mole farinam : denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, revela crura, transi flumina. Revelabitur ignominia tua, et videbitur opprobrium tuum : ultionem capiam, et non resistet mihi homo. » Anima misera dicitur virgo infœcunda bonis operibus; ac si diceret : descende in Babylonem, idest in confusionem peccatorum : et sede in pulvere. Pulvis excæcat oculos, quia superbia mentis oculi excæcantur : sede in terra, idest in terrenis, quia ejus concupiscentia sedet in terrenis : non est solium filiæ Chaldæorum, Chaldæi feroces interpretantur; unde Gregorius (1) : « Valde sunt feroces, qui suis moribus non parcunt. » Non vocaberis mollis, et tenera, quia quæ pravis cogitationibus, et desideriis fuisti subdita, laboribus hujus sæculi relinqueris. Tolle molam, idest mundi actionem : et mole farinam, idest minutissimas cogitationes. Denuda turpitudinem tuam, revela crura. Istæ sunt partes ignominiosæ, et omnes latebræ luxuriæ. Denudatur turpitudo, et crura revelantur, quando quæ prius latebat, iniquitas manifestatur. Transi flumina, idest omnes fluxus carnales. Flumina transit, dum non in una actione insistit, sed diversas inde fluentes appetit; sed et alias relinquendo, alias sequitur, et sic quasi de flumine ad flumen transit. Vel, transi flumina, idest omnes fluxus carnales. Aquam fugientem vis præcedere, cum non sufficiat bibere de una aqua, nisi bibas de omnibus aquis deliciarum; unde Amos (4, 10) : « Ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras, et non reversi estis ad me, dicit Dominus. » Putredo castrorum, idest corporum, idest omnem fœtorem peccatorum vestrorum feci resilire in nares vestras, idest a duritia cordis vestri usque ad discussionem, ut displiceant quæ commisistis; et quia abominationem peccatorum vestrorum vos cognoscere feci, et inde nec sic reversi estis, ideo peccatum vestrum aggravatur.

SERMO CLX.

Quibus gradibus ascendere debemus.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te : ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum in loco, quem posuit. (Psal. 83, 6 et 7.)

De his ascensionibus, sive gradibus, quibus ascendere debemus, habetur in Numeris (33, 42) : « De Salmona egressi venerunt in Phunon. » Salmona interpretatur imago. Qui enim in deserto hujus sæculi transit, dum, cum serpentibus ignitis percutitur, sanatur respiciens ad imaginem serpentis æneì, idest passionis Christi, necesse est, ut ascendat in *Phunon*, quod interpretatur os, quia de ore cordis ascendendum est ad confusionem. Et est ascensus ad *Oboth* (2), quod interpretatur magus, vel pytho. De istis magis pythonibus, qui interpretantur ventiloqui, dicit Isaias (47, 12) : « Sta cum incantatoribus tuis, et cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua. Incantatores sunt terrena desideria, et voluptates mundanæ, quæ hominem, vel animam decipiunt. Sta cum incantatoribus; ac si diceret, cum omnibus desideriis terrenis, quæ fecisti ab adolescentia tua. Pythones, idest ventiloqui, de quibus Isaias (29, 4) : « Erit quasi pythonis vox tua, et de humo mussitabit eloquium tuum. » Debemus transire Oboth, idest serpentes, unde in Deuteronomio (8, 15) : « Ductor tuus fuit Dominus in solitudine magna, atque terribili, ubi erat serpens flatu suo adurens, scorpio, et dipsas. » Solitudo est hoc sæculum, ubi sunt serpentes flatu suo adurentes animam ad peccandum. In hoc deserto est scorpio, qui capite (3) blanditur per exultationem, sed in fine

filiarum Palæstinarum, LXX, apud S. Hieronymum legunt, *filiarum alienigenarum*, idest Philisthinorum juxta regulam traditam ab eodem S. Hieronymo, qui lib. VIII Comment. in Ezech., c. 25, addit : *Philisthiim interpretantur cadentes poculo.*

(1) Moral., lib. VI, in cap. 5 Job, n. 25.

(2) Num., 21, 10, et cap. 33, 43 ad 47.

(3) Scorpio, qui capite, etc. Glossa ord. in illud

pungit delectatione : et dipsas, qui et situla (1) dicitur a sitiendo, quia quicunque ab isto serpente percutitur, sitiendo moritur. Hæc est luxuria, et avaritia; quia tam luxuriosi, quam avari sunt insatiabiles.

Item debemus ascendere ad Jeabarim, et ad *Dibongad*. *Jeabarim* sonat attritus lapide, per quod offendicula hujus vitæ designantur, quibus offenditur in via hujus sæculi, de quibus Ecclesiastici (21, 11) : « Via peccantium (2) complanata est lapidibus, et novissima eorum tenebræ, et mors. » *Dibongad* interpretatur fortis; et denotat, quod per viam hujus sæculi transeundum est peccato fortiter resistendo, ne succumbamus; unde Jacobus (1, 2 ad 4) : « Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis : scientes, quod probatio fidei vestræ patientiam operatur : patientia autem opus perfectum habet : ut sitis perfecti, et integri, in nullo deficientes »; quia per tentationes transeundum est ad *Deblathaim*, quod interpretatur contemptus palatharum, idest ficuum. Hic est contemptus honorum, et divitiarum, ut scilicet contemnamus honores, et opprobria, quæ nobis objiciuntur ab aliis; unde Ezechielis (3, 8 et 9) : « Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum : ut adamantem, et ut silicem dedi faciem tuam ». Silex est lapillus vilis, qui conculcatur ab omnibus transeuntibus per viam. Sic oportet sustinere patienter vilipensionem, et improperia malorum in deserto hujus sæculi. Adamas est lapis pretiosus, et amabilis, vel honorabilis; et tamen adornari, vel cingi auro non gaudet. Sic nec justus gaudet honoribus, etiamsi ab aliis honoretur. Per hunc gradum transeundum est, et sic pervenitur *ad montem Abarim*, idest ad montem transeuntium, vel transitum montium. Sed quia filii Israel non potuerunt ascendere in terram promissionis, nisi prius descendissent ad vallem campestrem Jordanis, idest humilis descensus : oportet gradus nostros disponere, ut descendamus per humilitatem ad rivum judicii, per quem pateat nobis ingressus ad cœlestem patriam.

Apoc., 9, 3. Sicut habent scorpiones, ait : « Scorpius blandus facie, cauda pungit occulte.

(1) Qui et situla, etc. Glossa ord. in Deut., 8, 15. Dipsas, inquit, genus aspidis est, qui latine dicitur situla, quia quemcumque momorderit, siti perit. Vide notam 7 ad Sermonem XI, col. 599.

(2) Vulg. : Via peccantium complanata lapidibus, et in fine illorum inferi, et tenebræ, et pœnæ.

SERMO CLXI.

De aspectu terribili in judicio quantum ad malos, et aspectu jucundo quantum ad bonos; de servitute qua tenemur ad Deum, tanquam servus Domino suo.

Protector noster aspice Deus, et respice in faciem Christi tui. (Psal. 83, 10.)

Hæc est oratio magna ad Deum, ut respiciat, et protegat nos sub umbra alarum suarum. Cujus alæ sunt duæ, scilicet paterna correptio, et materna dilectio, sive misericordia; unde : *Protector noster aspice;* et subdit : *Respice*, quia aspicere magis est severitas, quam misericordia; unde de aspectu ejus terribili dicitur, quod aspectus Angeli erat sicut fulgur (3) : sic adventus Christi venientis ad judicium erit terribilis. Qui ergo non audet expectare ictum fulguris, quomodo audebit expectare judicium tam districti judicis? unde Malachiæ (3, 2) : « Quis poterit cogitare diem adventus ejus, et quis stabit ad videndum eum? unde in Evangelio (Matth., 24, 27): *Sicut fulgur apparet* (4) *in Oriente : sic apparebit Filius hominis.* De hoc etiam in Apocalypsi (19, 12) : *Oculi ejus sicut flamma ignis.* Unde in Daniele (7, 10) : *Fluvius igneus, rapidusque egrediebatur a facie ejus.* Fluvius, idest pœna indeficiens in reprobos : *igneus* per tormentorum impassibilitates, quas impotentes erunt sustinere : *rapidus*, cui nullus poterit resistere. Et ideo subjungit : *Respice;* ut sicut *respexit Petrum*, cujus cor liquefactum est in lacrymas ad respectum ejus (5), sic nos respiciat oculo misericordiæ suæ : et si non propter nos, tamen propter Christum; ideo dicit : *in faciem Christi tui*, in qua facie nos debemus signari, quem signavit Deus Pater, ut dicit Joannes (6, 27), in quo imprimatur omnis imago Christianorum tanquam in sigillo, ut per ipsum Pater ad nos respiciat. Unde Aggæi in fine (2, 24) : « In die illa, dicit Dominus, assumam te, Zorobabel, fili Salathiel, serve meus, et ponam te quasi signaculum, quia elegi te. » Zorobabel interpretatur hic magister Babylonis:

(3) Matth., 28, 3.

(4) Vulg. : Sicut fulgur exit ab Oriente, et paret usque in Occidentem : ita erit et adventus Filii hominis.

(5) Lucæ, 22, 61 et 62.

Babylon est mundus iste; ubi est magna peccatorum confusio. Hujus magister est ipse Christus, qui per disciplinam suæ prædicationis viam suæ justitiæ, et misericordiæ nos docet. Zorobabel interpretatur fluxus expositus. Hic est Christus, fluxus expositus cunctis fidelibus contra fluxum luxuriæ, et avaritiæ, dicens in Evangelio (Joan., 7, 37) : « Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Hic est filius Salathiel, qui interpretatur petitio Domini. Hic est filius petitionis, scilicet sapientia Domini; unde Jacobus (1, 5) : « Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei »; quibus ostendit sapientiam, per quam in via hujus sæculi est transeundum. Sequitur: « Ponam te quasi signaculum »; unde dicit Hieronymus (1) : « Quisquis in Deum crediderit, hoc quasi anulo consignetur », videlicet per bona opera. Ubi enim Deus inveniet suam imaginem per bona opera, ibi erit respectus suæ misericordiæ : ubi autem invenerit imaginem bestiæ, punietur per aspectum ejus terribilem.

Respice in faciem. Hoc est, quod alibi dicitur (Psal. 144, 9) : *Miserationes ejus super omnia opera ejus.* Ubi enim ipse imaginem suam inveniet, idest imitatores suos, ibi faciet miserationes : sed in illis, in quibus non invenit imaginem suam, sed bestiæ, exercet vindictam; unde in Apocalypsi (14, 9 et 10) : « Si quis adoraverit bestiam, et imaginem ejus, et characterem in fronte, aut in manu habuerit (2) : hic bibet de vino iræ Dei. » Illi habent imaginem diaboli, qui conformes ejus sunt in malitia : et characterem, idest ipsum verbum blasphemiæ aperte confitentes : aut in manu, idest prava opera facientes : hi bibent de vino iræ Domini, idest æternam pœnam sentient. *Protector noster aspice, et respice.* Hoc est, quod alibi dicitur : Respice, Domine, in servos tuos; et illud (Psal. 122, 2) : « Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, et sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ : ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. » Sed timere possumus, ne dicatur nobis illud, quod legitur in Jeremia (2, 20) : « A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti : Non serviam. » Per jugum figurantur præcepta Domini, quæ quasi jugum a cervicibus nostris excutimus, dum ea implendo non observamus, et sic nolumus ei servire : unde in Job (21, 14 et 15) : « Qui dixerunt Deo : Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est Omnipotens, ut serviamus ei? et quid nobis prodest, si adoraverimus (3) eum? » Respice in servos tuos. Servus datus ad operam domini sui non potest se vertere ad opus proprium : sic nos, qui sumus dediti ad opera Domini nostri, non debemus nos vertere ad opera membrorum nostrorum, cum sint propria carnis, non Domini; unde in Luca (17, 7 ad 10) : « Quis autem vestrum habens servum arantem, aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi : Statim transi, et recumbe : et non dicat ei : Para, quod cœnem, et præcinge te, et ministra mihi, donec manducem, et bibam, et post hæc tu manducabis, et bibes? Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit, quod (4) imperaverat? » Non puto; quasi dicat : Non mirum, si faciat servus quod debet, cujus est laborare, et assidue servire. Deinde sequitur : « Sic et vos, cum omnia feceritis, quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus, empti pretio : quod debuimus facere, fecimus. Non enim debemus gloriari de operibus nostris, sed sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. In manu domini sunt flagella, propter quod oculi servi sunt in manibus ejus : sic et in manu Domini Dei nostri est vindicta flagellans; quia servus expectat vindictam flagellantem in manu Domini sui, et misericordiam ipsum liberantem, ut faciat eum liberum. Quæ libertas sequitur servitium, si expectaverimus, et perseveraverimus; unde sequitur : *Quia melior est dies una in atriis tuis super millia.* Hæc est dies, de qua dicit Isaias (30, 26) : « Erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter in die, qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, et percussuram plagæ ejus sanaverit; hoc est, cum miserias, et mortalitatem relegaverit, et ad gaudium, et ad vitam suos reduxerit.

(1) Comment. in Agg., cap. 2 in fine.
(2) Vulg. : acceperit.
(3) Vulg. : oraverimus.
(4) Vulg. : quæ ei.

SERMO CLXII.

De triplici misericordia Dei, et triplici veritate hominis, et de conjunctione earum.

Misericordia, et veritas obviaverunt sibi: justitia, et pax osculatæ sunt (Ps. 84, 11).

Est enim misericordia Domini triplex : purificans, locupletans, delicians, vel delectans. Misericordia purificans; unde Isaiæ (1, 18) : « Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur ». Locupletans spiritualium charismatum; unde Sapientiæ (8, 1) : « Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter»; attingit a fine, idest a termino conversionis usque ad terminum ultimæ resolutionis. Est misericordia Domini delicians hominem bonis operibus; unde Isaiæ (32, 18) : « Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta. » Isti triplici misericordiæ Domini obviat triplex veritas hominis. Est enim veritas confessionis, cui obviat misericordia purificans; unde : *Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit*. Est veritas fidei, cui obviat misericordia Domini locupletantis ipsum hominem bonis operibus, quæ debent habere fundamentum fidei. Item tertia est veritas operum, quando vera fuerint, scilicet propter Deum, quibus occurrit misericordia delicians, sive delectans, quia tertiæ veritati, quæ fit propter Deum talis operibus, rependetur delectatio æterna. Vel aliter : *Misericordia, et veritas obviaverunt sibi*. Est misericordia hominis ad parcendum, veritas ad feriendum illum. Sed sicut, quando aliqui duo ex transverso venientes obviant sibi, alter per viam alterius incedit vicissim : Sic Deus, qui incedit via justitiæ ad feriendum hominem, si homo sibi parcit, via justitiæ non incedendo, Dominus de misericordia non ignoscit parcendo. Sed si homo peccatum suum cognoscit, carnem propriam feriendo, Deus ignoscit condonando; et ita misericordia, et veritas sibi obviant.

Justitia, et pax osculatæ sunt. Est triplex justitia, scilicet stateræ; unde Michææ (6, 11 et 12) : «Numquid justificabo stateram impiam, et saccelli pondera dolosa, in quibus divites ejus repleti sunt iniquitate ? » Quod est, quando quis parvipendit peccata propria, et judicat aliena. Est justitia puniens; unde Isaiæ (28, 17) : « Ponam in pondere judicium, et justitiam in mensura », ut scilicet quantum peccatis, tantum puniamini. Est justitia, quæ reddit unicuique quod suum est. Deo enim debemus honorem, et proximo dilectionem, peccato odium, mundo contemptum. Quamdiu autem, non solvemus peccato hoc tributum, non cessabit nos onerare tributo peccatorum. Mundo etiam quod suum est solvamus, scilicet contemptum, alioquin tributa rerum suarum a nobis exiget; unde Jeremiæ (20, 15) : « Maledictus vir, qui annunciavit patri meo, dicens : Natus est tibi puer masculus : et quasi gaudio lætificavit eum. Pater iste mundus est, cujus puer masculus natus, qui lætificavit eum, sunt illi, quibus utitur mundus in rebus arduis. Nuncius iste est, diabolus, qui est maledictus; unde in eodem (v. 16) : « Sit homo ille, ut civitates, quas subvertit Dominus, et non pœnituit eum. » Pater iste mundus est : masculus natus, omnis mundanorum amator, quo mundus utitur in magnis, et arduis negotiis : vir, qui nativitatem annunciat, diabolus est. Jure ergo vir, qui masculum natum nunciat, maledicitur; quia ipso ejus nuncio reprobum gaudium nostri corruptoris, et exactoris mundi judicatur.

SERMO CLXIII.

De triplici via Christi; de triplici gaudio, quod habebunt Sancti in patria; de fructibus vitæ æternæ.

Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua. (Psal. 85, 11.)

Christus est via, qui seipsum fecit pontem nostrum, quasi lignum transvectum ab una ripa ad aliam, scilicet a ripa mortalitatis ad ripam immortalitatis, ut nos per ipsum transiremus, passionem ejus imitando, ab hujusmodi mortalitate ad illam æternam felicitatem. Vel, via Christi dicitur illa via, qua ipse venit a *Bethania* in *Bethphage ad montem Oliveti*. (Lucæ, 19, 29). Bethania dicitur domus obediens : Bethphage interpretatur domus oris vallium, per quam intelligitur confessio , ad quam venitur per virtutem obedientiæ. Bene autem dicitur domus, quia debet esse mansionaria, non momentanea, quod notatur per domum; et sic venitur ad montem Oliveti, hoc est ad cœlestem felicitatem, per obedientiam videlicet et confessionem.

Mons autem Oliveti dicebatur mons trium luminum (1); ex una namque parte illuminatur a Sole; ex alia a lucernis, vel luminibus de templo oppositis; illuminatur etiam a seipso per fertilitatem olivarum. Hæc est æterna felicitas triplici lumine illustrata; quia habebit gaudium propriæ conscientiæ, sive serenitatem mentis, unde Apostolus (2) : « Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ ». Habebit etiam lumen a Sole Trinitatis Dei, quæ erit summa jucunditas refectionis. Respiciet (3) etiam lumen de templo, idest de consortio Sanctorum, et a participatione universæ Ecclesiæ. Vel, via Christi est sacra doctrina, de qua Isaiæ (62, 10) : « Transite per portas, præparate viam populo, planum facite iter (tollite (4) offendicula de via populi mei) et eligite lapides; et in alio capite habetur in eodem Isaia (30, 10 et 11) : « Qui dicunt videntibus : Nolite videre; et aspicientibus : Nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt : loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte a me viam, declinate a me semitam, cesset a facie nostra sanctus Israel. »

Et ingrediar in veritate tua, de qua alibi in Psalmo (41, 5) dicitur : « Ingrediar (5) in locum tabernaculi admirabilis, » idest in veritatem militantis Ecclesiæ; quod tabernaculum est mirabile valde, quia locustæ ibi triumphant de gigantibus. Unde in Numeris (13, 34), missi a Moyse nuncii ad terram promissionis explorandam, reversi dixerunt : « Ibi vidimus monstra filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur ». Enac iste terribilis gigas, diabolus est : monstra filiorum ejus sunt maligni spiritus terribiles, quorum comparatione homo est quasi locusta, idest debilis, nisi auxilio Dei fulciatur. Locusta in magno fervore solis volat in altum, sed rore matutino non se movet : sic homo tempore prosperitatis torpet a bonis operibus, sed fervore adversitatis, et tribulationis excitatur ad bene agendum, et sic dæmones devincuntur; unde in Numeris (14, 9) dicit Josue ad populum : « Ne timeatis populum terræ hujus, quia sicut panem poterimus (6) eos devorare : recessit ab eis omne præsidium : Dominus nobiscum est, nolite eos timere (7), congregationem videlicet malignorum spirituum, quæ tanquam panis devorari potest, si in tribulatione patientiam habeamus. Et sic etiam nos poterimus obtinere, quia Deus dabit nobis robur mentis; unde : « Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in mensura » (Psal. 79, 6). Dominus enim carne assumpta nobiscum est, qui pugnat pro nobis, et tempus recessit, per quod solebant dæmones homines seducere diu viventes, et ideo proniores ad malum : sed modo parum vivit homo; quod est magnum solatium.

Sic est ingrediendum in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, idest a militanti Ecclesia usque ad triumphantem; ubi est in voce exultationis, et confessionis sonus epulantis (Psal. 41, 5); ubi gustatur fructus ligni, scilicet vitis, ficus, et oliva, idest dulcedo totius Trinitatis; unde Joelis (2, 22) : « Germinaverunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, ficus, et vinea dederunt virtutem suam. » Per *lignum* Christus intelligitur, vel per *vitem*, qui de seipso dicit (Joan., 15, 1) : *Ego sum vitis vera*. Per *ficum*, Spiritus Sanctus; in Joele: Lignum attulit fructum suum, ficus, etc. Per olivam, Pater, quia omnia illuminata sunt ab eo; unde Jacobus (1, 17) : « Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum. »

Deduc me, Domine. Ductor est Deus, ut dicit Isaias (63, 13) : « Qui eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem; » quia Pater per Filium eduxit Sanctos per abyssos, scilicet culpæ, et pœnæ, in quibus sunt, ad viam rectam, auferens omne offendiculum culpæ, et pœnæ, per desertum scilicet hujus sæculi ad amœnitatem paradisi.

(1) Mons trium luminum, etc. Glosssa ord. in vers. 12, cap. 1 Act. Apost. : *Tunc reversi sunt.... monte Oliveti*, ait : Mons Oliveti ab antiquis mons trium luminum vocabatur : lucernæ scilicet de templo resplendentis, ac Solis ex altera parte orientis, et olei in ipso monte naturalis lucis.

(2) II Cor. 1, 12.

(3) Forte : *recipiet*.

(4) Vulg. : auferte.

(5) *Ingrediar, etc.* Sic legit S. Augustinus Enarrat. in Psalmum 41, num. 9. Sed Vulg.: *Transibo*.

(6) Vulg. : possumus.

(7) Vulg. : nolite metuere.

SERMO CLXIV.

De duodecim lapidibus pretiosis, quibus fundata est Ecclesia.

Fundamenta ejus in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. (Psal. 86, 2.)

Fundamenta Ecclesiæ sunt Sancti, qui sunt montes, qui designantur per duodecim lapides pretiosos, de quibus habetur in Apocalypsi (21, 19 et 20); quorum primus est japsis, qui est viridis coloris, sed obscurus, sive pressus, qui significat illos, qui renitentes in fide abrenunciant delectationi, vel amori rerum temporalium, sed non possessioni; de quibus dicitur (Lucæ, 14, 33): « Nisi quis renunciaverit (1) omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus; » et isti renunciant temporalibus, sed non relinquunt: et ideo aliquantulum pressus est iste color.

Secundus, sapphirus ætherei coloris, habet enim guttas nigriores, ejusdem tamen coloris; et significat contemplativos per actionem aliquando ad activam se convertentes, unde in Genesi legitur (30, 16), quod Jacob intravit ad Liam pro mandragoris filii sui datis Racheli. Jacob, idest vir contemplativus, qui de contemplatione descendit ad actionem pro odore bonæ operationis: quod faciendo, aliquas guttas nigras quandoque contrahit ejusdem tamen coloris, quia totum ad Deum refert.

Tertius, chalcedonius rubeus, et fulget, sed obscurus est aliquantulum, nisi fuerit cavatus, paleas ad se contrahit; et significat Sanctos, qui imitationem Christi habent in desiderio, vita ferventes, caritate vero lucidiores redduntur, sed sunt attenuati percussionibus, et sic paleas, idest peccatores convertunt prædicatione, et exemplo bonorum operum; unde in Apocalypsi (1, 15): Pedes ejus similes aurichalco. Pedes ejus, idest Apostoli, et eorum successores, quia sicut aurichalcum, quod sæpe incenditur, meliorem accipit colorem, sic fideles multis concussionibus persecutionum attriti, priorem conversationem non retinent, sed meliorantur.

Quartus, smaragdus tantæ viriditatis est, quod omnes juxta se positos suo colore afficit. Et tantus debet esse color eorum, qui sunt prælati in Ecclesia, ut exemplo bonæ conversationis subditos suos reddant sibi unicolores. Sed e contrario eos malo exemplo corrumpunt; unde Zachariæ (10, 3): « Super pastores iratus est furor meus, et super hircos visitabo. »

Quintus, sardonyx tricolor, inferius niger, in medio candidus, superius rubeus. Sic Sancti, candidi in medio vitæ sanctitate; inferius nigri per humilitatem, quantumcunque enim fuerint innocentes, et mundi, tamen sunt despecti sibi; rubei in summo per desiderium passionis Christi; unde in Canticis (4, 3): « Genæ tuæ sicut fragmen mali punici. Per fragmen, humilitas mentis, et recordatio peccatorum, sive propriæ fragilitatis. In malo punico duo sunt colores rubeus, et albus. Interius habet grana alba; exterius malum est punicum. Per punicum voluntas martyrii; per grana alba mentis munditia designatur.

Sextus, sardius sanguinei coloris. Tales debent esse prædicatores, Christi martyrium imitantes; unde in Canticis (7, 5): « Comæ capitis tui, sicut purpura regis vincta canalibus. » Comæ sunt prædicatores, qui Christo capiti adhærent, tincti interius *purpura* passionis, quæ tamen exterius conjungitur *canalibus*, quia per eorum prædicationem ad mentes fidelium, ut tanquam canales eam recipiant, derivantur.

Septimus, chrysolithus fulget ut aurum, et scintillas ardentes emittit. In auro sapientia cœlestis; scintillæ emissæ, exhortationes aliis lucentes, vel miracula designantur; unde Ezechielis (1, 14): « Animalia ibant, et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis; » idest alios illuminantes per miraculorum operationem, et vitæ sanctitatem, et ad seipsos in consideratione propriæ fragilitatis, vel infirmitatis per humilitatem revertentes. Sancti eunt per doctrinam, et prædicationem illuminantes alios, et revertuntur, quia humilitatem suam considerant, ne de suis operibus extollantur.

Octavus, Beryllus refulget, et radios repercutit. Beryllus est perfecta prædicantium operatio. Ut enim aqua sole percussa refulget, sic beryllus si sex angulis fuerit politus, quia ex angulorum percussione splendor exacuitur, et non aliter evenit nisi semper angularis poliatur forma; et significat obedientes prædicationi. Aqu

(1) Vulg.: Qui non renunciat.

spiritum hominis significat; splendor solis, divinam sapientiam, qua amplius fulget: sed non perfecte vel divina, vel humana sapientia lucet, nisi operibus consumetur politis; de quibus angulis Apostolus (II Cor., 7, 11): Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari, de peccato scilicet, quantam in vobis operatur sollicitudinem emendandi quod deliquimus; *defensionem*, quia qui pœnitet, non excusat se, sed confitetur peccatum, quod est defendere a gehenna; *indignationem* contra nos ob mala, quæ gessimus, respuendo peccatum; *timorem*, ne in futuro tale quid contingat; *desiderium* in melius provehi, desiderat enim se reformare bonorum operum perfectione, qui pœnitet; *æmulationem* bonorum; *vindictam*: qui enim pœnitet, vindicat in se quod deliquit.

Nonus, topazius aurei, et ætherei coloris est. Cum splendore tangitur solis, superat omnem gemmarnm claritatem; et est talis naturæ, quod, si poliatur, obfuscatur, si suæ naturæ relinquatur, clarius refulget; et significat virum sanctum contemplativum, qui si poliatur honoribus, et dignitatibus, obscuratur, quia sæculi contactu sæpe vilescit: unde non potest aliquis simul sæculi honoribus augeri, et tranquilla mente cœli gaudia intueri.

Decimus, chrysoprasus viridis est, et aureæ mixturæ quibusdam purpureis guttis, et aureis; et significat eos, qui virorem æternæ patriæ caritate merentur, et aliis purpuram martyrii ostendunt; unde in Apocalypsi (10, 1): *Et iris erat in capite ejus;* et in Ecclesiastico (50, 8 et 7): *Quasi arcus refulgens inter nebulas, sic ipse refulsit in templo gloriæ Dei.*

Undecimus, hyacinthus cum aere sereno serenus, cum obscuro obscurus; et significat sanctos doctores ad alta levatos, sed propter infirmos descendentes, ut Paulus, qui dicebat: *Sapientiam loquimur inter perfectos* (1); Et: *Quis infirmatur, et ego non infirmor* (2)? Et illud: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos* (3). Isti sunt signati per sanctos Angelos ascendentes, et descendentes per scalam Jacob, sicut majoribus majora, minoribus minora prædicantes, et ipsis infirmis compatientes.

(1) I Cor. 2, 6.
(2) II Cor. 11, 29.

Duodecimus, amethystus est lapis purpureus mixto colore violæ, et rosæ, leviter quasdam flammas desuper effundens. In purpura, quæ est vestis regis, signatur cœlestis Regis habitus, et angelicæ societatis principatus, ad quem venturi sunt Sancti. Viola humilem Sanctorum verecundiam castitatis significat: Rosa, martyrium, sive pretiosam mortem eorum, qui inter adversa sæculi sunt, mente tamen in summo, qui non solum in se, sed etiam in persecutores flammam caritatis effundunt, pro ipsis orando, et eorum salutem curando, quæ est virtus virtutum; unde in illis beatitudinibus, quæ numerantur in Matthæo, illis solis regnum promittitur cœlorum, qui primo habent spiritum paupertatis, et illis, qui propter justitiam patiuntur persecutionem.

SERMO CLXV.

De mortuis in peccatis, et de medicis eorum, scilicet carnalibus affectibus.

Numquid mortuis facies mirabilia: aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi? (Psal. 87, 11.)

Arguit nos sententia ista, ideo quod coram nobis facit Deus miracula, sed videntur esse facta coram mortuis, et sunt nobis quasi lyra asino, cum non moveamur per ea; unde Ecclesiastici (17, 26): « A mortuo quasi nihil, perit confessio; » et Michææ (1, 10 et 11): « In Geth nolite annunciare, lacrymis ne ploretis, sed in domo pulveris vos aspergite (4). Et transite vobis habitatio pulchra, confusa ignominia. » Geth interpretatur torcular, et significat illos, qui sunt torcular pupillorum, et viduarum, quibus non est nunciandum verbum Domini, neque fletus eis proponendus, sed in domo pulveris, idest illis, qui in corde suo cognoscunt se pulverem, et cinerem per humilitatem.

Sequitur: *Aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?* Medici sunt carnales affectus, qui nunquam animam suscitabunt; et ideo dicuntur medici, quia fingunt se esse medicos, dicentes: non possumus vigilare, quia debilitaretur visus: non jejunare, quia incurreremus ægritudines corporis; et hujusmodi. Isti sunt medici, de

(3) I Cor. 9, 22.
(4) Vulg.: pulvere vos conspergite.

quibus habetur in Marco (5, 25, et 26), ubi loquitur de muliere hæmorrhoissa, quæ multa perpossa fuerat a medicis, expendendo suam substantiam, qui conferre illi salutem non potuerunt, nec profecerunt. Sic si homo totum se committit istis, totum laborem suum expendet, et nihil proficiet sibi. Unde Ezechielis (39, 11) : « Dabo Gog locum nominatum sepulcrum in Israel : vallem viatorum ad Orientem maris, quæ obstupescere faciet prætereuntes. » Gog interpretatur Sodoma, vel tectum; et significat eos, qui quantumcunque fuerint sæculi prosperitate elevati, et in altitudine aliis præsidentes, tamen dabit Dominus locum nominatum, scilicet sepulcrum damnationis æternæ, vallem viatorum, scilicet mundum istum, in quo mali capiuntur in pedica diaboli. Unde Job (22, 15 et 16): « Numquid semitam sæculorum custodire cupis, quam calcaverunt viri iniqui? qui sublati sunt ante tempus suum, et fluvius subvertit fundamentum eorum. » Unde dicit Gregorius (1) : « Sicut semitæ Redemptoris humilitas, sic semitæ sæculorum, superbia. Semitam sæculorum viri iniqui calcant, quia per hujus vitæ desideria in elatione ambulant. » Sed Dominus ordinans juxta merita singulorum ita disponit, ut vel malus breviter vivat, ne pluribus noceat, vel bonus diutius vivat, ut pluribus prosit : vel rursus malus diutius vivat, ut mala augeat, quibus boni probentur, vel bonus subtrahitur, ne si diutius vivat, malitia corrumpatur. « Qui sublati sunt ante tempus suum »; qui præsentem vitam diligunt, longiora ejusdem vitæ spatia, sibi promittunt : sed eorum vitæ spatia, quæ in cogitatione extendunt, mors intercedit. Sequitur : « Et fluvius subvertit fundamentum eorum. » Impii, dum præsentia esse fugitiva non intuentur, mentem in amore vitæ præsentis figunt, et quasi longæ habitationis in ea fundamenta sibi constituunt : sed fluvius subvertit fundamenta eorum, quia ipse cursus mutabilitatis, statum in eis subruit perversæ cogitationis.

Sequitur : « Vallem viatorum ad Orientem maris. » Per mare signantur mali, qui scilicet vallem hanc miseriæ reputant ipsum Orientem, idest felicitatem. Sequitur : « Quæ obstupescere faciet prætereuntes; » idest Apostoli, et alii sancti admirabuntur eos, qui modo in momento prætereunt hujusmodi vallem, de quibus dicitur (Psal. 128, 8) : « Et non dixerunt, qui præteribant : Benedictio Domini super vos » in judicio, quæ quanta potuit esse, et de vindicta miseriæ, quæ descendet super impios, obstupescent; unde sequitur in eodem Ezechiele (39, 15) : « Cumque viderent os hominis, statuent super (2) illud titulum : donec sepeliant illud pollinctores in valle multitudinis Gog » in omni damnatione miseriarum; unde Amos (6, 10 et 11) : « Tollet eum propinquus suus, et comburet eum, ut efferat ossa de domo; et dicet ei : Tace, et ne recorderis nominis Domini; » quia diabolus, qui est propinquus malorum, facit os obturare, ne recordentur nominis Domini.

Hoc est, quod subditur : *Numquid narrabit aliquis in sepulcro* desperationis *misericordiam tuam, et veritatem tuam in terra oblivionis*, scilicet præsumptionis? scilicet illi, qui præsumentes de misericordia Domini, justitiam Domini condemnabunt; quasi dicat : Non narrabit. Et quare non? quia omnes sunt sepulti in desperatione, et præsumptione; unde Nahum (2, 3) : « Igneæ habenæ currus ejus in die præparationis ejus, et agitatores ejus consopiti sunt. » Igneæ habenæ currus diaboli sunt amor mundi, et timor, quia inflammant, et avertunt ipsum hominem a via rectitudinis. Per habenas intelligitur amor mundi, et timor, quia per istas habenas eques, idest diabolus, qui est eques malorum, divertit equum, idest hominem, quocumque voluerit. Agitatores ejus sunt illi, qui impellunt ad malum; qui consopiti sunt somno iniquitatis, negligentiæ, et torporis. Sunt etiam istæ habenæ igneæ, quia intolerabile videtur homini ab his abstinere in mundo. Agitatores ejus consopiti sunt, idest omnes impellentes alios ad malum, cum illis damnati sunt.

SERMO CLXVI.

De multiplici misericordia Dei.

Misericordias Domini in æternum cantabo. (Psal. 88, 2.)

Misericordiæ Domini multæ sunt. Prima est conservatio a peccatis, quæ triplex est,

(1) Moral., lib. XVI in cap. 22 Job, n. 13.

(2) Vulg. : juxta.

in subtrahendo occasionem, sanando affectionem, et dando virtutem resistendi. In subtrahendo occasionem ne in futuro peccet; unde Osee (2, 6 et 7): « Ecce ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria, et semitas suas non inveniet. » Et sequetur amatores suos, et non inveniet, vel apprehendet eos, et quæret eos, et non inveniet, et dicet : Vadam, et revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis, quam nunc. Nam sæpe ponit Deus obstacula, ut non inveniatur mulier, aut ubi, cum qua vult fornicari, vel adulterari. Et hinc sanat affectionem, ne per desiderium corrumpatur; unde in eodem (2, 12) : « Corrumpam vineam ejus, et ficum ejus » : Vineam, idest lætitiam temporalem; et ficum, idest dulcedinem. Dat etiam resistendi virtutem; unde in eodem (2, 18): « Arcum, et gladium, et bellum conteram de terra, et dormire eos faciam fiducialiter. » Conteram arcum, idest fraudulentas tentationes diaboli; et gladium, idest apertas impugnationes; et bellum, idest ex multis causis conflatam impugnationem.

Item est misericordia Dei, quæ est in revocatione, quæ consistit in tribus, in patientia, in longanimitate, et in bonitate; unde Apostolus ad Romanos (2, 4) : *An divitias bonitatis, et patientiæ, et longanimitatis ignoras* (1)? Patientia est, quando per superbiam procaci mente peccantes non statim punit : longanimitas est, quando per infirmitatem, et non deliberatam malitiam peccantes diu expectat, vel portat expectans ad pœnitentiam : bonitas Domini est copia, qua multis peccantibus multa bona ministrat, eis blandiens, ut ad pœnitentiam attrahat. De hac habetur in Osee (11, 3) : « Ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis : et nescierunt, quod curarem eos. » Aperuit enim nobis Dominus ingressum Paradisi per sanguinem suum, et portavit nos in brachiis suis expansis in cruce, et sic a diabolo liberavit nos quamvis ingratos.

Tertia misericordia Dei est pœna, qua concutitur mens hominis, ut avertat se a via sua mala, et dicat cum Jeremia in Threnis (3, 1) : « Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus. » Videns paupertatem suam, cum desit gratia, et nullius virtutis operatio suffragetur, percutitur, ut doleat juxta illud, quod sequitur : « Tantum in me vertit, et convertit manum suam tota die. » (Ibid., 3, 3.) Vertit Dominus manum, pœnam inferendo, ut mundet : convertit, cessando, ut sic virtutes in eo ædificet. Concutitur etiam cor, ut timeat judicem; ut in eodem (3, 2) : « Me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem. » Adducit enim in tenebras afflictionis, et non in lucem prosperitatis, ut sic ab afflictione æterna deterreatur, quæ malis adjudicabitur in futuro.

Quarta Dei misericordia est indulgentia, quæ in tribus consistit. Quia non repellit ad se revertentes; unde Jeremiæ (3, 1 et 2): « Vulgo dicitur : Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo, duxerit virum alium : numquid revertetur ad eam ultra? numquid non polluta, et contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis : tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te. Leva oculos tuos in directum, et vide, ubi non prostrata sis. Et post pauca dicit (Ibid., 3, 3 et 4) : « Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Ergo saltem amodo voca me : Pater meus, dux virginitatis meæ tu es. » Quia Deus non improperat peccatum remissum ; unde Ezechielis (18, 21 et 22) : Si conversus fuerit impius ab impietate sua (2), omnium iniquitatum ejus non recordabor. Quia non minus eum diligit ; imo majus « gaudium est (3) super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia. » (Lucæ, 15, 7.)

Quinta Domini misericordia est, quod ipse dat virtutem continendi contra insultus, et tentationes diaboli ; unde in Matthæo (7, 25), ubi loquitur de domo ædificata supra petram : « Descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit : fundata enim erat supra firmam petram. » Pluvia sunt tentationes diaboli ; ventus, transitorius impetus persecutionum ejus; *flumina*, carnales voluptates. Omnia ista descendunt ad diruendam pœnitentiam, et ædificia virtutum : sed Deus conservat ea ; quia hæc non possunt diruere domum mentis ædificatæ in Christo petra.

(1) Vulg. : contemnis.
(2) Vulg. : Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis.
(3) Vulg. : erit in cœlo.

Sexta misericordia Dei est spes veniæ, quam debemus expectare, quæ provenit ex tribus, scilicet ex contritione pœnitentiæ, ex bona operatione, et ex Dei promissione. Ex contritione pœnitentiæ; unde Osee (2, 14 et 15) : « Ego lactabo eam, et ducam in solitudinem : et loquar ad cor ejus. Et dabo ei vallem Achor ad aperiendam spem » ex bonis operibus, quibus meremur veniam peccatorum. Achor enim interpretatur conturbatio. Ad vallem confluunt sordes. Vallis ergo Achor est conturbatio de peccatis, per quam aperitur spes veniendi ad Deum. Item adnotantur hæc tria in eodem Osee (2, 20): « Sponsabo te mihi in fide, et scies, quia ego Dominus. » Constat enim ex Dei promissione; unde ibi (2, 18 et 19) dicitur : Dormire eos faciam fiducialiter. Et sponsabo te mihi in sempiternum, in justitia, et judicio, et in misericordia, et miserationibus, idest omni æternæ beatitudinis conferendæ cœlesti consortio adjungam. Vel : « Sponsabo te mihi in sempiternum »; ecce Dei promissio. « Sponsabo te mihi in justitia, et judicio, et misericordia, et miserationibus »; ecce bona operatio. « Sponsabo te mihi in fide »; ecce pro conturbatione pœnitentiæ, fidei, et gratiæ illuminatio.

SERMO CLXVII.

De nubibus prædicationum; quod prædicatores comparantur sagittis.

Quis in nubibus æquabitur Domino : similis erit Deo in filiis Dei? (Psal. 88, 7.)

Nubes sunt prædicatores, ut sæpius dictum est, in quibus nullus potest æquari Domino; et inde quilibet debet niti, ut assimiletur Domino, qui similiter dicitur nubes. Quod Deus sit nubes, habetur in Isaia (19, 1): « Ascendet Dominus super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus. » Ascendente Domino nubem, idest carnem ab omni peccato levem, et immunem; quod factum fuit ad litteram, quando ipse illuc fugit, omnia idola (1) corruerunt. Et ita omnia idola peccatorum debent corruere a facie Domini de cordibus hominum; unde (Psal. 17, 9) : « A facie ejus ignis exarsit, carbones succensi sunt ab eo. » A facie ejus ignis exarsit, quando Dominus carnem assumpsit, quod indicat magnum fervorem caritatis Dei erga hominem; et tunc carbones, idest homines nigredine peccati obscurati, succensi sunt ab eo; unde homo debet accendi ad diligendum Deum. Job (26, 9): « Qui tenet vultum solii sui, et expandit nebulam suam super illud. » Tenet enim vultum solii sui, idest majestatis suæ excellentiam, quia a nobis, quanta sit, in præsenti non videtur: super quam expandit nebulam, quando carnem assumpsit. Et secundum aliam litteram (2) : « Qui tenet faciem solii, et extendit nubem super eum. Præceptum circumdedit super faciem aquarum usque ad consummationem lucis ». Per aquas homines intelliguntur, quos Deus ligavit præceptis suis, ne diffluerent eundo post concupiscentias suas, usque ad perfectionem lucis. Item Job (38, 25) : Quis dedit vehementissimo imbri cursum suum? Per imbrem prædicatio Christi intelligitur, quæ habet cursum suum; quasi dicat : Imber est prædicatio, cui dat Dominus cursum, si sit vehemens, idest inter persecutionis angustias, prædicationis impetum roborat, et currere facit, si fuerit vehemens. Vehemens esse non potest, nisi fuerint panes facti de simila purissima; quod erit, si prædicatio fuerit sine fermento hæreticæ pravitatis, sine furfure cupiditatis, sine cœno immundæ vitæ, et conversationis. Per imbrem intelligitur prædicatio Christi, quæ habet cursum suum, si sit de simila, de qua dicitur in Levitico (2, 4): De simila panes, scilicet absque fermento, ut supra expositum est; unde in Parabolis (25, 4) : « Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum. »

Quis in nubibus æquabitur Domino? Dominus dicitur hasta, et prædicatores sagitta; unde Habacuc (3, 11) : « Ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ »; quia ipse lumen de lumine suos illuminat prædicatores, qui dicuntur sagittæ ejus propter similitudinem, quam habent cum hasta. Sagitta primo emittitur ab arcu; et Christus ab arcu ve-

(1) Omnia idola, etc. Glossa interlin. in illud : « Et ingredietur Ægyptum », habet : Ad litteram; et Glossa ord. in textum integrum Isaiæ : Ascendet Dominus, etc., ait : Corpus humanum assumpsit non gravatum corruptione virilis commistionis, et cum Maria, et Joseph in Ægyptum fugit, et tunc forsitan simulacra Ægypti corruerunt, et dæmones in eis obmutuerunt. Historia vero scholastica, cujus meminit Lyranus hic in postilla, absque ulla dubitatione asserit, simulacra Ægypti ad ingressum Christi Domini corruisse.

(2) Versio græca LXX.

teris Testamenti, quod signatur per lignum, et propter vigorem juris, et ex institutione novi Testamenti, quod signatur per chordam, quam flectit lignum. Tales mitti debent ad prædicandum : oportet enim, quod habeant utriusque Testamenti notitiam ; unde Zachariæ (6, 1) : « Vidi : et ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium : et montes, montes ærei. » Quatuor quadrigæ sunt quatuor Evangeliorum prædicatores, qui debent egredi de medio duorum montium, idest duorum Testamentorum, qui montes sunt ærei, scilicet durabiles, et sonori, ex quorum medio debet exire prædicator. Dicuntur etiam ærei propter luminosam scientiam. In ære notatur bona conversatio, quæ necessaria est prædicatoribus ad alios confirmandos. Sagitta non penetrat sine ferro, non volat recte sine pennis : Hasta ejus recta debet esse. Per rectitudinem ligni signatur rectitudo verbi ; per ipsius acumen, increpatio peccatorum; in duritia ferri, invincibilitas prædicatoris. Unde Ezechielis (2, 6) : « Fili hominis, verba eorum ne timeas, et vultus eorum ne formides, quia domus exasperans est, » ecce rectitudo. Et post pauca (Ibid. 3, 8) : « Dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum ; » ecce firmitas : « Et frontem tuam duriorem frontibus eorum ; » ecce invincibilitas necessaria. Filii dura facie, et indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te : gentes apostatrices, quæ recesserunt a me (Ibid. 2, 4 et 3). In duplici penna notatur intentio ipsius prædicatoris dirigens, ut Deo obsequium, et utilitatem proximo exhibeat; quia necessaria est ei dilectio Dei, et proximi.

Differentia est inter hastam fulgurantem, idest Christum, et sagittas ejus, idest prædicatores. Christus modo fulgurat miracula illis, qui convertuntur. Fulgurabit in judicio fulgurem tormentorum; unde Isaiæ (49, 2): « Posuit os meum quasi gladium acutum. » Gladius dividit, pungit, et contundit. Sic Christus modo dividit suos a temporalibus, separando carnales affectus ab eis; unde Apostolus (Hebr. 4, 12) : « Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ, et spiritus. » Pungit in contritione: sed impœnitentes in judicio gravibus pœnis contundet, et qui hic acuti erant ad persequendos bonos; unde Proverbiorum (19, 29): « Parata sunt derisoribus judicia : et mallei percutientes stultorum corpora » (1), ut quasi ferrum candens in incude gehennæ sine fine percutiantur.

SERMO CLXVIII.

De expugnatione hostium per adventum Christi; de fortitudine, per quam nostri hostes devincuntur ; quod Deus suos servat.

Inveni David servum meum : oleo sancto meo unxi eum. (Psal. 88, 21.)

David vocat hic Dominus quemlibet virum justum; et hoc de quolibet justo potest dici. Inventionem vocat Deus hominis redemptionem, quem sanguine suo emit, et tamen gaudet quasi de invento; unde in Evangelio ipse accendit lucernam, ut inveniret drachmam suam. Isaiæ (10, 26) : « Suscitabit super eum Dominus Deus exercituum flagellum, juxta plagam Madian in petra Oreb. » Sicut enim triumphatum est de Madianitis, scilicet in confractione laguncularum, quando Madianitæ devicti sunt a Gedeone (2) : sic et Deus in fractione carnis suæ, et in manifestatione luminis divinitatis percussit plaga magna Madian, idest diabolum. *In petra Oreb.* Oreb interpretatur ardor : Petra, Christus, de qua fluxerunt sanguinis flumina, et aquæ ad extinguendum ardorem suggestionis diaboli; unde Isaiæ (10, 33 et 34) : « Dominator Deus (3) exercituum ipse confringet lagunculam in terrore, et excelsi statura succidentur, et sublimes humiliabuntur, et subvertentur condensa saltus ferro, et Libanus cum excelsis cadet. » Ad recordationem enim mortis Christi omnis sublimitas, et candor sæcularis debet cadere per humilitatem. Confregit Deus lagunculam suam in cruce, manibus expansis vulneribus factis, in terrore (4). Excelsi statura succidentur, quia omnis superbia debet succidi, et omnis

(1) Vulg. : corporibus.
(2) Judic. 7, 20 ad 22.
(3) Vulg. : Dominus.
(4) In terrore. S. Hieronymus, lib. IV Comment. in Isa., cap. 10 scribit, quod *per translationem fractæ lagunculæ, passio illius*, idest Christi Domini, demonstratur ; et Glossa interlin. istum Isaiæ textum sic interpretatur : Dominator Dominus exercituum, Pater confringet in passione lagunculam, corpus Christi terrenum, in terrore, quia terræ motus factus est magnus, monumenta aperta sunt.

candor gloriæ mundanæ, quæ signatur per Libanum, quod interpretatur candidatio.

David interpretatur manu fortis, et talis vocatur ad pugnam, qui est fortis, et constans in bonis operibus; unde Isaiæ (35, 3): « Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate. » Manus habent dissolutas avari, quas non possunt erigere ad bene operandum, quæ sunt aridæ; unde Dominus præcepit ei, qui habebat aridam manum, dicens: *Extende manum tuam* (1); quasi diceret: Extendite manum ad pinguedinem bonorum operum. Dicitur quod David habebat manum fortem, quia devicit ursum, et leonem, idest iracundiam, et luxuriam; et Goliam, idest diabolum; et David, devicto Golia, cantavit: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prœlium, et digitos meos ad bellum* (2). Augustinus (3): *De nullo* (4) *sic vincitur noster inimicus diabolus, ut de misericordia.* Qui ergo vult esse *David*, debet triumphare sicut David, qui *percussit Philisthiim, et abstulit frœnum de manu eorum* (5). Per Philisthæos intelliguntur dæmones, qui homines infrænant. Equus infrænatus comedere non potest. Posuit nobis Deus fœnum suæ carnis, ut nos spiritualiter reficeret, ne jejuni in via deficeremus: sed diabolus refrænavit homines peccatorum vinculis, ne ad istud fœnum accendant, apponens eis fœnum cupiditatis; unde Job (40, 10): *Fœnum ut bos comedet*, idest amator est terrenorum. Infrænatur autem diabolus a viro justo; unde in eodem secundo Regum (8, 2): Percussit David Moab, et mensus est funiculo, coæquans terræ. Moab interpretatur ex patre, per quod intelligitur superbia, quæ ex patre diabolo est, qui primus superbivit, quem oportet metiri funiculo, et æquari terræ triplici funiculo, scilicet subdere se majori, idest superiori, et pari, et inferiori. Sequitur ibidem (8, 13): « Fecit quoque sibi David nomen grande, cum reverteretur capta Syria in valle Salinarum. » Syria interpretatur sublimis. Hæc est superbia, quæ capitur, idest destruitur a viro sancto. His victoriis habitis, scilicet de diabolo, et superbia, insurgit *Idumæa*, idest motus carnalis contra David, qui eam subjugat in valle Salinarum, idest in maceratione carnis, quæ conservat, ne nascantur vermes conscientiæ, et signatur per sal, quod non sinit carnes vermescere.

Inveni David servum meum. Servus dicitur a servando: Servavit enim Dominus David in omnibus, ad quæcumque profectus est. Isaiæ (31, 5): « Sicut aves volantes, sic proteget Deus exercituum Israel, protegens, et liberans, transiens, et salvans. » Protegens sub alis suis, sicut gallina pullos suos, extendens brachium suum: liberans a triplici hoste, scilicet carne, mundo, et diabolo: transiens portam paradisi, amota rhomphæa, quæ nobis apparuit. Unde Michææ (2, 13): « Ascendet pandens iter ante eos: dividet (6), et transibunt portam, et ingredientur per eam: et transibit rex eorum coram eis, et Dominus in capite eorum. » Dividet, idest removebit flammeum gladium, ut sic transire possimus. *Servum meum;* unde Sophoniæ (1, 4 et 5): « Disperdam de hoc loco reliquias Baal, et nomina æditicorum cum sacerdotibus, et eos, qui jurant in Domino, et jurant in Melchom, » idest eos, qui volunt Domino, et diabolo servire, de quibus dicit: *Non potestis Deo servire, et mammonæ* (Matth. 6, 24).

Oleo sancto meo unxi eum (7). Inunctus est David primo in signum regni; per quod signatur gratiæ collatio in præsenti. Secundo super Judam (8): hæc est unctio, scilicet primæ stolæ collatio. Tertio super omnem domum Israel (9), quod interpretatur directus in Domino; et tunc directus cum Domino regnabit, et accepta secunda stola immortalitatis, omnia membra recipient suam unctionem.

SERMO CLXIX.

De beata Virgine, qualiter dicatur thronus Salomonis, qualiter comparetur soli, et lunæ.

Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum. (Psal. 88, 38.)

Hoc beatæ Virgini competit, quæ dicitur

(1) Matth. 12, 13.
(2) Psal. 143, 1.
(3) Enarrat. in Psal. 143, num. 7.
(4) De nullo, etc. In editis sic legitur: « De nulla re sic vincitur inimicus, quam cum misericordes sumus. »
(5) II Reg. 8, 1.
(6) Vulg.: divident.
(7) I Reg. 16, 13.
(8) II Reg. 2, 4.
(9) Ibid., 5, 3.

thronus Filii Dei. Thronus sedes judicis est, et qui sedet in throno, se humiliat a statura sua : sic Christus se humiliavit *formam servi accipiens* (Philip. 2, 7), in qua ipse exercebit judiciariam potestatem. De hoc throno dicit Jeremias (14, 21) : « Solii gloriæ tuæ recordare, et ne irritum facias fœdus tuum nobiscum. Solii gloriæ tuæ, idest Genitricis tuæ, quæ fuit solium tuum, recordare : « Et ne irritum facias fœdus tuum nobiscum, » ne fœdus misericordiæ tuæ, quod nobiscum pepigisti assumendo naturam nostram, evacuetur : sed per recordationem Genitricis tuæ nobis miserearis. Unde Jeremiæ (17, 12 et 13) : « Solium gloriæ altitudinis a principio, locus sanctificationis nostræ, expectatio Israel. » Ipsa beata Virgo est solium altitudinis a principio ; Filius a Patre, cujus solium est beata Virgo. Ipsa est locus sanctificationis nostræ, eo quia in ipsa inchoata fuit nostra salus; *Expectatio Israel;* hanc enim expectabant Sancti omnes. Ezechielis (1, 26) : « Super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis sapphyri similitudo throni : et super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis.» Per firmamentum Angelos intelligimus. Super istud firmamentum est beata Virgo, propterea enim exaltata est super choros Angelorum, quæ comparatur sapphyro propter tria. Sapphyrus, cum inspicitur a sole, stellam ostendit, et serenum habet colorem, scilicet æreum : stringit sanguinem : medicinalis est, quia morbum, qui vulgo dicitur superbus (1), expellit. Stellam ostendit, quod bene competit beatæ Virgini, quæ ab Angelo dicitur *Gratia plena*. Sereni coloris est : hic est color cæli, quia *Dominus* est *tecum*. Sanguinem stringit, quia ipsa maledictionem, quæ primæ mulieri facta est, abstulit, et immunis ab ea fuit; quod factum est, quando dictum est ei : *Benedicta tu in mulieribus*; Et sic restricta sunt peccata. Medicinalis est, quod ostenditur per hoc, quod sequitur : *Et benedictus fructus ventris tui*, quia per humilitatem suam superbiam stravit. De hoc throno habemus secundo Paralipomenon (9, 17 et 18) : *Fecit sibi Salomon* (2) *grandem thronum de ebore, et vestivit eum auro purissimo, in quo erant sex gradus, in quo erat scabellum aureum.* Ebur est os elephantis, qui habet inimicitias cum dracone. Per elephantem beata Virgo intelligitur, quæ habet inimicitias cum diabolo; unde in Genesi (3, 15) : « Ponam inimicitias inter te, et mulierem : et ipsa conteret caput tuum. » Ipsa vestita est auro purissimo, in quo fervor caritatis beatæ Virginis ostenditur. Per sex gradus ascenditur ad hoc solium. Hi sunt, Voti novitas, Matrimonii sanctitas, Parientis integritas, Plenitudo charismatum : hoc est, quod de ea dicitur in Canticis (7, 2) : « Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis. Per triticum signantur Martyres, quia triturati, et passi sunt pro Christo : in liliis candor, et innocentia, et munditia Confessorum, et Virginum. Lilia Virginum, violas Confessorum omnes ipsa excellit in humilitate, et in donis gratiarum. Quintus gradus est Humilitas in excellentia meritorum. Sextus, Prærogativa præmiorum. Scabellum aureum Christus est (3), ut ostendatur honorificentia, quam habet Christus ad Matrem. Est Christus Deus noster scabellum, dico au-

(1) Qui vulgo dicitur superbus, etc. Morbi genus, vel certe vocabulum Medicis prorsus ignotum. Ejusmodi appellationem tunc forte acceperat a quodam oculorum musculo, qui, Thoma Bartholino lib. III, cap. 8 Anatom. teste, « dicitur attollens, et superbus. » Sapphyrus autem, ut docet Michael Ettmullerus in suo Collegio Pharmaceutico in Schroederum cap. 5, § 9, ophthalmicus etiam habetur; unde ejus usus quibusdam multus solet esse in ophthalmiis, et nimia oculorum lippitudine ... Unde remedium egregium est in variolis, et morbillis, ad præservandos ab his oculos.

(2) Vulg. : Fecit quoque rex solium eburneum grande, et vestivit illud auro mundissimo. Sex quoque gradus, quibus ascendebatur ad solium, et scabellum aureum.

(3) *Scabellum aureum Christus est*. Illud Psal. 98 : « Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est, de Christi Domini corpore interpretantur S. Hieronymus, sive Auctor Comment. in Psalmos inter S. Hieronymi Opera : Multæ de scabello opiniones sunt, sed hic Propheta corpus Dominicum dicit, in quo majestas Divinitatis tanquam super scabellum stat. Sanctum enim eum dici sæpe docuimus. S. August. Enarrat. in eumdem Psal. n. 9. Psalmus mihi dicit : *Adorate scabellum pedum ejus :* Quæro, quod sit scabellum pedum ejus; et dicit mihi Scriptura : *Terra scabellum pedum meorum.* Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic; et invenio, quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram : quia caro de terra est, et de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit : inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Et Cassiodorus in eumdem Psalmum vers. 6, iisdem ferme verbis.

reum. Sed mirum videtur, quod ille, qui Dominus est throni, scabellum dicatur. Sed hoc bene congruit, ut scilicet ostendatur, quod Christus in se implet, quod in lege docuit observari, sanctissimæ videlicet Matri suæ honorem impendendo, ut apud homines reverentissima habeatur, quæ apud Deum tanto honore digna esse fertur.

Sicut sol in conspectu meo. Sol habet in se albedinem, claritatem, et calorem. In albedine notatur munditia virginitatis : in claritate humilitas : in calore caritatis fervor; quia sicut superbia dejecit Angelum in tenebras, sic humilitas ducit ad claritatem æternam. *Et sicut luna perfecta in æternum.* Non comparat eam perfectioni lunæ, quæ est in præsenti, cum habeat maculam; sed perfectioni lunæ, quæ erit in futuro (1), cum erit sine omni macula. Et notandum, quod prius comparat eam soli, postea lunæ : luna enim a sole lumen suum recipit. In hoc ergo docemur servare, ut quidquid boni habemus, vel luminis in nobis est, ei attribuamus, scilicet ad verum solem gratias referendo. Notandum, quod beata Virgo quidquid boni habebat, totum Deo attribuebat, quia perfectionem suam receperat ad ipso; unde in Canticis (8, 5) : « Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? » Glossa ibi : « Merito super illum innixa est, a quo solo omnis gratia. »

SERMO CLXX.

De triplici opprobrio, quo afflicti sunt, et affliguntur etiam Sancti.

Memor esto opprobrii servorum tuorum (quod continui in sinu meo) multarum gentium. Quod exprobraverunt inimici tui, Domine, quod exprobraverunt commutationem Christi tui. (Ps. 88, 51 et 52.)

In his duobus versibus triplex notatur opprobrium, quo afflicti sunt Sancti ab inimicis suis. Primo exprobrata est fides Christi, et passio : secundo tribulationum perpessio : tertio sanctitatis commutatio. In primitiva enim Ecclesia Gentiles, et Judæi exprobrabant Christi passionem, et mortem Christianis ; quod opprobrium quantum sit amplectendum, ostenditur cum dicitur : *Continui in sinu meo,* quasi in mente tanquam pretiosum reposui. Hoc est, quod dicit Sponsa in Canticis (1, 11) : « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. » Istum fasciculum debemus tenere in corde quantum carum; unde Ecclesiastici (22, 19) : « Loramentum ligneum colligatum in fundamento ædificii non dissolvetur. » In locis arenosis, vel humidis, ubi lapides non possunt fundari, suppositis trabibus colligatis superædificantur lapides. Sic et ædificium spirituale debet fundari. Per loramentum ligneum signantur omnia illa, quæ passus est Christus in ligno crucis, quæ debent poni in ædificii fundamento omnium bonorum operum, ut in altum consurgant. Sic faciebat Paulus, dicens (I Cor. 1, 23), Christus crucifixus est, et mortuus, et resurrexit pro nobis; et sic plures lucratus est Domino, prædicando ipsum passum, lignum crucis opponendo, quam dicendo : *In principio erat Verbum etc.* relinquens nobis exemplum.

Secundum opprobrium notatur hic : *Quod exprobraverunt inimici tui,* flagella, quæ sustinebant; et ostendebantur quasi derelicti, dum non liberarentur, afflicti ab inimicis Christi; unde Job (4, 6 ad 10) : « Ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, et perfectio viarum tuarum? Recordare, obsecro te, quis unquam innocens periit? aut quando recti deleti sunt? Quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos, flante Deo periisse, et spiritu iræ ejus esse consumptos. Rugitus leonis, et vox leænæ, et dentes catulorum leonis contriti sunt. » Sic faciebant mali, sive detractores bonis. Primo removebant omnem sanctitatem, postea imponebant eis vitia. Quasi diceret : Illi seminant dolores, idest culpam, et metunt eos, idest pœnam; et ita flante Domini vindicta periisse. « Rugitus leonis. » Per leonem, severitas; per leænam caro, quæ impetuose fertur ad carnalia, ad pascendum catulos suos, idest carnales affectus, ut eos pascat,

(1) *Quæ erit in futuro, etc.* S. Hieron. in illud Isaiæ 30, 26 : *Et erit lux lunæ sicut lux solis,* ait: Erit lumen lunæ, sicut lumen solis, quando dederit Dominus cœlum novum, et terram novam, et transierit habitus mundi hujus, ut luna et sol laboris et cursus sui præmia consequantur; et paulo post: Luna ergo solis fulgorem accipiet. Nec mirum hoc de clarissimo sentire elemento, cui principatus noctis est traditus, cum de Sanctis quoque scriptum sit : *Fulgebunt justi quasi sol.*

vel impleat. Per *dentes leonum*, qui feri sunt, et vorantes, signatur fera rapacitas. Ita flebat sanctis opprobrium : Cum essent justi, reputabantur a malis injusti; unde sequitur (Ibid., 4, 11) : « Tigris periit, eo quod non haberet prædam, et catuli leonum (1) dissipati sunt. » Prædam facit, qui aliena bona sibi rapit; quod facit malus, attribuens sibi quod non est suum : quod improperatur sanctis.

Tertium opprobrium notatur sic : *Quod exprobraverunt commutationem Christi tui*. Commutationem facit Christus. Commutatio Christi est, cum facit de ebrio sobrium, de luxurioso castum. Hæc est commutatio dexteræ excelsi. Job (12, 4) : « Qui deridetur ab amico suo, sicut ego; » et sic deridetur ille, qui sic commutatur : invocabit Deum, et exaudiet eum. Ubi Gregorius (2) dicit : « Quia illum facit humana derisio Deo proximum, quem ab humanis pravitatibus vitæ innocentia servat alienum »; unde, deridetur justi simplicitas, quia a sapientibus mundi simplicitatis virtus fatuitas creditur; et (Job, 12, 5), « lampas contempta apud cogitationes divitum parata ad tempus statutum. » Et lampas dicitur, et contempta : lampas, quia interius lucet; contempta, quia apud mentes carnalium abjecta existimatur. Sed ipsa est parata ad tempus statutum. Contemptæ lampadis tempus est extremi judicii prædestinata dies, quando justus quisque, qui nunc despicitur, quanto splendore fulgeat, demonstrabitur. Quam vero sit nociva hæc derisio, et ab ea sit abstinendum, dicit Ecclesiasticus (28, 21) : « Flagelli plaga livorem facit : plaga autem linguæ comminuet ossa. » Plaga enim linguæ repellit homines a bonis inchoatis, et ad pravam conversationem inducit, et ita comminuit ossa, idest omnes virtutes, quæ ipsam animam sustentant. Plaga autem linguæ comminuet ossa. Per hujusmodi enim derisionem in multis ossa, idest fortitudo virtutum conteritur, et a bonis operibus retrahuntur.

(1) Vulg. : leonis.
(2) Moral., lib. X, in cap. 12 Job, n. 47.
(3) Vulg. : scitis, quia prope est.

SERMO CLXXI.

De triplici die cum suis vesperis, scilicet die mundi, die vitæ, die justitiæ; de malis nostris operibus.

Omnes dies nostri defecerunt, et in ira tua defecimus. Anni nostri sicut aranea meditabuntur. (Psal. 89, 9 et 10.)

Dies nostri defecerunt, quia venerunt ad vesperam; unde debemus dicere cum discipulis : *Mane nobiscum*, Domine, *quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies* (Lucæ, 24, 29). Et quare veniunt dies nostri ad vesperam? Quia mundus est prope vesperam suam. Unde notandum, quod est dies mundi, et est dies humanæ vitæ, et est dies justitiæ. Dies mundi, cujus jam est vespera, notatur in Evangelio (Matth., 24, 32) : « Ab arbore autem fici discite parabolam; cum jam ramus ejus tener fuerit, et folia nata, cognoscetis, quia in proximo sit (3) æstas. » Mundus arbori comparatur, cujus fructus ruina est : ad hoc enim crescit, ut cadat : ad hoc germinat, ut ejus fructus (4) cladibus consumat, ut dicit Gregorius (5) : Ruina corruit prosperitas, et vita longa, et qui majoris sublimitatis fuit, quam modo sit : sicut sol contra meridiem ferventior, cum ad vesperam tendit, tepidior. Sex dies fecit Deus cum vespera, et septimam sine vespera. Sex dies fecit cum vespera, quia quidquid propter præsentem vitam fit, vesperam habebit, vel absorbebitur a tenebris; quod autem fit pro septima, scilicet pro vita spirituali, totum caret vespera; unde in Apocalypsi (21, 23) : « Civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus. » Et bene lucerna dicitur, in qua sub pelle invenitur luminare; quia humana carne divinitas tecta est ad sanctorum illuminationem.

Sunt dies vitæ humanæ de quibus dicit Job (4, 19 et 20): « Qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea, de mane usque ad vesperam succidentur. » Nos sumus, qui habemus domos luteas, scilicet corda nostra, quæ sunt terrenum fundamentum. Tinea de veste nascitur, et oriendo eam corrumpit. Vestis animæ, caro, unde nas-

(4) In edit., ut quæcunque germinaverit.
(5) Homil. I in Evang.

candor gloriæ mundanæ, quæ signatur per Libanum, quod interpretatur candidatio.

David interpretatur manu fortis, et talis vocatur ad pugnam, qui est fortis, et constans in bonis operibus; unde Isaiæ (35, 3): « Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate. » Manus habent dissolutas avari, quas non possunt erigere ad bene operandum, quæ sunt aridæ; unde Dominus præcepit ei, qui habebat aridam manum, dicens: *Extende manum tuam* (1); quasi diceret: Extendite manum ad pinguedinem bonorum operum. Dicitur quod David habebat manum fortem, quia devicit ursum, et leonem, idest iracundiam, et luxuriam; et Goliam, idest diabolum; et David, devicto Golia, cantavit: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum* (2). Augustinus (3): *De nullo* (4) *sic vincitur noster inimicus diabolus, ut de misericordia.* Qui ergo vult esse *David*, debet triumphare sicut David, qui *percussit Philisthiim, et abstulit frænum de manu eorum* (5). Per Philisthæos intelliguntur dæmones, qui homines infrænant. Equus infrænatus comedere non potest. Posuit nobis Deus fœnum suæ carnis, ut nos spiritualiter reficeret, ne jejuni in via deficeremus: sed diabolus refrænavit homines peccatorum vinculis, ne ad istud fœnum accendant, apponens eis fœnum cupiditatis; unde Job (40, 10): *Fœnum ut bos comedet*, idest amator est terrenorum. Infrænatur autem diabolus a viro justo; unde in eodem secundo Regum (8, 2): Percussit David Moab, et mensus est funiculo, coæquans terræ. Moab interpretatur ex patre, per quod intelligitur superbia, quæ ex patre diabolo est, qui primus superbivit, quem oportet metiri funiculo, et æquari terræ triplici funiculo, scilicet subdere se majori, idest superiori, et pari, et inferiori. Sequitur ibidem (8, 13): « Fecit quoque sibi David nomen grande, cum reverteretur capta Syria in valle Salinarum. » Syria interpretatur sublimis. Hæc est superbia, quæ capitur, idest destruitur a viro sancto. His victoriis habitis, scilicet de diabolo, et superbia, insurgit *Idumæa*, idest motus carnalis contra David, qui eam subjugat in valle Salinarum, idest in maceratione carnis, quæ conservat, ne nascantur vermes conscientiæ, et signatur per sal, quod non sinit carnes vermescere.

Inveni David servum meum. Servus dicitur a servando: Servavit enim Dominus David in omnibus, ad quæcumque profectus est. Isaiæ (31, 5): « Sicut aves volantes, sic proteget Deus exercituum Israel, protegens, et liberans, transiens, et salvans. » Protegens sub alis suis, sicut gallina pullos suos, extendens brachium suum: liberans a triplici hoste, scilicet carne, mundo, et diabolo: transiens portam paradisi, amota rhomphæa, quæ nobis apparuit. Unde Michææ (2, 13): « Ascendet pandens iter ante eos: dividet (6), et transibunt portam, et ingredientur per eam: et transibit rex eorum coram eis, et Dominus in capite eorum. » Dividet, idest removebit flammeum gladium, ut sic transire possimus. *Servum meum;* unde Sophoniæ (1, 4 et 5): « Disperdam de hoc loco reliquias Baal, et nomina æditorum cum sacerdotibus, et eos, qui jurant in Domino, et jurant in Melchom, » idest eos, qui volunt Domino, et diabolo servire, de quibus dicit: *Non potestis Deo servire, et mammonæ* (Matth. 6, 24).

Oleo sancto meo unxi eum (7). Inunctus est David primo in signum regni; per quod signatur gratiæ collatio in præsenti. Secundo super Judam (8): hæc est unctio, scilicet primæ stolæ collatio. Tertio super omnem domum Israel (9), quod interpretatur directus in Domino; et tunc directus cum Domino regnabit, et accepta secunda stola immortalitatis, omnia membra recipient suam unctionem.

SERMO CLXIX.

De beata Virgine, qualiter dicatur thronus Salomonis, qualiter comparetur soli, et lunæ.

Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum. (Psal. 88, 38.)

Hoc beatæ Virgini competit, quæ dicitur

(1) Matth. 12, 13.
(2) Psal. 143, 1.
(3) Enarrat. in Psal. 143, num. 7.
(4) De nullo, etc. In editis sic legitur: « De nulla re sic vincitur inimicus, quam cum misericordes sumus. »
(5) II Reg. 8, 1.
(6) Vulg.: divident.
(7) I Reg. 16, 13.
(8) II Reg. 2, 4.
(9) Ibid., 5, 3.

thronus Filii Dei. Thronus sedes judicis est, et qui sedet in throno, se humiliat a statura sua : sic Christus se humiliavit *formam servi accipiens* (Philip. 2, 7), in qua ipse exercebit judiciariam potestatem. De hoc throno dicit Jeremias (14, 21) : « Solii gloriæ tuæ recordare, et ne irritum facias fœdus tuum nobiscum. Solii gloriæ tuæ, idest Genitricis tuæ, quæ fuit solium tuum, recordare : « Et ne irritum facias fœdus tuum nobiscum, » ne fœdus misericordiæ tuæ, quod nobiscum pepigisti assumendo naturam nostram, evacuetur : sed per recordationem Genitricis tuæ nobis miserearis. Unde Jeremiæ (17, 12 et 13) : « Solium gloriæ altitudinis a principio, locus sanctificationis nostræ, expectatio Israel. » Ipsa beata Virgo est solium altitudinis a principio ; Filius a Patre, cujus solium est beata Virgo. Ipsa est locus sanctificationis nostræ, eo quia in ipsa inchoata fuit nostra salus; *Expectatio Israel;* hanc enim expectabant Sancti omnes. Ezechielis (1, 26) : « Super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis sapphyri similitudo throni : et super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis.» Per firmamentum Angelos intelligimus. Super istud firmamentum est beata Virgo, propterea enim exaltata est super choros Angelorum, quæ comparatur sapphyro propter tria. Sapphyrus, cum inspicitur a sole, stellam ostendit, et serenum habet colorem, scilicet æreum : stringit sanguinem : medicinalis est, quia morbum, qui vulgo dicitur superbus (1), expellit. Stellam ostendit, quod bene competit beatæ Virgini, quæ ab Angelo dicitur *Gratia plena*. Sereni coloris est : hic est color cæli, quia *Dominus* est *tecum*. Sanguinem stringit, quia ipsa maledictionem, quæ primæ mulieri facta est, abstulit, et immunis ab ea fuit; quod factum est, quando dictum est ei : *Benedicta tu in mulieribus*; Et sic restricta sunt peccata. Medicinalis est, quod ostenditur per hoc, quod sequitur : *Et benedictus fructus ventris tui*, quia per humilitatem suam superbiam stravit. De hoc throno habemus secundo Paralipomenon (9, 17 et 18) : *Fecit sibi Salomon* (2) *grandem thronum de ebore, et vestivit eum auro purissimo, in quo erant sex gradus, in quo erat scabellum aureum*. Ebur est os elephantis, qui habet inimicitias cum dracone. Per elephantem beata Virgo intelligitur, quæ habet inimicitias cum diabolo; unde in Genesi (3, 15) : « Ponam inimicitias inter te, et mulierem : et ipsa conteret caput tuum. » Ipsa vestita est auro purissimo, in quo fervor caritatis beatæ Virginis ostenditur. Per sex gradus ascenditur ad hoc solium. Hi sunt, Voti novitas, Matrimonii sanctitas, Parientis integritas, Plenitudo charismatum : hoc est, quod de ea dicitur in Canticis (7, 2) : « Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis. Per triticum signantur Martyres, quia triturati, et passi sunt pro Christo : in liliis candor, et innocentia, et munditia Confessorum, et Virginum. Lilia Virginum, violas Confessorum omnes ipsa excellit in humilitate, et in donis gratiarum. Quintus gradus est Humilitas in excellentia meritorum. Sextus, Prærogativa præmiorum. Scabellum aureum Christus est (3), ut ostendatur honorificentia, quam habet Christus ad Matrem. Est Christus Deus noster scabellum, dico au-

(1) Qui vulgo dicitur superbus, etc. Morbi genus, vel certe vocabulum Medicis prorsus ignotum. Ejusmodi appellationem tunc forte acceperat a quodam oculorum musculo, qui, Thoma Bartholino lib. III, cap. 8 Anatom. teste, « dicitur attollens, et superbus. » Sapphyrus autem, ut docet Michael Ettmullerus in suo Collegio Pharmaceutico in Schroederum cap. 5, § 9, ophthalmicus etiam habetur; unde ejus usus quibusdam multus solet esse in ophthalmiis, et nimia oculorum lippitudine ... Unde remedium egregium est in variolis, et morbillis, ad præservandos ab his oculos.

(2) Vulg. : Fecit quoque rex solium eburneum grande, et vestivit illud auro mundissimo. Sex quoque gradus, quibus ascendebatur ad solium, et scabellum aureum.

(3) *Scabellum aureum Christus est.* Illud Psal. 98 : « Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est, de Christi Domini corpore interpretantur S. Hieronymus, sive Auctor Comment. in Psalmos inter S. Hieronymi Opera : Multæ de scabello opiniones sunt, sed hic Propheta corpus Dominicum dicit, in quo majestas Divinitatis tanquam super scabellum stat. Sanctum enim eum dici sæpe docuimus. S. August. Enarrat. in eumdem Psal. n. 9. Psalmus mihi dicit : *Adorate scabellum pedum ejus* : Quæro, quod sit scabellum pedum ejus; et dicit mihi Scriptura : *Terra scabellum pedum meorum*. Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic; et invenio, quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram : quia caro de terra est, et de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit : inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Et Cassiodorus in eumdem Psalmum vers. 6, iisdem ferme verbis.

reum. Sed mirum videtur, quod ille, qui Dominus est throni, scabellum dicatur. Sed hoc bene congruit, ut scilicet ostendatur, quod Christus in se implet, quod in lege docuit observari, sanctissimæ videlicet Matri suæ honorem impendendo, ut apud homines reverentissima habeatur, quæ apud Deum tanto honore digna esse fertur.

Sicut sol in conspectu meo. Sol habet in se albedinem, claritatem, et calorem. In albedine notatur munditia virginitatis : in claritate humilitas : in calore caritatis fervor; quia sicut superbia dejecit Angelum in tenebras, sic humilitas ducit ad claritatem æternam. *Et sicut luna perfecta in æternum.* Non comparat eam perfectioni lunæ, quæ est in præsenti, cum habeat maculam; sed perfectioni lunæ, quæ erit in futuro (1), cum erit sine omni macula. Et notandum, quod prius comparat eam soli, postea lunæ : luna enim a sole lumen suum recipit. In hoc ergo docemur servare, ut quidquid boni habemus, vel luminis in nobis est, ei attribuamus, scilicet ad verum solem gratias referendo. Notandum, quod beata Virgo quidquid boni habebat, totum Deo attribuebat, quia perfectionem suam receperat ad ipso; unde in Canticis (8, 5) : « Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? » Glossa ibi : « Merito super illum innixa est, a quo solo omnis gratia. »

SERMO CLXX.

De triplici opprobrio, quo afflicti sunt, et affliguntur etiam Sancti.

Memor esto opprobrii servorum tuorum (quod continui in sinu meo) multarum gentium. Quod exprobraverunt inimici tui, Domine, quod exprobraverunt commutationem Christi tui. (Ps. 88, 51 et 52.)

In his duobus versibus triplex notatur opprobrium, quo afflicti sunt Sancti ab inimicis suis. Primo exprobrata est fides Christi, et passio : secundo tribulationum perpessio : tertio sanctitatis commutatio. In primitiva enim Ecclesia Gentiles, et Judæi exprobrabant Christi passionem, et mortem Christianis ; quod opprobrium quantum sit amplectendum, ostenditur cum dicitur : *Continui in sinu meo,* quasi in mente tanquam pretiosum reposui. Hoc est, quod dicit Sponsa in Canticis (1, 11) : « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. » Istum fasciculum debemus tenere in corde quantum carum; unde Ecclesiastici (22, 19) : « Loramentum ligneum colligatum in fundamento ædificii non dissolvetur. » In locis arenosis, vel humidis, ubi lapides non possunt fundari, suppositis trabibus colligatis superædificantur lapides. Sic et ædificium spirituale debet fundari. Per loramentum ligneum signantur omnia illa, quæ passus est Christus in ligno crucis, quæ debent poni in ædificii fundamento omnium bonorum operum, ut in altum consurgant. Sic faciebat Paulus, dicens (I Cor. 1, 23), Christus crucifixus est, et mortuus, et resurrexit pro nobis; et sic plures lucratus est Domino, prædicando ipsum passum, lignum crucis opponendo, quam dicendo : *In principio erat Verbum etc.* relinquens nobis exemplum.

Secundum opprobrium notatur hic : *Quod exprobraverunt inimici tui,* flagella, quæ sustinebant; et ostendebantur quasi derelicti, dum non liberarentur, afflicti ab inimicis Christi; unde Job (4, 6 ad 10) : « Ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, et perfectio viarum tuarum? Recordare, obsecro te, quis unquam innocens periit? aut quando recti deleti sunt? Quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos, flante Deo periisse, et spiritu iræ ejus esse consumptos. Rugitus leonis, et vox leænæ, et dentes catulorum leonis contriti sunt. » Sic faciebant mali, sive detractores bonis. Primo removebant omnem sanctitatem, postea imponebant eis vitia. Quasi diceret : Illi seminant dolores, idest culpam, et metunt eos, idest pœnam; et ita flante Domini vindicta periisse. « Rugitus leonis. » Per leonem, severitas; per leænam caro, quæ impetuose fertur ad carnalia, ad pascendum catulos suos, idest carnales affectus, ut eos pascat,

(1) *Quæ erit in futuro, etc.* S. Hieron. in illud Isaiæ 30, 26 : *Et erit lux lunæ sicut lux solis,* ait: Erit lumen lunæ, sicut lumen solis, quando dederit Dominus cœlum novum, et terram novam, et transierit habitus mundi hujus, ut luna et sol laboris et cursus sui præmia consequantur; et paulo post: Luna ergo solis fulgorem accipiet. Nec mirum hoc de clarissimo sentire elemento, cui principatus noctis est traditus, cum de Sanctis quoque scriptum sit : *Fulgebunt justi quasi sol.*

vel impleat. Per *dentes leonum*, qui feri sunt, et vorantes, signatur fera rapacitas. Ita flebat sanctis opprobrium : Cum essent justi, reputabantur a malis injusti; unde sequitur (Ibid., 4, 11) : « Tigris periit, eo quod non haberet prædam, et catuli leonum (1) dissipati sunt. » Prædam facit, qui aliena bona sibi rapit; quod facit malus, attribuens sibi quod non est suum : quod improperatur sanctis.

Tertium opprobrium notatur sic : *Quod exprobraverunt commutationem Christi tui*. Commutationem facit Christus. Commutatio Christi est, cum facit de ebrio sobrium, de luxurioso castum. Hæc est commutatio dexteræ excelsi. Job (12, 4) : « Qui deridetur ab amico suo, sicut ego; » et sic deridetur ille, qui sic commutatur : invocabit Deum, et exaudiet eum. Ubi Gregorius (2) dicit : « Quia illum facit humana derisio Deo proximum, quem ab humanis pravitatibus vitæ innocentia servat alienum »; unde, deridetur justi simplicitas, quia a sapientibus mundi simplicitatis virtus fatuitas creditur; et (Job, 12, 5), « lampas contempta apud cogitationes divitum parata ad tempus statutum. » Et lampas dicitur, et contempta : lampas, quia interius lucet; contempta, quia apud mentes carnalium abjecta existimatur. Sed ipsa est parata ad tempus statutum. Contemptæ lampadis tempus est extremi judicii prædestinata dies, quando justus quisque, qui nunc despicitur, quanto splendore fulgeat, demonstrabitur. Quam vero sit nociva hæc derisio, et ab ea sit abstinendum, dicit Ecclesiasticus (28, 21) : « Flagelli plaga livorem facit : plaga autem linguæ comminuet ossa. » Plaga enim linguæ repellit homines a bonis inchoatis, et ad pravam conversationem inducit, et ita comminuit ossa, idest omnes virtutes, quæ ipsam animam sustentant. Plaga autem linguæ comminuet ossa. Per hujusmodi enim derisionem in multis ossa, idest fortitudo virtutum conteritur, et a bonis operibus retrahuntur.

(1) Vulg. : leonis.
(2) Moral., lib. X, in cap. 12 Job, n. 47.
(3) Vulg. : scitis, quia prope est.

SERMO CLXXI.

De triplici die cum suis vesperis, scilicet die mundi, die vitæ, die justitiæ; de malis nostris operibus.

Omnes dies nostri defecerunt, et in ira tua defecimus. Anni nostri sicut aranea meditabuntur. (Psal. 89, 9 et 10.)

Dies nostri defecerunt, quia venerunt ad vesperam; unde debemus dicere cum discipulis : *Mane nobiscum*, Domine, *quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies* (Lucæ, 24, 29). Et quare veniunt dies nostri ad vesperam? Quia mundus est prope vesperam suam. Unde notandum, quod est dies mundi, et est dies humanæ vitæ, et est dies justitiæ. Dies mundi, cujus jam est vespera, notatur in Evangelio (Matth., 24, 32) : « Ab arbore autem fici discite parabolam; cum jam ramus ejus tener fuerit, et folia nata, cognoscetis, quia in proximo sit (3) æstas. » Mundus arbori comparatur, cujus fructus ruina est : ad hoc enim crescit, ut cadat : ad hoc germinat, ut ejus fructus (4) cladibus consumat, ut dicit Gregorius (5) : Ruina corruit prosperitas, et vita longa, et qui majoris sublimitatis fuit, quam modo sit : sicut sol contra meridiem ferventior, cum ad vesperam tendit, tepidior. Sex dies fecit Deus cum vespera, et septimam sine vespera. Sex dies fecit cum vespera, quia quidquid propter præsentem vitam fit, vesperam habebit, vel absorbebitur a tenebris; quod autem fit pro septima, scilicet pro vita spirituali, totum caret vespera; unde in Apocalypsi (21, 23) : « Civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus. » Et bene lucerna dicitur, in qua sub pelle invenitur luminare; quia humana carne divinitas tecta est ad sanctorum illuminationem.

Sunt dies vitæ humanæ de quibus dicit Job (4, 19 et 20): « Qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea, de mane usque ad vesperam succidentur. » Nos sumus, qui habemus domos luteas, scilicet corda nostra, quæ sunt terrenum fundamentum. Tinea de veste nascitur, et oriendo eam corrumpit. Vestis animæ, caro, unde nas-

(4) In edit., ut quæcunque germinaverit.
(5) Homil. I in Evang.

citur tentatio carnalis, per quam in interitum pervenit. Et tinea damnum facit, sed non sonat. Ita mentes iniquorum perdunt innocentiam, sed prout est, non percipiunt, curis sæculi occupati, et postea vitam perdunt, unde de mane usque ad vesperam succidentur. Unde in Cantico Ezechiæ : « Præcisa est velut a texente vita mea » (Isa., 38, 12). Velut a texente, dicit. Texitur vita hominis, orditur, præciditur. Sic est a texente : dum vult, præcidit telam suam, et quando vult, scilicet in principio, medio, et fine. Sic multi rapiuntur in pueritia, vel in adolescentia, vel in juventute, et non perveniunt ad annorum perfectionem, vel consummationem, cum putent diu vivere.

Est dies justitiæ, de qua Job (7, 4) : « Si dormiero, dicam : Quando consurgam? Et rursum expectabo vesperam, et replebor doloribus usque ad tenebras. » Et bene possumus ista cum Job dicere : *Si dormiero*, etc. Unde Gregorius (1) : « Mens hominis, quæ stare noluit, cum potuit, jam non potest stare, etiam cum voluerit, sed semper desideriis variatur, ut quietus actionem desideret, occupatus quietem. » Vel dormire est in peccatis quiescere, vel jacere, a quibus resurgere conatur justus; sed cum surrexerit, ipse se extolli virtutibus sentit. Vespera est tentatio peccati, quæ non timeri, sed expectari a justo dicitur, quæ quamvis lucem obscuret justitiæ, non extinguit, et tandem ad majorem lucem proficit. Obscurare autem habet tentatio, quia tentatio est fumus; unde Job (41, 11) dicit de diabolo : « De naribus ejus procedit fumus, sicut ollæ succensæ, atque ferventis. » De naribus, idest suggestionibus procedit fumus, idest suggestio nebulosa, quæ diem justitiæ perturbat, quia de caliditate diaboli procedit fumus. Gregorius (2) : « De naribus ejus fumus ascendere asseritur, cum noxiis inspirationibus pravitas in humanis cordibus nascitur, per quam acies mentis obtunditur. » Olla succenditur, ut homo maligni hostis suasionibus instigetur. Olla enim fervet, cum jam etiam per consensum in desideriis pravæ cogitationis accenditur; et tot undas, quasi fervendo ejicit, per quot nequitias se ad exteriora opera extendit. Leviathan tanto halitu prunas ardere facit, quanto nisu suggestionis occultæ humanas mentes ad illicita inflammat.

In ira tua defecimus; unde Job (14, 2) : « Quasi flos egreditur, et conteritur, » quia viret in carne, sed conteritur, quia regreditur in putredinem. Et fugit velut umbra. « Qui in amore Dei calorem cordis non habet, nec vitam, quam diligit, tenet. Nam semper inde deficit, unde se proficere in spatium vitæ credit » (3). Sequitur : *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*, quia circa temporalia occupati, sine utilitate, et fructu boni operis transeunt. Simile habetur in alio Psalmo (38, 12) : « Tabescere fecisti sicut araneam animam ejus; » unde Isaiæ (59, 4 et 5) : « Conceperunt laborem, et parturierunt (4) iniquitatem : ova aspidum ruperunt, telas araneæ texerunt : qui comederit de ovis eorum, morietur : et quod confotum est, erumpet in regulum; » quia signat illos, quorum verbum perversum non solum interficit ambulantem in terra, sed etiam volantem in cœlum conversatione bona. « Telæ eorum non erunt eis (5) vestimentum » (Isa., 59, 6), idest terrenæ actiones dolosæ, quibus capiunt muscam, idest diabolum, qui erit eis in confusionem. « Ova aspidum ruperunt, et telas araneæ texerunt. » Aspis ad primam vocem incantatoris, terræ adhærens, aures obturat, ne possit incantari. Tales sunt amatores terrenorum, qui ad vocem prædicatorum mentem obturantes, et obstruentes, non possunt educi de cavernis, et latibulis vitiorum. Ova sunt cogitationes perversæ, de quibus educuntur prava opera in manifestationem; et ita texunt telas araneæ, idest operationes pravas, et inutiles. Sequitur : Qui comederit de ovis eorum, morietur : et quod confotum est, erumpet in regulum; quia qui eorum consiliis consentiunt, moriuntur. Et non solum flatu verborum suorum ambulantes circa terram interficiunt, sicut regulus, sed etiam volantes, idest sanctos viros alis virtutum cœlestia appetentes. Sed telæ eorum non erunt eis in vestimentum animæ, neque operientur operibus suis contra gelu frigoris infernalis; imo, ut dicitur in eodem Isaia (19, 9) : « Confundentur, qui operabantur linum, pectentes, et texentes subtilia. »

(1) Moral., lib. VIII, in cap. 7 Job, n. 19.
(2) Moral., lib. XXXIII, in cap. 41 Job, n. 63.
(3) S. Greg., Moral., lib. XI, in c. 14 Job, n. 68.

(4) Vulg. : pepererunt.
(5) Vulg. : in.

SERMO CLXXII.

De refrigerio, et protectione, quam Christus contulit nobis in passione per crucem suam.

Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis : scuto circumdabit te veritas ejus. (Psal. 90, 4 et 5.)

Christus *scapulis suis*, sive in humeris suis crucem portavit, et quasi pennas habuit in brachiis, scilicet brachiis crucis, in quibus brachiis fecit nobis scutum. Scutum est corium in ligno extensum; et Christus extensus est in ligno, ut nobis fieret scutum in refrigerium contra ardorem tribulationis, et contra insultus tentationis. *Scapulis obumbrabit.* Umbram facit nobis Christus in refrigerium contra triplicem ardorem, scilicet contra ardorem divinæ ultionis, contra ardorem tentationis, contra ardorem tribulationis. Unde Isaiæ (4, 5 et 6) : « Erit protectio, et tabernaculum in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem, et absconsionem a turbine, et a pluvia. » Tabernaculum, scilicet humanitas Christi, quam assumpsit, ut in illa militaret pro nobis, ipsa est nobis umbraculum; unde in Canticis (2, 3) : « Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi : et fructus ejus dulcis gutturi meo. Bene dicit, fructus ejus dulcis gutturi meo, » quia alius cibus transitorius, dulcis est palato; ejus fructus, scilicet passio, delectabilis est mentis stomacho. Hæc est in securitatem contra ardorem divinæ ultionis, intercedens pro nobis : et absconsionem a turbine tentationis, et a pluvia tribulationis.

Scapulis suis obumbrat contra ignem divinæ ultionis; unde Apostolus ad Colossenses (2, 13 et 14) : « Donans nobis (1) omnia delicta : delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci; » quia Christus condonavit nobis omnia delicta originalia, et actualia; quod signum est, quod etiam pœnam tollet, et chirographum, quod est adversum nos, quia conscientia nostra, et diabolus habebit quid objiciat. Sub pennis ejus sperabis contra ardorem tribulationis; unde Isaiæ (40, 31) : « Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current, et non laborabunt, ambulabunt, et non deficient. » Hic est, qui habitat in adjutorio Altissimi : Ipse mutabitur de mundana conversatione : assumet pennas sicut aquilæ, idest Christi, qui est aquila; unde in Cantico Deuteronomii (32, 11) : *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, etc.* Assumendo crucem possumus volare ad cœlum. Brachia crucis sunt alæ : pennæ sunt contemptus sui, et contemptus terrenorum. Hæc est ala sinistra, quæ est in tribus, in damnatione rerum temporalium, et in angariis operum, et in afflictione proprii corporis. Hanc debemus extendere ad Christum. Altera ala est dextera, scilicet desiderium æternæ felicitatis. Utraque volandum, et extendendum ad felicitatem æternam.

Sequitur : *Scuto circumdabit te* contra omnes tentationes. Qui circumdatus est in scuto, protegit se contra omnia jacula. Hæc est passio Christi, quæ est liber, signum, scutum; unde si tentetur quis superbia, invenit protectionem crucis ignominiam, qua debet humiliari. Si alicui videtur pœnitentia gravis, habeat memoriam passionis Christi, quæ tam dura, et aspera fuit. Unde in Luca (23, 31) ipse Dominus ait : « Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? » Hoc est : Si ego, qui viridis sum omni gratiarum humore, qui sine peccato sum, qui lignum vitæ dictus affero fructum gratiæ, sine igne passionis de mundo non exeo : quæ tormenta manent in illos, qui fructu sunt vacui? Invenit etiam contra torporem, passionis agoniam; contra somnolentiam, excitationem; unde (Matth. 26, 40) : « *Non potuistis una hora vigilare mecum?* » Contra gulæ delectationem aceti acredinem, quod debet semper habere in memoria, et intingere buccellam, ut sic gulositas auferatur.

SERMO CLXXIII.

Quod Apostoli dicuntur pedes Christi.

In manibus portabunt te, ne unquam (2) *offendas ad lapidem pedem tuum.* (Psal. 90, 12.)

Hic non Salvatoris infirmitas, sed Angelorum obsequentium subjectio, et exultatio quasi manibus plaudentium, demonstratur; unde Habacuc (3, 10) : « Dedit abyssus vo-

(1) Vulg. : vobis.

(2) *Ne unquam.* Sic legunt S. Gregorius in An-

cem suam : manus suas altitudo levavit. » Inferi dederunt vocem suam, quando Christus eduxit vinctos de lacu, in quo non erat (1) aqua, ut dicit Zacharias (9, 11) : Altitudo, idest Angeli, levavit manus suas; scilicet, ut dicit Hieronymus (2) : « Angeli plausu elevatarum manuum Christum victorem demonstraverunt. » Aperte hic ostenditur Christi magnificentia. Ille enim, qui portatur, major, et eminentior est aliis, a quibus portatur; unde (Psal. 8, 3) : Elevata est magnificentia tua super cœlos. Et super Angelos ascendit, ut mitteret Spiritum Sanctum, ne pedes ejus, idest Apostoli offenderent; unde Ezechielis (10, 2) : « Dixit ad virum, qui erat indutus lineis : Ingredere in medio rotarum, quæ sunt subtus cherubim, et imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter cherubim. » Vir iste indutus lineis est Jesus, qui ablatis sordidis vestibus ascendit, unde Zachariæ (3, 3) : « Et Jesus erat indutus vestibus sordidis, » idest mortalitatis. Indutus est in morte, sed nunquam sordida vestimenta habuit, cum immunis ab omni peccato fuerit; sed hoc dicit propter hoc, quod dicitur in Isaia (53, 1) : « Nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. » Dicit Hieronymus (3) : « Quia sordidis ille indutus est, nos in eo resurgentes, candida semper habebimus vestimenta. » Sequitur : « Ingressus est in medio rotarum. » Per rotam nostra mortalitas signatur, quia egredimur a terra, et regredimur ad terram; quam Christus assumpsit, et ideo factus est subtus, quia minoratus paulo minus ab Angelis » (Hebr. 2, 9) (4). Et implevit manum suam prunis, quæ erant super cherubim, idest super plenitudinem scientiæ, quia prunis caritatis implevit Apostolos in die Pentecostes, ut pes suus, idest Apostoli (5), qui dicuntur pes, non offenderet ad lapidem legis, quæ dicitur lapis, quia lex scripta fuit in lapide, et propter duritiam ejus, et Judæorum. Vel : ne offendas ad lapidem pedum tuum, idest ad Christum, qui dicitur lapis; unde Isaiæ (8, 14 et 15): Ipse « erit vobis in sanctificationem : in lapidem autem offensionis, et in petram scandali, duabus domibus Israel; in laqueum, et ruinam habitantibus Jerusalem. Et offendent ex eis plurimi, et cadent, et conterentur, et irretientur, » scilicet peccatorum funiculis, et capientur. Christus est lapis, et petra scandali non credentibus, idest occasio ruinæ, unde in Evangelio (Luc. 2, 34) : « Positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum, cui contradicetur. » In ruinam per occasionem : in resurrectionem per officium, ne offendat ad lapidem peccati; unde Job (28, 3 et 4) : « Lapidem caliginis, et umbram mortis dividit torrens a populo peregrinante, qui cognoscit se advenam, et peregrinum sicut omnes patres mei. »

Pedes Christi dicuntur Apostoli; unde Isaiæ (52, 7) : « Quam pulchri super montes pedes annunciantis, et prædicantis pacem; annunciantis bonum, prædicantis salutem. » De his pedibus habemus in Deuteronomio in fine (33, 24 et 25) : « Benedictus in filiis Aser, tingat in oleo pedem suum. Ferrum, et æs calceamentum ejus. » Aser beatus interpretatur, et significat Christum, qui tinxit in oleo pedem suum in die Pentecostes, quando abundantia Spiritus Sancti repleti sunt Apostoli. « Ferrum, et æs calceamentum ejus. » Qui calcat super serpentes, et scorpiones, necesse habet exemplis Sanctorum muniri. De eodem, Job (29, 2 et 6) : « Quis mihi det, ut sim juxta menses pristinos, secundum dies, quibus Deus custodiebat me? Quando lavabam pedes meos butyro, et petra fundebat mihi rivos olei? » Butyro pedes lavantur, idest pinguedine boni operis mundatur pulvis. In oleo, abundantia Spiritus Sancti; unde (Psal. 45, 5) : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. » Vel sic : Loti sunt pedes butyro, quando in Pentecoste pinguedine gratiæ Apostoli sunt repleti. Sed in cruce Petra effudit rivos olei, quia tunc largiter Christus petra dona sua spiritualia ministravit. In Deuteronomio (33, 22) : « Dan catulus leonis fluet largiter

tiphonario, tom. III, edit. Maur. Paris., col. 669. Cassiodorus, et Glossa marginalis. Sed Vulg. : *ne forte*.

(1) Vulg. : est.
(2) Lib. II Comment. in cap. 3 Habac.
(3) Lib. I Comment. in Zach., cap. 3.
(4) Vulg. : modico quam Angeli.
(5) Idest Apostoli, etc. S. Augustinus Enarrat. in Psal. 90, serm. 2, num. 8, ait : Qui sunt pedes Domini? Apostoli missi per totum orbem terrarum. Et paulo post : Metuendum erat, ne offenderent in lapidem. Illo enim in cœlo posito capite, pedes qui in terra laborabant, possent offendere in lapidem. In quem lapidem? In legem in tabulis lapideis datam.

de Basan. » Dan interpretatur judicium, et significat Christum, qui venit in mundum in judicium; unde in Evangelio (Joan. 9, 39): *Ego in judicium veni in mundum.* Catulus leonis, per quod notatur infirmitas Christi, et per leonem fortitudo. *Basan* interpretatur ignominia, quia ex ignominia crucis fluxerunt fluenta, idest fluenta gratiarum dedit in humana natura. Catulus leonis propter infirmitatem carnis. Ipse de Basan, idest de cruce nobis largiter flumina gratiæ propinavit. « Ferrum, et æs calceamentum ejus. » In ferro prædicationis firmitas, quæ est necessaria in vita hujus sæculi : in ære sonoritas prædicationis designatur; quæ duo fuerunt in pedibus Christi.

SERMO CLXXIV.

De confessione; de fortitudine Dei; qualiter Christus psallebat in cruce Deo Patri; qualiter psallere debemus.

Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime. In decachordo psalterio cum cantico in cithara. (Psal. 91, 2 et 4.)

Bonum est confiteri Domino confessione criminis, ut habetur in Osee ultimo (14, 3) : « Tollite vobiscum verba, et convertimini ad Dominum, et dicite ei : Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum, et reddemus vitulos labiorum nostrorum. » Tollite vobiscum verba confessionis, et convertimini in contritione cordis, et dicite ei : Aufer iniquitatem, et accipe bonum satisfactionis, et reddemus vitulos labiorum nostrorum. In vitulis notatur carnis lascivia, et petulantia, quia debemus refrænare carnis luxuriam, et mentis superbiam. Bonum est ergo confiteri, scilicet in præsenti quidquid mali gessimus, ne in futuro confiteri cogamur; unde in eodem (13, 12 et 13) : « Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum est peccatum ejus. Dolores parturientis venient ei : ipse filius non sapiens. » Qui enim non confitetur, iniquitas ei ligata est quasi in fasciculo, ne cadat a mente. Peccatum absconditum est quasi thesaurus, qui deberet nunc aperiri per confessionem; sed tunc dolor eorum, vel ejus, quasi mulieris parturientis, et nunquam parientis.

(1) *In organis armigatis, etc.* Consule Notam (9) ad Sermonem LVII, col. 714.

Bonum est confiteri Domino. Et nota, quod Domino, quia Dominus est, ideo magis timendus; unde Job (9, 13 et 14) : « Deus, cujus iræ nemo resistere potest, et sub quo curvantur, qui portant orbem, » idest Angelicæ virtutes, quarum ministerio regitur mundus. « Quantus ego sum, ut respondeam ei, et loquar verbis meis cum eo ? » Et paulo post (v. 19) : « Si fortitudo quæritur, robustissimus est : si æquitas judicii, nemo audet pro me testimonium dicere. » Unde de fatuis virginibus dictum est : « Ne forte non sufficiat nobis, et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis. Date nobis de oleo vestro (Matth. 25, 9 et 8), idest testimonium de operibus, quæ vidistis; quia tunc testimonium cujusque vix sibi sufficit, multo magis nec alteri.

Et psallere nomini tuo, Altissime. Ipse Altissimus Christus in psalterio cecinit, quando de superiori factus est inferior, qui reddidit sonum de superiori ad inferius, quando ipse Deus factus est homo. Hic est egregius Psaltes, de quo habetur secundo Regum (6, 14) : « Porro David accinctus erat ephod lineo, et percutiebat in organis armigatis (1), et saltabat totis viribus ante Dominum. » Indutus ephod lineo, idest munditia carnis, percutiebat in organis armigatis, quando in humeris suis crucem portavit, et saltabat ante arcam testamenti Domini, idest in beneplacito populi sui. Vel sic : David lineo accinctus Christus est, munditia carnis vestitus. Organa armigata fuerunt crucis brachia ad humeros ejus ligata, ubi psallebat Deo Patri, et saltabat totis viribus. Hæc saltatio est illa deambulatio, de qua in Genesi (24, 62) dicitur, quod Isaac deambulabat per viam, quæ ducit ad puteum Viventis, et Videntis. Isaac Christus : deambulatio ejus fuit via passionis, contumeliæ, sputa flagella, corona spinea, alapæ. Hæc est via, quæ ducit nos ad puteum. Puteus est æternæ felicitatis profunditas, quæ dicitur puteus Videntis, et Viventis, quia vita nostra Christus est, scilicet in ejus visione; unde : Hæc est vita nostra, vel æterna, ut cognoscamus (2) te verum Deum, etc. Psallebat David introducendo arcam in Jerusalem : et Christus passionem sustinuit, ut prædictum est, ut introduceret nos in cœlestem Jerusalem.

(2) Vulg. : cognoscant.

In decachordo psalterio, et cithara. Hymnus quandoque voce propria tantum cantabatur ; quandoque voce simul, et psalterio, et cithara. Ita doctor in utroque quandoque cantat, idest in consonantia verborum, et operum ; et sic est psalterium jucundum cum cithara. Quandoque in psalterio tantum cantabatur. Sic prælatus, qui docet, qualiter debent cantare. Vel sic : In decachordo psalterio, et cithara. Hymnus quandoque cantabatur cum voce simul, et psalterio sine cithara, quandoque etiam voce propria tantum sine instrumentis. Sic et modo sunt quidam, qui cantant in psalterio decem chordarum, decem videlicet præcepta Decalogi docendo : quidam vero in cithara, idest mortificationem carnis sic aliis prædicando. Sed pauci sunt, qui cantent voce propria, verbis suis opera consonantia adjungendo. Ecclesiastici (32, 8) : « Sicut in fabricatione auri signum est smaragdi, sic numerus musicorum in convivio (1) jucundo, et moderato vino. » Convivium jucundum, et moderatum est dispensatio sacræ Scripturæ, vel doctrinæ, in quo debet esse numerus musicorum, idest consonantia verborum, et operum, et sic est jucundum convivium. Item, si est consonantia verborum, et operum, erit sicut signum smaragdi in fabricatione auri. Doctrinam enim suam illuminabit splendor operis, sicut in fabricatione auri decorem auget splendor smaragdi. Et nota, quod dicit signum ; anulo enim solet sigillari, quia vitæ, et doctrinæ prælatorum debet imprimi vita subditorum. Et nota, quod smaragdus valet oculis inspectus: et sic bonus prælatus debet valere subditis per bonum exemplum. Si vero sit pravus, ipsos inficit, sicut æger oculus visum aliorum corrumpit; quod sic est, quia si fuerit oculus marcidus, redundat et morbus quasi contagium in propinquos.

(1) Vers. Syr. addit : *in convivio*, quod abest a Vulgata.

SERMO CLXXV.

Quod vir justus comparatur palmæ, et cedro.

Justus ut palma florebit : sicut cedrus Libani multiplicabitur. (Psal. 91, 13.)

Quis sit iste justus, in Proverbiis (12, 26) habetur : Qui negligit damnum propter amicum, hic justus est. Amicus noster est Christus, qui seipsum morti crucis exposuit; unde : « Majorem dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis » (Joan. 15, 13). Qui ergo amicus ejus est, damnum temporale, et etiam corporis proprii pro ipso negligit. Justus etiam est, de quo dicit (Job 29, 18 ad 20) : « In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies. Radix mea aperta est secus aquas, et ros morabitur in messione mea, et gloria mea innovabitur. » Nidus iste est Ecclesia, sive mens quieta, quia in tranquilla quiete fidei, in qua quisque nutritur, donec possit volare ad contemplationem felicitatis æternæ, manendum est usque ad mortem. « Sicut palma multiplicabo dies »; Palma tarde profert fructum suum ; et qui plantat eam, vix, aut nunquam gustat de fructu ejus. Sic justus de bonis operibus hic non quærit fructum, sed patienter expectat æternum præmium; quia, sicut Proverbiorum (13, 11) dicitur, *Substantia festinata minuetur*. Item Palma in imo gracilis, juxta fructum est grossior, rugosa cortice, sed comam habet pulchram, licet inferius sit despecta, et tarde fert fructum. Talis est justus, qui in præsenti est gracilis et despectus; sed cum fructum susceperit, tunc ejus valor, et, pulchritudo apparebit : nec eum exasperat labor, quem in fine pulchritudo immortalitatis coronabit, et quasi tarde post longos labores mercedem laborum accipiet; unde Job (11, 17 ad 20) : « Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam, et cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer : et habebis fiduciam, proposita tibi spe, et defossus securus dormies : Requiesces, et non erit, qui te exterreat. Oculi autem impiorum deficient, et effugium peribit ab eis ».

Justus ut palma florebit. Cum enim per exteriora mala justus occumbere cœperit, tunc claritas ejus incipit. E contra de malis, qui *florebunt de civitate sicut fœnum terræ, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur* (2) ; de quo Ecclesiastici (40, 14 ad 16) : Prævaricatores in consummatione tabescent : nepotes eorum, vel impiorum rumpentur, et non multiplicabuntur ramis, vel non multiplicabunt ramos, et radices immundæ super cacumen petræ sonant. Super omnem aquam viriditas, et ad oram fluminis ante omne fœnum evelletur. Si

(2) Psal. 71, 16; Matth. 6, 30.

enim mali inchoent germinare, fluctuant in tentatione, et subito arescunt ad primum persecutionis æstum. Item in Proverbiis (10, 7) : « Memoria justi cum laudibus : et nomen impiorum putrescet ».

Sicut cedrus Libani multiplicabitur. Cedrus altior est aliis arboribus, et immarcescibilis; quæ quanto inferius radicatur, tanto altius exaltatur. Sic vir justus; unde Job (29, 19) : « Radix mea aperta est secus aquas, et ros morabitur in messione mea.» Per *aquas* fluentes, quæ deorsum sunt, signatur gratia, quæ in præsenti viro justo confertur in hoc exilio. Per radicem apertam signatur mens nostra, quæ debet esse aperta ad recipiendam gratiam, quousque veniat messio æternæ retributionis ; quod si fuerit aperta, ros divinæ gratiæ desuper venientis morabitur in messione : non erit transitorius, ut solet esse circa tempus messium, sed morabitur, cum maturæ segetes animarum, et corporum a terra decisæ ad cœlestia horrea demigrabunt. Unde Sapientiæ (3, 15 et 16) : « Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, et radix sapientiæ, quæ non decidit (1). Filii autem adulterorum in consummatione erunt, et ab iniquo thoro semen exterminabitur. » Et in eodem infra (4, 3 et 4) : « Multigena autem impiorum multitudo non erit utilis, et adulterinæ plantationes, vel spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt. Et si in ramis germinaverint, infirmiter posita a vento commovebuntur, et a nimietate ventorum eradicabuntur ». Peccatores filii adulterorum dicuntur, qui tot habent patres, quot habent peccata mortalia, et quolibet tentationis diabolicæ vento moventur, et eradicantur. Sed vir justus, ut cedrus Libani multiplicatur, quæ est imputribilis, et suo odore fugat serpentes : sic justus sine putredine vitiorum, verbo prædicationis, et exemplo bonæ operationis, et conversationis fugat dæmones ; unde Isaiæ (11, 18) : « Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis : et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, mittet manum suam ; idest ille, qui separatus est ab uberibus mundi, scilicet ab amore, et timore ejus, ponet manum, idest prædicationem super foramen aspidis, idest super corda malorum, qui sunt caverna reguli, idest diaboli. Et in eodem (v. 9) : « Non nocebunt, et non occident », scilicet serpentes, vel dæmones « in universo monte sancto meo : quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes », idest compunctionis provenientis ex amaritudine cordis, ipsum conservantis, ne inde scaturiant vermes elationis, Et bene dicit : Repleta est terra scientia Domini etc. In multa sapientia multa est indignatio (Eccl. 1, 18) ; et dono sapientiæ additur illa beatitudo : *Beati qui lugent* (Matt. 5, 5) . Per aquas maris, quæ amaræ sunt, compunctionis lacrymæ designantur, quæ cum mentem repleverint, omnem amovent vitiorum putredinem, et venenum serpentinæ nequitiæ procul pellunt.

(1) Vulg. : concidat.

SERMO CLXXVI.

De depositione vestium Christi in cœna, et de ablutione peccatoris.

Dominus regnavit, decorem indutus est : indutus est dominus fortitudinem, et præcinxit se. Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur. (Ps. 92, 1.)

Dominus noster tunc *decorem* induit, quando lepram nostræ carnis, idest mortalitatem assumptam decoravit, et in gloriam immortalitatis convertit. De qua lepra dicit Isaias (53, 4 et 5) : « Nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, etc ». De decore vero assumpto post illam lepram introducuntur in eodem Isaia (63, 1). Angeli admirantes, et dicentes in Ascensione : « Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine virtutis suæ ».

Decorem indutus est; unde in Joanne (13, 4) : *Surgit a cœna, et ponit vestimenta sua,* scilicet signans, quod de cœlestibus descendit, quia seipsum exinanivit, et formam servi induit. *Et cum accepisset linteum, præcinxit se* linteo. In linteo, carnis munditia ab omni labe peccati demonstratur. Et servivit homini, ut sic confundatur homo, et nesciat quid dicat. Primum præceptum dedit homini Deus, et homo noluit ei obedire ; et ideo formam servi accipiens Deus, servivit homini. Unde Isaiæ (49, 7) : « Hæc dicit Dominus Deus

redemptor Israel sanctus ejus, ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad servum dominorum». Christus ergo contemptibilis apparuit in carne; et merito vocat gentem abominatam, quia Jesu Christi recusant servitium. Et bene dicit servum dominorum, quia quot homines sunt, tot dominorum se fecit servum, qui tamen illum recusant. Et misit aquam in pelvim, et lavit pedes. Pelvis est vas concavum, habens labia, et est tinnulum, et repansum. Pelvis est cor hominis, quod debet esse quasi concavum per humilitatem ad recipiendam aquam gratiæ; tinnulum per gemitum compunctionis; habere labia, quia sonus compunctionis in ore debet sonare; et esse repansum per dilatationem caritatis ad Deum, et ad proximum. Deinde lavit, et pedes linteo, quo erat præcinctus, extersit. Sed quid est, quod Deus extersit linteo, cum aqua sordes abluerit? Ideo quia inhærent quædam sordes pedibus, quæ aqua non diluuntur. Sic quædam sordes diluebantur, scilicet culpæ per pœnitentiam: sed sordes pœnæ non poterant penitus mundissime dilui, nisi carnis Christi passione tanquam linteo tergerentur; unde Job (6, 2 et 3), in persona Sanctorum, qui tenebantur captivi in limbo inferni, dixit: « Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas, quam patior, in statera. Quasi arena maris hæc gravior appareret». Unde dicit Gregorius (1): Statera in manu Patris (2) Christus habens lancem misericordiæ, et justitiæ: misericordiæ, quia peccatum per misericordiam laxans, leve esse ostendit: justitiæ, quia calamitatem moriendo gravis esse ponderis ostendit. Sancti, qui erant in Limbo, sordes pœnæ habebant, quæ non tergerentur nisi passione Christi, qui ipsos liberavit ab omni pœna, conferendo eis claritatem æternæ visionis. Unde sequitur: « Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur». Ad hoc lavit et extersit, ut firmaret orbem terræ, idest carnem nostram, quæ orbiculariter de terra ad terram vertitur moriendo: extersit omnibus pœnalitatis sordibus, ut in futuro ulterius non moveretur. Vel, vertitur, sed tamen firmabitur, quando abstergentur a nobis omnes sordes infirmitatis.

SERMO CLXXVII.

De multiplici ultione Dei.

Deus ultionum Dominus: Deus ultionum libere egit. (Psal. 93, 1.)

Pluraliter dicit: *Deus ultionum*, ad ostendendum, plures ultiones Dei esse, et diversas, quibus ulciscitur. Prima ultio divina est suæ cognitionis subtractio, de qua dicitur (Psal. 7, 7): *Exurge, Domine, in ira tua*, idest exerce ultionem contra inimicos tuos, et exaltare, idest altus efficere, et incognitus inimicis, ut te non intelligant. Secunda est zeli ablatio; de qua Ezechielis (16, 42 et 43): « Requiescet indignatio mea in te, et auferetur zelus meus a te, et quiescam, nec irascar amplius: eo quod non fueris recordata dierum adolescentiæ tuæ, et provocasti me in omnibus his. » Hæc est magna indignatio, quæ tollit zelum, quem debet habere gratiæ, nos permittendo implere desideria cordis nostri; unde: *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* (Psal. 80, 13.)

Tertia ultio est, quod peccatorem dimittit in manu inimici, ut possit in eum libere degrassari. Unde Ezechielis (21, 15 et 14): « In omnibus portis eorum dedi conturbationem gladii acuti, et limati ad fulgendum, amicti ad cædem. Hic est gladius occisionis magnæ, qui obstupescere facit, et corde tabescere, et multiplicat ruinas. » Nota: « Dedi conturbationem gladii acuti, et limati ad fulgendum, amicti ad cædem. » Hic est gladius diaboli limatus, idest fulgidus per delectationem, qui turbat portas quinque sensuum corporis. Amictus ad cædem: occultat enim supplicium, et prætendit quod delectat. Sequitur, alloquens gladium (Ibid., 21, 16): « Exacuere, vade ad dexteram, sive ad sinistram, quocumque faciei tuæ est appetitus. » Hæc est magna ira Dei,

(1) Moral., l. VII, in cap. 6 Job, n. 2.

(2) Statera in manu Patris etc. In edit. Maur. Paris., tom. I, col. 212, sic legitur: « Quis alius sateræ nomine, nisi Dei et hominum Mediator exprimitur? qui ad pensandum vitæ nostræ meritum venit, ac secum justitiam simul et misericordiam detulit: sed misericordiæ lance præponderans, culpas nostras parcendo levigavit. In manu etenim Patris, quasi statera miri libraminis factus, hinc in se calamitatem nostram, et illinc peccata suspendit. Sed gravis ponderis calamitatem moriendo innotuit, et apud misericordiam leve esse peccatum relaxando monstravit.

quia peccator vagatur, quocumque pravo suo desiderio rapitur.

Quarta est ultima damnatio, de qua Joelis (3, 4): « Quid mihi, et vobis, Tyrus, et Sidon, et omnis terminus Palæsthinorum? Numquid ultionem vos reddetis mihi? Et si ulciscimini contra me, velociter reddam vicissitudinem super caput vestrum. » In ultionem beneficiorum suorum adversamur ei in peccatis nostris : sed ipse ultionem reddet nobis; unde Jeremiæ (25, 28 et 29): « Bibentes bibetis : quia ecce in civitate, in qua invocatum est nomen meum, ego incipiam affligere : Et vos quasi innocentes, immunes eritis? Non eritis immunes : gladium enim voco super omnes habitatores terræ, dicit Dominus exercituum. » Affligit Dominus suos, et judicium incipit a domo Domini. Quam terribilis sit iste gladius, idest dies judicii, habetur in Zacharia (9, 14 et 15) : « Exibit ut fulgur jaculum ejus : et Dominus Deus in tuba canet, et vadet in turbine Austri. Dominus exercituum proteget eos. » Ut fulgur, et canet tuba : tunc corruent muri Jericho, idest mundi. Et bene gladius pœnæ æternæ fulguri comparatur: fulgur enim scindit, urit, frangit. Sic fiet in malos. *In turbine Austri*, qui flat a meridie, quia malos, sicut turbo paleas, disperdet a facie terræ, quia in plenitudine luminis ejus omnem pulverem peccatorum a terra excutiet, et a beatitudine æterna raptos in ignem æternum. De hoc, Ezechielis (22, 18 ad 20): « Versa est mihi domus Israel in scoriam »; et paulo post sequitur : « Ego congregabo vos congregatione argenti, et æris, et ferri, et stanni, et plumbi in medio fornacis : ut succendam in ea ignem ad conflandum. » Per hoc quod argentum corrumpitur mixtura æris, vel plumbi, vel stanni, signantur tacti persecutione, qui murmurant contra Deum. Argentum lucet, et candet; sed vetustate denigrescit. Per hoc quod est sonorum, murmurantes significat. In ferro, crudelitas : in stanno, hypocrisis : in plumbo, ponderositas avaritiæ. Quasi dicat : Hi tales omnes fornace gehennæ conflabuntur, in perpetuum arsuri. Vel per argentum, quod lucet, et candet, sed vetustate obscuratur, et a mixtione æris, vel stanni, vel plumbi corrumpitur, significantur illi, qui lucent ad tempus per bona opera, tandem per admixtionem malorum corrumpuntur : per æs significantur illi, qui tacti persecutione, contra Deum murmurant : per ferrum, crudeles, et inflexibiles ad pœnitentiam : per stannum, hypocritæ : per plumbum, pondus avaritiæ portantes. Hi omnes mittentur in fornacem gehennæ, non ad purgandum, sed ad puniendum æternaliter.

SERMO CLXXVIII.

Contra avaros, et cupidos.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto? (Psalm. 93, 20.)

Sedes iniquitatis, sive impietatis, est avaritia : impietas ad Deum, iniquitas ad proximum. Unde Zachariæ (5, 5 ad 8) : « Leva oculos tuos, et vide, quid est hoc, quod egreditur. Et dixi : Quidnam est? Et ait : Hæc est amphora egrediens. Et dixit : Hæc est oculus eorum in universa terra. Et ecce talentum plumbi portabatur, et ecce mulier una sedens in medio amphoræ. Et dixit : Hæc est impietas. Et projecit eam in medio amphoræ, et misit massam plumbeam in os ejus. » Amphora hæc est avaritia, quæ nunquam claudit, sed semper os cordis in ambitu apertum tenet; unde Ecclesiastici (14, 9): Insatiabilis est oculus cupidi, non saturatur (1) in parte iniquitatis, donec consumat injustitiam, arefaciens animam suam. Sequitur : « Oculus eorum in universa terra », quia hebetes sunt ad bonum, subtiliores sunt ad malum ; unde in Evangelio (Lucæ, 16, 8) : « Filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis. » Et ecce talentum plumbi portabatur, et misit plumbeam massam in os mulieris, quia impietas peccati sui pondere gravat. Et postea subditur (5, 9) : « Et ecce duæ mulieres, et habebant alas quasi alas milvi. » Duæ mulieres, vanagloria, et rapina, quæ regnant in majoribus, et potentioribus, quod notatur per milvum, qui semper vivit de rapina ; et per alteram mulierem designatur usura, quæ est in minoribus, qui non audent rapere. Sequitur : « Et levaverunt amphoram inter cœlum, et terram »; quia non habent tales locum in cœlo cum Angelis, nec in terris cum hominibus sanctis, sed in aere cum dæmonibus, sicut Judas proditor, qui suspensus in aere crepuit medius ; unde Job (20, 27) : « Reve-

(1) Vulg. : satiabitur.

labunt cœli iniquitatem ejus, et terra consurget adversus eum. » Unde dicit Gregorius (1) : « Qui nec bonis, nec malis pepercit, eum in extremo examine justorum vita, et peccatorum accusabit. Apertum erit germen domus illius, detrahetur in die furoris Domini, cum omne malum, quod in conscientia ejus abscondebatur, adveniente judice ostendetur. »

Quo istæ deferunt amphoram? Et dixit ad me : Ut ædificetur ei domus in Sennaar, et stabiliatur, et ponatur ibi super basem suam (Zach. 5, 10 et 11). Sennaar interpretatur fœtor, quia in loco fœtoris ædificata est domus malorum : vel excussio dentium, quod bene convenit eis, qui non possunt comedere verbum Domini in prædicatione, illam respuentes, sed tanquam edulium pueri mollia quærunt, quia divites non possunt facere, vel audire, nisi quod delectat. *Qui fingis laborem in præcepto*. Bene dicit, *fingis*, quia omnis tribulatio præsentis vitæ fictilis est, et transitoria. Hic est labor, qui confessionem impedit in ore avari : *massa plumbea* obdurata, quia avarus non confitetur ; oportet enim eum reddere, quidquid habet de usura, vel rapina, et quidquid injuste possidet. Et ideo, quia facilius est camelum intrare (2) per foramen acus, quam divitem in regnum cœlorum (Matth. 19, 24), oportet istum deponere omnes globos peccatorum, fingit scilicet laborem confessionis, cui contraria est impietas.

Sedes iniquitatis. Sedes iniquitatis, est resoluta vitæ mollities. Unde Amos (6, 1) : « Væ, qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ : optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel; et paulo post dicit (Ibid. 6, 3 ad 6) : Qui separati estis in diem malum, et appropiatis solio iniquitatis : qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris : qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem psalterii : sicut David putaverunt se habere vasa cantici : bibentes vinum in phialis, et optimo delibuti unguento ; et nihil patiebantur super contritione Joseph, » idest Christi pendentis in cruce. Sed de his dicitur in Apocalypsi (17, 1 et 2) : « Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terræ, et inebriati sunt, qui habitant terram de vino prostitutionis ejus; » et Isaiæ (47, 1 ad 3) : Descende, sede in pulvere, idest humiliare per pœnitentiam, virgo filia Babylon, sede in terra : non est solium filiæ Chaldæorum, idest dæmonum, quia ultra non vocaberis mollis, et tenera : tolle molam, scilicet timoris, mole farinam, idest comminue peccatum per confessionem ejus, omnes circumstantias detegendo, denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum tuum, revela crura, transi flumina : revelabitur ignominia tua.

(1) Moral., lib. XV in cap. 20 Job, n. 37 et 38. Job 20, 28.

(2) Vulg. : transire.

SERMO CLXXIX.

De duritia cordis ; quod falsi dicuntur inimici Dei; de voce Domini.

Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. (Psal. 94, 8.)

Dicit propheta : Cor vestrum carneum non convertatur in cor lapideum; unde Ezechielis (36, 26) : « Auferam a vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum. » Cor de natura sua carneum est, sed dicitur converti in lapideum, quia lapis verba scripta suscipit, nec sentit ; caro bene sentiret. Sic sunt multi, qui suscipiunt, sed non sentiunt; unde Ecclesiastici (22, 24) : « Pungens oculum deducit lacrymas : et qui pungit cor, profert sensum. » Cum deberet dicere : qui pungit cor, profert dolorem, exquisite dixit, profert sensum. Hic est sensus, ut imploremus, quod faciat nos lugere. Ecclesiastes (1, 18) : Ubi multa scientia, vel sapientia, ibi multa indignatio. Jeremiæ (23, 29) : « Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram? » Sicut ignis non ardet in aqua, sed extinguitur, sic verba Dei extinguuntur in deliciis. Malleus incudem percutiendo non confringit, sed solidatur ab eo : sic corda perversorum quandoque verbo Dei indurantur, nec emolliuntur; unde Job (41, 15) penultimo : « Cor ejus indurabitur quasi lapis, et stringetur quasi malleatoris incus. »

Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Si, inquam, vocem audiatis illam, quæ habetur in Isaia (1, 24) : « Heu, ego consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis. » Et notan-

dum, quod duo sonant in hac voce : Ex paterno enim affectu, et clementia, cum dicit: Heu; Ex severitate justitiæ, cum dicit: *Consolabor, et vindicabor de hostibus.* Qui autem sint hostes, in Psalmo alio (80, 16), ubi dicitur : « Inimici Domini mentiti sunt ei. » Equidem sunt inimici, qui promissa ei non tenent; et hi sunt falsi Christiani non servantes promissionem factam in baptismo; quia non Pagani, qui nihil promiserunt. Inimici sunt Christiani, cum tantum beneficium eis præstiterit, quod cibavit eos ex adipe frumenti. Adeps frumenti extrahitur de frumento, torrendo ; et Dominus in passione crucis torruit, et torreri voluit, ut sic daret nobis adipem, idest pinguedinem, et sanaret vulnus adustionis nostræ.

Vox Domini est dicentis, uti dixit Adam: *Ubi es?* Et dixit Adam: *Audivi vocem tuam, et abscondi me* (Gen. 3, 9 et 10). Sic faciunt multi hodie : Audientes enim vocem Domini, peccati pericula, et vitæ miseriam ostendentis, se abscondunt, et elongant se a Domino, et excusantes se, faciunt sibi perizomata de foliis ficuum, dum prætendunt excusationem de peccatis suis. Sed folium ficus cito arescit, et transit, et arefacto tunc pudorem detegit, et apparent turpia, quia omnis excusatio eorum frivola est, et nulla in conspectu Domini, non valens peccati turpitudinem tegere. Item vox Domini est ad Lazarum per fidem. *Veni foras* (Joan. 11, 43 et 44). *Veni*, recedendo a peccato; *foras*, quasi dicat: dimissa in corde educ foras per confessionem; *et prodiit*, manifestans peccata. Ultimo vox Domini, imo clamor, fuit in cruce, quando tantum clamavit, quod magis clamare non potuit. Prius enim nobis clamaverat per Prophetas, et servos suos, postea ore proprio; tandem ut vel sic nos excitaret, tantum clamavit, quod clamans emisit spiritum. Vel: *Hodie si vocem ejus audieritis.* Majori clamore non potuit Deus vocare, quam quando emisit spiritum voce magna clamando, ut spiritum hominis sepultum in peccatis suscitaret.

SERMO CLXXX.

De pulchritudine confessionis; de ornamentis virtutum.

Confessio, et pulchritudo in conspectu ejus: sanctimonia, et magnificentia in sanctificatione ejus. (Psal. 95, 6.)

Si quis affectaret pulchritudinem, et Christum conspexerit, confitebitur, et pulcher erit. In sole enim posuit tabernaculum suum (Psal. 18, 6), radios gratiæ emittens, ut nos illuminaret, et ex his radios virtutum, et bonorum operum usque ad nos dirigens. Si quis imitando conspexerit, confitebitur peccatum suum, et per susceptionem gratiæ pulcher erit. Bene autem confessio, et pulchritudo conjunguntur. Peccatum enim inficit, et venenat : gratia autem quasi theriaca ingestum expellit; quia sicut per venenum corpus decoloratur, et per theriacam sanitati restituitur : sic per confessionem redditur pulchritudo gratiæ, et peccatum ingestum expellitur. Qui enim Dominum respicit, et confitetur, pulcher fit, sicut patet in Petro peccatum suum agnoscente. Hoc etiam patet, quia Spiritus Sanctus datus est in linguis igneis; gratia enim Domini liquescit cor ad contritionem, dissolvit ad confessionem, et illuminat dando animæ pulchritudinem.

Sanctimonia, et magnificentia : sanctimonia, idest castitas, et magnificentia, idest opera ; quæ bene conjunguntur, sicut e contrario luxuria, et minoratio, sicut habetur in Genesi (49, 3 et 4) : « Ruben, prior in donis, major in imperio : effusus es sicut aqua; ecce luxuria : non crescas »; ecce minoratio. Ratione primogenituræ sibi majoritas debebatur, et imperium; et totum perdidit. Cum Christus de regibus deberet nasci, et Ruben primogenitus esset, dignitatem istam propter luxuriam amisit (1), ne Christus de stirpe sua nasceretur.

De conjunctione ista sanctitatis, et magnificentiæ habetur in Judith (10, 2 ad 4) : « Exuit se vestimentis viduitatis suæ, et lavit corpus suum, et unxit myro optimo, et

(1) Propter luxuriam amisit, etc. S. Hieronymus Quæst. Hebraic. in Genesim, verba illa : Ruben, prior in donis, etc., exponens, ait : « Est autem sensus hic : Tu es primogenitus meus, major in liberis, et sedebas juxta ordinem nativitatis tuæ, et hæreditatem, quæ primogenitis jure debebatur, sacerdotium scilicet et regnum accipere debebas. Verum quia peccasti, et quasi aqua, quæ vasculo non tenetur, voluptatis effusus et impetu : idcirco præcipio tibi, ut ultra non pecces, sisque in fratrum numero, pœnam ex peccato luens, quod primogeniti ordinem perdidisti. » Dicit autem, sacerdotium, et regnum ; nam superius ostenderat ex traditione Hebræorum, omnes primogenitos Noe, donec sacerdotio fungeretur Aaron, fuisse pontifices.

discriminavit crines capitis sui, et imposuit mitram capiti suo, et induit se vestimentis jucunditatis suæ, induitque sandalia pedibus suis, assumpsitque dextraliola, et lilia, et inaures, et anulos, et omnibus ornamentis suis ornavit se : cui etiam Dominus contulit splendorem.» Judith interpretatur confessio, vel confitens, et significat animam confitentem, quæ exuta peccati sorde per contritionem, lavat se per confessionem, et ungit se *myro optimo* per carnis macerationem, quæ conservat mentem a vermibus vitiorum, ne putrescat. *Discriminavit crines* suos, idest separavit cogitationes pravas a bonis. *Imposuit mitram* super caput suum, idest spem salutis; unde Apostolus (Ephes. 6, 17) : *Galeam salutis assumite.* Sandalia *induit pedibus suis*, idest exempla Sanctorum assumens, quibus tegeret pedes, idest affectus mentis : *Dextraliola*, idest expectationem æterni præmii : *Et lilia*, idest castitatem, et innocentiam : *Inaures*, idest obedientiam : *Et anulum*, idest fidei signaculum. Ecce sanctitas, cui conjungitur magnificentia. In omnibus his se ornavit; et ideo hanc pulchritudinem in illam Dominus ampliavit, ut incomparabili decore in oculis omnium appareret.

Sanctimonia, et magnificentia; unde in Judith (15, 11) : « Confortatum est cor tuum, eo quo castitatem amasti (1). Amputasti pugione cervicem Holofernis. » (Ibid., 16, 11.) Hoc facit anima obediens Domino, quæ amputat *cervicem Holofernis*, idest diaboli per confessionem, et carnis macerationem. Holofernes interpretatur infirmans vitulum saginatum, quia petulantes, et lascivos impinguatos deliciis sæcularibus diabolus sibi mactat : sed macilentos, et afflictos pœnitentia timet. Unde sequitur in eodem : Horruerunt Persæ constantiam ejus. Persæ interpretantur tentati, vel latera dissuentes. Latera dissuta habet ille, cujus latera non calescunt virtutum vestibus; unde in Levitico (13, 44 et 45) : « Quicumque lepra maculatus est (2), habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum. » Lepra maculatus est peccator, qui habet latera dissuta, idest sine vestibus virtutum, quia aperta cuilibet vento tentationis diaboli : et habet os veste contectum, idest conclusum ad confessionem, de qua dicitur : « Sepulcrum patens est guttur eorum. » (Psal. 5, 11.)

SERMO CLXXXI.

De fulgure prædicationis; qualiter terra per prædicatores commovetur ad pœnitentiam.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ : vidit, et commota est terra. (Psal. 96, 4.)

In fulgure intelliguntur prædicatores : nam fulgurant prædicatores, quos misit Deus tanquam fulgura; unde Job (38, 35) : « Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi : Adsumus? » Fulgura ex nubibus exeunt : Fulgur fulget, terret, urit, incendit, vel scindit. Sic prædicatores fulgent signis, et prodigiis, terrent comminationibus verborum quasi tonitruum, et verbis incendentibus incendunt ad amorem divinum; unde Ezechielis (1, 7) : « Et scintillæ quasi aspectus æris candentis. » Ipse enim velut æs candens. In ære, sonora prædicatio; in candore, ardor caritatis intelligitur. Item fulgur scindit, et urit : sic verbum prædicatoris, ut dictum est. Verbum enim Domini est gladius, et ignis. Qui dixit (Matth. 10, 34) : *Non veni mittere pacem, sed gladium, separare* conjunctos carnali affectu, ut spiritualiter vivant, ipse idem dixit (Lucæ, 12, 49) : « Veni ignem mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat » (3)? Sequitur : « Ibunt, et revertentia dicent tibi : Adsumus. » Hoc est, quod dicit Ezechiel (1, 14) : « Animalia ibant, et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. » Sed nota, quod dicit, *Adsumus*, et non, sumus. Esse enim soli Deo pertinet : Adesse, obedientis est. Angelus enim voluit dicere : Sum; et non : Adsum; et ideo cecidit in abyssum sicut fulgur, vel in aerem istum caliginosum (4). Nec reversus est ad similitudinem justorum, qui dicunt : *Adsumus*, quod est verbum obedientis, et sequentis, ut Abraham vocatus a Domino, *respondit : Adsum.* Ideo justi ascendunt in similitndinem fulguris coruscantis in cœlum : mali vero descendunt in abyssum. Unde Ezechiel (1, 13) dicit de justis compa-

(1) Vulg. : amaveris.
(2) Vulg. : fuerit.
(3) Vulg. : accendatur.
(4) Vel in aerem istum caliginosum. Ex prævaricatoribus angelis e cœlo lapsis, alios versari in aere ad insinuanda hominibus peccata; alios in inferno æternis mancipatos esse suppliciis, docet S. Hieronym., lib. X Comment. in Ezech., cap. 32, et lib. I Comment. in epist. ad Ephes., cap. 2.

ratis fulguri : « Hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, et de igne fulgur egrediens. » Splendor, scilicet lux boni operis : Ignis, ardor caritatis : fulgur, idest prædicatio, quia de ardore caritatis egreditur ignea, et splendida prædicatio, quæ auditores ad amorem Dei accendit.

De his dicit Job (36, 29 ad 31) : « Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet. Per hæc enim judicat populos, et dat escas multis mortalibus. » Nubes est aqua maris ad cœlestes meatus assumpta : Mare vero salsum est, et fœtens : Salsugo autem sterilitatem efficit. Sed assumpta ad meatus cœlestes, ibi amittit fœtorem, et salsuginem, et amaritudinem suam convertit in dulcedinem; et sic cadens in terram reddit illam fertilem. Nubes istæ sunt sancti prædicatores, qui assumpti de amaritudine gentium, vel peccati deponunt fœtorem, et salsuginem, ut mare, quod prius erat mater sterilitatis, fiat mater fœcunditatis; et efficiatur doctor veritatis, qui prius fuerat magister erroris. Nubes etiam factus est ille, qui assumptus est de mari gentium, vel amaritudine vitiorum; et amaritudinem iniquitatis, et infidelitatis mutat in dulcedinem fidei, vel virtutum. Has Dominus nubes quasi tentorium suum extendit, quia sicut tabernaculum operiebatur tentorio, ut intus luceret hyacinthus, purpura, coccus, et byssus : ita Dominus extendit has nubes quasi tentorium contra æstum tribulationis, ut intus fulgeat hyacinthus, idest appetitus æterni desiderii, et purpura, idest imitatio passionis Christi, et coccus bis tinctus geminæ caritatis, et byssus castitatis.

Sed videtur contrarium sonare quod dicit, nubes extendere in tentorium, cum tentorium sit ad nubem expellendam, et nubes ad aquam infundendam. Sed dicitur *tentorium* contra illam pluviam, de qua in Deuteronomio (28, 24) : « Det Deus imbrem terræ tuæ pulverem, et de cœlo descendat super te cinis, donec conteraris, » vel consumaris. In pulvere notatur sterilitas; in cinere, mortificatio, quæ contraria sunt fœcunditati, et vivificationi, quas dant nubes prædictæ. Vel in cinere æternum supplicium, quod datur malis, et istæ nubes comminantur; unde sequitur : *Vidit, et commota est terra.* Hoc est, quod prius dicit Job : *Cardines quoque maris operiet;* per quod signantur illi, qui sunt in extrema amaritudine vitiorum, vel peccatorum, qui prædicationibus Sanctorum obedientes teguntur; unde Isaiæ (11, 14) : « Volabunt in humeros Philisthiim per mare, simul prædabuntur filios Orientis. Idumæa, et Moab præceptum manus eorum, et filii Ammon obedientes erunt. » Philisthiim interpretantur duplex ruina : isti sunt gulosi, et luxuriosi, qui istis vitiis laborant. Filii *Orientis* sunt illi, qui hujus sæculi gloria clarescunt : hæc est gloria, et pompa mundana. *Idumæa* interpretatur cruenta : sunt crudeles. *Moab* interpretatur ex patre, scilicet superbia : hoc est, sanguinolenti diversis generibus peccatorum, qui sunt ex patre diabolo filii, ipsum imitantes. *Ammon* interpretatur populus turbidus, scilicet avara mens; per quod avaritia designatur : quia hi tales conversi sunt, et isti movebuntur a fulgure verbi Dei, unde sequitur : « Idumæa, et Moab præceptum manus eorum, » idest obedientes præceptis Dei facti sunt.

SERMO CLXXXII.

De jubilo, et triplici adventu Christi; quod exultandum est propter tria.

Jubilate Deo omnis terra : cantate, et exultate, et psallite. (Psal. 97, 5.)

Jubilandum est Domino pro triplici adventu. Primus fuit in carne. Secundus fit quotidie visitationis gratiæ in mente. Tertius adventus ipsius in fine, idest in judicio. Jubilus est exultatio mentis, sive gaudium propter Deum, quod taceri non potest, nec omnino exprimi. Isti tres adventus notantur in illis septem Antiphonis (1), quæ cantantur ante Natale. Primum adventum desiderabant Prophetæ, in quo tria orant, quæ signantur per has : *O sapientia*, etc., in qua petitur eruditio, quæ est sapientia infatuans : *O Adonai*, etc., redemptio : *O radix Jesse*, etc., liberatio. A sapientia petunt viam prudentiæ; et Deus factus est quasi stultus (2), ut nos faceret prudentes, quia ut stultus reputatus est ab iniquis ipse,

(1) In illis septem Antiphonis, etc., quæ in Breviario romano dicuntur *Majores*, et a die 17 ad 23 decembris ad canticum *Magnificat* solemniter concinuntur.

(2) Factus est quasi stultus; scribente Apostolo I ad Corinthios, 1, 23 : *Nos autem prædicamus*

qui est sapientia. *Adonai*, idest Dominator. Factus est Deus servus pro nobis, ut faceret nos dominos, et potentes; unde Prophetæ petentes redimi, dirigunt vocem suam: *O Adonai*. Petentes liberationem, dicunt: *O radix Jesse;* sed radix aruit, idest Christus in passione, ut rami virerent. Tres sequentes pertinent ad secundum Adventum. In prima petunt carceris apertionem; unde: *O clavis David, veni, et educ vinctum* de carcere peccatorum. Sed aperto carcere necessaria est illuminatio; unde: *O oriens, veni* ad illuminandum nos. Et postmodum necessaria est protectio propter tentationem; unde: *O rex gentium*. Septima pertinet ad ultimum adventum in judicio, ubi petitur plena salvatio, scilicet animæ, et corporis, in quo petimus utriusque glorificationem; unde: *O Emmanuel*, quod interpretatur nobiscum Deus; quia in eadem carne, sicut ipse in sua, erimus glorificati. Tunc erit animæ, et corpori salus.

Cantate, et exultate. Exultandum est Domino, *quia mirabilia fecit*, idest novum, de quo dicit Jeremias (31, 22): *Novum faciet* (1) *Dominus super terram: fœmina circumdabit virum*. Sequitur: *Et exultate*. Et bene exultandum est Domino propter tria. Propter incorruptionem corporis, quam habituri sumus in patria cum Christo; unde Zachariæ (9, 9): « Jucundare filia Sion, exulta satis (2) filia Jerusalem. » Propter sanctorum societatem; unde (Psal. 132, 1): « Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare, fratres, in unum. » Propter jucunditatem, quæ erit in visione Dei; unde Ecclesiastici (15, 6): « Jucunditatem, et exultationem thesaurizabit super eum, et nomine æterno hæreditabit illum. » Dominus Deus noster.

SERMO CLXXXIII.

De tribus, quæ debentur Deo, scilicet timore, honore, et amore. Contra indigne sumentes; et qualiter sumendus sit.

Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est. (Psal. 98, 5.)

Exaltandus est, quia *Dominus* est; et quia *Deus* est; et quia est *noster*. Quia Dominus est, debemus ei timorem; quia Deus, honorem; quia noster, amorem. Timorem; unde Isaiæ (8, 13 et 14): « Dominum exercituum ipsum sanctificate: ipse pavor vester; et erit vobis in sanctificationem. » Exaltate *Dominum* cum timore. *Exaltate Deum*, honorando, quia ei debetur honor. Sed timeo, ne dicatur nobis, sicut in Jeremia (2, 11 et 13): « Populus meus mutavit gloriam suam in idolum; » et sequitur: « Dereliquerunt me fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, quæ aquas non valent continere. » In idolum, idest gloriam de redemptione nostra convertimus in peccatum, non exhibendo illi honorem. Demum exaltandus, quia *noster*, quia ut liberaret nos de maledictione legis, *factus est pro nobis maledictum* (Gal., 3, 13), de quo dicitur: *Maledictus, qui pendet in ligno* (Deut., 21, 23). Exaltate Deum nostrum: et si noster est, ergo ei amorem debemus. Non ergo polluamus ejus nomen. Ezechielis (44, 7): « Polluitis domum meam, et offertis panes meos, adipem, et sanguinem: et dissolvitis pactum meum in sceleribus vestris. » Super quod dicit Hieronymus (3): *Nomen Domini non polluit, nisi qui visus est credere ei, et ejus censeri vocabulo*.

Sequitur: *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est*, idest corpus ejus adorando comedite, quia sicut dicit Augustinus (4): « Nemo spiritualiter comedit, nisi prius adoret, » sed potius in detrimentum sibi accipit sacramentaliter; unde Apostolus (I Cor., 11, 29): *Qui manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit, non dijudicans corpus Domini*, idest quasi vilipendens. De hoc conquerens Dominus per Ezechielem (44, 6 et 7), dicit: « Sufficiant vobis omnia scelera vestra domus Israel: Eo quod inducitis filios alienos incircumcisos corde, et incircumcisos carne, ut sint in sanctuario meo, et polluant domum meam. » Incircumcisi sunt corde, qui sunt in mortali peccato. Isti sunt alieni a Deo, etsi sint in Ecclesia; unde de his conqueritur Dominus per Jeremiam (11, 15): « Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Numquid carnes sanctæ, » idest caro mea sancta, « auferent

Christum crucifixum: Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Imo ipse Dominus, qui Deus est, et Dei sapientia, ab Herode, ut legitur Lucæ, 23, 11, fuit illusus, et indutus veste alba, veluti stultus.

(1) Vulg.: creavit.
(2) Vulg.: exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem.
(3) Lib. XII Commentar. in Ezech., c. 43.
(4) Enar. in Ps. 98, n. 9.

a te malitias tuas, in quibus gloriata es? » Dilectus meus, scilicet minister altaris. « Numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas? » Non, nisi pœniteas (*sic*), ut habetur Aggæi ultimo (2, 13 et 14) : « Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, et tetigerit de summitate ejus panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum : numquid sanctificabitur? Et responderunt omnes sacerdotes : Non. Sed si immundus in anima tangat illa (1), contaminabitur? Et responderunt : Contaminabitur. » Ita si tu comedas corpus Christi indignus, vel immundus, non sanctificaberis, imo pejor fies, sicut habetur in Threnis (3, 65) : *Dabis eis scutum cordis*, idest duritiam ex permissione Dei. Unde in Exodo (12, 43 ad 46) dicitur : « Omnis alienigena non comedet ex eo. Omnis autem servus emptitius circumcidetur, et sic comedet : Advena, et mercenarius non edent ex eo. In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus ejus foras, nec os illius confringetis. » Alienigena est, quicumque a Deo alienatur per peccatum. Vel alienigena est, qui ex patre diabolo est, ipsum imitans in malitia sua. Sed omnis emptitius circumcidetur, et ex eo comedet. Servus emptitius est, qui pretio est emptus sanguinis Jesu Christi; qui si circumcisus est a vitiis, comedere potest ad salutem corpus Christi. Et sequitur : « In una domo comedetis, nec efferetis carnes ex ea. In una domo, idest in unitate Ecclesiæ, sive caritatis. *In domo* dicit; quasi dicat : Non in illa civitate, de qua dicitur : « Ego Dominus, et civitatem non ingrediar (Osee, 11, 9); et in Psalmis (9, 7) : « Inimici defecerunt frameæ in finem, et civitates eorum destruxisti; » in qua est diabolus rex, et princeps, idest *in quibus regnat diabolus*, ut ait Augustinus (2), « ubi dolosa, et fraudulenta consilia quasi curiæ locum obtinent, cui principatui quasi satellites, et ministri adsunt officia singulorum membrorum, sicut oculi ad curiositatem, aures ad lasciviam, manus ad rapinam, et cætera membra quasi satellites, et ministri stipendiis militant hujus civitatis, et turbulenti motus animi quotidianas seditiones in homine agitantes. » Talis non debet sumere corpus Christi, sed ille, qui est *in domo*, idest qui habet puram conscientiam.

(1) Vulg. : si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his.

SERMO CLXXXIV.

De duplici porta Dei, scilicet misericordiæ, et justitiæ, quam intrare debemus; de laudibus Sanctorum in futuro.

Introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis. (Psal. 99, 4.)

Admonemur hic a Domino intrare *portas* misericordiæ, et *portas* justitiæ *in confessione*. De portis misericordiæ habetur in Ezechiele (46, 1 et 3) : « Porta atrii interioris, quæ respicit ad orientem, erit clausa sex diebus, in quibus opus fit : die autem sabbati, et die calendarum aperietur »; et paulo post dicitur : Et adorabit populus terræ ad ostium portæ illius in sabbatis, et in calendis, coram Domino. Orientalis, per quam diffundebantur radii solis ad illuminandam totam domum templi (3). Hæc est porta misericordiæ ; et in hac porta debet populus orare in sabbato, scilicet quando cessatur ab operibus carnis, et vacare operibus misericordiæ in confessione : et tunc porta misericordiæ, idest lumen gratiæ radiis suis mentem illustrat. Per calendas, quæ sunt in primo die mensis, idest in novatione lunæ, signatur mens suo lumine privata. Per populum signatur ille, qui incipit innovari per confessionem, ut redeat ad solem, et sic recipiat lumen suum; et ita cum portis misericordiæ intrandum est per portas justitiæ, de quibus habetur Ezechielis (40, 3) : « Ecce vir, cujus erat species quasi species æris, et funiculus lineus in manu ejus, et calamus mensuræ in manu ejus : stabat autem in porta, » scilicet judicii. Ejus species esse dicitur velut *æris*, in quo notatur rigor judicii. Æs dum percutitur, sonum reddit. Et Dominus tacet, dum hic percutitur : sed ibi sonabit; unde Isaiæ (42, 14) : « Tacui semper, silui, patiens fui : sicut parturiens loquar, dissipabo, et absorbebo. In manu *funiculus lineus*. Linum multis tunsionibus recipit candorem, per quod signantur tribulationes, quas passus est Dominus pro nobis. *Funiculus* est mensura illarum passionum, quas exigit Deus ab omnibus, etiam illis,

(2) Enar. in Ps. 9, n. 8.
(3) Beda, *De templo Salomon*, cap. 6.

in quibus candorem innocentiæ inveniet. Per *calamum*, quo scribitur scriptura, signatur perfectio boni operis, quæ fit per observantiam præceptorum Domini; et ideo calamum, et funiculum lineum in manu tenet Deus in judicio, ut secundum uniuscujusque opera ipsum dijudicet.

Introeundum est ergo per portas misericordiæ, prius nobis miserendo; unde Ecclesiastici (30, 24) : « Miserere animæ tuæ placens Deo : contine, et congrega cor tuum in sanctitate » ; quia primo debemus recurrere ad conscientiam nostram, dijudicando nosmetipsos, et sic intrare per portas justitiæ cum Domino in judicio. Et si nos recte condemnaverimus, non condemnabimur a Domino, secundum quod dicitur nobis per Isaiam (23, 16) : « Sume citharam, circui civitatem meretrix oblivioni tradita : bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit » ; quasi dicat : O tu, anima, quæ fornicata es cum dæmonibus, mortalia peccata committendo, et ideo Deo oblivioni tradita, *sume citharam*, idest carnis mortificationem, resonando per confessionem. Et notandum, quod in cithara omnes chordæ arctantur simul ; et in hac cithara similiter non solus venter debet arctari, sed oculus, ne vagetur per concupiscentias, et aures, ne delectentur ad voces sanguinis, et hujusmodi. *Circui civitatem*, idest Ecclesiam per devotionem : *Bene cane;* quasi : non solum sonet littera, sed et lingua confitendo : *Frequenta canticum*, ut frequens sit confessio, ut sic conveniant cithara, et cantus sono cordis, vocis, et operis.

Atria ejus in hymnis. Hymnus est laus Dei cum cantico ; de quo hymno, Isaiæ (24, 14) : « Hi levabunt vocem suam, atque laudabunt : cum glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari » ; quia remota omni culpa, et pœna, sancti *de mari*, idest de mundo *hinnient*, idest jucunditatis lætitiam tunc plene possidebunt. Vel sic : « Levabunt vocem suam, atque laudabunt. » Hoc erit in futuro : tunc enim levabunt vocem suam, et laudabunt, qui in præsenti carnis molestias, et pressuras tribulationum sustinuerunt. Exaltationes enim Dei in gutture eorum ; et (Psal. 149, 6 et 5) : *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Unde sequitur : *Cum glorificatus fuerit Dominus*, idest gloriosus in judicio apparuerit, tunc *hinnient*, idest gaudebunt ; et est sumptum ab equis, qui ex gaudio hinniunt. Et exultabunt *de mari*, idest de amaritudine, quam sustinuerunt, mercede copiosa sibi propter hanc reddita. Vel *de mari*, idest de peccatoribus fœtidis, et turbulentis, in fœtorem, et turbinem inferni detrusis. Lætabitur enim justus, cum viderit vindictam (Psal. 57, 11), voluntati divinæ suam omnino applicans.

SERMO CLXXXV.

De triplici innocentia, quam debet habere justus.

Non proponebam ante oculos meos rem injustam : facientes prævaricationes odivi, etc. (Psal. 100, 3 ad 8.)

Tres partes innocentiæ describit hic Propheta. In prima docet nos vitare malorum consortium : In secunda assequi societatem bonorum : In tertia vitare cursus, et suggestiones dæmonum. De prima agitur hic : *Non proponebam ante oculos meos rem injustam.* Ad innocentiam pertinet, oculos non movere, qui quandoque movent cor ad concupiscendum ; unde Job (31, 1) : « Pepigi fœdus cum oculis meis, ut non cogitarem quidem de virgine. » Gregorius (1) : « Ut enim cogitationes cordis caste servare potuisset, fœdus pepigit cum oculis, ne inspiceret, quod postmodum invitus amaret. » Si enim primum ipse non cogitavit de soluta, non debemus multo magis cogitare de conjugata, vel conversa ad religionem. Quandoque oculus movetur a corde ; unde Job (31, 7) : « Si secutus est (2) oculus meus cor meum, et manibus meis adhæsit macula » ; quasi dicat : Ad eamdem pertinet innocentiam declinatio prævaricationum. Vel sic : « Si secutus est oculus meus cor meum, et manibus meis adhæsit macula. » Oculus cor sequitur, quando quod illicitum est mens cogitat, oculum carnis videre delectat. *Manibus* etiam adhæret *macula*, quando quis venire ad opus permittit illicite cogitata ; vel secundum aliam translationem (3). *Si manibus meis tetigi munera;* quod notabile est contra munerum accep-

(1) Moral., lib. XXI, in c. 31 Job, num. 4.
(2) Vulg. : Si secutum est oculos meos cor meum. Sed S. Gregorius, lib. XXI Moral., edit. Maur. Paris., col. 684, tom. I legit : Si secutus est oculus meus cor meum.
(3) Versio græca LXX.

tores, quorum manus ex contactu munerum maculantur.

Item ad eamdem partem innocentiæ pertinet declinatio prævaricatoris; unde subjungitur: *Facientes prævaricationes odivi*, de quibus in Proverbiis (30, 11): « Generatio, quæ patri suo maledicit, et quæ matri suæ non benedicit. » Maledicit patri, cum opus Domini per opus suum pravum blasphematur. Benedicere sonat multiplicationem; et isti tales matri, idest Ecclesiæ maledicunt, cum alios malo suo exemplo corrumpunt, et ita sterilem faciunt Ecclesiam; quorum conversationem, et vitam fugit justus; unde, *Facientes prævaricationes odivi*. De oculo, et corde insatiabili dicitur in Ecclesiastico (50, 27 et 28): « Duas gentes odit anima mea: tertia autem non est gens, quam oderim: Qui sedent in monte Seir, et Philisthiim, et stultus populus, qui habitat in Sichimis. Seir hispidus interpretatur. Mons Seir est superbus, qui est Deo odibilis: Philisthiim interpretatur cadens potione, et significat luxuriosos: Sichima interpretatur humerus, et signat avaros, qui humeros suos, idest omnem fortitudinem suam in congregando divitias supponunt, quorum cor est insatiabile; et talis populus est stultus, et odibilis Deo, et eorum cohabitatio invisa. De oculo superbo dicitur in Parabolis (30, 14): « Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, et commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra, et pauperes ex hominibus. » Item Ecclesiastici (13, 23): « Venatio leonis, onager in eremo: sic pascua divitum sunt pauperes. » Sequitur: Et stultus populus, idest detractor, de quo in Proverbiis (30, 12): « Generatio, quæ sibi munda videtur, et tamen non est lota a sordibus suis. » Hi sunt detractores, qui se mundos æstimant, et alios devorant; unde Ecclesiastici (28, 21): « Flagelli plaga livorem facit: plaga autem linguæ consumit (1) ossa, » idest omnia bona in homine consumit.

De secunda parte innocentiæ sequitur: *Oculi mei ad fideles terræ*. Placet Domino fidelitas socii ad socium. Quam detestabilis autem sit infidelitas, patet in Proverbiis (25, 19): « Dens putridus, et pes lapsus (2), qui sperat super infideli in die angustiæ; » et est optima similitudo. Dens putridus, ubi magis necessarius est, scilicet cum homo comedit, inutilis, imo nocivus est, quia excitat dolorem, et maximum dolorem inducit, cui dolori non est quasi similis. Sic pes lapsus cervicem in terram elidit, et totum corpus ruere facit. Sic infidelis, et falsus amicus amico suo in angustiis cecidit. Sequitur: « *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat*. De hac via dicit Isaias (30, 21): *Hæc est via, ambulate in ea, et non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram*, idest nec extollamini prosperitate, quæ per dexteram, nec adversitate vincamini, quæ per sinistram signatur. Hæc est via immaculata, de qua supra dixit (30, 20 et 21): « Dabit tibi (3) Dominus panem arctum, et aquam brevem: et non faciet avolare a te ultra doctorem tuum: et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis. » Per panem arctum, et aquam brevem paupertas notatur, et abstinentia, quæ duo evacuant lutum luxuriæ, et avaritiæ; quibus concisis, columba ramum olivæ in ore deferens suo in cordibus ponet pedes suos, et Spiritus Sancti donum.

Tertia pars innocentiæ est suggestiones dæmonum, et primos hujusmodi motus ad petram, scilicet Christum elidere, ne in nobis succensi crescant; unde (Psal. 100, 8): *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ*. Debemus interficere suggestiones diaboli, et pravos motus animarum, ne in utero crescant per consensum; unde in Canticis (2, 15): « Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas, idest dæmonum suggestiones, vel deceptiones in initio suggestionis.

SERMO CLXXXVI.

De brevitate temporalis vitæ, et de formidine peccatoris.

Defecerunt sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut cremium aruerunt. Percussus sum sicut (4) *fœnum, et aruit cor meum*. (Psal. 101, 4 et 5.)

Sicut fumus cito evanescit, sic dies præsentis vitæ evanescunt; unde Job (7, 6): « Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur. Gregorius (5). « Sicut tela filis, sic vita singulis diebus profi-

(1) Vulg.: comminuet.
(2) Vulg.: lassus.

(3) Vulg.: vobis. (4) Vulg.: ut.
(5) Moral., lib. VIII in cap. 7 Job, num. 26.

cit: sed quo magis crescit, ad incisionem tendit, » et sicut tela superius texitur, inferius volvitur, et disparet: sic vita nostra de inani hora extenditur, et quod temporis spatium est involvitur, et disparet. Sed telæ festinantiam vitæ velocitas transit, quæ semper deficit, et ideo cor in ea non figo; unde (ibid.) : « Consumpti sunt absque ulla spe » ; idest nullam fiduciam mihi pono in his, quæ faciunt reprobi. *Sicut fumus dies mei.* Dies enim prosperitatis in nigredinem convertuntur, et cito transeunt; unde Nahum (2, 13) : « Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, et succendam usque ad fumum quadrigas tuas, et leunculos tuos comedet gladius, et exterminabo de terra prædam tuam, et non audietur ultra vox nunciorum tuorum. » Per *quadrigas* gloria temporalis intelligitur, quæ quasi quatuor rotis, anni temporibus portatur: per leunculos, superbos intelligimus, quos *gladius*, idest verbum Dei, vel caritatis accendit quandoque, et si sint ferventes caritate, non deficient succumbendo dæmonis tentationi; unde Job (41, 11) : « De naribus ejus procedit fumus, sicut ollæ succensæ, atque ferventis; hoc est, denigratur ferventi tentatione diaboli, et suggestione.

Et ossa mea sicut cremium aruerunt. Simile in Threnis (4, 8): « Denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis : adhæsit cutis eorum ossibus : aruit, et facta est quasi lignum. » Nigri post candorem fiunt, qui amissa Dei justitia, suam laudem quærunt, et ita extinctis carbonibus similes funt. Aruit, et denigrata est facies eorum, idest justorum, qui consentientes suggestionibus dæmonum, non sunt cogniti in plateis, idest in communibus actibus, quia qui prius in angusta via erant, quæ ducit ad vitam, modo in lata, quæ ducit ad mortem, existunt. « Adhæsit cutis eorum ossibus. » Per ossa fortitudo; per cutem infirmitas designatur. Cutis ergo adhæret ossibus, quando infirmitas vitiorum reputatur fortitudo virtutum. Cutis *aruit*, quia illa gloria ad terrena incurvavit, et contrita est, non dilatata. Fit autem quasi lignum, quia culpa tanto insensibilior redditur, quanto quasi vera virtus laudatur; unde et arescit, quia nulla intus gratia virescit.

Percussus sum sicut fœnum. Job (7, 5): « Induta est caro mea putredine, et sordibus pulveris cutis mea aruit, et contracta est. » Induta est caro mea, idest carnalis vita, quam ego ago, putredine mali operis; vel mala operatione polluitur; vel mente stricta ex memoria peccatorum suffocatur, vel obfuscatur, quæ quasi pulvis ante oculos surgunt: et sordibus pulveris, idest sordibus, quæ quasi pulvis motus, oculos obtenebrant : et cutis, idest exteriores actiones, aruit, idest ab humore gratiæ deserentur. Vel secundum aliam translationem (1): Conspergitur corpus meum in putredine; et infundo glebas terræ radens saniem (2). Glebæ terræ, quæ infunduntur, terram fœcundant : sic et fœtore peccatorum mentes pœnitentium lacrymis infunduntur ex recordatione. Vel, gleba terræ infusa germinare, et fructificare facit : sic et sanies carnis nostræ, idest putredo vitiorum infirmitatis, terræ cordis per meditationem impressa, fructificare eam debet facere per bona opera; unde in Evangelio de ficulnea sterili dicitur (Lucæ 13, 8): *Dimitte eam hoc anno, ut fodiam, et apponam* (3) *stercora circa illam.* Item in Threnis (5, 10) : « Pellis nostra, quasi clibanus exusta est a facie tempestatum famis. Pellis nostra exusta est, idest exterior nostra pulchritudo consumpta est in igne tentationis. Hoc est, quod dicitur (Psal. 101, 12 et 11) : *Sicut fœnum arui a facie iræ tuæ*, idest ob defectum verbi Dei. Vel, *pellis nostra* pellis mortalitatis est, quæ *quasi clibanus* flatu diaboli exuritur, cum concupiscentiæ incenditur exustionibus; quod fit a facie tempestatum famis, idest quia verbi Dei epulis non reficimur.

(1) Versio græca LXX.
(2) In Poligl. : a sanie radens.

SERMO CLXXXVII.

De primo Adventu.

Tu exurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus. (Psal. 101, 14.)

Exurrexit Dominus, cum in carne apparuit; quod fecit ut misereatur *Sion*, idest Ecclesiæ. Hoc est, quod David petit alibi (Psal. 34, 2) : « Apprehende arma, et scutum : et exurge in adjutorium mihi »; quasi dicat : Apprehende arma carnea; arma enim Christi sunt carnea membra : et

(3) Vulg. : mittam.

scutum crucis, in quibus hostes debelles; et sic uxurge in adjutorium mihi, ut me liberes. Exurge docendo, vel descendendo, carnem assumendo. Hoc est, quod optabat Isaias (64, 1 ad 3): Utinam dirumperes cœlos, et descenderes : a facie tua montes defluerent. Sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent ut ignis (1), ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis : a facie tua gentes turbarentur. Cum feceris mirabilia, non sustinebimus: descendisti, et a facie tua montes defluxerunt.» Utinam dirumperes cœlos, et descenderes ad nos, carnem assumens: montes, idest superbi indurati in malitia defluerent a facie tua (Psal. 96, 5); quia tunc montes sicut cera fluxerunt. *Sicut exustio,* quia omnis duritia liquefieri debet a facie Domini. Hæc fecisti, quia ad nos descendisti, quia tempus miserendi venit. Vel sic : « Utinam dirumperes cœlos, et descenderes a majestate invisibili, factus nobis visibilis : A facie præsentiæ tuæ montes, idest superbi, sicut cera, ad ignem caritatis defluerent, et etiam aquæ, idest populi igne eodem caritatis arderent, ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis, scilicet dæmonibus; et post sequitur : « Descendisti, et a facie tua montes defluxerunt. » Verbo præsenti pro futuro utitur, ad notandam facilitatem defluendi, quia tempus miserendi ejus.

Vere tempus miserendi, quia ut dicitur in Ecclesiastico (2) : « Speciosa Dei misericordia in tempore tribulationis: quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis. Miserere nostri, Deus omnium, et respice nos, et ostende nobis lucem miserationum tuarum, et immitte timorem tuum super gentes, quæ non exquisierunt te»; supple, *lucem* contra tenebras vitiorum, *timorem* contra insultus hostium: « Ut cognoscant, quia non est Deus nisi tu, et enarrent magnalia tua.» Et vere tunc *venit tempus miserendi,* quando descendit ad nos, quia lex erat ingrata propter transgressores, et quia tunc abundabat peccatum, a quo purgari indigebamus. *Quia venit tempus miserendi.* Hoc est illud tempus, de quo Sapientiæ (18, 14 et 15) : *Dum quietum silentium tenerent* (3) *omnia, et nox in suo cursu medium iter perageret* (4), *Omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus venit* (5). Omnipotens sermo tuus, idest Dei Filius venit : et hoc quietis silentium *vox clamantis in deserto* rupit, dicens (Lucæ 3, 4) : *Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri* (6). Nox peccati iter medium habuit. Ante legem silentium peccati fuit, et tempore legis nox peccatorum currebat; et minus fuit peccatum ante legem, et majus sub lege propter transgressionem præceptorum Dei; unde Apostolus ad Romanos (5, 20) : « Lex subintravit, ut abundaret delictum, quia nitimur in vetitum (7); et ideo cursus medius vitiorum cum silentio erat. Nunc vero maximum est peccatum propter ingratitudinem; unde Apostolus ad Hebræos (10, 28 et 29) : « Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus, vel tribus testibus lapidatur (8): quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit?

De quo adventu dicitur in libro Sapientiæ (18, 15 et 16) : Durus bellator (9) in mediam exterminii terram prosilivit. Gladius acutus insimulatum imperium portans, et stans replevit omnia morte, et usque ad cœlum attingebat stans in terra. Durus bellator fuit Christus in carne veniens, quia fortis in illum fortem custodientem atrium suum prorumpens, alligavit, et omnia vasa sua eripuit (Lucæ 11, 21 et 22). Terra *exterminii,* mundus est : Iste *gladius acutus,* scilicet Patris, cujus imperium portavit in cruce, et stans in divinitate omnia implevit morte sua, et quæ evacuata erant, sua morte redintegravit, et usque ad cœlum attingebat, idest usque ad æqualitatem Patris. Vel, « in mediam exterminii terram prosilivit », idest in mundo, qui peccatis exterminatus erat, apparuit gladius acutus Patris, insimulatum, idest non simulatum, sed verum portans imperium, et stans, ea, quæ evacuata, et dissipata fuerant, replevit morte sua, et stans in terra, idest homo existens, attingebat usque ad cœlum, quia verus Deus.

(1) Vulg. : arderent igni.
(2) Eccli. 35, 26 et 36, 1 et 2.
(3) Vulg. : contineret.
(4) Vulg. : haberet.
(5) Vulg. : prosilivit.
(6) Vulg. : semitas ejus.
(7) Ovid. Amor., lib. I, eleg. 4.
(8) Vulg. : moritur.
(9) Vulg. : debellator.

SERMO CLXXXVIII

Quod divites numerantur inter Sanctos propter opera misericordiæ; de brevitate vitæ; de calice mixto, qui est in manu Domini.

Respondit ei in via virtutæ: Paucis suitatem dierum meorum nuncia mihi, etc. (Psal. 101, 24 et 25.)

Respondit Ecclesia Christo *in via virtutis*, De hac via dicit Apostolus (I Cor. 12, 31): « Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.» Vocat Christus, et respondet vir justus; unde Job (14, 15): « Vocabis me, et respondebo tibi. » Vocat Christus in caritate, et respondet justus *in via virtutis*, idest in caritate, quæ est via virtutis, de qua alibi in Psalmis (121, 7): « Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis. » Hæc pax fit mutuatione dati, et accepti, scilicet quando damus temporalia Christi pauperibus, et accipimus ab eis spiritualia. Vel, « Fiat pax in virtute tua, » scilicet in caritate; et sic erit abundantia in turribus tuis, idest in excelsis domibus æternitatis. Per hanc enim virtutem se ponunt divites in numero Sanctorum, et ita abundantia fit in sanctis. Inde est, quod ulmus numeratur inter alias arbores; unde Isaiæ (41, 19 et 20) « Ponam in deserto abietem, ulmum, et buxum simul: ut videant, et sciant, et recogitent, et intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc. » Ulmus, licet non sit fructifera, vitem tamen fructiferam adjuvat, et sustentat, et super se portat; et significat divites, qui non faciunt fructum in Ecclesia Dei, sicut prædicatores, et ministri Ecclesiæ: sed eorum orationibus ponuntur in deserto, idest in Ecclesia inter fideles. Ulmus etiam, quamvis infructifera, sustentat vitem, et racemis ejus ornatur, et decoratur: sic et divites, licet non habeant, nec ferant fructum, quem habent sancti prædicatores, et ministri Ecclesiæ, per sustentationem tamen illorum eodem fructu ornantur, et decorantur in patria. *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet* (Matth. 10, 41). Hæc est pax Jerusalem, ut opera misericordiæ corporalia jungantur operibus prædicationis spiritualibus, et fiat pax dando, et accipiendo, scilicet inter dantem, et accipientem; et hæc est via virtutis, de qua ad Corinthios (II Cor. 8, 13 et 14): « Ex æqualitate in præsenti tempore abundantia vestra illorum inopiam suppleat: ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas.» Hæc est enim æqualitas, ut qui accipiunt spiritualia, tribuant carnalia. Ipsa est pax Jerusalem, ut opera misericordiæ corporalia jungantur operibus spiritualibus prædicationis, et ita fiat pax dando, et accipiendo, et abundantia in turribus tuis, idest in domibus æternis. Cum enim abundantia divitum supplet inopiam prædicatorum pauperum, sufficientiam adimplent; et sic fit æqualitas, quia omnes habent idem præmium.

Paucitatem dierum meorum nuncia mihi. Unde Ecclesiastici (18, 8): « Numerus dierum hominum, ut multum centum anni: quasi gutta aquæ maris deputati sunt: et sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die ævi. » Vere pauci sunt: « Paucitas dierum meorum ». Comparantur guttæ maris, quia amaritudine pleni, et calculo arenæ, quia pungitivi sunt; quia sicut gutta maris amara est, et modica, sic dies nostri exigui. Hi sunt dies, de quibus in Genesi (47, 9) respondit Jacob regi, dicens: « Dies peregrinationis vitæ meæ centum et triginta anni sunt: pauci (1), et mali, et non pervenerunt usque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt ». De his Zachariæ (4, 10): « Quis enim despexit dies parvos? et lætabuntur, et videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel ». Quis despexit dies parvos? Hæc est descriptio humanæ vitæ. Quis autem despexit? Quasi dicat: Pauci sunt, qui despiciant vitam, licet sint dies pauci, et mali. Qui tamen despiciunt, lætabuntur illis completis, et videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel. Zorobabel interpretatur magister confusionis, et significat Christum, qui est magister confusionis idest mundi qui venit docere nos, qualiter conversandum sit in medio hujus perversæ nationis, et quod breves sunt dies nostri. Ipse tenet lapidem stanneum in manu. In lapide notatur fortitudo divinitatis: in stanno infirmitas humanitatis, quam ipse cremavit in ara crucis, ut argentum fieret electum. Hæc est doctrina ejus, qua docet, ut cremetur stannum ad purgandum argentum; et sic crematur corpus, ut purgetur anima, et sic fiat splendida, et sonora. Vel sic: In ara crucis cremato stanno carnis examinatum, et pur-

(1) Vulg.: parvi.

gatum est argentum humanitatis, docens nos similiter cremare stannum carnis nostræ, ut argentum animæ plene purgatum reddatur factori suo.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum in generationem, et generationem anni tui. Dies hujus vitæ dimidii sunt, quia semipleni, non perfecti; unde in Proverbiis (4, 18): « Justorum semita, quasi lux splendens, procedit, et crescit usque ad perfectum diem. » Dies autem æterni, dies pleni sunt, et perfecti; unde Isaiæ (60, 19 et 20): « Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur: quia Dominus erit tibi in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctus tui ». Ibi enim acute, et circumspecte respiciet anima illuminata radiis gloriæ Dei, et præsentia Dei plenissime fruetur. Hi vero dies nostri dimidiantur, scilicet in prosperis, et adversis in hac vita. Vel sic: Dies vitæ nostræ dimidiantur, scilicet in prosperis, et adversis. In patria enim sunt dies prosperi: in gehenna vero adversi. In præsenti his duobus sunt dimidiati, quia calix, scilicet dispensatio dierum nostrorum, vel vitæ nostræ, est in manu Domini, idest in potestate, vini meri plenus misto (Psal. 74, 8 et 9). Sed vinum, idest jucunditas est bonis, malis vero *fæx*, idest damnatio æterna.

Plenus misto. Dicitur mistum, quia dies nostri mixti sunt prosperis, et adversis; et qui hic prosperantur, et adversis cedunt, in futuro æternæ damnatione semper adversa tolerabunt; et ideo fæx ejus non est modo exinanita, quam tunc bibent omnes peccatores terræ, quia fortes [potati (1)] erunt infernali pœna sustinenda, sed non illi, qui hic dimidiate, et patienter hujusmodi sustinent, qui bibent tunc jucunditatem æternam, quia Deus inclinavit ex hoc in hoc, et sic temperavit nobis potum istum, ut in generatione filiorum, et generatione nepotum sit semen eorum merces bonorum operum suorum. Vel « calix in manu Domini » est dispensatio præmiorum in potestate, et discretione Dei, qui est vini meri quoad Angelos, qui sine omni turbatione fruuntur prosperis, sed est fæcis exinanitæ quoad dæmones, et damnatos, qui quantumcunque bibant, quantumcunque exhauriant, nunquam carebunt adversis. Sed Dominus inclinavit ex hoc in hoc, quia in præsenti nobis temperavit ex prosperis, et adversis, et sic calix iste nobis est plenus misto, prosperitatis scilicet, et adversitatis.

In generationem, et generationem anni tui. Anni justorum sunt in generationem filiorum, et generationem nepotum, quia per opera, quæ tanquam filios genuerunt, pervenient ad dies æternæ hæreditatis, qui tanquam nepotes ex filiis, idest ex operibus generantur; unde Ecclesiastici (44, 10 ad 13): « Illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt: Cum semine eorum permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum, et in testamentis stetit semen eorum: et filii eorum propter illos usque in æternum manent; semen eorum, et gloria eorum non derelinquetur. » Semen Sanctorum sunt opera bona tanquam filii: eorum nepotes, hæreditas æterna, quæ acquiritur per bona opera meritoria per gratiam. Et nota, quod quadruplex est calix: Primus pœnitentiæ, quæ conficitur ex tribus; ex cordis contritione; ex confessionis rubore; et ex satisfactionis labore. Secundus est gloriæ, qui conficitur ex multiplici beatitudine corporis, et animæ. Per primum pervenitur ad secundum. Tertius calix est culpæ, qui conficitur ex tribus: ex superbia, avaritia, et luxuria. Quartus est pœnæ, qui conficitur ex multiplici tormento corporis, et animæ in inferno: nam per calicem culpæ pervenitur ad calicem pœnæ.

SERMO CLXXXIX.

Qualiter Deus retribuit bona pro malis; qualiter coronat nos.

Noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui propitiatur omnibus iniquitatibus, tuis, etc. (Psal. 102, 2 ad 4.)

Retribuit nobis Deus, idest frequenter tribuit, et etiam bona pro malis: quod manifestum est in pluribus locis. Unde Ezechielis (16, 4), ubi inter alia sic dicitur: *In die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus, et aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec involuta pannis.* Loqui-

(1) Additur a nobis [potati] ad complendam grammaticalem hujus loci constructionem. In editione P. Azzoguidii desideratur verbum. (Edit.)

tur Dominus ad Jerusalem, idest animam peccatricem per similitudinem. Hieronymus (1) : *Naturale est infantibus stringi, et præcidi umbilicum, deinde sanguinolentum lavari, post humorem parvulorum conspergi sale, ultimo corpora tenera pannis adstringi.* Sed nullum tale factum est tibi, o anima peccatrix. *Umbilicus*, idest pudenda, vel carnalis affectus, qui debet præcidi, et ipsa concupiscentia, quæ debet stringi, ne diffluat in actum, *non est præcisus :* nec *lota es aqua* baptismi *ad salutem*, cujus pactum non servasti, abrenunciando diabolo, et pompis ejus : *nec sale salita*, idest per discretionem, et mortificationem carnis a putredine vitiorum servata; unde Marci (9, 48) : « Omnis enim victima sale salietur, et omnis igne salietur; » ac si diceret : sale salietur, et igne consolidabitur. Sal habet conservare carnes, ne vermescant : ignis, consolidare. Qui ergo vult fieri victima Deo grata, debet fomitem concupiscentiæ carnis igne pœnitentiæ, ne dissolvatur, consolidare, et sale discretionis, et sapientiæ, ne vermes peccatorum super oriantur, condire, et debet omnia membra, idest officia eorum pannis, idest divinis præceptis ligare, ne diffluant, et detorqueantur a via recta.

Post hæc sequitur de retributionibus (Ezech. 16, 5 et 6) : « Non pepercit super te oculus meus, ut faceret tibi unum de his, misertus tui : sed projecta es super faciem terræ in abjectione animæ tuæ, in die, qua nata es. Transiens autem per te, vidi te conculcari in sanguine tuo, et dixi tibi, cum esses in sanguine tuo : Vive »; et paulo post dicit (Ibid., 16, 8 ad 16): « Expandi amitum meum super te, et operui ignominiam tuam : et juravi tibi, et ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Deus, et facta es mihi; et lavi te aqua, et emundavi sanguinem tuum a te, et unxi te oleo, scilicet gratiæ : et vestivi te discoloribus, » idest varietate virtutum : et calceavi ianthino, per quod signantur opera spiritualia, scilicet ut simus cœlestis conversationis, et perseverantes in bonis operibus : et cinxi te bysso, per quod notatur castitas, quæ debet cingi intus, et foris. Sed contrarium facimus; unde sequitur ibidem : Habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo, idest fornicationem fecisti : et exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, ut ejus fieres. Tulisti vasa pretiosa (2) de auro meo, et argento meo, quæ dedi tibi; et fecisti tibi imagines masculinas et fornicata es in eis. Fornicata es in nomine tuo, idest in dilatatione nominis tui gloriatus es, et exposuisti fornicationem tuam omni transeunti; scilicet diabolo tibi dicenti : Incurvare, ut transeamus, obedisti; et sic ejus factus es possessio. Tulisti vasa pretiosa de auro meo, et argento meo, quæ dedi tibi, etc. In auro sapientia, in argento eloquentia. Masculi virgines corrumpunt : sic faciunt, qui in sapientia, et eloquentia superbiunt, per quod animam corrumpunt. Vel sic : Sicut masculus virginem, sic tu per sapientiam, et eloquentiam corrupisti innocentiam, et integritatem virtutum, acquirendo tibi vanam gloriam ex sapientia, et eloquentia. « Tulisti filios tuos, et filias tuas, quas generasti mihi, et immolasti eos ad devorandum » (Ezech. 16, 20). Per *filios* fortia opera, per *filias* minora opera bona significantur, quæ mortificantur per mortalia peccata, quæ sic immolata idolis, idest peccatis, igne diaboli consumuntur.

Qui coronat te in misericordia, et miserationibus. De hac corona habemus in Apocalypsi (2, 17) : « Vincenti dabo manna absconditum, et dabo ei calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. » Per *manna absconditum* intelligitur divinitas, quia species divinæ majestatis nobis est abscondita. Qui autem de ipsa gustaverit, ex admiratione dicere tunc poterit : *Manhu, quid est hoc* (Exodi 16, 15)? Quia nemo popotest scire illud summum gaudium, quod erit de fruitione divinæ majestatis; unde in Deuteronomio (33, 28) : *Cœli caligabunt rore*, idest sancti prædicatores tantum in promissionibus loquentur quasi per caliginem respectu illius ineffabilis boni. *Dabo calculum candidum.* In calculo duo notantur splendor ignis, et lapidis firmitas : In candore fulgor nostræ resurrectionis : In lapide firmitas nostræ incorruptionis, quæ erit in corporibus glorificatis. *In calculo novum nomen* erit scriptum, ut sicut modo dicitur a Christo christianus, ita

(1) Lib. IV Commentar. in Ezech., cap. 16.

(2) Vulg. : decoris tui.

tunc a Jesu, qui interpretatur Salvator, dicantur salvati. Istud autem *nemo scit, nisi qui accipit*. Qui debet aliquid accipere, manum extendit, ut illud accipiat. Nisi quis manus extenderit ad opera caritatis, ad illud nomen non perveniet, et illud nomen ignorabit, nec eum habere merebitur.

SERMO CXC.

De miseria, et fragilitate humanæ conditionis.

Ipse cognovit figmentum nostrum : recordatus est, quoniam pulvis sumus : homo, sicut fœnum dies ejus, tanquam flos agri sic efflorebit. (Psal. 102, 13 et 14.)

Novit Dominus *figmentum nostrum ;* unde Job (38, 14) : « Restituetur ut lutum signaculum, et stabit sicut vestimentum. » Fecit Deus hominem de luto ad imaginem, et similitudinem suam, scilicet ut esset *signaculum* divinæ majestatis per meritum gratiæ : sed homo per peccatum fecit se in restitutionem luti pristini ; unde convenienter dicitur : *Stabit sicut vestimentum*, quia sicut vestimentum non stat, nisi quando induitur, sic homo non stat, nisi quando gratia est in eo : quando non est, labitur sicut vestimentum plicatum. Item vas fictile, si infectum fuerit, saporem non deponit : sic caro infecta per concupiscentiam, quæ contracta est per peccatum primi parentis, non deponit illam. Caro nostra peccato infecta non deponit fomitem, quoniam *caro concupiscit adversus spiritum* (Gal. 5, 17). Inde est, quod Adæ dicitur in Genesi (3, 18) : « Terra germinabit tibi spinas, et tribulos » ; et non dicit, producet : sed germinabit, quia germen est semper in conceptione, et illud germen non potest tolli a carne : germen enim initium rei est, et in terra carnis nostræ quasi semper incipit infirmitas procedens ex fomite, et animæ ipse fomes adversatur.

Unde Sapientiæ (9, 15) : « Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. » Item vas fractum aquam non tenet; unde Isaiæ (30, 14) : « Comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida : et non invenietur de fragmentis ejus testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea. » Per ignem gratia, per aquam intelligitur doctrina. Sic contrita est terra nostræ carnis, quod vix tenet ignem gratiæ, et aquam doctrinæ. Ecclesiastici (38, 33) : « In brachio suo formabit lutum, et ante pedes suos curvabit virtutem suam. » Formavit Deus Pater *in brachio suo*, idest per Filium suum formatus est homo, quando Filius, qui est fortitudo Patris, se per *virtutem suam* incurvavit, idest humanitatem assumpsit. Vel *in brachio suo*, idest per Filium suum formavit hominem, qui per peccatum convertit se in lutum. Per *virtutem*, divinitas : per *pedes* humanitas. Curvata est ergo virtus divinitatis usque ad pedes humanitatis, ut lutum reformaretur. Et paulo ante dixerat (Ibid., 38, 32) : « Sicut figulus sedens ad opus suum, convertens pedibus suis rotam; » quia Deus in ministerio suo, quod gessit in carne, sedens ad opus suum convertit rotam, scilicet ut homo a morte converteretur ad vitam per resurrectionem suam.

Recordatus est, quoniam pulvis sumus : homo, sicut fœnum, etc. Unde Job (42, 6) : « Ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla, et cinere. » Et in alia translatione (1): *Extabui, et æstimavi me terram, et cinerem :* quia omnis caro fœnum (2); quasi dicat : Velut putredo dissolvar, quia formatus ex pulvere, in quem per sententiam latam mortis me resolvendum cognosco. *Dies ejus tanquam flos agri sic efflorebit.* Ecclesiaste (12, 5) : « Florebit amygdalus, impinguabitur locusta, et dissipabitur capparis, » quia sicut modico tactu læditur, et cito marcescit, sic homo; unde Job (15, 33) : « Lædetur quasi vinea in primo flore botrus ejus, et quasi oliva projiciens florem suum ; » idest sicut florentem vineam si immoderatum frigus, vel æstus attigerit, discusso flore botrus tabescit, sic homo æstu tribulationis, vel tentationis deficit. Et quasi oliva, quæ est in flore, si immoderata nebula tangitur, a fructu evacuatur : sic bona inchoantes, si laudibus incœperint delectari, fructum perdunt operis. Sic et homo, licet in juventute floreat, si tamen æstu febris, vel alicujus infirmitatis nebula tactus fuerit, amittit florem suum, et de facili evanescit.

(1) Versio græca LXX.

(2) Isa. 40, 6.

SERMO CXCI.

De formidine judicii, et de pœnis inferni.

Super montes stabunt aquæ, ab increpatione tua fugient: a voce tonitrui tui formidabunt. (Psal. 103, 6 et 7.)

Per aquas tribulationes intelliguntur, quia sicut aquæ fœcundant terram, et reddunt eam fertilem, ita tribulationes fœcundant mentes sanctorum ad bona opera agenda; unde Apostolus (Rom., 5, 3 et 4) : « Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem. » Ad hoc facit alia pars præcedens (1) : *Abyssus sicut vestimentum, amictus ejus.* Per abyssum, quæ est *amictus* terræ, similiter tribulationes intelliguntur; *quasi vestimentum,* quia ad modum vestimenti calefaciunt hominem ad Deo serviendum, quibus vestimentis teguntur Sancti, ut calefiant fervore Spiritus Sancti, tanquam vestimento. Per *montes* signantur majores in Ecclesia Dei, qui alios vita excellunt : Per terram, minores fidem servantes per bona opera. Dicitur ergo : *Fundasti terram super stabilitatem suam.* (Psal. 103, 5). Sed quæ est hæc stabilitas? Contemptus mundanorum, super quem fundata est terra ista, de qua Job (26, 7) : « Qui extendit Aquilonem super vacuum, et appendit terram super nihilum. » Terra appenditur, cum homo in Deo stabilis omnia transitoria vilipendit. Hæc enim est ejus stabilitas, omnia temporalia nihilum reputare. Vel : *Qui appendit terram super nihilum,* idest Sanctos, qui fructum boni operis reddunt, firmavit Deus *super nihilum,* idest super contemptum temporalium, quæ hominem illa diligentem annihilant; unde sequitur : « Qui extendit Aquilonem super vacuum. » Aquilo est diabolus, qui *super vacuum* extenditur, quia corda illa possidet, quæ Dei gratia non replentur. Caveat ergo, qui plenus est, ne declinet ad dexteram, vel ad sinistram, ne tanquam vas plenum aqua evacuetur, si forte declinavi ad dexteram, vel si ad sinistram, capiat Aquilonem. Vel : « Qui extendit Aquilonem super vacuum, » idest permittit diabolum infrigidantem super illorum corda dilatari, qui vacui sunt a gratia Dei, qui cedunt cuilibet tentationi de vanitate ad iniquitatem. Si enim Deus non præcipiat vento, et mari (2), idest vanitati, quæ per ventum, et iniquitati, quæ per mare intelliguntur, penitus non erit tranquillitas in corde; quia sicut fluctus a vento, sic iniquitas a vanitate impellitur. *Ab increpatione tua fugient. Imperavit* Dominus *vento* (3) *et mari, et facta est tranquillitas.* In vento vanitas, in fluctibus maris iniquitas designatur; cessante autem in nobis vento vanitatis, non insurgunt fluctus iniquitatis, ut dicit beatus Gregorius (4). « Si enim mens (5) a vanitate caute non compescatur, de facili ab iniquitate devoratur. »

A voce tonitrui tui formidabunt. De hac voce tonitrui dicit Job (6) : « Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui facit magna, et inscrustabilia, qui præcipit nivi ut descendat super terram, et hiemis pluviis, et imbri fortitudinis suæ. » Tonabit Deus in die judicii, comminando districtum judicium, quando separabit malos, super quos descendet nix æterni frigoris, ubi erit hiemis fluvius, et incomprehensibiles pœnæ, et innumerabiles guttæ sicut pluviæ. Vel : Tonat Deus mirabiliter in voce sua, cum in timore futuri judicii premendo corda nostra incomprehensibiliter penetrat, et in amore format. Nix viam occultat, et impedit fugam. Hiems pluviosa est. Hoc est, quod in Evangelio beati Matthæi (24, 20) præcipitur : *Videte, ne* (7) *fuga vestra fiat in hieme,* idest post hanc vitam, cum hiems frigiditatis perpetuæ jam incumbet, et pluvia pœnarum infernalium cruciabit, et ne possitis effugere detinebit. De hac pluvia, Job (20, 23) : Emittet (8) Deus ignem, vel iram furoris sui, et pluet (9) super illum bellum suum. In inferno enim pugnabunt tormenta cum impio, nec tormenta vincent impium, nec vincentur ab impio; sed semper durabit in illum bellum. Ad memoriam hujus belli nos provocat idem Job (40, 27), dicens : « Memento belli,

(1) Pars præcedens, etc. Versiculus sextus Psalmi 103, duplicem sententiam complectitur. Prior est : « Abyssus sicut vestimentum, amictus ejus; posterior : Super montes stabunt aquæ.
(2) Matth., 8, 26.
(3) Vulg. : ventis.
(4) Moral., lib. X in cap. 11 Job, num. 21.
(5) Si enim mens, etc. In edit. Maur. Paris., tom. I, col. 349, legitur : Si vanitatis culpa nequaquam caute compescitur, ab iniqaitate protinus mens incauta devoratur.
(6) Job, 37, 5 et 6.
(7) Vulg. : Orate, ut non fiat.
(8) Vulg. : Emittat.
(9) Vulg. : pluat.

nec ultra addas loqui; » quasi dicat : Ad disciplinam patris tanto te exhibe tacitum, quanto ad futurum bellum te conspicis infirmum. Vel sic : « Emittet Deus ignem furoris sui, et pluet super eum bellum suum. » Quidquid enim hic mali gesserit, pro quolibet malo pœnam sustinebit, quia Deus pluet bellum, quia tonitruum erit sine fine, et anima, quæ ibi cruciabitur, semper durabit; et ideo erit bellum æternum inter utrumque. Unde Isaiæ (1) : « In bellis præcipuis expugnabit eos : allidet in turbine, et in lapide grandinis : a voce Domini pavebit Assur virga percussus : et erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus in citharis, et tympanis super eum.» Transibit enim impius de calore ignium ad algorem nivium : Sed transitus ipse erit fundatus, quia numquam cessabit. Vel : Assur, idest diabolus, virga, idest divina pœna percussus pavebit, quia sine fine punietur cum suis, quando Sancti in citharis, et tympanis, idest æterna Dei visione fruentur, quam meruerunt.

SERMO CXCII.

Qualiter Deus emittit fontes sanctæ prædicationis.

Qui emittis fontes in convallibus : inter medium montium pertransibunt aquæ. Potabunt omnes bestiæ agri : expectabunt onagri in siti sua. (Psal. 103, 10 et 11.)

Emittit Deus *fontes* sanctæ prædicationis de *convallibus*. Debet enim esse vallis liliorum prædicator per candorem innocentiæ, et honestæ conversationis famam, et vitæ continentiam, quia *pascitur* Deus *inter lilia* (Cantic., 2, 16). Unde in primo Paralipomenon (4, 39 et 40) : « Profecti sunt, quærentes pascua, ut ingrederentur in Gador usque ad Orientem vallis, et invenerunt uberrimas pascuas. » Gador interpretatur accinctio luminis, quia prædicatores debent esse cingulo luminis accincti, scilicet lumine bonæ conversationis : et venientes ad Orientem vallis. In valle notatur humilitas. Et qui pervenit ad humilitatem, in ipsum pervenit radius sanctæ prædicationis, quo illuminantur auditores, in quibus oritur *inter medium montium*. Unde Zachariæ (6, 1) : Ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium æreorum, idest duorum testamentorum, quæ dicuntur *montes* propter profunditatem sacræ intelligentiæ, et *ærei*, idest sonori, ad quos oritur lux divini eloquii.

Potabunt omnes bestiæ agri, expectabunt onagri in siti sua. Sed fontes modo arefacti sunt; unde Joelis (1, 19 et 20) : « Ad te clamabo, Domine, quia ignis comedit speciosa deserti, et flamma succendit omnia ligna regionis : sed et bestiæ agri, quasi area sitiens imbrem, suspexerunt ad te, quia exsiccati sunt fontes aquarum, et ignis devoravit speciosa deserti. » Fontes aquarum sunt fontes prædicationis, qui sunt devorati igne vitiorum; qui cum deberent esse speciosa deserti, idest Ecclesiæ, et ipsam irrigare, exsiccati sunt. *Bestiæ agri*, idest simplices, sicut area sitiunt imbrem doctrinæ. *Expectabunt onagri*, idest viri religiosi; unde Job (39, 5 ad 8) : « Quis dimisit onagrum liberum, et vincula ejus quis solvit? Cui dedi in solitudine domum, et tabernacula ejus in terra salsuginis. Contemnit magnitudinem (2) civitatis, et clamorem exactoris non audit. Circumspicit montes pascuæ suæ, et virentia quæque perquirit. » Onager, claustralis, cui data est domus in solitudine, ut ibi militet Deo, in terra salsuginis, idest terrenæ sterilitatis. Iste sitit expectando doctrinam prælati sui, nec invenit; unde circumspicit montes pascuæ suæ. Huic sententiæ concordat id, quod dicit Judas in catholica sua (12 et 13) : « Isti sunt nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, feri maris fluctus, despumantes suas confusiones. » Nubes obscuritatem inducit, et ipsi prælati similiter suo pravo exemplo subditos obscurant, et sunt similes arboribus autumnalibus, quæ in autumno spoliantur fructibus, et ipsi similiter spoliantur omnibus bonis. Arbores autumnales videntur florere, et facere fructum ; nec maturatur, gelu superveniente : sic et ipsi, qui bona incipiunt, sed non ducunt ad perfectionem ; et sunt arbores bis mortuæ, quia in peccatis mortui sunt, et quot malo exemplo corrumpunt, tot mortes incurrunt, et ita non solum bis, sed millies mortui sunt. Sunt etiam fluctus maris, idest ama-

(1) Isaiæ, 30, 30 ad 32.

(2) Vulg. : multitudinem.

ritudine, et superbia, et inquietudine suas confusiones despumantes, scilicet ad suam libidinem defluentes.

SERMO CXCIII.

Quod Christus dicitur petra, ad quam refugiunt diversi peccatores, et etiam boni.

Herodii domus dux est eorum : montes excelsi cervis : petra refugium erinaciis, vel leporibus (1), *secundum aliam litteram.* (Psal. 103, 18.)

Christus est *domus*, et *petra herodii*, ubi scilicet mansuescit avis silvestris, et rapax; quia in Christo homines silvestres, idest elongati a Deo per peccata, et avari mansuescunt per pœnitentiam. Christus est *domus* et *petra herodii* rapacissimi; unde Isaiæ (11, 14) : *Idumæa, et Moab præceptum manus eorum*, supple, implebunt: *et filii Ammon obedientes erunt.* Idumæa interpretatur terrena, idest luxuria, vel luxuriosi : *Moab*, ex patre diabolo, idest superbia, vel superbus : *Ammon*, filius mœroris; quia illi, qui terrenis inhiant, et illi, qui sunt ex patre diabolo, et qui filii mœroris mundi sunt, dum præceptis Domini obediunt, inveniunt *refugium*. Vel, *Ammon*, populus turbidus, vel populus mœroris. Isti ergo sunt amatores terrenorum, filii diaboli per imitationem, sub turbine, et mœrore temporalium constituti, inveniunt *refugium* in Christo, conversi. Sed notandum, quod dicit : *Præceptum manus eorum*, idest prædicatorum, quia bonis operibus, et doctrina debent alios docere. Hi non solum *præceptum* oris, sed etiam *manus* adimplent quandoque, quia contriti, ad pœnitentiam non solum injunctam sibi proficiunt, sed etiam justos in operibus imitari satagunt; et ideo potius dicit præceptum manus, quam præceptum oris. Melius enim movet operatio, quam vox : cum enim vox imperat, manus debet operari. Unde Isaiæ (45, 14) : « Labor Ægypti, et negotiatio Æthiopiæ, et Sabaim viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt : post te ambulabunt, vincti manicis pergent, et te adorabunt. » Labor Ægypti, per quod signantur illi, qui laborant, ut inique agant. Æthiopes vescuntur carnibus draconum; unde (Psal. 73, 14) : « Capita draconum (2) dedisti escam populis Æthiopum. » Insuper nigerrimi, per quod signantur tetri in peccatis, qui operibus diaboli, tanquam carnibus vescuntur, quia in carnalibus peccatis. Et talis est eorum negotiatio, tanquam sint tentoria Æthiopiæ, sicut dicit Habacuc (3, 7) : « Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ »; alia littera (3) habet : *Pro laboribus ;* quia ad hoc est labor eorum, ut ipsi fiant *tentoria*, idest habitatio dæmonum. *Pro iniquitate*, idest pro divitiis per iniquitatem possessis; unde (Lucæ, 16, 9) : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, scilicet de divitiis. Et hæc impiorum negotiatio : nam nomine iniquitatis signantur divitiæ, unde dicit: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, idest inæqualitatis, quas diligendo fiunt plures *tentoria* Æthiopiæ : Et viri Sabaim sublimes, qui captivati erant sub jugo diaboli, ad te transibunt, et tui erunt. Sabaim interpretatur captivatio, quia iis, qui captivantur a diabolo per consuetudinem peccandi, est *domus* Christus, si convertantur.

Hæc eadem petra dux est passerum, qui nidificant in cedris Libani; unde Isaiæ (33, 9) : « Factus est Saron sicut desertum, et concussa est Basan, et Carmelus, » qualis est quicumque est in prosperitatibus mundi lasciviens, dicit se non posse sustinere laborem pœnitentiæ. *Saron*, cantilena. Hæc est voluptas, quæ modo cantat. Item Isaiæ (35, 2) : « Gloria Libani data est ei, decor Carmeli, et Saron ». Libanus interpretatur candidatio, et significat virtutum pulchritudinem : *Decor Carmeli*, idest veræ circumcisionis, quæ fit in anima : *et Saron*, quod interpretatur cantilena tristitiæ. Per quod intelliguntur illi, qui florent temporalibus, et tenellis voluptatibus, et deliciosis ; et isti sunt cantilena tristitiæ, hoc est, qui habent gaudium sæculi, quorum extrema gaudii luctus occupat pœnalis (Prov., 14, 13). Hos tales Christus ducit ad pœnitentiam, et fit eis *petra*, ubi manent.

Hæc eadem petra est cervis refugium, idest contemplativis, de quibus in Canticis (8, 14) : « Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ, hinnuloque cervorum super montes aromatum »; quasi dicat : Tu fugies; quod est, quia non ostendit nisi quibusdam

(1) Versio syriaca et arabica.
(2) Vulg. : draconis.
(3) Versio græca LXX.

justis suavitatem contemplationis. Deus ostendit contemplationem sanctis, qui signantur per cervos. *Et assimilare capreæ*. Caprea subito transcendit; quasi dicat: Fac, ut aliquando descendas, et sic cognosceris. Et licet te abscondas a cogitatione nostra, dicit sponsa : *Assimilare capreæ, hinnuloque cervorum*, qui descendunt quandoque ad vallem, idest, descende ad cogitationem nostram. *Montes aromatum* sunt illi, qui eminentia vitæ, et odore bonæ famæ alios transcendunt.

Est etiam hæc *petra refugium erinaciis*, vel *leporibus*, secundum aliam litteram, de quibus in Proverbiis (30, 26) : « Lepusculus, plebs invalida, qui collocat in petra cubile suum. » Hæc est plebs Ecclesiæ invalida, quia non quærit ulcisci proprias injurias, sed in petra Christo ponit spem suam. Vel erinaceus, qui dicitur ericius, *similis est muri, et urso*, ut ibi in Glossa (1). Per murem signatur cupiditas, per ursum luxuria, per erinacium avari signantur. Avari enim ad modum erinacei in spinis iniquitatum deportant poma bonorum temporalium, sicut ericius poma defert (2) in qualibet spina sua. Per ericium signatur avarus, et luxuriosus, quia sicut ericius, se volvendo spinis suis, onerat se pomis temporalium. Per leporem, qui in se confundit sexum, signantur illi, qui laborant vitio luxuriæ, quibus tamen promittitur venia, si pœniteant; quia istis omnibus non prohibetur indulgentia, si convertantur.

SERMO CXCIV.

De multiplici navi.

Illic naves pertransibunt. (Psal. 103, 26.)

Navis aliquando dicitur malitiosa diaboli astutia, in qua defertur velut in navi, sicut habetur Isaiæ (33, 21) : « Locus fluviorum rivi altissimi, vel latissimi, et patentes, non transibit per eum navis remigum, neque trieris magna transgredietur eum. » Locus fluviorum, idest Ecclesia : *rivi altissimi*, sacra Scriptura, quæ habet profunditatem, quæ revelatur per expositionem sanctorum. Trieris dicitur navis habens tres ordines remorum. Talis est navis diaboli; unde Joannes : *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ* (I Joan., 2, 16). Sed neutrum istorum transit per Ecclesiam, Deo ipsam protegente.

Navis etiam dicitur quandoque mens hominis; unde Proverbiorum (31, 14) : « Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum. » Omnis mercator sapiens, qui vult de longe portare merces ad aliquam regionem, considerat, quæ illic sint cariores, et de illis onerat navem suam. Sic quilibet in hoc mundo, tanquam in mari existens, cum sit iturus ad paradisum, ibi expositurus merces suas, scilicet opera sua, navem, idest mentem suam non de luxuria, superbia, vel avaritia, quæ ibi vilipenduntur, et locum non habent, debet onerare, sed de justitia, continentia, humilitate, et hujusmodi, quæ caræ ibi habentur.

Item navis est Ecclesia, de qua Ezechielis (27, 3 ad 7) : *Perfecti decoris ego sum, et in corde maris sita;* de cujus compositione dicit idem : « Finitimi tui, qui te ædificaverunt, impleverunt decorem tuum. Abietibus de Sanir extruxerunt te cum omnibus tabulatis maris : cedrum de Libano tulerunt, ut facerent tibi malum : quercus de Basan dolaverunt in remos tuos : byssus varia de Ægypto texta est tibi in velum, ut poneretur in malo : hyacinthus, et purpura de insulis Elisa facta sunt operimentum tuum. » Ad Ecclesiam, quasi ad navem loquitur hic Propheta. Finitimi, qui ædificaverunt Ecclesiam, fuerunt Apostoli, et Apostolici viri. Sic impletur decor Ecclesiæ. Sed impleta fuit abietibus de Sanir. Tabulæ de abietibus sunt leves, et molles, et ex glutino ipso, quod fluit ex eis, conjunguntur, vel ligantur. Per tabulas signantur illi, qui leves sunt a pondere peccatorum, non graves,

(1) Ut ibi in Glossa. Glossa ord. in illud Prov. 30, 26, Lepusculus, habet : Alii chirogylius, animal non minus ericio, simile muri, et urso. Sed ven. Beda, a quo Glossæ author interpretationem accepit, *Exposit. in Prov.*, cap. 29, ait : « Pro lepusculo, antiqua translatio Chyrogrillium posuit. Est autem animal non majus ericio, habens similitudinem muris, et ursi, cujus in Palæstinæ regionibus magna est abundantia, semperque in cavernis petrarum, et terræ foveis habitare consueverunt. Notandumque, quod in Psalmo, ubi nos canimus, *Petra refugium erinaciis :* in quibusdam codicibus, Leporibus, in quibusdam, Chyrogrilliis invenimus. Sed et in hac Salomonis sententia quædam exemplaria pro lepusculo, erinacium habent. Nam et in libro Hebræorum nominum invenimus idem verbum Hebræum, Saphan, in Jeremia, Chyrogrillium, et leporem, et erinacium a S. Hieronymo interpretatum.

(2) Plin., lib. VIII, cap. 37.

qui descendunt *sicut plumbum in aquis vehementibus* (Exodi, 15, 10). Sunt etiam molles, et tractabiles, qui inter se caritatis glutino conglutinantur, qui dicuntur esse *de Sanir*, quod interpretatur via lucernæ, quia lumen hujus navis procedit ex vero lumine, idest Christo via. Sequitur : *Quercus de Basan dolaverunt in remos tuos.* Remis gubernatur navis. Per *remos*, gubernatores Ecclesiæ intelliguntur. *Basan* interpretatur ignominia, quia ignominiosi, per pœnitentiam assumuntur rectores Ecclesiæ, ut eam gubernent; et significat illos, qui fuerunt in ignominia peccatorum, quos convertit Dominus *in remos*, ut cum Apostolis navigantes, quasi doctores in Ecclesia ad litus patriæ se et alios ducant.

Sequitur : « Cedrum de Libano tulerunt, ut facerent tibi malum. » Malus istius navis debet esse excellentior in Ecclesia. Cedrus alta est, et procera, profunda radicibus, et imputribilis, odorifera, serpentes fugat. Omnia ista adaptantur prælato, qui major est in qualibet Ecclesia. Significat etiam Sanctos, quibus conveniunt hæ proprietates; et de talibus mediante gratia debet fieri malus Ecclesiæ, idest excellentes, et prælati in Ecclesia. « Byssus varia de Ægypto texta est tibi in velum, ut poneretur in malo. » Per byssum candidam vitæ continentia, et munditia designatur : *varia*, quia interior, et exterior designatur. Ipsa texitur *in velum*, ut ponatur in malo. Velum in sinibus suis recipit ventum, et ita fertur navis, aliter non veniret ad portum optatum : et in sinibus munditiæ recipitur ventus Spiritus Sancti, sicut ventus in velo; et eo mediante defertur navis ad portum salutis. « Hyacinthus, et purpura de insulis Elisa facta sunt operimentum tuum. » Per hyacinthum, cœleste desiderium : Per purpuram imitatio dominicæ passionis intelligitur. Hæc debent esse indumenta Ecclesiæ. Debent esse *Elisa*, quia omnes fluctus, et ventum, et pluviam diabolicæ tentationis debent a se repellere, et confringere. Unde Job (40, 24) : « Numquid illudes ei quasi avi, aut ligabis cum ancillis tuis ? » Secundum aliam translationem (1) : « Aut ligabis eum, quasi infantulo passerem? Saginantur in eo nationes : omnes naves non poterunt corium caudæ ejus portare. » Alligatus est navibus Christi diabolus, *quasi passer infantulo*, qui permittit passerem ligatum in filo tantum volare, quantum vult, quia Christus quasi parvulus diabolum alligavit, ut non tentet, vel noceat Sanctis, nisi permissus. *Saginantur*, idest delectantur *in eo nationes*, idest qui remanent in originali peccato, quo geniti sunt. Per caudam, superbia; per corium caudæ, malitia: « Omnes naves non poterunt corium caudæ ejus portare, » quia adhuc multi sunt superbi, et malitiosi.

SERMO CXCV.

De adventu Spiritus Sancti, et septem proprietatibus ignis, quæ appropriantur septem donis Spiritus Sancti.

Emittes Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ. (Ps. 103, 30).

Spiritus Sanctus in nobis caritatem recreat, quam amisimus per peccatum, ut similes Deo simus, et imaginem nostram obfuscatam reparat; qui Spiritus Sanctus per ignem signatur, quia in specie ignis descendit super Apostolos. Ignis enim septem facit, quæ bene concordant septem donis Spiritus Sancti. Ignis alta humiliat, et incinerat; quod convenit Spiritui timoris Domini, qui superbos humiliat, et peccata incinerat, cui respondet paupertas spiritus, idest humilitas; unde in Ecclesiastico (1, 27 et 28) : « Timor Domini expellit peccatum : nam qui sine timore est, non poterit justificari; » et paulo ante (Ibid. 1, 17 et 18) : « Timor Domini, scientiæ religiositas. Religiositas custodiet, et justificabit cor. » Item ignis consolidat; et secundum hoc respondet dono pietatis, cujus virtus est mansuetudo, quæ ita homines consolidat, quod nulla injuria, vel contumelia possunt irritari ad malum; unde (Matth. 5, 4) : « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. » Mitis est, quem asperitas, et amaritudo mentis non afficit, sed simplicitas fidei ad omnem injuriam sustinendam instruit patienter, de qua Ecclesiastici (2, 2 ad 4) : Deprime cor tuum, scilicet per timorem, et sustine per mansuetudinem : et inclina aurem tuam, et suscipe verba intellectus. Sustine sustentationes Dei, et conjungere Deo, scilicet in

(1) Versio græca LXX apud Bedam, lib. III, Expos. in Job.

quærendo, quanta Christus passus est : Conjungere Deo per spiritum pietatis, et sic sustine, et non irriteris : Sed omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe : et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe. Item ignis illuminat, ardet, et accendit; et respondet Spiritui scientiæ, cujus virtus est luctus, ut homo se cognoscat, et ad dilectionem Domini accedat : et etiam hoc ei facit Spiritus scientiæ, quod cor illuminat ad cognitionem peccati, et glaciem mentis emollit in lacrymas; unde Ecclesiaste (1, 18) : « Ubi multa scientia (1), multa indignatio, et qui apponit scientiam (2), apponit et dolorem; » et in Proverbiis (20, 27) : *Lucerna Domini spiraculum hominis*, idest homo spiraculum lucernæ Domini, quæ facit investigare interiora mentis.

Item ignis est ambitiosus, et insatiabilis; cui respondet virtus fortitudinis, quæ habet virtutem sibi adjunctam esuriem justitiæ, quæ hic non potest satiari, donec videat Deum facie ad faciem; unde (Matth. 5, 6) : *Beati, qui esuriunt, et sitiunt justitiam.* De hoc Ecclesiastici (24, 26) : « Transite ad me omnes, qui concupiscitis, etc. » Item ignis omnibus se communicat; cui respondet Spiritus consilii ; et habet mixtam misericordiam, quia amicis, et inimicis se communicat; unde in Proverbiis (8, 14) : *Meum est consilium,* et mea æquitas, idest, per quod habetur æquitas, quod est dare, et accipere, scilicet erogare pauperibus temporalia, et ab ipsis accipere spiritualia; unde Apostolus (II Cor., 8, 14) : *Ut eorum abundantia vestram suppleat inopiam, etc.* Sequitur : *Mea est prudentia*, quæ est eorum, qui quærunt advocatos in judicio, ut omnes actus suos discernant, et dijudicent; unde (Psal. 111, 5 et 6) : « Jucundus homo, qui miseretur, et commodat : disponet sermones suos in judicio, quia in æternum non commovebitur. » Item ignis purgat, et mundat, quod pertinet ad Spiritum intellectus, qui facit mundum cor ad Deum; unde (Matth. 5, 8) : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Qui enim puritatem intellectus non habet, nec Deum videt. Sapientiæ (1, 5) : « Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. » Item ignis sursum fertur. In hoc respondet Spiritui sapientiæ, quæ mentem hominis levat ad speculationem cœlestium. Fertur ignis naturaliter, in quo indicat nobis Spiritum sapientiæ, qui mentem ad superni saporis dulcedinem, quæ est in fruitione divina, quantum hic conceditur, sustollit; unde Apostolus (Coloss., 3, 1 et 2) : « Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. » Orat ergo Propheta, dicens : *Emitte spiritum tuum* septiformem, et *creabuntur* per caritatem in cordis munditia; et ita *renovabis faciem*, idest, imaginem per peccatum obscuratam repara in nobis, tollendo rubiginem peccatorum. « Cor mundum crea in me, Deus : et spiritum rectum innova in visceribus meis. » (Psal. 50, 12.)

(1) Vulg. : in multa sapientia.

(2) Et qui apponit, etc. Versio græca LXX sic legit : Et qui apponit scientiam, apponit dolorem. Sed Vulg. : Et qui addit scientiam, addit et dolorem.

SERMO CXCVI.

Quibus promissum est testamentum æternæ hæreditatis.

Memor fuit testamenti sui : verbi, quod statuit Jacob in præceptum, et Israel in testamentum æternum. (Psal. 104, 8 et 10.)

Verbum *statuit* Deus *Jacob*, idest luctatori contra vitia, *in præceptum*, ut impleat præcepta Domini : *et Israel*, idest videnti Deum, *in testamentum æternum*, idest promissiones æternæ beatitudinis, quam habebunt illi, qui adimplebunt verbum. Illis convenit executio mandatorum Dei, qui in præsenti luctantur contra vitia, et Deum videre laborant in gloria. *Memor* est autem Dominus *testamenti sui*, quod illis promittit : non dat autem, nisi iis, qui faciunt verbum; unde alibi (Psal. 73, 20) : *Respice in testamentum tuum*, idest vide, quibus promissa est æterna hæreditas. Sed illis non est promissa, quibus imago deformata est per vitiorum diversitates. Qui habent facies diversorum animalium, non intrabunt in civitatem Domini. *Quia obscurati sunt terræ*, idest amore terrenorum, per peccata *repleti sunt domibus iniquitatum*, idest diversis filiis vitiorum, ut luxuria, quæ secum trahit ad diversa vitia, et gula, et hujusmodi. Et ideo dicitur : *Respice in testamentum*

tuum, etc. Memor est ergo Deus testamenti sui; unde Isaiæ (1, 19 et 20): « Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis : gladius devorabit vos. »

De hoc testamento, seu promissione, quæ fit justis a Domino, habetur Levitici (26, 3 ad 5): « Si in præceptis meis ambulaveritis, et mandata mea custodieritis, et feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis, et gignet terra germen suum, et pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura vindemiam, et vindemia occupabit sementem. Dabo vobis pluviam temporaneam, et serotinam » (Deuter., 11, 14); de qua Osee (6, 3): « Quasi diluculum præparatus est egressus ejus, et veniet quasi imber nobis temporaneus, et serotinus terræ »; idest egressus Domini de utero Virginis quasi diluculum est, quia sicut videtur sol oriri de tenebris, quas expellit, sic Christus ex Judæis natus est, scilicet de beata Virgine, de qua nobis ortus est sol gratiæ. Sicut imber temporaneus, qui fidem inspirat nobis, per quam fœcundatur terra mentis : et serotinus, quod est, cum post gratiam ducit ad felicitatem æternam. « Et pomis arbores replebuntur, » idest sanctos replet bonis operibus. « Apprehendet messium tritura vindemiam, et vindemia occupabit sementem. » Per messes intelliguntur bona opera. In tritura, grana a paleis separantur, in quo notatur separatio inanis gloriæ a bonis operibus : a granis enim paleas separare est, quod alibi dictum est, tergere pulverem de pedibus nostris. Et talis messium tritura apprehendet vindemiam, idest bona operatio ab omni favoris humani gloria separata lætitiam conscientiæ, et conscientiæ lætitia, sive exultatio occupabit sementem, idest exultatio conscientiæ mentis quietem, quæ est sementis quies, sive sabbati æterni. Hoc est, quod dicit Isaias in fine (66, 23): « Erit sabbatum ex sabbato, » de tranquillitate mentis, quæ hic habetur per gratiam, pervenitur ad vitam æternam.

Sed de pluvia reproborum legitur in Deuteronomio (28, 24): « Det Dominus terræ tuæ imbrem pulverem, et descendat super te cinis, donec conteraris. » Hic est pulvis, de quo legitur in Exodo (8, 17), quod mutatus est in sciniphes, quæ sunt parvæ muscæ, quæ acute pungunt, et in oculos volant ad eruendum eos. Per pulverem amor temporalium, qui mutatur in sciniphes, quia ex eis nascuntur pravæ, et perversæ, et pungitivæ cogitationes, quæ excæcant oculos mentis. Hic est cinis acceptus de camino, qui factus est in vessicas, et ulcera, et in ferburas (1) super jumenta. In ulcere profunda malitia : In vessica tumens superbia : In ferburis fervens, et furens iræ insania, quæ percutiunt jumenta, idest luxuriosos, qui sunt jumenta diaboli. Sit cœlum æneum, quod est super malos. Per cœlum justi signantur, qui sunt super impios, et doctrina, et conversatione; qui sunt ænei, quia sonabunt in judicio contra impios. « Et terra, quam calcas, ferrea. » Per terram minores, qui conculcantur a majoribus, qui propter conculcationem contundentur, et ferientur.

SERMO CXCVII.

De decem plagis, quibus feriuntur transgressores decem mandatorum.

Posuit in eis verba signorum suorum, et prodigiorum. (Psal. 104, 27.)

Posuit Deus signa, quibus percussa est Ægyptus, decem scilicet plagis. Dominus enim daturus decem præcepta (2), prius percussit Ægyptum, sicut habetur in Deuteronomio (6, 21 et 22): « Eduxit nos Dominus de Ægypto in manu forti, fecitque signa, et prodigia. » Percussi sunt Ægyptii ad designandum, qualiter percutiuntur transgressores mandatorum Domini, quibus respondent plagæ Ægypti. Primum præceptum est : *Non habebis deos alienos coram me, etc.* (Exodi, 20, 3.) Cui respondet prima plaga, quod aqua *conversa est in sanguinem.* (Ibid., 7, 20.) Aqua, ex qua, et calore generantur omnia, significat Deum, ex quo omnia sunt. Aquam in sanguinem convertere, est mutare immutabilem, et incorruptibilem gloriam Dei in similitudinem

(1) Et in ferburas, etc. Glossa ord. in interpretatione sextæ plagæ Ægypti utitur hoc vocabulo : « In ulceribus dolosa, purulentaque malitia arguitur : in vesicis tumens et inflata superbia : in ferburis, iræ et furoris insania. » Sed apud Origenem, a quo sumpta est interpretatio Hom. IV in Exod., edit. Maur. Ven., tom. II, pag. 94, col. 1 legitur, *in fervore*, non vero, *in ferburis*. Et apud ven. Bedam, qui eamdem interpretationem mutuatus est ab Origene, cap. 9 *Expositionis in Exod.* legitur, *in fervoribus.*

(2) Ex Origene Hom. 4 in Exod.

hominum, volucrum, quadrupedum, et serpentium, sicut dicit Apostolus. (Rom., 1, 23.) Vel, aquam in sanguinem mutare est carnaliter de Deo sentire, vel secundum prudentiam carnis, vel mundi sapere; unde in hac aqua pisces moriuntur. (Exodi, 7, 21.) Secundum mandatum : *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum* (ibid., 20, 7), idest a veritate non recedes eundo in vanitatem; quod faciunt qui sequuntur vana, et mendacia, adhærentes temporalibus; unde Apostolus (II Cor., 6, 1) : *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis;* hoc est, cum eam receperitis, non vos ea per peccatum evacuetis. Qui hoc facit, percutitur plaga secunda. Huic respondet plaga ranarum, per quas signatur vana loquacitas; de quibus dicitur (Psal. 11, 3) : « Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum »; et Sapientiæ (13, 1) : « Vani sunt omnes homines, in quibus non est scientia » (1). Tertium mandatum est *sanctificatio Sabbati*, idest requies mentis, cui contraria est plaga sciniphum, quæ sunt muscæ subtilissimæ, et inquietæ, per quas intelliguntur mentis cogitationes ipsam perturbantes. Quartum mandatum est : *Honora patrem tuum, et matrem tuam*, cui respondet plaga, scilicet musca canina (2). Parentes enim non honorare, caninum est; canes enim cæci nascuntur, nec parentes suos agnoscunt, sed despiciunt; unde Ecclesiastici (3, 11) : « Benedictio patris confirmat domos filiorum : maledictio autem matris eradicat fundamenta. » Quintum mandatum est : *Non occides*, cui respondet cinis missus in cœlum, de quo factæ sunt vessicæ, ulcera, et ferburæ (3). Unde Glossa : Ardent enim homicidæ ira, et insania, quorum animarum si videremus vulnera, inveniremus graviora ulceribus. Vel sic : *Ardent enim homicidæ ira, et insania, quorum plus lugeres, vel plangeres animas, si videres, quam ulceratorum corpora* (4). Sextum præceptum est : *Non mœchaberis*, hoc est, non commiscearis alicui, excepto fœdere matrimonii. Qui fræna laxat luxuriæ, et in ea se immergit, percutitur sexta plaga, quæ fuit mors pecudum (5), idest ad modum pecudis non intrabis terram æternæ promissionis, quia te similem jumento fecisti, juxta Joelem (1, 17) : « Computruerunt jumenta in stercore suo. » Septimum mandatum : *Non furaberis*, cui respondet plaga grandinis, a qua percutitur. Qui furatur, de nube Domini in futuro grandinabitur, quia de secreto Dei consilio, mentis, et cordis duritia grandinabitur, et vastabitur. Octavum mandatum est : *Non falsum testimonium dices*, cui respondet locusta, a qua vastatur. Falsus enim testis est sicut locusta, quia sicut locusta segetes, sic falsus testis bona proximi sui incidendo consumit. Nonum mandatum est : *Non concupisces uxorem proximi tui*, cui respondet plaga tenebræ. Qui hoc facit, ponitur in tenebris; unde Glossa : « Nil tam dolet patiens, nil tam nollet pati faciens. Decimum mandatum est : *Non concupisces rem proximi tui*, cui respondet mors primogenitorum; nisi credas tanquam primogenitus ejus, succedere ei in hæreditatem. Quod si feceris, et hoc concupisces, perdidisti fidem, quæ quasi est primogenita; et multoties hæredem. Hoc enim sæpe videmus in multis principibus, et regibus, qui tollunt terram pauperum, et opprimunt quos possunt, quod perdunt filios suos, quia alios exhæredant. Item de sanctificatione sabbati, Jeremiæ (17, 21 et 22) : « Custodite animas vestras, et nolite portare pondera in die sabbati, nec inferatis per portas Jerusalem »; pondera scilicet peccatorum, quæ non sunt portanda : nec inferatis per portas Jerusalem, idest mentis, vel corporis. Et nolite ejicere onera, idest virtutes, de domibus vestris, idest de conscientiis, vel conversatione bona, in die sabbati, idest toto tempore vitæ vestræ, et omne opus non facietis, scilicet servile.

(1) Vulg. : in quibus non subest secretum Dei.
(2) Ex Glossa ord.
(3) Et ferburæ. (Vide Annotationem (1) ad præcedendum Sermonem CXCVI, col. 1075.)
(4) Glossa ord. : hic.
(5) Quæ fuit mors pecudum. Sexta Ægypti plaga fuerunt « ulcera vessicarum turgentium in hominibus, et jumentis » ; quinta vero, *mors pecudum*, uti legitur Exodi cap. 9, vers. 6 et 10. Verum, cum auctor Glossæ ordinariæ, comparans præcepta Decalogi cum decem plagis Ægypti, immutaverit seriem præceptorum, scribens : « Quintum præceptum est : Non mœchaberis. Quinta plaga, mors in pecoribus... Sextum præceptum : Non occides. Sexta plaga, pustulæ in corpore, vessicæ, » etc., ordinem illum præposterum, quem tenet Glossa in recensu præceptorum, servare coactus est sanctus noster in enumeratione plagarum.

SERMO CXCVIII.

Contra Prælatos adulantes vitia divitum, deprimentes pauperes; contra illos, qui lætantur in peccatis.

Beati, qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore. (Psal. 105, 3.)

Beati sunt, qui faciunt judicium, et justitiam, et væ illis, qui non faciunt, nec custodiunt; unde Isaiæ (5, 20): *Væ* vobis, qui dicitis bonum malum, et malum bonum: ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras, et amarum in dulce, et dulce in amarum.» Hoc dicitur de prælatis, qui palpant vitia subditorum, cum eos deberent dure increpare. Facti sunt adulatores, qui palpant vitia subditorum, et dicunt *malum bonum, et bonum malum* propter quæstum; de quibus dicitur in Ezechiele (13, 15): « Complebo indignationem meam, in pariete, et in his, qui liniunt eum absque temperamento. » Ædificat peccator parietem, addendo peccata peccatis. Super eum indignatio divinæ vindictæ fiet, et in his, qui liniunt luto sine palea. Luto cum palea linitur paries virtutum, cum et infirmitas conditionis, quæ per lutum, et iniquitas, quæ per paleam, et comminatio divini judicii a prælato subditis insinuatur; et hac litura virtutum paries in subditis conservatur. Luto cum palea linitur paries virtutum, quod est, cum peccata infirmitatis hominis ostenduntur; unde Augustinus (1): Palea es (2), dum paleam sequeris; time ergo, ne ardeas. Et paulo ante (Ezech. 13, 10): « Deceperunt populum meum, dicentes: Pax, pax, et non est pax; et ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis.» Sed mali prælati parietem vitiorum, quem ædificant subditi, luto absque paleis liniunt, cum absque omni comminatione judicii, infirmitatis causas prætendunt adulatorie, per infirmitatem carnis levigantes peccata, et sic in iniquitatibus nutriunt; et ideo de talibus dicitur (Ibid. 13, 17 et 18): « Complebo indignationem meam in pariete, et in his, qui liniunt eum absque temperamento. » Item in eodem: « Pone faciem tuam contra filias populi tui, quæ prophetant de corde suo, et vaticinare super eas, et dic: Væ quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas. » Dedignatur Dominus vocare prælatos in masculino genere propter fœmineos, et molles actus, quos habent circa subditos, et maxime circa nobiles, et divites, cum pauperibus duros, et asperos se exhibeant, ut ab eis pecuniam, etiam quam non habent, emungant; unde Michææ (3, 5): « Qui seducunt populum meum, qui mordent dentibus suis, » scilicet pauperem: « et prædicant pacem: et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium, » idest supplicium æternum. *Mordent dentibus suis* pauperes, qui eis nihil dant, comminantes eis æternam damnationem: divitibus autem, qui dant, *pacem prædicant*, dicentes: Pax, pax erit vobis. Veruntamen non erit pax.

Sequitur: *Ponentes lucem tenebras, et tenebras lucem.* Hoc est, quod dicit Job de eisdem (24, 16 et 17). « Perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerunt sibi, et ignoraverunt lucem. Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis: et sic in tenebris quasi in luce ambulant. » Arbitrantur *umbram mortis,* quia qui perverse egerunt, puniri timent, corrigi nolunt, sed laxe ire eligunt, et in culpa gaudere. Vel *aurora* est mens justi, quæ peccati tenebras deserens, ad lucem æternitatis erumpit quos si mali sublimari honoribus vident, quasi de morte dolent; *et sic in tenebris, quasi in luce ambulant,* quia ita gaudent in nocte peccati, ac si eos lux justitiæ circumfundat; vel in præsenti cæcitate ita læti sunt, ac si jam æternæ patriæ luce perfruantur. Quidam sunt, quibus præsentia boni est gravis, sicut præsentia Christi fuit gravis dæmoni dicenti, sicut habetur Matthæi (8, 29): *Quare venisti torquere nos ante tempus?* quia lux matutina eis umbra mortis fuit arbitratu suo; unde in libro Sapientiæ (2, 14 ad 16) dicitur de justo: « Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum, » quasi dicant: Cogitationes nostras traducit in lucem; et ideo « gravis est nobis etiam ad videndum. » Ecce quod tenebræ non possunt etiam videre lucem: « Quoniam

(1) Ser. 354, ad continentes, cap. 3.

(2) Palea es, etc. In edit. Maur. Antwerp., tom. V, col. 959, sic legitur: « Videtis ergo, quia et mali necessarii sunt bonis; In fornace quodam modo aurificis sumus, hoc est in hoc mundo; Si aurum non es, simul ardes; Si aurum es, palea tua est malus; Si et tu palea es, simul eritis fumus. »

dissimilis est vita illius, abstinet se a viis nostris tanquam ab immunditiis. »

Ponentes dulce amarum, et e contra; quia in vitiis, quæ amara sunt, et ad amaritudinem ducunt, delectantur; quæ autem virtutis sunt, aspernantur. Nil enim tam amarum, ut peccatum : nil dulcius virtute, virtutis opera intuenti. Cuilibet peccatori peccata sunt dulcia, et bona pœnitentiæ sunt amara; unde comminatur eis Dominus per Habacuc (1, 6) : « Ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram, et velocem, ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua. » Chaldæi interpretantur quasi ubera, vel quasi feroces, vel dæmones, qui in principio peccati prætendunt ubera delectationis. In uberibus dulcedo, quam prætendit diabolus : sed sequitur ferocitas, quia post delectationem peccati constringit, et tandem in supplicium pertrahit. « Ut possideat tabernacula non sua; unde Jeremia (17, 11) : « Perdix fovit, quæ non peperit : fecit divitias, et non in judicio. » De alieno sibi divitias facit, cum viro justos ad peccandum allicit. Et Job (21, 33) : « Dulcis fuit glareis Cocyti, et post se omnem hominem trahet, et ante se innumerabiles. » Glareæ lapilli fluminum sunt, quos aqua fluens trahit. Cocytus interpretatur luctus infirmantium, vel luctus fœminarum. Glareæ Cocyti sunt, qui contra voluptates fortiter stare nolunt, et suis quotidie lapsibus ad luctum tendunt. Post se omnem hominem, idest omnem carnalem concupiscentiam trahet diabolus per suggestionem præcedentem : Et ante se innumerabiles, scilicet qui præveniunt diabolum in peccando per novas inventiones scelerum. Sed beati, qui faciunt justitiam, de qua habetur Ezechielis (18, 5 ad 9) : « Si fuerit justus vir, et fecerit judicium, et justitiam : in montibus non comederit, et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel : et uxorem proximi sui non violaverit : et ad mulierem menstruatam non accesserit : et hominem non contristaverit : pignus debitori reddiderit : per vim nihil rapuerit : panem suum esurienti dederit, et nudum operuerit vestimento : ad usuram non commodaverit, et amplius non acceperit : et præcepta (1) mea custodierit, ut faciat veritatem : hic justus est, et vivet (2), ait Dominus Omnipotens. »

(1) Vulg. : judicia.
(2) Vulg. : vita vivet, ait Dominus Deus.

SERMO CXCIX.

De visitatione Christi in primo adventu.

Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui, visita nos in salutari tuo. Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hæreditate tua. (Psal. 105, 4 et 5.)

Hoc desiderium est sanctorum Patrum adventum Christi expectantium, est dicentium : *Memento nostri, Domine, etc.* Cui concordat id, quod dicit Isaias (51, 9) : « Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini : consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum. » Et nota, quod eleganter dicit : *Consurge;* non, consurgite : nec dicit simpliciter, surge; et hoc ideo, quia unam personam desiderabant, scilicet Filium Dei in gemina natura, scilicet in divina, et humana, potius dicit, *consurge*, quam, surge. *Induere fortitudinem* contra diabolum, hoc est, humanitatem assume, in qua eum superes, et genus humanum liberes; Consurge sicut in diebus antiquis. Hoc est, quod hic dicitur : *In beneplacito populi tui;* ut sicut tunc populum tuum in fortitudine a Pharaone liberasti corporaliter, ita nunc spiritualiter. Concordat Isaias (63, 15) : « Attende de cœlo, et vide de habitaculo sancto tuo, et solio gloriæ tuæ; ubi est zelus tuus, et fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum, et miserationum tuarum? Super me continuerunt se. » Et sunt hic tria verba notabilia : *Zelus, fortitudo, multitudo viscerum.* Zelus, idest indignatio; quasi dicat : Ubi est indignatio tua? Vel, quare non indignaris, quod impius, idest diabolus, tenet creaturam tuam, scilicet hominem servum captum per peccatum? Hic fuit zelus Domini. De hoc zelo Isaias (59, 17 et 18) : « Indutus est justitia, ut lorica, et galea salutis in capite ejus : indutus est vestimentis ultionis, et opertus est quasi pallio zeli. Sicut ad vindictam quasi ad retributionem hostibus suis, et justificationem (3) inimicis suis. » De fortitudine dicit Isaias (27, 4 et 5) : « Gradiar in prælio super illam : succendam eam pariter? an potius tenebo fortitudinem meam? faciet pacem mihi? » Quasi dicat : Numquid conculcabo eam, et suc-

(3) Vulg. : vicissitudinem.

cendam eam? Quasi: quid istorum duorum faciam? Destruam naturam humanam? an parcens potius tenebo fortitudinem, idest patiar misericordiam meam? In hoc est magna Dei fortitudo, cum toties exacerbatum tenet eum misericordia sua, ut se contineat a vindicta. De multitudine viscerum dicit Osee (11, 8 et 9): « Conversum est in me cor meum; quasi dicat: Vincitur rigor per misericordiam: pariter conturbata est pœnitudo mea; quasi, pœnitet me delere hominem, quia viscera misericordiæ pati non possunt: non convertar a clementia, nec disperdam Ephraim, quia Deus ego, et non homo in medio tui.

Visita nos in salutari tuo, idest in Christo, qui est medicina nostra, de qua Ecclesiastici (43, 24): « Medicina omnium in festinatione nebulæ, humilem efficiet eum ros obvians ab ardore venienti; » vel, ros obvians venienti ab ardore humilem efficiet eum. Medicina omnium in festinatione nebulæ Christus est, cujus caro comparata est nebulæ, quia immunis est ab omni pondere peccatorum, de qua dicitur (1): Ecce video nebulam totam terram tegentem. Ros obvians venienti, idest diabolo ad pugnandum contra homines: vel ros veniens ab ardore, ros misericordiæ expressus de severitatis ardore obvians venienti, quia per humanitatem assumptam conversus est ardor vindictæ in rorem misericordiæ. Quod mirum est, quod ardor distillet rorem, ut humilem efficiat eum; quod factum est passione Christi. Hoc est, quod alibi dicitur (Psal. 134, 7): *Fulgura in pluviam fecit*, quia per passionem in carne susceptam humiliatus est diabolus, et dejectus.

Postea sequuntur tria verba: *Ad videndum in bonitate electorum tuorum*, quam ipse confert electis suis: *ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hæreditate tua*. Ad videndum, ad lætandum, ad laudandum. Petimus Filium in carnem mitti ad videndum, idest ut videre, et cognoscere possimus eum in gloria; unde Joannis (17, 3): « Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. » Hæc est hæreditas æterna ad videndum, et ad lætandum in lætitia; unde Isaiæ (51, 11): « Et venient in Sion laudentes, et lætitia sempiterna super capita eorum, » idest super mentes, gaudium, et lætitiam tenebunt, et fugiet dolor, et gemitus. Ad laudandum omnes qui receperunt præmium æternæ hæreditatis, de qua dicitur (Psal. 15, 6): « Funes ceciderunt mihi in præclaris, » quia æterna gloria futuræ gratiæ quasi funiculo distribuitur. Vel ad laudandum, quia tunc singuli Deum laudabunt, dicentes: « Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi. »

(1) B., I Dom., 1, Adv.

SERMO CC.

Quod non debemus inire fœdus cum vitiis, quæ significata sunt per gentes, sed ea destruere cum circumstantiis. De his, qui immolant filios diabolo.

Commisti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum: et servierunt sculptilibus eorum; et immolaverunt filios suos, et filias suas dæmoniis. (Psal. 105, 35 ad 37.)

Prohibitum erat Judæis commisceri gentibus. In Deuteronomio (7, 2 et 3): « Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum, nec sociabis te illis in conjugio, nec filiam tuam dabis filio ejus. » Non inibis cum eis fœdus, de quo in libro Judicum (2, 1 et 2) redarguuntur Ephraim, et Zabulon, qui non interfecerunt illas gentes: *Ephraim non interfecit Chananæum, qui habitabat in Gazer, sed habitavit cum eo. Zabulon non delevit habitatores Cetron, et Naalol: sed habitavit Chananæus in medio ejus* (Ibid., 1, 29 et 30). Ephraim interpretatur fructificatio: Chananæus negotiatio: Gazer præcisio. Ephraim ergo sunt, qui divitias sectantes per negotiationem, præciduntur a Deo. Vel, Ephraim ergo sunt illi, qui multiplicantur a fructu frumenti, vini, et olei (Psal. 4, 8). Tales non interficiunt, imo associant sibi *Chananæum*, idest negotiationem dolis, et falsitate implicatam, propter quod præciduntur a corpore Christi, nec hoc ignorant; unde Job (15, 23): « Cum se moverit ad quærendum panem, novit quod paratus sit in manu ejus tenebrarum dies. » Panis hic stipendium est vitæ præsentis: tenebrarum vero dies tempus ultionis accipitur. In actu itaque suo ipse perversus Judicis iram apprehendit præsentem, sed a malo non avertitur, quia

panem fraudis, et mendacii secum defert negotiator. Zabulon non interfecit Cetron, et Naalol. Zabulon interpretatur habitaculum fortitudinis : Cetron, thimiama : Naalol, laudatio interpretatur. Zabulon ergo est fortis in operibus, et non removet thimiama, idest delectationes carnis de corde, et laudem adulationis ex ore, et manus suas non excutit ab omni munere; unde redarguitur in lege. « Non misereberis gentium, » idest vitiorum, sicut illi, qui palpant, nec reprehendunt. Unde Gregorius (1) : Sunt plerique (2), qui compassionem proximo, non spiritualiter, sed carnaliter impendunt, ut ei non ad virtutes, sed quasi miserendo ad culpas faveant. Hi crucem ferre videntur per compassionem proximi, sed Dominum non sequuntur. « Nec associaberis filiabus eorum, » idest animam tuam filiabus diaboli : Vel, nec sociaberis cum eis conjugio, idest non conglutinabis animam tuam, ut eis consentias. « Non dabis filiam tuam filio ejus. » Multi filios suos, idest opera filiabus diaboli, quæ sunt septem, tradunt ad nuptias, sed pauci volunt contrahere cum filia Christi. Istæ filiæ Satanæ, sive diaboli sunt septem vitia, quæ multi approbant, et reprobant virtutes.

Et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum. In Deuteronomio (7, 5) : « Aras eorum subvertite, et confringite statuas, succidite lucos, et comburite sculptilia. » Per *aras*, mentis elatio contra Deum : per *statuas*, idolum peccati, quod erigitur super mentem per superbiam : per *lucos*, circumstantiæ peccati, quæ debent succidi, quia accendunt hominem ad peccandum. Omnia ista destruenda sunt in homine. De succisione luci, et aræ destructione habemus concordantiam in libro Judicum (6, 25 et 26), ubi præcepit Deus Gedeoni, dicens : « Destrues aram Baal, quæ est patris tui : et nemus, quod circa altare est, succides, » scilicet circumstantiam peccatorum; et sic « ædificabis altare Domino Deo tuo. » *Sculptilia comburite,* idest actus peccati. Sculptilia sunt peccata in opere; conflatile est deliberatio pravæ cogitationis : vel conflatile, peccata in ore; quæ omnia debent comburi, et annihilari. Concordantia habetur in quarto Regum (23, 4 ad 7), ubi dicitur, quod protulerunt statuam (3) de fano Baal, et combusserunt, et comminuerunt eam, destruxerunt quoque ædem Baal, et fecerunt pro ea latrinas perpetuas.

De fano Baal, idest de mente peccatoris profertur statua peccati, quæ ejicienda est : debet etiam comminui, et comburi igne contritionis, et comminui per confessionem : et ædem debet destruere, idest conversationem; et lucum, idest circumstantias peccatorum. Nec hoc debet sufficere, sed facere ibi latrinas, idest abominationem peccatorum, et fœtorem eorum semper habere in memoria, et in naribus ipsius mentis ad destruendum ea; et sic faciendo eum abhorreat. Unde Jeremiæ (19, 6) : « Dicit Dominus : Non vocabitur amplius locus iste, Topheth, et vallis filii Ennom, sed vallis occisionis. » Topheth interpretatur latitudo : Ennom, vallis tristitiæ, quia in mente, ubi fuit delectatio peccati, debet esse vallis tristitiæ, et mœroris. Concordantia secundo Paralipomenon (15, 16) : « Sed et Maacham matrem regis deposuit ex augusto imperio, eo quod fecisset simulacra (4) in luco, » et idolum Baal comminuit, et contrivit in frusta, et pulverem contritum posuit in torrente Cedron. In torrente videlicet lacrymarum debet conteri, et comburi per confessionem, ut dictum est, peccati simulacrum, quod procedit ex Maacha. Maacha interpretatur mollities, vel tentatio, quia mollities carnis, vel tentatio deponenda est a mente, et peccatum debet comminui per minutas partes, et poni in torrente Cedron, idest cum tristitia mentis in contritione debent lacrymæ fluere, destruentes ipsum peccatum.

Immolaverunt filios suos, et filias dæmoniis, idest opera, quorum quædam sunt fortia, quædam minus fortia. Filii sunt opera fortia : Filiæ opera minus fortia, quæ quidam quandoque immolant diabolo per peccatum, quod perpetrant. Immolantur dæmoniis filii, et filiæ, dum bona opera mortificantur per peccatum; unde Jeremiæ (7,

(1) Ex Hom. 32 in Evang.
(2) Sunt plerique, etc. In edit. Maur. Paris., tom. I, col. 1589, n. 3, sic legitur : Compassionem vero animi plerumque latenter obsidet pietas falsa; ut hanc nonnumquam usque ad condescendendum vitiis pertrahat, cum ad culpas quisque non debeat compassionem exercere, sed zelum.
(3) Ex vers. syr. et arab.
(4) Vulg. : simulacrum Priapi.

31) : « Ædificaverunt excelsa Topheth, quæ est in valle filii Ennom, ut incenderent filios suos, et filias suas igni. » Topheth, quod interpretatur latitudo gehennæ, vallis tristitiæ, quia ædificatio, vel vagatio in mentis latitudine ducit hominem in profundum, et in vallem tristitiæ, scilicet gehennæ, quam multi sibi ædificant fœneratores per avaritiam, et filios, et filias immolant, et incendunt ad lucrum, et peccatum, ut sint paterni sceleris imitatores, demum æterno incendio cum eis arsuri. Unde Osee (9, 12 et 13) : « Quod et si enutrierint filios suos, faciam eos sine liberis in hominibus : sed Ephraim educet ad interfectorem filios suos » ad peccandum, et ipsis favent in peccatis, nec corrigunt. Immolant ipsos diabolo, et multoties carent hæredibus suis. Vel, Ephraim educet ad interfectorem filios suos docendo, per usuram augeri debere pecuniam. Unde sequitur (ibid., 9, 14) : « Da eis vulvam sine liberis, et ubera arentia, » ut scilicet non gignant, et si genuerint, non habeant unde lactent filios diabolo nutriendos.

SERMO CCI.

Qualiter Christus nos per passionem congregavit, qui eramus dispersi per diversa vitia.

Salvos nos fac, Domine Deus noster, et congrega nos de nationibus (Ps. 105, 47).

Hic duo petimus : A Domino salvari ; et de nationibus congregari. Concordantia habetur Isaiæ (11, 12) : « Levabit Dominus signum in nationes, et congregabit profugos Israel, et dispersos colliget a quatuor plagis terræ. » Levabit Dominus signum in nationes, signum crucis, in quo salus facta est in gentibus, et diabolus est ibi crucifixus. Quod signatum est per hoc, quod dicitur Josue (8, 29) : « Rex Hai suspensus est in patibulo a Josue. » Per regem Hai diabolus, qui suspensus est in patibulo crucis, in qua duplex est lignum propter geminam rationem, ut dicitur super Josue : Ibi enim visibiliter Christus suspensus est ad exemplum nostrum, ut vitiis crucifigamur, et diabolus invisibiliter, ne nobis noceat, quantum nocere vellet. Item rex Hai suspensus est in patibulo ; Christus in ligno crucis in carne nostra visibili est crucifixus : et *rex Hai*, idest diabolus ibidem invisibiliter, sicut dicitur in Glossa (1) : Gemina facta est crucifixio ; unde Apostolus ad Colossenses (2, 15) : *Expolians principatus, et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*, scilicet in gemino ligno crucis. Imo hoc habetur in Græco (2) : *Triumphans in ligno crucis gemino.* Sic habetur super Josue : Christus crucifixus est in exemplum, ut nos crucifigamur. Crucifixus erat Paulus, quod alibi ostendit dicens (Gal., 6, 14) : *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Sic et quilibet debet crucifigi, ut et ipse sit mundo mortuus quo ad mundi negotia, et mundus ei quantum ad omnes affectus. Vel in ligno crucis crucifixus est ad exemplum nostrum, ut vitiis crucifigamur ; et diabolus, ne tantum noceat, quantum desiderat. *Per quem mihi mundus crucifixus est*, ut ego quantum ad negotia mundi contemptibilis ; *et ego mundo*, ut non affectem quæ mundi sunt, sicut ejus amatores faciunt.

« Et congregabit profugos Israel. » De hoc habemus in Levitico (26, 36) : « In regione hostium (3) terrebit eos sonitus foliorum volantium magis, quam gladius. » Folium leve est, cito marescit, et de facili a vento rapitur. Sic honores hujus mundi, et facultates, et dignitates cito transeunt, sicut foliorum sonitus. Secundo sunt volantes. Hoc folium multos terret, imo ipsum tanquam gladium fugiunt, quia magis timent quidam cadere a dignitatibus, et honoribus hujus mundi, quam gladio divini judicii. *Et congregabit dispersos ;* unde Ezechielis (36, 19) : « Dispersi eos in gentes, et ventilati sunt in terras : juxta vias eorum, et adinventiones eorum judicavi eos » ; et ipsi cœperunt ventum, scilicet vanitatem, quæ detrahit eos per vana peccata. Vel conceperunt ventum elationis, et vanitatis, et ille ventilavit eos in diversa vitia. De hoc vento dicit Jere-

(1) Glossæ ord. ex Orig.
(2) Habetur in Græco, etc. Testis est Origenes Homil. VIII in Josue, tom. II edit. Maur. Ven., pag. 316, num. 3 : « Licet in aliis exemplaribus habeatur, triumphans in semetipso, sed apud Græcos habetur, in ligno. Ergo duplex ratio Dominicæ crucis : una illa, qua dicit Apostolus Petrus, quod Christus crucifixus, nobis reliquit exemplum : et hæc secunda, qua crux illa trophæum de diabolo fuit, in quo et crucifixus est et triumphatus. »
(3) Vulg. : Dabo pavorem in cordibus eorum in regionibus hostium : terrebit eos sonitus folii volantis, et ita fugient quasi gladium.

mias (14, 6) : « Steterunt onagri in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones, defecerunt oculi eorum. » De his talibus, qui confidunt in caducis honoribus, dicit Job (27, 21) : Tollet eos (1) ventus urens superbiæ, et luxuriæ, et auferet eos, velut turbo (2) de loco suo, idest a Christo. Locus noster Christus est, in quo vivendum, et moriendum, et super quem debemus fundari, a quo ventus urens tollit leves.

Sequitur : *A quatuor plagis terræ.* Hoc est, quod hic dicitur : *Salvos fac nos, Domine, et congrega nos de nationibus.* De hoc Ezechielis (36, 23, 24 et 33) : « Cum sanctificatus fuero in vobis coram eis : tollam quippe vos de gentibus, et congregabo vos de universis terris, et adducam vos in terram vestram : In die, qua mundavero vos ex omnibus iniquitatibus vestris, et inhabitari fecero urbes, et instauravero ruinosa. » Sequitur in eodem (Ibid., 36, 34 et 35) de terra : « Et terra deserta erit (3) exculta, quæ quondam erat desolata in oculis omnis viatoris ; et dicent : Terra illa inculta, facta est ut hortus voluptatis. » Sic de peccatore converso, qui prius erat desertum diaboli inhabitantis per peccatum ; factus est hortus voluptatis per gratiam. Sequitur (Ibid., 36, 37 et 38) : « Multiplicabo eos sicut gregem hominum, ut gregem sanctum, ut gregem Jerusalem in solemnitatibus ejus. » Hic signantur tres status hominis conversi. Primus, pœnitentiæ ; unde dicit : Multiplicabo eos sicut gregem hominum, idest rationabiliter viventium, qui prius quasi brutaliter vivebant ; quod concordat Evangelio (Lucæ, 13, 32) : *Ecce ejicio dæmonia hodie.* Secundus est status justitiæ, per quam conflatur; unde dicit: Ut gregem sanctum, idest sine terrenitate : cui concordat id, quod dicit : *Sanitates perficio.* Tertius status erit gloriæ; unde sequitur : « Ut gregem Jerusalem in solemnitatibus ejus » ; hoc est : *Tertia die consummor*, quæ erit in resurrectione. Hoc fecit Samaritanus erga vulneratum. Primo infudit *vinum* (4), idest fervorem pœnitentiæ; postea *oleum*, idest lenitatem justitiæ : post ista, perfectam sanitatem, idest consummationem glorificationis æternæ.

SERMO CCII.

Qualiter Deus ponit speciosam in solitudinem ; de bona civitate, et mala ; de fame, et siti peccatoris.

Erraverunt in solitudine in inaquoso : viam civitatis habitaculi non invenerunt. Esurientes, et sitientes : anima eorum in ipsis defecit. (Psal. 106, 4 et 5.)

Per solitudinem, et inaquosum signatur civitas hujus mundi, ut habetur Sophoniæ (2, 13 et 14) : « Ponam speciosam in solitudinem, et in invium, et quasi desertum. Et accubabunt in medio ejus greges, omnes bestiæ gentium ; et onocrotalus, et ericius in liminibus ejus morabuntur. » Loquitur de Ninive, quæ interpretatur speciosa, per quam intelligitur mundus, qui fit desertum admirantibus ejus pulchritudinem, et solitudinem. Dicit enim : Accubabunt greges, omnes bestiæ agri, per quos signantur motus carnalis concupiscentiæ ; per bestias, motus malitiæ ; per onocrotalum, qui dicitur se variare in diversas formas, intelligimus peccatorem variis vitiis servientem. Ericius est malitiosæ mentis duplicitas, quæ se intus breviter colligens abscondit se in tenebris defensionis, aut absconsionis, ut dicit Gregorius (5). Bene ergo per ericium caput suum, et pedes in spinis occultantem intelligitur peccator, qui peccata occultat. Et supra in eodem (Soph. 2, 9) : « Erit siccitas spinarum, et acervi salis, et desertum usque in æternum. Per siccitatem spinarum intelligitur peccatum inveteratum, quod est esca ignis æterni : Per acervos salis signatur cumulus iniquitatis, quæ mentem reddit sterilem a bonis operibus. In invium ducitur, ut dicitur in Nahum (1, 3) : Deus in tempestate, et turbine viæ ejus. Qui enim volunt parare viam

(1) Vulg. : eum.
(2) Vulg. : et velut turbo rapiet eum.
(3) Vulg. : fuerit.
(4) Primo infudit vinum. In textu evangelico, *infundens oleum, et vinum*, inesse hysterologiam docet Cornelius a Lapide in Comment. : « Prius enim, inquit, lavit vulnera vino, deinde vulnus linivit oleo. » Et S. Gregorius lib. XX Moral. in cap. 29 Job, edit. Maur. Paris., tom. I, col. 641, num. 14 : « Semivivi illius vulneribus, ait, qui a Samaritano in stabulum ductus est, et vinum adhibetur, et oleum : ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur : quatenus unusquisque qui sanandis vulneribus præest, in vino morsum districtionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis : per vinum mundentur putrida, per oleum sananda foveantur.
(5) Moral., lib. XXXIII, in cap. 41 Job, n. 53.

Domino intrandi ad cor, oportet, quod oriatur tempestas, et oriatur turbo in mente, et ascendat peccator tribunal mentis suæ, conscientia accusante, et remordente, et turbante; et sic oritur gratia in corde.

In inaquoso. In inaquosa est illa mens, in qua non est hortus voluptatis, per quem fluvius in quatuor capita discurrit, idest quatuor virtutes cardinales, scilicet justitiam, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, quibus non irrigatur; unde bene dicitur : « Viam civitatis habitaculi non invenerunt. » Est civitas habitationis, scilicet cœlestis patria, quam mali inveniunt, nec ad eam veniunt, et ideo affliguntur; unde in Ecclesiaste (10, 15) : Conatus stultorum affligetur, qui non sciunt in urbem ingredi. Vel sic : Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere. Est civitas combustionis, in qua habitare volunt, nec tamen possunt; unde Ezechielis (24, 6 et 7): « Væ civitati sanguinum, ollæ, cujus rubigo in ea est, et rubigo ejus non exivit de ea : per partes, et per partes suas ejice eam, non cecidit super eam sors: sanguis enim ejus in medio ejus est. » Væ civitati sanguinum : Hæc civitas mundus est, ollæ similis : peccati rubigine obfuscatus, de quo per partes amatores ejus ejiciuntur : et tamen non cadit sors super eam, quia nullus cum ejus amore ad vitam pervenit. Væ civitati sanguinum, scilicet mundo pleno peccatis, ollæ, cujus rubigo, idest cujus amatores non sunt excocti igne, idest tribulatione, vel tentatione, quia ibi nondum posuerunt rubiginem peccatorum : sed per partes ejiciuntur peccatores, mundi amatores; nec cecidit super eos sors, scilicet ad vitam.

Esurientes, et sitientes : anima eorum in ipsis defecit. De hac esurie habetur quarto regum (6, 25), ubi dicitur, quod facta est fames magna in Samaria, et tandiu obsessa est, donec venderetur caput asini octoginta argenteis, et quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis. » Octoginta argentei sunt dona Dei, quæ nobis tanquam pecuniam tradidit, ut in eis negotiemur. Sunt autem octoginta, quia in eis debemus negotiari pro octava beatitudine resurrectionis. Multi tamen mercantur caput asini, qui habet aures incircumcisas, et est fatuus. Sic homo, qui delectatur audire mores, et non facere opera, fatuus est, dum vitam suam consumit in scientiis lucrativis, moris lucrum acquirens. Per quinque argenteos, quinque sensus. Quamvis multi multum laborent, nonnisi quartam partem stercoris columbarum, idest modicam partem temporalium assequuntur. Vel quinque argentei, quinque sensus: stercora, temporalia; quia multi expendunt officia quinque sensuum propter stercora columbarum, idest temporalia, quæ columbæ, idest Sancti despiciunt; unde Apostolus (Philip. 3, 8): *Omnia tanquam stercora reputavi* (1) et tamen pauca acquirunt.

Et sitientes. De hac siti habetur in Deuteronomio (8, 15), ubi dicitur : « Ductor tuus fui in solitudine magna, atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, et scorpio, et dipsas, ac nullæ omnino aquæ. » Dipsas, et situla idem est serpens, qui siti interficit. Hæc est voluptas, quæ semper sui famem patiens, si diu duret, interficit. Et in Genesi (21, 14 ad 19), ubi dicitur, quod Agar « errabat in solitudine Bersabee. Cum autem consumpta esset aqua in utre, abjecit puerum, » et clamavit. Et Dominus ostendit ei puteum, et bibit, et sedata est sitis ejus. Bersabee interpretatur puteus satietatis: Per utrem carnalis mens intelligitur, in qua aqua carnalis concupiscentiæ, seu voluptatis crescit, dum satietatem cœlestis gratiæ deserit; et sic *anima eorum in ipsis deficit*. Vel puteus satietatis est sacra Scriptura, quam qui deserit, sitit voluptates carnales: si vero in utre defecerint aquæ carnalis delectationis, et ad Deum quis clamaverit, ostenso puteo sacræ doctrinæ, ab infelici illa siti liberabitur.

SERMO CCIII.

De descensu Prælatorum per humilitatem, ne eleventur per superbiam; de navibus Ecclesiæ.

Qui descendunt mare in navibus, facientes operationes in aquis multis : ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo. (Psal. 106, 23 et 24.)

De istis navibus, et earum rectoribus dictum est supra (2), et alibi. Et nota, quod dicit : *Descendunt;* non, ascendunt. Prælatus enim accepto gradu dignitatis descen-

(1) Vulg. : arbitror ut stercora.

(2) Serm. CXCIV.

dere debet per humilitatem potius, quam ascendere, ut non evanescat per superbiam, et inanem gloriam; sicut legitur in libro Judicum (1) de Gedeone, qui post victoriam fecit sibi Ephod de inauribus; quod debebat fieri de auro, hyacintho, purpura, et bysso retorto. In auro, sapientia; in hyacintho, cœleste desiderium; in purpura, duplex caritas; in bysso retorto, continentia, cui annexa est abstinentia. Sed Gedeon de his non fecit, sed de inauribus populi, per quem signantur illi, qui rapiuntur per superbiam propter inobedientiam subditorum. Isaiæ (60, 9): « Me enim insulæ expectant, et naves maris in principio, ut adducam filios tuos de longe. » Naves maris sunt Ecclesiæ mundi: Insulæ Ecclesiæ sunt in fluctibus sæculi positæ. Navis non habet fundamentum in terra, sed in aquis: sic Ecclesia non fundatur in deliciis terrenis, sed in adversitatibus. Et quanto magis inundant aquæ, tanto magis navis elevatur: sic Ecclesia, quanto magis exaltantur fluctus tribulationum, et persecutionum, tanto magis proficit. Unde in Genesi (1, 2): *Spiritus Dei ferebatur super aquas*, et non sub aquis; quia, sicut dicit Gregorius (2): Tantum differt (3) vita prælatorum a vita subditorum, quantum differt vita pastoris a vita gregis. Ecclesiastici (38, 29 et 10): « Sicut faber ferrarius sedens juxta incudem, et considerans opus ferri: vapor ignis exurit (4) carnes ejus, et in calore fornacis concertatur: vox mallei innovat, vel intonat aurem ejus, et contra similitudinem vasis oculus ejus. » Ecce qualiter debet operari prædicator, sive prælatus. Prælatus est quasi *faber*, qui debet operari in ferro, idest in corde hominis, quod est quasi ferrum indomabile, sedens juxta incudem, idest durum laborem officii sui, considerans opus ferri, qualiter inde possit operari, ut melius possit. Vapor ignis urit carnes ejus, quia ex fervore caritatis quidquid vitiosum est in se, consumitur, et in calore fornacis concertatur, ut ignem caritatis possit accendere in subditis. Vel vapor ignis, idest Spiritus Sanctus, qui urit mentem prælati, ut operetur in ferro, excoctis in se concupiscentiis. « Vox mallei innovat aurem ejus. » Vox mallei est illa, qua dicetur: Surgite mortui de sepulcris, et occurrite ad judicium Salvatoris. « Et oculus ejus contra similitudinem vasis. » Debet enim considerare vitam Sanctorum, ut ad similitudinem illorum informet vitam subditorum. Et ita faciunt operationes in aquis multis, idest in populis.

Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo, idest in cordibus hominum; unde (Psal. 67, 23): « Ex Basan convertam, convertam in profundum maris. » Convertitur enim Dominus *ex Basan*, idest ab his, qui confunduntur de peccatis, *in profundum*, idest in illos qui sunt desperatissimi, vel qui sunt in profundum avaritiæ, vel luxuriæ, salvans eos; quod est valde mirabile. Vel *profundum* vocatur hic mundus, in quo est mare elationis superbiæ, et profunditatis avaritiæ: Et Dominus quandoque mirabiliter per humilitatem reprimit inundantes fluctus superbiæ, et per paupertatem implet abyssos avaritiæ; contra superbiam, suam præferendo humilitatem, contra avaritiam, suam improperando paupertatem; unde Isaiæ (44, 27): « Qui dico profundo: Desolare, et flumina tua arefaciam. » Similiter Nahum (1, 4): « Increpans mare, et exsiccans illud, et omnia flumina ad desertum deducens. » Increpat Deus *mare* superbiæ, et avaritiæ improperando eis, dicens: *Beati pauperes spiritu: Beati misericordes*, *etc.* (Matth., 5, 3 et 7): Et flumina arefecit, idest delectationes mundi; unde in Numeris (21, 14): « Sicut fecit Deus in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon. » Arnon interpretatur lux eorum, sive deliciæ, vel arca mœroris. Per mare intelligitur baptismus, ubi omnia peccata delentur. Per torrentes Arnon, deliciæ temporales transitoriæ, vel carnalis delectatio, quæ reputatur lux ab amatoribus mundi, qui ducuntur ad arcam mœroris, idest ad carcerem æterni luctus: sed tales multoties Deus convertit. Item Arnon interpretatur lux eorum, vel arca mœroris, et significat claritatem hujus sæculi, et delicias, quæ sunt arca mœroris, et thesaurus damnationis. Ab istis tamen quandoque Dominus suos liberat, ne absorbeantur in profundum deliciarum, et deinde in profundum pœnarum, sicut liberavit filios Israel in mari rubro.

(1) Judic., 8, 24 ad 27.
(2) Regul. Past., part. II, c. 1.
(3) Tantum differt, etc. In editis legitur: « Tantum debet actionem populi actio transcendere præsulis, quantum distare solet a grege vita pastoris. »
(4) Vulg.: uret.

SERMO CCIV.

Qualiter debemus præparare cor nostrum Domino; qualiter debemus canere in cithara, et psalterio.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum : cantabo, et psallam in gloria mea. Exurge psalterium, et cithara : exurgam diluculo. (Psal. 107, 2 et 3.)

Hoc debemus dicere ad Deum, et parare cor nostrum per diligentem custodiam, et per munditiam. De hujusmodi custodia dicitur in Proverbiis (4, 23) : « Omni custodia serva cor tuum; » quod faciendum est, quia de facili evanescit, derelinquens nos, et sequens mundi illecebras. Et statim apparet accipiter diabolus ad capiendum illud per concupiscentiam, et sic contingit illud, quod habetur in Psalmis (15, 4) : « Multiplicatæ sunt infirmitates eorum : postea acceleraverunt, » idest tandem ad medicinam ejus. Parare debemus etiam cor per munditiam; unde Jeremiæ (4, 14): « Lava, Jerusalem, a malitia cor tuum, ut salva fias ; immundum est enim. Michææ (2, 1) : « Væ, qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris : in luce matutina faciunt illud, quoniam contra Dominum est manus eorum ;» ac si diceret: Etsi videatur eis occultum, perspicuum est Domino quod faciunt. De hac munditia dicitur in Genesi (35, 2) : « Abjicite deos alienos, qui in medio vestri sunt : et mundamini, et mutate vestimenta vestra, » idest abjicite idola vitiorum, quæ sunt in medio vestri, idest in corde. Et qualiter debeant mundari, habetur in Numeris (19, 13) : « Omnis, qui tetigerit humanæ animæ morticinum, immundus erit. » Humanæ animæ tangit morticinum, qui peccat ad exemplum alterius : quod si fecerit, necesse est, ut mundetur per aquam, et per cineres vitulæ rufæ. Per aquam notatur effusio lacrymarum : per cineres vitulæ rufæ imitatio Dominicæ passionis, quam debet præcedere luctus. Qui hoc non fecerit, immundus erit. Debemus cor nostrum servare a nuditate, et mutare vestes nostras, idest veterem consuetudinem; unde Ecclesiaste (9, 8) : « Omni tempore vestimenta tua sint candida, et oleum de capite tuo non deficiat. » Candor virtutum, et innocentiæ, quæ sunt vestes mentis, servandus est, ne in judicio comburatur; unde Isaiæ (9, 5) : « Vestimentum mistum sanguine erit in combustionem, et cibus ignis, » scilicet æterni. Et oleum, idest gratia, non deficiat de capite tuo, idest mente; idest, non expellas eam a te per mortale peccatum.

Exurge psalterium, et cithara : exurgam diluculo; ubi dicit Augustinus (1): « Una caro Christi resurrexit, et cum eo duo organa surrexerunt, psalterium, et cithara, scilicet caro humana patiens, et caro divina operans, vel faciens. » Hæc sunt duo, ad quæ invitamur, ut scilicet cum ipso patiente patiamur, scilicet mortificando carnem nostram cum vitiis, et concupiscentiis, et sic tangamus citharam, ut cum ipso resurgente resurgamus. Diluculo præsentatus est Pilato; quod semper debet esse in cordibus nostris. Debemus psallere in cithara; unde Isaiæ (16, 11): « Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit, et viscera mea ad murum cocti lateris. » Per ventrem signatur infirmitas, vel luxuria; per Moab, superbia; per murum cocti lateris, cumulus iniquitatis induratæ per consuetudinem. Sed Deus his pœnitentibus miseretur; unde contra diabolum debemus sonare in cithara, idest in mortificatione carnis; et ita exurgendum est diluculo. *Exurge psalterium* in Christo, in quo debemus sonare per morum probitatem. *Exurge, et psallam tibi in gloria* meæ resurrectionis; unde Apocalypsis (11, 15) : « Factum est regnum mundi hujus Domini nostri, et Christi ejus, et regnabit in sæcula sæculorum, Amen. » Vel, *venter meus ad Moab*. Venter est hominis mens, quæ ad Moab, idest contra superbiam, quia apud te propitiatio, et propter legem tuam sustinui te, Domine, propritiatio scilicet peccatorum (Psal. 129, 4), de qua Ecclesiastici (7, 34 ad 36) : « De negligentia purga te cum paucis. Datum brachiorum tuorum, et sacrificium sanctificationis offeres Domino, et initia Sanctorum : et pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio, et benedictio tua. Et propter legem tuam, » qua scilicet dicit : In quacumque hora peccator ingemuerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor (Ezech. 18, 22); et propter illam non judicabit Deus bis in ipsum (2). Licet autem sit

(1) Enarrat. in Psal. 56, num. 16.

(2) Non judicabit, etc. Ubi Nahum, cap. 1,

Dominus patiens, quia mitis : tamen est redditor, quia justus; unde Ecclesiastici (5, 5 ad 7) : « De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum. Et ne dicas : Miseratio Dei magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim, et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius.

SERMO CCV.

De civitate mundi munita peccatis contra Deum; de pœna hujus civitatis; qualiter prædicatores ducunt Dominum in hanc civitatem.

In Idumæam extendam calceamentum meum. Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumæam? (Psal. 107, 10 et 11.)

Per *Idumæam* signatur mundus multis iniquitatibus contra Dominum munitus, et sanguine pollutus. Idumæa enim interpretatur sanguinea; de qua munitione habetur in Job (15, 25) : Tetendit adversus Deum manum suam, et contra Omnipotentem roboratus est. » Contra Dominum manum extendere, est in operatione prava, despectis ejus judiciis, perseverare. Et cucurrit adversus eum extenso (1) collo; in quo notatur magna audacia : et pingui cervice armatus est; in quo opulenta superbia, quæ terrenis abundans contra Deum erigitur. Et insuper (41, 6 ad 8) : « Corpus ejus quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus : una uni conjungitur, et nec spiraculum quidem incedit per eas. Una alteri adhærebit, et tenentes se nequaquam separabuntur. » Corpus diaboli, universitas malorum mundi, qui sunt armati contra sagittas Domini malitia indurata, *quasi scuta* æris fusilis : per squamas peccata, quibus se muniunt, ne verbum Domini possit intrare in cordibus eorum.

De pollutione sanguinis habemus in Nahum (3, 1) : « Væ civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena : non recedet a te rapina. » Hoc dicit Propheta, quod habetur in Osee (4, 1 et 2) : « Non est veritas, non est misericordia, non est scientia Dei in terra. Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. » Et in eodem (12, 1) : « Tota die mendacium, et vastitatem multiplicat, et fœdus cum Assyriis iniit. » Vastitas ejus sequitur mendacium; iniit fœdus cum Assyriis, idest cum diabolo, qui dirigit se contra Deum. Sequitur : « Et oleum in Ægyptum ferebat. » Multi enim deferunt oleum baptismi in infernum, et inde magis comburuntur, quia oleum de capite non debet deficere, sicut dicit Ecclesiastes (9, 8); unde in Ezechiele (32, 4) : « Super faciem agri terræ abjiciam te, et habitare faciam super te volatilia cœli, et saturabo de te omnes bestias (2) terræ. » Volatilia ista, et bestiæ sunt dæmones, qui requiescunt in peccatore ad dilacerandum cor ejus in diversas partes, ut faciant ipsum cadere in diversa peccata.

De pœna hujus civitatis habetur in Amos (1, 12) : « Mittam ignem in Theman, et devorabit ædes Bosræ, dicit Dominus. » Theman interpretatur Auster, qui est calidus; quia ignem æternum mittit Dominus in ventum, idest in mundana, quæ cito transeunt, et habentur hic pro refrigerio. Unde Isaiæ (34, 6) : « Victima Domini in Bosra, et interfectio magna in terra Edom. » Bosra interpretatur munita, contra quam veniet Filius hominis in judicio ad puniendum malos, qui erunt victima ignis æterni.

Quis deducet me, etc. Quis deduxit Dominum, idest deorsum duxit? Homo enim factus est hic, ubi zelus Dei fecit eum exinanire, formam servi accipiendo; unde formam servi accepit, quia venit ad nos calceata divinitas. *Zelus domus tuæ comedit me* (Psal. 68, 10). Vel *quis deducet me*, etc., idest : Quis prædicator deducet me in populos? Per prædicatores enim ducitur in peccatores; unde Jeremiæ (49, 20) : « Si non dejecerint eos parvuli; » idest contemptibiles mundo si non devicerint amatores mundi munitos contra fidem. Commota est universa terra, corruente malitia eorum, quia Christus ascendens in cœlum, ad prædicationem Apostolorum

vers. 9. Vulgata habet : *Non consurget duplex tribulatio*. Versio græca LXX legit : *Non vindicabit bis in idipsum in tribulatione;* Glossa vero ordinaria : *Non judicabit Deus bis in idipsum;* et hac lectione utuntur S. Hieronymus semel in Comment. in hunc locum, et S. Thomas, p. III, Quæst. LIX, art. 5, 2 *præterea*, et alibi.

(1) Vulg. : erecto.

(2) Versio syr. at Vulg. : de te bestias universæ.

plures convertit; unde in eodem (49, 22): « Ecce quasi aquila ascendet, et volabit (1), et expandet alas suas super Bosran : et erit cor fortium Idumææ, quasi cor mulieris parturientis; » fortium, idest terrenorum, fortium ad malum cor commotum est ad gemitum, et luctum per contritionem, ad Damascum, quod interpretatur potus sanguinis, idest ad peccatorum recordationem; et sic infirmati sunt audita prædicatione verbi Domini. Unde Abdias in fine (1, 21): « Ascendent salvatores in montem Sion judicare montem Esau : et erit regnum Domino, » amen. Ascendent salvatores, idest Apostoli in mundo, convertendo impios efficacia prædicationis suæ; unde in eodem paulo ante (1, 18) : « Et erit domus Jacob ignis, et domus Joseph flamma, et domus Esau stipula : et succendentur in eis, et devorabunt eos. » Prædicatores debent esse domus Jacob, idest supplantatores vitiorum, ut possint portare ignem divini verbi: debent etiam esse domus Joseph, idest augmentatores virtutum, ut sint flamma caritatis, comburens vitia vita, et doctrina; et sic consumunt Esau, idest vitia malorum.

SERMO CCVI.

Qualiter diabolus destruit omnia bona in peccatore.

Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus, et diripiant alieni labores ejus. (Psal. 108, 11, 16 et 17.)

Deus redemit ex usuris, et iniquitate peccata (Psal. 71, 14) : *Ex usuris*, idest suppliciis, quæ dicuntur usuræ, quia plus requiritur (2) in suppliciis, quam commisit in culpis. Illorum enim substantiam scrutatur diabolus, idest bona naturalia, et gratuita, tanquam fur, qui non cavent sibi ab iniquitate. Unde de hac scrutatione dicit Abdias (1, 5 ad 7) : « Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses? nonne furati essent sufficientia sibi? si vindemiatores introissent ad te, nunquid saltem reliquissent tibi racemum? Quomodo scrutati sunt Esau, investigaverunt abscondita ejus? usque ad terminum emiserunt te : omnes viri fœderis tui illuserunt tibi. » Sic scrutatur diabolus hominem, ut nullum bonum in eo relinquat. Dæmones enim videntur quasi fœderati cum homine, cum suggerunt quæ faciat, ostendendo mortiferam voluptatem quasi bonum; et sic illudunt ei. Unde Jeremiæ (6, 9) : « Usque ad racemum colligent quasi in vinea reliquias Israel : converte manum tuam quasi vindemiator ad cartallum. » Chaldæi, idest feroces dæmones non relinquunt racemum boni operis, quod non destruant. *Cartallum* est vas vimineum, quo portantur uvæ. Per illud tempus, quo mittit homo manum ad cartallum, cessat a vindemia : sed diabolus non cessat ab impugnatione per horam. Sequitur : « Diripiant alieni labores ejus. » Unde in Parabolis (5, 9 ad 11) : « Non des alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli, » idest diabolo: « ne forte impleantur extranei viribus tuis, et labores tui sint in domo aliena ; et gemas in novissimis temporibus, quando consumpseris te » (3). Sic consumunt multi annos, et vires suas in servitio diaboli, et postea gemunt.

Pro eo, quod non est recordatus facere misericordiam, scilicet Judas, *qui non est recordatus facere misericordiam* cum Christo. Sic faciunt multi, contra quos dicitur in Psalmis (102, 2 et 3) : « Noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, etc. » Hanc misericordiam facit, qui Benjamin imitatur. Unde in Deuteronomio (33, 12) in benedictionibus filiorum Israel : « Benjamin amantissimus Domini habitabit in eo confidenter: et quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros ejus requiescet. » Benjamin, *idest filius dexteræ*, in quo Deus habitat quasi in castro suo munito contra diabolum, scilicet in illo, qui non habet peccatum, et quasi in thalamo. Quam felix ille, in cujus conscientia quasi sponsus cum sponsa moratur! In humeris portamus onera : et nos Deum portamus, cum laboramus pro Christo, ipso præstante refugium.

Et persecutus est hominem inopem, et

(1) Vulg. : avolabit.

(2) Plus requiritur, etc. S. Augustinus in illud Psal. 71 : *Ex usuris, et iniquitate redimet animas eorum*, ait : « Quæ sunt istæ usuræ, nisi peccata, quæ etiam debita nominantur? Usuras autem appellatas puto, quia plus mali invenitur in suppliciis, quam commissum est in peccatis. Nam, verbi gratia, cum homicida corpus tantum hominis perimat, animæ autem nocere nihil possit; ipsius et anima, et corpus perditur in gehenna. »

(3) Vulg. : carnes tuas.

mendicum, et compunctum corde mortificare. Unde conqueritur Deus de his per Isaiam (63, 5) : « Circumspexi, et non erat auxiliator; quæsivi, et non fuit, qui adjuvaret. » Mendicus dicitur quærens panem. Hic est Christus ; unde Apocalypsis (3, 20) : « Ego (1) sto ad ostium, et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad eum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum. » Christus compunctus fuit lancea, et aceto potatus : et nos stimulis peccatorum latus ejus percutimus, et aceto perfidiæ potamus. Nefas est illum persequi. Unde in titulis Psalmorum (2) dicitur : *Ne disperdas*, vel corrumpas (3), *in inscriptionem ipsi David.* Is est Christus, qui Jesus Nazarenus Rex Judæorum (Joan., 19, 19), idest vere confitentium ; quod faciunt impii, nolentes ipsum confiteri per pœnitentiam.

SERMO CCVII.

De maledictione Domini in præsenti, et in futuro.

Et dilexit maledictionem, et veniet ei : et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo. (Psal. 108, 18.)

De hac maledictione, et benedictione habetur in Deuteronomio (28, 22) : « Percutiat te Dominus egestate, febri, et frigore, et ardore, et æstu, et aere corrupto, ac rubigine, et persequatur, donec pereas. » Egestate bonorum percussus erat ille populus, deliciarum interius, et exterius naturalium gratuitorum ; unde in Threnis (1, 11) : « Omnis populus ejus gemens, et quærens panem : dederunt quæque pretiosa pro cibo ad refocillandam animam. » Egestas interior facit mendicare delicias exteriores ; et dum interius unde quis reficiatur non habet, exterius desideriis suis satisfacere quærit : quærens panem deliciarum carnis, pro quibus dederunt diabolo omnia bona sua. *Febris* est intemperantia, quæ dissolvit membra, quæ intemperantia sic describitur. *Frigore*, per quod avaritia, quæ refrigerat mentem ad bene agendum. In *ardore* luxuria, quæ est ignis consumens, et eradicans omnia genimina virtutum, et ignis infernalis ; unde in Deuteronomio (32, 22) : « Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima. » Hæc est febris, qua vexabatur socrus Petri, scilicet infelix anima, quam Jesus erigens per manum, restituit sanitati (Matth., 8, 14 et 15); quia per bona opera ista febris curatur. *Et æstu*, idest superbia; unde Osee (12, 1) : « Ephraim pascit ventum, et sequitur æstum. » Abundantes enim in sæculo, et qui diligunt temporalia, pascunt ventum inanis gloriæ, et inde superbiunt. Et sequitur æstum, idest superbiam urentem corda ipsorum. Unde Isaiæ (57, 20) : « Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest. » *Aer corruptus* pestilentia pravi exempli, de quo Jeremiæ (2, 33 et 34) : « Quid niteris bonam ostendere viam tuam ad quærendam dilectionem, quæ insuper et malitias tuas docuisti vias tuas, et in alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum, et innocentum? » Rubigine. Per rubiginem signatur invidia; unde Proverbiorum (14, 30) : » Vita carnium, sanitas cordis : putredo ossium invidia. Si sit aliqua pars mentis, quæ non sit percussa rubigine invidiæ, sanari potest. Sed sicut os putridum non potest sanari, sic vix, aut nunquam invidia, quæ consumit robur mentis, expellitur; non solum enim carnes, sed etiam ossa, idest virtutes robustas devorat : unde potest etiam comparari propter hoc illi morbo incurabili, qui dicitur morbus infernalis (4).

Et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo. De qua benedictione habetur in Deuteronomio (28, 4) : « Benedictus fructus ventris tui, et fructus terræ tuæ, fructus jumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, et caulæ ovium tuarum. » *Benedictus fructus ventris tui*, idest cogitationes mentis tuæ : *fructus terræ,* idest opera carnis :

(1) Vulg. : Ecce.

(2) In titulis Psalmorum, etc. Psalmi 56, 57 et 58 præferunt titulum : *In finem, Ne disperdas, David in tituli inscriptionem.* Et S. Augustinus Enar. in Psalm. 58, Serm. I, num. 2 : « Aliquot Psalmi, inquit, sic prænotati sunt, sed tamen in omnibus passio Domini prænunciatur. »

(3) Vel corrumpas, etc. Ubi Vulgata habet : *In finem, Ne disperdas, etc.* S. Augustinus legit : *In finem, Ne corrumpas, ipsi David in tituli inscriptionem* ; et Enar. in Psal. 56, num. 3 : Videmus, ita, in passione Domini scriptum fuisse titulum, Rex Judæorum... In Christo David erat.

(4) Qui dicitur morbus infernalis. Illum fortasse morbum designat, quem Galenus, lib. *De Tumoribus præter naturam*, cap. XI vocat *Sphacelum*, addens : Voco sic omnem solidarum partium corruptelam, ut etiam ossibus incidat, nedum carnibus, aut vasis. Ejus autem curatio in Lexico Medico dicitur aut nulla, aut in sola amputatione quærenda.

fructus jumentorum tuorum, idest opera sensuum, vel morum : *greges armentorum tuorum,* idest multitudo fortium operum : *et caulæ ovium,* idest opera innocentiæ, et pœnitentiæ.

Et induit maledictionem sicut vestimentum. De hac maledictione, quæ circumdabit hominem exterius, sicut pallium, sive vestimentum, dicitur in Isaia (14, 11) : « Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes. » Sequitur : « Et intrabit (1) in interiora ejus, et sicut oleum in ossibus ejus. » Hoc dicitur de pœna interiori, scilicet animæ, quæ erit perpetua; unde Ezechielis (32, 27) : « Descenderunt ad infernum cum armis suis, » idest cum voluntate rebellandi, et posuerunt gladios suos sub capitibus eorum, vel suis, et fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum, quæ non putrefiunt. Cum igitur iniquitas, sit inossata, nec ossa putrefiant, semper durat iniquitas, et ideo semper durabit pœna eorum. Vel « iniquitates in ossibus eorum : quia terror fortium facti sunt in terra viventium; » idest inossatæ sunt iniquitates malorum, scilicet fomentum ignis æterni. Et sicut ossa non putrescunt, sic iniquitates non purgabuntur, nec finientur; et ita erit oleum æterni incendii in mentibus eorum.

SERMO CCVIII.

De virga humanitatis Christi, et de effectibus ejus; unde oritur nobis.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. (Psal. 109, 2.)

Virga ista Christi humanitas est, scilicet virga recta. Virga ista, scilicet Christi humanitas venit *ex Sion,* idest ex antiquis Patribus, unde ipse Abraham prævidens in spiritu beatam Virginem de semine suo nascituram, de qua Christus nasceretur, fecit servum suum Eliezer jurare *sub femore* suo, et non super femur, ut non acciperet filio suo uxorem de alienigenis, sed de cognatione sua (2); per hoc ostendens, Christum de suo genere nasciturum, et super omnes futurum. Vel per *Sion,* quod sonat speculum, intelligitur beata Virgo, quia sicut speculum reddit imaginem, ita beata Virgo reddidit nobis imaginem (3), deformatam peccato; unde Isaiæ (13, 8) : « Unusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustæ vultus eorum. » Ipsa, quæ peperit Filium, reddit imaginem virtutum. Hæc est virga *virtutis,* quæ projecta in terram, et facta serpens (4) devoravit omnes serpentes Pharaonis (Exodi, 7, 12), idest mortes devoravit sua unica morte, quas fecit diabolus. Vel ipse, qui est sapientia Patris significata per serpentem, omnem sapientiam philosophorum, vel mundi absorbuit; unde (Psal. 140, 6) : « Absorpti sunt juncti petræ judices eorum, » quia philosophorum sapientia nihil est comparata Dominicæ; unde Apostolus (I Cor., 1, 20) : *Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi.* Hæc est virga, qua Moyses percussit mare rubrum, et fecit pervium (5). Sic ipse fecit nobis mundum istum pervium itinere virtutum, quia tanta suavitate unguentorum suorum currimus. Hæc est virga Assueri, qui interpretatur beatus, idest Filius Dei Patris, ad quem nullus intraret, nisi hanc virgam nobis inclinasset, quia nemo in cœlum ascendisset, sicut nullus intrabat atrium Assueri, nisi cum virgam inclinabat; et qui osculatus fuerit

(1) Vulg. : intravit.

(2) Gen., 12, 3; 22, 18; 24, 9.

(3) Reddidit nobis imaginem, etc. Dei imaginem per peccatum in nobis deformatam beatissima Virgo per Filium suum refecit, et speciosam reddidit. Ea propter S. Augustinus, lib. II *Retract.*, cap. 24, recensens XII libros de Genesi ab se editos, ait : « In sexto libro quod dixi, Adam imaginem Dei, secundum quam factus est, perdidisse peccato, non sic accipiendum est, tanquam in eo nulla remanserit, sed quod tam deformis, ut reformatione opus haberet. » Et Serm. LI, De Concordia Matth. et Lucæ, alias LXIII, *De diversis*, cap. 2 : « Decipiendo homini propinatum est venenum per feminam : reparando homini propinetur salus per feminam. Compenset femina decepti per se hominis peccatum, generando Christum. » Et rursus Serm. CCXXXII, alias CXLIV, *de Tempore :* « Quia per sexum femineum cecidit homo, per sexum femineum reparatus est homo. Per feminam mors, per feminam vita. »

(4) Facta serpens, etc. Ven. Beda, cap. 7, *Exposit. in Exodum :* « Virga Moysi, inquit, virgas Ægyptiorum devoravit. Per quod significatur, quod Verbum caro factum, antiquorum serpentium dira venena evacuavit per remissionem peccatorum... Virga serpens facta est. Qui erat Dei Filius, factus est filius hominis per incarnationem : qui quasi serpens ille in deserto suspensus medicinam vulnerum infudit homini. Et infra : Quod autem virga projecta fit serpens, significat sapientiam. Prudentes enim, inquit, sicut serpentes. Quod autem serpentes magorum devoravit, significat crucem Christi, cujus prædicatio, quæ videbatur stultitia, omnem sapientiam superavit mundanam.

(5) Exodi, 14, 16.

summitatem hujus virgæ (1), habebit quidquid petierit; idest qui imitatus fuerit Christi passionem usque ad finem, qui et dixit : *Consummatum est* (2), tunc habebit quidquid desiderat.

Sion interpretatur specula, et virga ista elicitur, sive emittitur ex specula, idest secreto suæ majestatis per adventum in carne, et per contemplationem; unde Isaiæ (21, 8 et 9) : « Super speculam Domini ego sum, stans jugiter per diem : et super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus. » Et subditur : « Ecce iste venit ascensor vir bigæ equitum » asini, et cameli (3), « et respondit, et dixit : Cecidit, cecidit Babylon, et omnia sculptilia ejus contrita sunt in terram. » Ipse, qui stat, videt Dominum. Super speculam Domini standum est jugiter per diem virtutum, et bonorum operum, et totis noctibus super custodiam, quia de nocte fures intendunt diripere spolia, et dæmones intendunt nobis diripere spolia virtutum. Tota vita ista dicitur nox, quia plena est multis adversitatibus, et miseriis. Ascensor bigæ asini, et cameli Christus est, qui non ascendit equos superbiæ. Per asinum ignobiles; per camelum nobiles, quia de eis electi sunt, et conversi sunt ad portandum jugum Christi : non superbi, de quibus sequitur : Cecidit, cecidit Babylon; in quo notatur duplex ruina, scilicet corporis, et animæ, quia in utroque punientur; unde Jeremiæ (17, 18) : « Duplici contritione contere eos, » Domine Deus noster.

Emittet Dominus ex Sion; unde in Deuteronomio (33, 2) : « Deus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis : et de monte Pharan apparuit » nobis. De Sinai, idest de mandato, idest de observantia mandatorum Dei venit; unde in Parabolis (6, 23) : *Mandatum* Domini *lucerna est* (4), *lux vitæ, in tempore disciplinæ. De Seir ortus est nobis*, quod interpretatur hispidus, quia in mente contrita oritur Deus de spineto compunctionis; unde (Psal. 31, 4) : « Conversus sum in ærumna mea, dum configitur » in mente mea spina conversionis, sive compunctionis, ipso inspirante. De monte Pharan, quod interpretatur ferox, vel frugifer, idest de excellentia ferocitatis. Hæc est ferocitas fertilis, et fœcunda, de qua apparet Dominus, illa scilicet, de qua ipse dicit : *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem propter me, non est me dignus* (Lucæ, 14, 26; Matth., 10, 37).

SERMO CCIX.

Quod sacerdos debet assimilari Melchisedech per omnia, ut hæreditatem habeat.

Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. (Psal. 109, 4.)

Qui assimilatur Melchisedech in sacerdotio, illi *juravit Dominus, et non pœnitebit eum,* de sacerdotio habendo. In Melchisedech considerandum est genus, quia de patre, vel de matre ejus non legitur (Hebr. 7, 3), quamvis habuerit (5). Sic sacerdos debet esse sine genere. In Melchisedech consideratur genus : Genus autem illius est sine genere. Sic genus sacerdotis, qui vult esse similis Melchisedech, debet esse sine genere, ut patri, et matri dicat : Nescio vos propter Deum; unde in Deuteronomio (33, 9 et 10) : « Qui dixit patri, et matri : Nescio vos; et fratribus suis : Ignoro vos; et nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt. Judicia tua, o Jacob, et legem tuam, o Israel : Ponent thymiama in furore tuo, et holocaustum super altare tuum. » Ecce cujusmodi debeant esse sacerdotes, et quod genus eorum, scilicet ut sint sine genere; quia hoc debet esse genus sacerdotis, ut non sentiat carnales affectus erga parentes. Item Melchisedech obtulit Abrahæ, et sociis ejus esurientibus *panem, et vinum* (Gen., 14, 18). Sic debet et sacerdos esse imitator ejus, quia ipse sacerdos debet offerre doctrinam esurientibus; unde Isaiæ (21, 14) : « Qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugienti. » Per Austrum

(1) Esth., 4, 11.
(2) Joan., 19, 30.
(3) Asini, et cameli. Id legitur in superiori v. 7, ejusdem cap. 21 Isaiæ : « Et vidit currum duorum equitum, ascensorem asini, et ascensorem cameli. »
(4) Vulg. : Mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ increpatio disciplinæ.
(5) Quamvis habuerit. S. Hieronymus Epist. ad Evagrium explicans illud Apostoli de Melchisedech, sine patre, sine matre, ait : « Non quod absque patre, et matre fuerit, cum Christus quoque secundum utramque naturam et patrem habuerit et matrem, sed quod subito introducatur in Genesi occurrisse Abraham a cæde hostium revertenti, et nec ante, nec postea ejus nomen feratur adscriptum. »

claritas scientiæ, vel fervor caritatis intelligitur, in qua debet esse sacerdos, ut fugientibus præ fame, cum pane sacræ Scripturæ occurrat. Sed fit contrarium; unde in Threnis (4, 4) : « Parvuli petierunt panem, et non erat, qui frangeret eis. » De hoc in Paralipomenon (1) : « Qui credita habebant utensilia sanctuarii, præerant similæ, et vino, et oleo, et thuri, et aromatibus. Filii autem sacerdotum unguenta ex aromatibus conficiebant. » Per similam corpus Christi, vel doctrina : in oleo gratia spiritualium unguentorum : filii sacerdotum dicuntur componere hæc unguenta.

Melchisedech rex justus, vel pacificus interpretatur. Sic sacerdos sit rex, ut bene regat se, et suos, et bene judicet; et sic hoc sacerdotio dignus erit. Imitatur ergo Melchisedech, qui justus est, vel rex; de quo rege, Proverbiorum (30, 30 et 31) : « Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum : gallus succinctus lumbos; et aries : nec est, qui resistat ei. » Sit ergo sacerdos ut *leo* fortis, ut non recedat a justitia propter timorem : ut *gallus succinctus lumbos* quantum ad castitatem : ut *aries*, ut duobus cornibus quoad verba, et boni exempli quoad opera. Ipse debet esse *aries*, ut cornibus duorum testamentorum ventilet inimicos fidei. Tunc erit Melchisedech, idest justus. Et quis debeat esse sacerdos, dicit Gregorius super illum locum Genesis (9, 2): *Et erit terror vester* (2) *super cuncta animalia*, etc. : « Contra naturam superbire est, ab æquali velle timeri. Sciant se præpositi, non hominibus, sed bestiis dominari, quia ex qua parte bestiales sunt subditi, ea formidini debent jacere substrati » (3). Si in hunc modum justus fuerit, tunc poterit proficere, et lapsos erigere juxta illud Proverbiorum (29, 4) : « Rex justus erigit terram, vir avarus destruet eam. » Debet etiam esse pacificus, ut inter Deum, et peccatorem quasi mediator pacem faciat; et sic legitur fecisse Aaron (4), qui cucurrit ad mediam multitudinem, quam vastabat incendium, et obtulit thymiama : et stans inter mortuos, et viventes, pro populo deprecatus est, et plaga cessavit; unde dictum fuit ei : *Tolle thuribulum*. Per *thuribulum*, devotionis oratio, quia sacerdos debet interponere se ad Deum pro peccatis subditorum orando. Sed non est, qui faciat hoc; imo sicut dicitur Isaiæ (64, 6 et 7) : « Cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Non est, qui invocet nomen tuum; qui consurgat, et teneat te. » Vir justus enim, surgendo per orationis instantiam, tenet iram Dei, ne in peccatorem sæviat.

(1) I Paral., 9, 29 et 30.
(2) Vulg. : Et terror vester, ac tremor sit.
(3) Moral., lib. XXI in cap. 31 Job, num. 23.

SERMO CCX.

Quod humanitas Christi dicitur manna propter proprietates mannæ.

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus : escam dedit timentibus se. (Psal. 110, 4 et 5.)

Deus dans *escam* sui corporis nobis, facit *memoriam mirabilium*, quæ fecit, quando pluit in deserto populo suo manna; unde Numerorum (11, 9) : « Cumque descenderet ros super castra, descendebat pariter et Man. » In descensu roris, Filii Dei intelligitur Incarnatio, quæ nobis data est in *escam*. Manna autem sive *Manhu*, interpretatur, *Quid est hoc?* Ita enim descendit in carne Dei Filius, ut omnes possent dicere : *Quid est hoc?* Erat autem gustus Mannæ, ut dicitur Exodi (16, 31), quasi similæ cum melle; et est granum album simile coriandro, et quasi *coloris bdellii*. In albedine, munditia carnis dominicæ : in simila, humanitas : in melle, divinitas. Hæc est delectatio nostra, unio humanitatis, et divinitatis. *Bdellium* nascitur in terra Hevilath (Gen. 2, 12). Hevilath interpretatur a principio, et significat humanitatem illius, qui est principium de principio. *Bdellium* est arbor aromatica, oleaginea, cujus lacryma lucida, gustu amara, boni odoris, sed infusione vini fit odoratior (5). Hæc est caro Christi, quia Incarnationis beneficium suavius, et magis odoriferum redditur per sanguinis pretium. Caro Christi quasi arbor aromatica, miræ suavitatis ad nos diffundens exempla, per misericordiam oleaginea; unde de manna legitur Exodi (16, 13 et 14) : « Mane ros jacuit per circuitum castrorum : cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum,

(4) Num., 16, 47 et 48.
(5) Glossa ord. ex Plinio.

quasi pilo tusum, in similitudinem pruinæ super terram. » In rore notatur misericordia. Propter humanitatem, quam assumpsit pro redemptione nostra, maximam, et admirabilem misericordiam ostendit. Ipsa fuit lucida candore innocentiæ ; sed gustu amara, quia difficile est imitari ejus amaram passionem. Vinum est sanguis Christi, cujus vini infusio suaviorem reddit odorem dominicæ carnis. Quæ *apparuit in solitudine* hujus mundi, *quasi granum pilo tusum*, quia Christus apparuit quasi minoratus ab Angelis ; unde (Psal. 8, 7) : « Minuisti eum paulo minus ab Angelis » ; quia quamvis anima Christi excellentior sit omni creatura, tamen (1) dicitur minor propter mortalitatem, quam habuit. Ipsa etiam ejus caro est granum pilo tusum, quia a palea nostræ mortalitatis exuta est ejus humanitas in pilo crucis. Pruina est aqua frigore solidata, quæ alba est, et terram reddit albam, et vestit. Aqua, quæ fluida est, sed frigore solidatur, significat carnem Christi frigore persecutionis infrigidatam, et resurrectione solidatam ; et sicut pruina terram vestit : sic in resurrectione generali vestiet terram, idest corpora glorificatorum; unde in Exodo (16, 16 ad 18) dicitur, quod sufficiebat mannæ unum gomor unicuique, et tantum qui minus, quantum qui plus collegerat, habebat. Ita est de Eucharistia : non enim plus est in mille hostiis, vel partibus earum, quam in una. Singulis diebus sufficiebat unum gomor : *in die enim sexta* colligebant *duo gomor*. Gomor interpretatur consolatio, sive perfectio, quia cibus est hic nobis necessarius ad consolationem, et in futuro quasi in septima die erit ad perfectionem.

SERMO CCXI.

De commendatione eleemosynæ.

In memoria æterna erit justus (Ps. 111, 7).

In memoria æterna *erit*, idest nomen illius non delebitur de libro vitæ, qui justus est, et mitis. Hic est, de quo præmittitur : *Jucundus homo, qui miseretur, et commodat*. Quantus autem sit fructus misericordiæ, habes Ecclesiastici (29, 15) : « Conclude eleemosynam in sinu (2) pauperis, et hæc pro te exorabit ab omni malo » ; et iterum (17, 18 et 19) : « Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso, et gratiam hominis quasi pupillam conservabit : et postea consurget (3), et retribuet illis retributionem, unicuique in caput illorum. » Gratiam pupillæ comparat. Sicut est pupilla in illuminatione totius corporis, sic eleemosyna, et oratio bonorum conservat gratiam illuminatione operum, sine qua mortua sunt. Sequitur : « Et retribuet illis unicuique illorum retributionem in caput illorum. » Videtur quibusdam eleemosyna perdita, nisi Deus in præsenti retribuat eis : sed in futuro post retribuetur eis. Quantum vero protegat, et defendat, habetur in eodem Ecclesiastico (29, 16 et 17) : « Super scutum potentis, et super lanceam, adversus inimicum tuum pugnabit » ; ut enim dicit Augustinus (4) : « De nullo sic vincitur (5) inimicus diabolus, sicut de misericordia. » Unde (Psal. 143, 1) : « Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, » scilicet dexteram in faciendo opus misericordiæ, et sinistram porrigendo misericorditer : *et digitos meos ad bellum*. Digiti distincti sunt in quinque in ambabus manibus, ut tot operibus discretis misericordiæ impugnemus diabolum. Tria opera misericordiæ (6) spiritualia sunt, dimittere injuriam impugnanti, increpare peccantem, instruere ignorantem. Sex habentur corporalia in Evangelio : *Esurivi, et dedistis mihi manducare, etc.* (Matth. 25, 35 et 36). Septimum habetur in Tobia (12, 12), scilicet sepelire mortuos. Hoc est quod dicitur in Ecclesiastico (29, 13 et 14) : « Perde pecuniam propter fratrem, et amicum tuum, et non abscondas illam sub lapide in perditionem, » idest sub corde duro, et avaro : « Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi, et proderit, tibi magis quam aurum. »

Sed eleemosyna indiget illa ablutione, de qua habetur in Numeris (19, 12) : « Qui immundus est, aspergetur ex hac aqua die tertio et septimo, et sic mundabitur. Si die tertio aspersus non fuerit, septimo non poterit emundari. » Aqua ista contritio est, et

(1) Supple *Christus*.
(2) Vulg. : corde.
(3) Vulg. : resurget.
(4) Enar. in Ps. 143, num. 7.

(5) De nullo sic vincitur, etc. Consule annotationem (8) ad Sermonem XXX, col. 648.
(6) *Tria opera misericordiæ, etc.* Vide quæ annotavimus (1), col. 649 ad Sermonem XXX.

lacrymæ pœnitentiæ pungentes, cui debet commisceri memoria passionis Christi signata per cineres vitulæ rufæ. *Die tertio;* per quod eleemosyna intelligetur (1), de qua in Genesi (1, 11) in principio : « Producat (2) terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram. » Juxta genus suum, idest in homine generis sui : alioquin nisi die tertio purgetur, die septimo, idest in futuro non purgabitur. *Lignum faciens fructum juxta genus suum;* hoc est, tam minor, quam major juxta facultatem suam eroget; unde : *Dispersit, dedit pauperibus;* unde Ecclesiastici (29, 1 et 2) : « Qui facit misericordiam, fœneratur proximo suo, et qui prævalet manu, mandata servat. Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius, et iterum redde proximo in tempore suo ; » quasi dicat : debitor es pauperi, et teneris ei subvenire. Et in Parabolis (19, 17) : « Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. »

Sequitur : *Cornu ejus exaltabitur in gloria.* Cornu nec os, nec caro est, sed medium utriusque. Quidam sunt caro, compatientes carnaliter culpæ proximi : quidam sunt os, ita nimis duri, non compatientes naturæ proximi. Sed non debemus os, nec caro esse, idest nec nimis asperi circa culpam, nec nimis remissi, imo diligere in eo naturam nostram, non fovendo culpam; et sic exaltabitur in gloria, De commendatione eleemosynæ habes in Ecclesiastico (15, 11) : *Quasi oliva pullulans* in campis, idest in minoribus : *et* sicut *cypressus in altitudinem se extollens*, idest sicut cypressus attollitur, sic anima pullulabit : et sicut cypressus ornatur coma, sic ornatur virtutibus. Oliva, idest eleemosyna pullulat in inferioribus : sed odor ejus, propter quem comparatur cypresso, ascendit in altitudinem divinæ majestatis. Hoc est, cornu ejus exaltabitur in gloria.

(1) Eleemosyna intelligitur, etc. Die tertio ait Deus : *Germinet terra herbam, etc., et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum;* ubi Glossa interlinearis : Ut ex sua infirmitate compatiatur indigentibus. Deinde legitur ibidem in Genesi : Et protulit terra herbam virentem; idest, uti explicat eadem Glossa interlin. ex S. Gregorio, lib. XXIX, Moral. in cap. 38 Job, opera misericordiæ.

(2) Vulg. : Germinet.

SERMO CCXII.

De duplici nomine Dei, quod debemus benedicere.

Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc, et usque in sæculum. (Ps. 112, 2.)

Alibi in Psalmis (71, 17) : « Sit nomen ejus benedictum in sæcula : ante solem permanet nomen ejus; » ubi innuitur, quod duplex est nomen Domini : unum quod est ante solem, et ab æterno, et permanet in sæculum : aliud, quod est ex nunc, de quo hic fit mentio. Quod permanet ante solem, est illud, de quo in Exodo (3, 14) dicitur : *Ego sum qui sum;* et : *Qui est, misit me ad vos.* Qui est, scilicet æternaliter, et ex hoc sunt omnia, incommutabilis, et invariabilis, de quo dicit Jacobus (1, 17) : « Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Apud quem non est transmutatio, » quia unus et idem est; et ideo timendus, quia *horrendum est incidere in manus Dei viventis*, sicut dicit Apostolus (Hebr. 10, 31). Nec vicissitudinis obumbratio, quia non sunt umbræ mortis (3), sicut dicit Job (34, 22), ubi abscondantur, qui operantur iniquitatem. Est ergo timendus, et reverendus.

Sit nomen Domini benedictum. De hoc nomine Isaias (30, 27) : « Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus, et gravis ad portandum : labia ejus repleta sunt indignatione, » idest plena increpatione, « et lingua ejus quasi ignis devorans. » Ecce nomen Domini de longinquo, idest ab æterno Filius Dei venit : Et labia ejus plena indignatione, idest increpatione circa peccatores : lingua ejus quasi ignis devorans, cum dicet : *Ite* (4) *maledicti in ignem æternum.* (Matth. 25, 41.) De eodem igne in eodem Isaia (v. 33) : « Præparata est ab heri, idest ab æterno *Thopheth*, a rege præparata, profunda, et dilatata : nutrimentum ejus ignis, et ligna multa ; » ignis scilicet æternus, et ligna, idest animæ damnatorum, quæ semper ibi cruciabuntur. Et flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam, idest divina vindicta prolata ab eo.

(3) Vulg. : Non sunt tenebræ, et non est umbra mortis, ut abscondantur ibi, etc.

(4) Vulg. : Discedite a me.

Ligna multa sunt animæ damnatorum, quæ erunt materia illius ignis. Cum igitur materia sit inconsumptibilis, et ignis in ea agens erit indeficiens; propterea nomen Domini, quod est *ex hoc nunc*, idest ex tempore gratiæ, scilicet *Emmanuel*, quando factus *nobiscum Deus*, scilicet homo natus, istud nomen sit benedictum. Unde Isaiæ (26, 8 et 9): « Nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desideravit te in nocte : sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te; » quasi dicat: Multum desidero, quod habeas istud nomen, hoc est sanctum, de quo dicebat, et petebat Ezechiel (43, 7) : « Non polluet ultra domus Israel nomen sanctum tuum; » super quem locum dicit Hieronymus (1) : « Nomen ejus non polluit, nisi qui visus est nomini ejus credere, et ejus censeri vocabulo. » Hi sunt falsi christiani, qui sub ejus nomine vitia perpetrantes, quantum in eis est, nomen ejus pollunt: non Judæi, non Pagani; quia ut idem dicit (2) : « Non tollit membrum Christi, et facit membrum meretricis, nisi fuerit prius membrum Christi. »

Quare debeat benedici hoc nomen, dicit Ezechiel (3, 12) : *Benedicta gloria Domini de loco suo.* Locus Domini est humanitas, quam assumpsit pro nobis; et ideo debemus eum laudare. Vel beata Virgo est locus ejus, quæ est benedicta. Vel locum, in quo benedicendum sit nomen Domini, ostendit, cum sequitur (3, 12 et 13) : « Audivi post me vocem commotionis magnæ, et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram. » Audivi vocem, quæ commovet ad confitendum per contritionem, idest præparatur locus Domini, et gloriæ ejus. Alæ animalium percutientes se post commotionem sunt virtutes, quarum altera ad alteram invitat, postquam quis commotus est ad pœnitentiam. Nomen Domini benedictum est pro præteritis beneficiis, præsentibus, et futuris. Præteritis, unde in Cantico Exodi (15, 4) : Electi principes ejus (3), vel *terni statores* (4). Terni statores dicuntur dæmones propter tria, in quibus sternunt peccatorem, scilicet in peccatum cogitationis, locutionis, et operis; vel in concupiscentiam carnis, in concupiscentiam oculorum, et superbiam vitæ. Pro præsentibus beneficiis, quia diligit, et adjuvat; unde Zachariæ (10, 3) : « Posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello. » Pro futuris; unde Apocalypsis ultimo (4 et 5) : « Videbunt faciem ejus : et nomen ejus in frontibus eorum, » idest ignominiam crucis, quæ erit eis honor; ubi enim modo ignominia imprimitur, ibi nomen Agni figetur : « Et nox ultra non erit, neque egebunt luce lucernæ, nec lumine solis, quoniam Deus illuminabit illos, et regnabunt in sæcula sæculorum. Amen. »

SERMO CCXIII.

Qualiter Deus destruit omnem delectationem in peccatoribus; qualiter peccatores dormientes in peccatis a dæmonibus liberantur.

Quid est tibi mare, quod fugisti : et tu Jordanis, quia conversus es retrorsum ? (Psal. 113, 5.)

Ponit quæstionem Propheta, et respondet, cum subdit : *A facie Domini mota est terra, a facie Dei Jacob.* De hac commotione terræ, scilicet humanæ mentis habetur in Nahum (1, 6) : « Ante faciem indignationis ejus quis stabit? et quis resistet iræ (5) furoris ejus? Indignatio ejus effusa est ut ignis : et petræ dissolutæ sunt ab eo; » quasi dicat: Ab increpatione verbi Domini debet homo commoveri, et conturbari, ponendo ante oculos mentis faciem Domini in extremo examine judicantis; unde Isaiæ (6): « Desolabit Dominus linguam maris Ægypti, et levabit manum suam super flumen in fortitudine spiritus sui, et percutiet eum in septem rivis, ita ut transeant per eum calceati. Desolabit Dominus linguam maris. » Mare istud mundus est : lingua maris, delectatio mundi, in quo, licet in se amarus sit, multi delectantur. Deuteronomii (33, 19) in fine : « Inundationem maris quasi lac sugent. » Hæc lingua desolatur a Domino, hæc delectatio per carbones desolatorios, unde (7) : « Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam ? Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolato-

(1) Lib. XIII Comment. in Ezech., cap. 43.
(2) Ibidem.
(3) Subaudi, submersi sunt.
(4) *Terni statores*. Sic legit Origenes Hom. VI in Exod. Consule notam (4) ad Serm. CXLII, col. 941.
(5) Vulg. : in ira.
(6) Isaiæ, 11, 15.
(7) Psal. 119, 3 et 4.

riis; » idest sententiæ sacræ Scripturæ dure increpantes illos, qui loquuntur, et delectantur in mendaciis. Isti carbones desolatorii sunt Sancti, qui inter prædicationem suam incinerant linguam mundi, ut non possit loqui. « Levabit manum suam super flumen.» Flumen Ægypti est Gebon, vel Nilus (1), qui interpretatur turbulentus, vel turbidus. Hæc est delectatio, sive prosperitas mundi, quæ labitur sicut flumen· Iste fluvius habet septem rivos, qui sunt, corporis sanitas, eloquentia, scientia, nobilitas, abundantia, eminentia, vel dignitas potestatis, et securitas. Sed Deus percutit istos septem rivos, ostendens nihil esse stabilitatis in his. « Ut transeant per eum calceati. » Calceamenta ista sunt vita, et exempla sanctorum Patrum, quibus muniti debemus transire istum fluvium, ne in eo demergamur. De hoc Nahum (1, 4) : « Increpans mare, et exsiccans illud, et omnia flumina ad desertum deducens. » Deus increpat mare, idest superbiam tumentem, et avaritiam amaricantem, et flumen prosperitatis ipse ducit in desertum desolationis.

Et tu Jordanis conversus es retrorsum. Cum transirent filii Israel Jordanem, aquæ, quæ steterunt, intumuerunt, et apparuerunt usque ad Sarthan locum quemdam, inferiores vero descenderunt in mare mortuum (Josue 3, 16). Jordanis fluit inter Sarthan, et Arnon. Jordanis est aqua dulcis : Hæc est delectatio mundi Sarthan interpretatur angustiatio, quia nisi delectatio in Sarthan, idest in angustia pœnitentiæ coractata fuerit, Jordanis defluit in mare mortuum, idest delectatio in pœnam æternam; unde in Numeris (21, 14) : « Sicut fecit in mari rubro, sic faciet Dominus in torrentibus Arnon. » Arnon interpretatur lux eorum, vel arca mœroris, vel maledictio, quia lux, idest prosperitas mundanorum est eis arca, conservans eos in mœrorem maledictionis æternæ, scilicet suos possessores, quibus faciet Dominus, sicut fecit in mari rubro Ægyptiis, ut illis submersis transire possint sicco vestigio viri sancti.

« Montes exultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium. » De hoc habetur in fine libri Sapientiæ (19, 7 ad 9) : « In mari rubro via sine impedimento, et campus germinans de profundo nimio : per quem omnis natio transivit, quæ tegebatur tua manu, videntes mirabilia, et monstra. Tanquam equi depaverunt escam, et tanquam agni exultaverunt, magnificantes te, Domine, qui liberasti illos. » Tanquam equi, similes equo, qui audierit vocem buccinæ. De tali equo dicit Job (39, 25) : Cum audierit vocem buccinæ, dicit : Vah ; quæ vox est lætantis. Depaverunt, idest pavorem deposuerunt; unde sequitur : « Et tanquam agni exultaverunt, magnificantes te, Domine, quia liberasti illos. »

(1) Vel Nilus. Glossa interlinearis in illud Gen. 2, 13. Nomen fluvii secundi Gehon, habet : Hic est Nilus. Et S. Augustinus de Genesi ad lit. lib. VIII, cap. 7 : Geon ipse est, qui nunc dicitur Nilus.

SERMO CCXIV.

Qualiter diabolus turbat, et affligit peccatorem, et ligat.

Pericula inferni invenerunt me. (Psal. 114, 3.)

Pericula inferni invenerunt me : non me providentem, sed improvidentem, et negligentem, et in deliciis dormientem; unde Proverbiorum (23, 34 et 35) : « Et eris sicut dormiens in medio mari et quasi sopitus gubernator amisso clavo, et dices : Verberaverunt me, et non dolui ; traxerunt me, et non sensi ; quando evigilabo ? » Pericula inferni invenerunt dormientem in deliciis, qui est sicut gubernator amisso clavo in medio mari, ratione non excitata, quæ debet regere omnes sensus corporis, ne errent vagando per illicita. In mari dormit, qui in hujus mundi tentationibus positus irruentium vitiorum quasi undarum cumulos prævidere negligit : et quasi sopitus gubernator clavum amittit, et ratio ad regendam navem corporis sollicitudinem non impendit. Unde talis verberatur a dæmonibus, et non dolet ; trahitur per vitia, et non sentit, quia irruentia mala non prospiciens, per illecebras vitiorum trahitur ad tormentum inferni. Job (20, 25 et 26) : Vadent, et venient super eum horribiles, idest dæmones inducendo unum vitium super aliud. Sequitur : Tenebræ absconsæ sunt in oculis ejus, vel in occultis, idest tenebræ peccatorum, quibus involvitur, nec tamen sentit eas, scilicet infernales tenebras, excæcatus. « Quo-

ties lucerna impiorum extinguetur » (1)? Quasi : Multoties oculus intelligentiæ impiorum extinguitur circa peccatum suum per suam negligentiam. Item, extinguetur impiorum lucerna, idest oculus cognitionis superveniente umbra iniquitatis; et ideo continget eis quod sequitur : « Et superveniet eis inundatio, et dolores dividet furoris sui. » Dolores furoris, idest inferni super impios dividuntur, dum et hic eos diabolus temporali dolore transverberat, et in futuro pœnas æternas eis reservat. Idem Job (21, 18) : « Erunt sicut paleæ ante faciem venti, et sicut favilla, quam turbo dispergit. »

Sequitur : *Tribulationem, et dolorem inveni.* Tribulationes mentem cæcant, ut homo non cognoscat miseriam suam, et ad se redeat; unde Job (19, 8) : « Semitam meam circumsepsit, et transire non possum, idest via ad pœnitentiam circumsepta est a diabolo spinis vitiorum, ne a vitiis peccator transeat ad virtutes pœnitendo; unde sequitur : « Et in calle meo posuit tenebras, » quia ignorans nescit discernere, quæ sint agenda. Sequitur (Ibid., 19, 9 ad 11) : Spoliavit me gloria mea, idest gloria innocentiæ, et abstulit coronam de capite meo, idest imperium de mente, ne caro serviat spiritui. Apocalypsis (3, 11) : « Tene quod habes, ne alius (2) accipiat coronam tuam, » quam diabolus nititur auferre. « Destruxit me undique, et pereo, » idest ex omni parte corporis apparet hominis destructio : « Et quasi avulsæ (3) arbori abstulit spem meam. Iratus est contra me furor ejus. » Et in Threnis (3, 7) : « Circumædificavit adversum me, ut non egrediar : aggravavit compedem meum, » scilicet mundus facit sepes contra hominem, ne possit egredi ab illo, ex una parte parentes, ex alia divitias, et honores, et similia. Aggravavit compedem infirmitatis carnis compede sollicitudinis mundanæ, ne possit homo evadere; unde sequitur (Ibid 3, 9 et 12) : « Conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit. Posuit me quasi signum ad sagittam. » Homo positus est in signum, ubi projiciuntur sagittæ Domini, quæ positæ sunt in renibus hominis, scilicet pœnalitates, infirmitates : et ex alia parte sagittæ diaboli. De sagittis Domini dicitur in eodem (3, 13 et 15) : « Misit in renibus meis filias pharetræ suæ : replevit me amaritudinibus. » Positus est homo quasi signum ad sagittam, quia hinc suscipit sagittam concupiscentiæ (4), inde timet jaculum tentationis diabolicæ. Dolorem invenerat, qui dicebat in eodem (3, 10 et 11) : « Ursus insidians factus est mihi : leo in absconditis. Semitas meas subvertit, et confregit me. » Ursus diabolus propter luxuriam, leo propter superbiam, et iracundiam; unde Job (16, 13 ad 15) : « Ego ille quondam opulentus, repente contritus sum, tenuit cervicem meam, confregit me, et posuit me sibi quasi in signum : circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit, et effudit in terra viscera mea. Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas. » Peccatum, quando recens est, quasi vanum est, et de facili potest devinci : sic diabolus. Sed postquam inveteratum est per consuetudinem, tunc irruit in peccatorem diabolus quasi gigas, quia quanto ei se anima sæpius, vel crebrius subjicit, tanto sibi intolerabiliorem reddit.

(1) Job, 21, 17.
(2) Vulg. : ut nemo.
(3) Vulg. : evulsæ.

SERMO CCXV.

De beneficiis Dei, quæ nobis exhibuit in passione; et quid pro his nos retribuere debemus.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? (Psal. 115, 12.)

Retribuit Deus homini, idest frequenter retributionem tribuit; et nunqam aliquid homo ei tribuit. De qua frequenti tributione habetur Jeremiæ (2, 6) : « Non dixerunt : Ubi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Ægypti, qui traduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem, et inviam, per terram sitis, et imaginem mortis. » Dominus eduxit nos per desertum hujus mundi de regno Pharaonis. Pharao interpretatur dispergens, vel coangustans, et significat diabolum, qui dispergit hominem per varios errores vitiorum, et coangustat miseriis, et tribulationibus mundi, ubi est *serpens adurens flatu* (5), idest suggestiones dæmonum, et scorpio, et dipsas, idest diabolus blandiens primo, et puniens in fine; *Per terram inviam*, ubi sunt infinita impedi-

(4) Sagittam concupiscentiæ, quæ est pœna peccati, infirmitas naturæ lapsæ.
(5) Deut., 8, 15.

menta peccatorum. Ecclesiastici (21, 11) : « Via peccantium complanata est lapidibus, in fine eorum inferi, tenebræ, et pœnæ. » Peccata obturant viam pœnitentiæ, et intrandi ad cœlum. *Per terram sitis*, de qua dicit Job (18, 9) : « Tenebitur planta ejus laqueo, et exardescet contra eum sitis. Per *imaginem mortis*, per quam intelligitur vita ista; unde Gregorius (1) : « Quotidianus vitæ nostræ defectus quid aliud, quam prolixitas mortis est dicendus ? ».

Item retribuit Dominus, idest contra tribuit; idest pro malis bona tribuit; unde Isaiæ (56, 11 et 12) : « Omnes declinaverunt in viam suam, unusquique ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum. Venite, sumamus vinum, et impleamur ebrietate : et erit sicut hodie, sic et cras, et multo amplius. » Hæc sunt, quæ tribuunt mali Domino. Et justus, qui dat, et tamen nihil accipit ab ipsis, sed decipitur; unde sequitur (Ibid. 57, 1). « Justus perit, et nemo est, qui recogitet in corde suo : et viri misericordiæ colliguntur, et non est, qui intelligat : a facie enim malitiæ collectus est justus.» Homo tribuit scilicet avaritiam, gulam : sed justus, idest Christus perit fracta navi corporis; unde (Psal. 68, 3) : *Veni in altitudinem maris*, idest in profundum persecutionis : *et tempestas*, idest tempestuosi, *demersit me*. Demersus est enim in mortem, sed emersus est per resurrectionem. *Nemo est, qui recogitet*, retribuendo; unde conqueritur Dominus in Isaia (43,22 ad 24): « Non me invocasti Jacob, nec laborasti in me Israel : non obtulisti mihi arietem holocausti tui, et victimis tuis non glorificasti me. Non emisti mihi argento calamum, et adipe victimarum tuarum non inebriasti me : sed servire fecisti me in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. » Non obtulisti mihi arietem holocausti, idest victimam bonorum operum : non emisti mihi argento, idest fama bonæ conversationis : laborare me fecisti, scilicet labore passionis, quasi servum. De contradictione nostra conqueritur Dominus Jeremiæ (12, 7 et 8) : « Dedi dilectam animam meam in manibus inimicorum ejus. Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva : dedit contra me vocem, ideo odivi eam. »

Quid debemus retribuere Domino? Dicit Propheta : *Calicem salutaris accipiam*, idest mensuratam passionem, imitando Christum; unde Dominus in Evangelio (Mat. 20, 22) : « Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? » De quo habetur tertio Regum (7, 26) : Erat in mari æreo *labium quasi labium calicis* repansum, et recurvum in modum lilii. Per mare sacra Scriptura solida, et sonora, cujus labium est labium calicis, quia loquitur, et docet, quomodo debemus, sicut Christus, bibere calicem passionis. Sed quia istud non est sine multa retributione, sequitur : *Quasi repandi lilii*. Per lilium resurrectio : per clausum lilium, illud delectabile bonum resurrectionis, ad quam veniemus per calicem pœnitentiæ, vel martyrii. Nunc enim quasi clausum est lilium, dum non apparet gloria resurrectionis : sed tunc erit repansum, cum manifestabitur; ideo dicit Apostolus ad Colossenses (1, 24) : *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea;* ac si diceret : quia Christus non adimplevit omnes passiones in suis, quæ usque in finem mundi restant, sed tunc complebuntur. Vel, adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. Qui membrum corporis Christi est, quidquid patitur (2) hoc deerat passionibus Christi, et pro posse suo pensionem affert ad implenda quæ desunt passionum, quæ plena non erunt, quousque sæculum finiatur.

SERMO CCXVI.

De maceratione carnis; contra successus in prosperis.

Fortitudo mea, et laus mea Dominus : et factus est mihi in salutem. (Ps. 117, 14.)

Dominus est fortitudo nostra contra circumstantes gentes, idest contra motus carnis, qui in nobis nascuntur. *Quia ultus sum in eos*. Hæc est ultio, quam habemus in libro Judicum (11, 35) de Jephte, qui obvians filiæ suæ post triumphum, dixit : *Filia, decepisti me, et decepta es*. Ita debemus dicere carni nostræ : Decepisti me per concupiscentiam illecta, et decepta illecebris peccatorum : sed decepta es per mortificationem; unde Abdias (1, 15) : « Sicut fecisti, fiet tibi : retributionem tuam convertet in caput

(1) Hom. 37, in Evang.

(2) Ex S. Aug. Enar. in Ps. 61, num. 4.

tuum ». Quid est, quod facit Edom (1)? *Qui dicunt : Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea* (Psal. 136, 7). Hoc enim volunt motus carnales, scilicet Israel, idest motus bonos ab anima exterminare, ut non remaneat in nobis aliquod bonum. Sed nos debemus illos in nobis interficere; unde sequitur in eodem Propheta (1, 18) : « Erit domus Jacob ignis, et domus Joseph flamma, et domus Esau stipula : et succendentur in eis, et devorabunt eos, et non erunt reliquiæ domus Esau ». Domus Jacob, idest anima supplantans vitia, quæ debet a se expellendo consumere, sicut ignis stipulam. Et domus Joseph, scilicet profectus virtutum, quia de bono in melius debet crescere.

Dominus est fortitudo contra circumstantes dæmones, de quibus habetur in libro Judicum (16,30) de Samsone dicente : « Moriatur anima mea cum Philisthiim ». Quando concussit duas columnas, cecidit domus, et mortui sunt Philisthæi, et Samson. Sic debet anima dicere, ut moriatur cum Philisthiim, ut mortua mundo, jam non vivat peccatis in operibus malis. Domus tota innititur duabus columnis, scilicet timore, et amore mundi, quæ dicuntur concuti desertis peccatis, et sic interficiuntur dæmones. Sed vir justus moritur ut non vivat de cætero ad opera peccati. Dominus etiam est fortitudo nostra contra apes : *Circumdederunt me sicut apes*, quæ pungendo bonos persecutionibus, seipsas eviscerant : sic quicumque alium pungit, seipsum interficit.

Item Dominus est *laus mea;* et merito, quia *impulsus, et eversus sum, ut caderem; et* ipse *suscepit me*. Impulsus ex ignorantia judicii lapsus est homo videns malos prosperari, et bonos affligi; unde (2). *Pene effusi sunt gressus mei*, dum considerant *pacem* exteriorem, quam habent impii, et non attendunt rem, *quia* frequenter *non est respectus morti eorum*. Pene *eversus sum, ut caderem :* sed *Dominus suscepit me*. Suscipitur, qui audit illud Job (21, 7 ad 9) : « Quare impii vivunt, sublimati, vel sublevati sunt, confortatique divitiis? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba, et nepotum in conspectu eorum. Domus eorum securæ sunt, et pacatæ, et non est virga Dei super illos. » Et post pauca respondet ipse Job (21, 12 et 13) : « Tenent tympanum, et citharam, et gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. » Et paulo post dicit (21, 18, 20) : « Erunt sicut paleæ ante faciem venti, et sicut favilla, quam turbo dispergit? » Et de eodem dicit : « Videbunt oculi ejus interfectionem suam, et de furore Omnipotentis bibet. »

Factus est mihi Dominus *in salutem*, tanquam medicus. Hoc possumus referre ad passionem Christi, quæ nobis salus facta est, cujus livore sanati sumus; et ideo honorandus est, et diligendus. De tali medico dicitur in Ecclesiastico (38, 11 et 12) : « Da locum medico : etenim illum Dominus creavit : et non discedat a te, quia opera ejus sunt necessaria. » Sed nos ipsum despicimus; unde sequitur (Ibid., v. 15) : « Qui delinquit in conspectu ejus, qui fecit eum, incidet in manus medici. » Qui non vult uti consilio medici, non sanabitur. » Et in eodem (38, 3 et 4) : « Disciplina medici exaltabit caput ejus, vel illius, et in conspectu magnatorum collaudabitur. Altissimus de terra creavit medicinam (3), et vir prudens non abhorrebit eam » (4); unde Isaiæ (55, 5) : « Disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus. » Flagellatus pro nobis Dominus fecit pacem inter nos, et Deum, quia *cum inimici essemus Deo, reconciliati sumus per mortem Christi* (Rom., 5, 10); et hæc disciplina exaltavit caput ejus. Et hinc est, quod in Psalmis (109, 7) dicitur : De torrente in via bibet, scilicet de torrente passionis : propterea exaltabit caput. Sequitur : « In conspectu magnatorum collaudabitur, idest lætitia, quam habent in intimis cordis, spe futuræ beatitudinis æternæ. Hæc est *vox*

(1) Quid est, quod facit Edom? Abdias alloquitur filios Esau : sic enim ait : *Visio Abdiæ. Hæc dicit Dominus Deus ad Edom*, qui est Esau, Gen. 25, 30. Porro cum, teste S. Hieronymo, Comment. in hunc locum, quia didicimus terram Idumæorum adversariam esse terræ repromissionis, et Esau inimicum legimus Jacob... sunt qui Idumæam ad carnem referant, et adversus illius pugnam animam æstimant provocari, ut mortificantes membra nostra super terram... æternam in Christo victoriam consequamur : cumque versiculus 7 Psalmi 136, duas habeat partes, quarum prima est : *Memor esto, Domine filiorum Edom, in die Jerusalem;* altera : *Qui dicunt : Exinanite etc.* merito noster Sanctus interrogat : Quid est, quod facit Edom? ac si diceret : Quid faciunt motus carnales? et respondet : *Dicunt, Exinanite, etc.*

(2) Psal. 72, 2 ad 4.

(3) Vulg. : medicamenta.

(4) Vulg. : illa.

exultationis, et salutis in tabernaculis justorum.

SERMO CCXVII.

Ad prælatos de clavibus Ecclesiæ; ad religiosos de ædificio civitatis religionis.

Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino : hæc porta Domini, justi intrabunt in eam. (Psal. 117, 19 et 20.)

Iste sermo dirigitur ad janitores Ecclesiæ, ne dicatur eis illud Evangelii (Lucæ, 11, 52) : « Væ vobis, qui tulistis clavem scientiæ (1) : vos non intratis, nec alios intrare permittitis. » Aperite ergo *portas justitiæ* exemplo bonæ conversationis, non portas cupiditatis, et ambitionis per exemplum malum; unde in Parabolis (25, 4) : Aufer rubiginem, idest terrenam cupiditatem, et terrenam arrogantiam scientiæ: et egredietur vas purissimum, scilicet subditus informatus honestate vitæ, et doctrinæ prælati sui. Jeremias (23, 15) dicit contrarium : « A prophetis Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram. » Quidam enim intrant portas scientiæ, et non justitiæ, de quibus in Parabolis (18, 20) : « De fructu oris viri replebitur venter ejus : et genimina labiorum ejus saturabunt ipsum, » idest verba in executione bonorum erunt fructus retributionis ejus. De fructu enim oris debet repleri mens, et verba sacræ Scripturæ per executionem justitiæ debent animam satiare. Non tantum laborare debemus, ut sciamus, juxta illud Ecclesiastes (6, 7) : « Omnis labor hominis in ore ejus : sed anima ejus non implebitur bonis »; quasi dicat : Ad hoc laboramus, ut sciamus : sed anima nostra propter scientiam tantum non implebitur bonis operibus.

Hæc est porta Domini, et justitiæ, de qua habetur in Luca (13, 24) : *Contendite intrare per angustam portam*, idest imitari angustias passionis Christi. De apertione hujus portæ habetur Jeremiæ (31, 38 ad 40) : « Ædificabitur civitas Domino, a turre Hananeel usque ad portam anguli; et exibit ultra normam mensuræ in conspectu ejus super collem Gareb, et circuibit Goatha, et omnem vallem cadaverum, et cineris, et universam regionem mortis, usque ad torrentem Cedron, et usque ad angulum portæ equorum orientalis, sanctum Domini : non evelletur, et non destruetur ultra in perpetuum. » Dominus ædificans civitatem virtutum in nobis, sic incipit : *A turre Hananeel,* quod interpretatur gratia Domini, quia monumentum virtutum, et bonorum operum a gratia Dei incipit in nobis. A gratia Dei ædificat in *portam anguli :* in angulo, angustia : in porta, apertura. Deus ædificat ab Hananeel usque in portam anguli, idest facit nobis aperturam, per quam possumus intrare in portam, de qua dicit : *Contendite intrare per angustam portam.* Sed quidam exeunt ultra normam mensuræ in conspectu ejus super collem Gareb. Gareb interpretatur scabies. Hæc significat sæcularem altitudinem, sive excellentiam, quæ excedit normam virtutum, et justitiæ per superbiam, et in mente generat prurigium, sicut scabies in corpore. *Goatha* interpretatur gyrus, et significat avaritiam, et ambitionem, quia in circuitu impii ambulant. Per *vallem cadaverum,* profundum luxuriæ, quia ibi convertitur spiritus in carnem, quia totus homo fit luxuriando cadaver, quia secundum Apostolum (I Cor., 6, 18) : *Qui fornicatur, in corpus suum peccat.* Et illud, quod sequitur, scilicet : *Et cineris, et universam regionem mortis,* est de reversione ad Dominum. Per cineres intelligitur memoria mortis propriæ : debet enim considerare primam infirmitatem suam; unde, Cinis es, et in cinerem reverteris : *et omnem regionem mortis,* idest omnia peccata, et circumstantias peccatorum, ut sic possit venire *ad torrentem Cedron,* quod interpretatur mœror, idest usque ad fluxum lacrymarum, mœrendo pro peccatis : *et usque ad angulum portæ equorum,* idest peccatorum, super quos sedet diabolus. Equus enim nullum recusat sessorem, et peccator nullum dæmonem ducentem illum ad diversa genera vitiorum. Oportet ergo intrare per *angulum portæ equorum orientalis,* idest per angustiam latitudinis portæ paradisi, quia primo nos oportet angustari, et dolere, antequam ad eam perveniamus. Aperta est nobis janua paradisi, sed peccata angustant eam nobis; quibus depositis, possumus per eam intrare.

Vel dicatur sic auctoritas; et valere po-

(1) Vulg. : quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, et eos, qui introibant, prohibuistis.

test in claustro. *Civitas* est conversatio religionis; unde in Proverbiis (18, 19) : « Frater, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma : et judicia quasi vectes urbium. » Vectes, quæ claudunt hanc civitatem, sunt judicia disciplinæ. *A turre Hananeel.* Proprietates turris bene conveniunt religioni. *Hananeel* interpretatur obedientia : *a turre* ergo obedientiæ incipit religio *usque ad portam anguli.* Prima linea est vivere in mundo; alia linea est reflexio a via sæculi ad claustrum. Hanc reflexionem faciens, facies angulum. *Et exibit ultra normam mensuræ.* Norma mensuræ est regula, quam tradidit eis beatus Benedictus (1), vel beatus Augustinus. Fines hos debent excedere claustrales, faciendo supererogationes : sed non debent mutare in conspectu gratiæ super collem Gareb. Gareb interpretatur incolatus, vel scabies : hic est pruritus concupiscentiæ. *Super collem Gareb* debet esse claustralis, si sub se habeat mundum, et ejus concupiscentiam. *Et circuibit Goatha,* quod interpretatur gyrus : debet enim scrutari per gyrum conscientiæ *cineris* infirmitatem suam; *vallem,* idest peccata sua, et omnem, vel *universam regionem mortis,* scilicet pœnas damnatorum. Omnia ista debet habere in memoria *usque ad torrentem Cedron.* Cedron, passio Domini intelligitur; unde et Dominus passurus transivit per *torrentem Cedron* (Joan., 18, 1). Hoc debet facere in memoria, et tunc illi non erit difficile. *Et usque ad angulum portæ equorum.* Equi sunt boni claustrales, qui habent sessorem Dominum : porta est exitus ab hac vita. Angulus ergo portæ est reflexio ab hac miseria; quod fit in morte. Primus ergo angulus est reflexio ab hoc sæculo ad claustrum : secundus est diverti ab hac miseria temporali, et transire ad gloriam.

SERMO CCXVIII.

Quare debemus solemnizare Domino; qualiter flere; quod Deus festivitates malorum non curat.

Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris; vel, in frequentationibus (2) *usque ad cornu altaris.* (Psal. 117, 27.)

Debemus constituere *diem solemnem* Domino, non mundo, vel diabolo : *Non in comessationibus, et ebrietatibus* (Rom. 13, 13), et luxuriis. Sed cavere debemus, ne destruamus solemnitates Dei cum illis, qui dicunt : « Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra » (Psal. 73, 8); unde in Threnis (1, 7) : « Viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata ejus. » Hostes isti sunt dæmones, qui derident solemnitates. Unde notandum, quod dicit : *Constituite diem solemnem,* idest statuite, ut non sit transitoria, sed fixa, et stabilis, ne vagemus per illicita desideria. Unde in Levitico (23, 21) : « Legitimum sempiternum erit cunctis generationibus vestris; » et in eodem (v. 31) : *Nihil operis facietis in eo,* idest nullum opus servile, idest peccatum mortale, quod facit servum diaboli; unde solemnizandum est ab omni peccato.

Constituite, idest plures simul solemnitates, *expiationis, propitiationis, afflictionis* (Ibid. 23, 27 ad 29). Festum *expiationis* facimus, cum gratias agimus Christo, ex eo quod morte sua nos expiavit a peccatis; quod signatur per aspersionem cineris vitulæ rufæ. Festum *propitiationis* in memoriam Sanctorum, ut intercedant pro nobis ad Deum. Et non debemus omittere diem *afflictionis* pro peccatis; quia non debemus comedere azima sine *lactucis agrestibus,* idest non debemus corpus Domini sumere, nec gaudere in solemnitate sine cordis amaritudine, et contritione. Unde in Zacharia (12, 11 ad 13) : « In die illa magnus erit planctus in Jerusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon. Et planget terra : familiæ, et familiæ seorsum : familiæ domus David seorsum, et mulieres eorum seorsum : familiæ domus Nathan seorsum, et mulieres eorum seorsum : familiæ domus Levi seorsum, et mulieres eorum seorsum : familiæ Semei seorsum, et mulieres eorum seorsum. » Erit planctus in Jerusalem, idest in Ecclesia. *Adadremmon* interpretatur hortus pomorum ejus : hæc est Ecclesia, quæ est hortus pomorum ejus, idest Christi, cui debet ferre poma bonorum operum, imitando ipsum. *Mageddon* interpretatur fructus cœnæ ejus. Habuit Christus prandium in cruce, ubi fel oblatum est ei cum aceto : fructum hujus cœnæ expec-

(1) Beatus Benedictus, etc. Consule annotationem (4) ad Sermonem CXLIX, col. 961.

(2) Sic legit S. August. Enarrat. in hunc Psal., num. 22.

tat a nobis. Josias interfectus fuit *in campo Mageddon;* et planxit eum civitas Adadremmon, et familiæ virorum, et mulierum sicut hic legitur (1). Et talem planctum futurum prædicit Propheta in Jerusalem. Mystice Josias Christus est, de cujus morte fuit planctus in Ecclesia. Josias interfectus est in Mageddon; et Christus pro nobis mortuus, a nobis expectat fructum bonorum operum ad cœnandum, et lacrymas in potum; unde sequitur: *Viri plangent seorsum, et mulieres.* Mulieres sunt, qui dolent pro temporalibus: virorum planctus est ad æterna. Planctus David pro propriis peccatis; ipse enim flevit adulterium: planctus Nathan prophetæ pro alienis: planctus Levi, qui interpretatur assumptus, significat illos, qui ad contemplationem cœlestium assumpti plangunt dilationem patriæ: planctus Semei, qui interpretatur auditio, significat illos, qui audiunt vocem illam: *Adam ubi es?* (Gen. 3, 9) et ideo plangunt pro incolatu miseriæ præsentis.

Debemus constituere *diem solemnem in condensis*, ut in tertio Regum (8, 62 et 5) habetur: « Populus immolabat victimas; » et ibidem: Immolabant oves, et boves absque æstimatione, et numero. Sic et nos simplicitatem, et bona opera debemus immolare sine numero; quod facit, qui mortificat carnem suam cum vitiis, et concupiscentiis. Aliter refutat Dominus solemnitates; unde Amos (5, 21, 24 et 26): « Odi, et projeci festivitates vestras, et non capiam odorem cœtuum vestrorum. Revelabitur quasi aqua judicium, et justitia quasi torrens fortis. Portastis tabernaculum Moloch Deo vestro, et imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis. »

SERMO CCXIX.

Qualiter renovari debemus in novitate sensus; qualiter debemus ire per vias immaculatas, et transgredi foveas peccatorum.

Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. (Psal. 118, 1.)

De hac *via* immaculata habetur in Catholica Jacobi (1, 27): « Religio munda, et immaculata apud Deum, et Patrem hæc est: Visitare pupillos, et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo. » Hæc est *via* immaculata, qua debemus incedere. Ad cujus custodiam, ut servemus nos immaculatos, invitat Apostolus ad Romanos (12, 2), dicens: *Nolite conformari huic sæculo,* idest concupiscentiæ sæculari. Viæ hujus mundi sunt avaritia, luxuria, superbia, quas prohibet Apostolus, præcipiens mentem bonis operibus innovari; unde sequitur: « Sed reformamini in novitate sensus vestri. » Sicut ferrum rubiginem trahit a terra, et rubiginem deponit ad limam, et fornacem: sic sensus nostri rubiginantur terrenis dediti; sed oportet illos innovari ad limam timoris Domini, et ad fornacem amoris Domini, ut ita renovetur imago Dei per peccatum deformata. De hac forma habetur in Apocalypsi (14, 9 et 10): « Si quis adoraverit bestiam, et imaginem ejus, et acceperit characterem in fronte, vel in manu sua: et hic bibet de vino iræ Domini, quod mistum est in calice iræ ipsius, et cruciabitur in igne, et sulphure. » Si quis acceperit characterem bestiæ, quod est conformari huic sæculo, *in fronte*, hoc est in ratione, *aut in manu*, idest in opere: hic bibet de vino iræ Domini.

De hac *via* immaculata habetur alibi in Psalmis (17, 33 et 34): « Qui posuit immaculatam viam meam; » et qualiter posuerit, subjungit: *Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum*, idest fecit me transire spinas, et lutum vitiorum: *et super excelsa statuit me,* idest in eminentia virtutum, et vitæ. Unde in primo Regum (10, 2) loquitur Samuel ad Saul, dicens: « Invenies duos viros ad sepulchrum Rachel in finibus Benjamin in meridie, salientes magnas foveas (2). Isti duo viri sunt mihi spiritus, et caro. *Rachel* interpretatur visum principium; quia spiritus et caro viriliter agentes debent habitare *juxta sepulcrum Rachel*, idest prævidere principium suggestionis diaboli, ne noceat. *In finibus Benjamin* (Gen. 35, 18). Benjamin interpretatur *filius dexteræ*, et significat Christum residentem ad dexteram Patris. Benjamin significat Christum, cujus fines sunt, ingressus in hunc mundum, scilicet humilis nativitas, et egressus ab hac vita, scilicet passio gravis. His finibus transire poterimus foveas

(1) II Paral., 35, 22 ad 25.
(2) *Salientes magnas foveas.* Sic legit S. Gregorius Magnus, lib. IV, in I Reg., c. 5 quæ tamen verba in Vulgata desiderantur. Versio græca LXX habet, *salientes granditer*.

voluptatis. *In meridie*, scilicet spiritu intelligentiæ illuminante foveam erroris, et desperationis, si in his finibus Christi manserimus, humilitatem, et passionem ejus imitando. Dicit ergo : *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Nam *qui operantur iniquitatem*, non ambulant in viis Christi, sed carnis; de quibus in secunda canonica Petri (2, 9 et 10) : « Novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in die judicii cruciandos reservare » : magis autem reservabit eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, idest qui more brutorum animalium luxuriaverunt, dominationemque contemnunt. Et in catholica Judæ (1, 11 et 12) : « Væ illis, qui in via Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et in contradictione Core perierunt : Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur ; » etenim hi tales non ambulant in lege Domini, quia non sunt immaculati.

Sequitur : *Beati, qui scrutantur testimonia ejus.* Prius enim dixerat : *Beati immaculati;* et nunc subdit de doctrina : *Beati, qui scrutantur testimonia ejus.* Doctrinam autem debet præcedere vita ; prius habetur vita, et post doctrina. Et de his, qui custodiunt prius *mandata* Dei, quam doceant alios, habetur in Ecclesiastico (1, 33 ad 35) : « Fili, concupiscens sapientiam, conserva justitiam, et Deus præbebit illam tibi. Sapientia enim, et disciplina timor Domini : et quod beneplacitum est illi, fides, et mansuetudo adimplebit thesauros illius. » Post opera bona lucet doctrina ; unde in Daniele (12, 3) : « Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti ; et qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. »

SERMO CCXX.

Qualiter debemus delectari in via testimoniorum Domini; de mercibus Ecclesiæ, quas proponit electis; qualiter consideremus vias Domini.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. In mandatis tuis exercebor, et considerabo vias tuas. (Psal. 118, 14 et 15.)

In præcedenti ostendit, quia *beati qui scrutantur testimonia* Dei : hic ostendit, quomodo sunt beati, qui inveniunt, unde delectantur; unde Proverbiorum (2, 4 ad 6) : « Si quæsieris sapientiam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam : tunc intelliges timorem Domini, et scientiam Dei invenies; quia Dominus dat sapientiam. » Si quæsieris sapientiam quasi pecuniam, idest tam avide, sicut pecunia acquiritur cum amore, et sicut thesauros effoderis, idest cum quadam effusione laboris, et investigatione animi diligenter : sic invenies eam in via testimoniorum Domini. Vel sic : Sapientia sine consideratione laboris quæritur. Thesaurus cum quæritur, terra effoditur, et rejicitur : sic et sapientia debet quæri, ut non considerato labore quærendi, terra, idest amor temporalium rejiciatur, et facta fossa humilitatis, Domini scientia invenitur, quæ consistit in via testimoniorum Domini, in qua via delectamur, scilicet in Nativitate, in Passione, et hujusmodi.

Habemus enim, in quo delectemur in Nativitate, scilicet fœnum carnis Dominicæ, de quo Job (6, 5) : « Numquid mugiet bos, cum ad (1) præsepe plenum steterit? » Christus enim implevit præsepe, idest Ecclesiam sacramento corporis, et sanguinis sui, cujus pascuis delectaremur. In Passione habes, in quo delectemur, scilicet remissionem peccatorum per mortem Christi. In Resurrectione habes utrumque, ubi delectemur, quia desiccantur venæ mortis ejus resurrectione, cum jam spe cum ipso resurrexerimus; unde Osee (13, 15) : « Adducet Dominus de deserto ventum urentem, et siccabit venas mortis, et desolabit fontem ejus, et ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis. » In Ascensione habemus dactylos palmarum, idest retributionem victoriæ, scilicet præmium vitæ æternæ. In Pentecoste pigmenta suavitatis, scilicet dona Spiritus Sancti, de quibus Ecclesiastici (38, 7 et 8) : « Unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis, et non consummabuntur opera ejus : pax enim Dei super faciem terræ. » Unguentarius enim noster Filius Dei est, qui fecit pigmenta in Nativitate, confecit ea in Passione, ostendit ea in Resurrectione, et Ascensione, in Pentecoste dedit dona suavitatis.

(1) Vulg. : ante.

Hæ sunt merces, quas cito exposuit; unde Ezechielis (27, 17): « Juda, et terra Israel ipsi institores tui in frumento primo, balsamum, mel, et oleum, et resinam proposuerunt in nundinis tuis. » Hæc significant dona Spiritus Sancti, quæ apponit Juda, idest confitentibus Deum per opera fidei, et caritatis. Frumentum est Christus conceptus in utero Virginis : Ipse est balsamum, quo debent inungi mentes, et corda fidelium per imitationem ipsius passionis, per redolentiam bonorum operum, per fragrationem ad proximum : Ipse est mel divinitatis, idest verus Deus cum Patre, qui affluit nobis oleum misericordiæ, et gratiæ. Ejus sanguis est resina, quia suo sanguine nostras infirmitates sanavit. « Si quæsieris sapientiam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam, tunc scientiam Dei invenies. »

Si sic quæsieris, tunc intelliges timorem Domini pro beneficiis ejus, quæ nobis contulit. Si fuerimus ingrati, magis timendum est nobis; unde Job (10, 17): « Instauras testes tuos contra me, et multiplicas iram tuam contra me, et pœnæ militant in me. » Testes isti sunt motus carnis, vel suggestiones diaboli, vel latens culpa in opere. Ecce in iis testimoniis et ingratitudo, et pœnæ, quas Dominus passus est, militant contra nos; ideo dicit Propheta : *In mandatis tuis exercebor;* in quibus ne deficiamus, subjungit : *Considerabo vias tuas :* illas vias, de quibus habetur in Genesi (24, 62) : « Deambulabat Isaac per viam, quæ ducit ad puteum Viventis, et Videntis in meridie (1). » Puteus iste est profunditas intelligentiæ sacræ Scripturæ, quæ puteus est *Videntis*, ubi videtur Dominus. Christus est puteus æternæ felicitatis, cujus satietas exhauriri non potest. Vel puteus *Viventis, et Videntis*, conjunctionis ænigmaticæ, quem videre est vivere; quia hæc est vita æterna, ut cognoscamus te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum (Joan., 17, 3). Via, *quæ ducit ad puteum*, fuit passio, et perambulatio passionis : modo enim flagellatus, modo consputus, modo spinis coronatus : ecce deambulatio; et per istam pervenitur ad gloriam immortalitatis. Vel puteus *Viventis* est visio æterna, quam nemo potest haurire; et de cognitione viæ, quæ notatur per deambulationem, pervenitur ad fruitionem. Quod nobis præstare dignetur, etc.

SERMO CCXXI.

Qualiter adhæret anima peccatoris concupiscentiis per peccatum; qualiter per adjutorium Dei destruitur omne peccatum in peccatore; de confessione.

Adhæsit pavimento anima mea : vivifica me secundum verbum tuum. (Psal. 118, 25.)

Adhæret *pavimento anima*, quando conglutinatur spiritus illecebris carnalibus, sicut alibi dicit Psalmista (43, 25) : « Conglutinatus est in terra venter noster, » idest sensualitas. In Threnis (2, 11) : « Defecerunt oculi mei præ lacrymis, conturbata sunt viscera mea, effusum est in terra jecur meum super contritione filiæ populi mei, cum deficeret parvulus, et lactens in plateis oppidi. » Jecore amamus (2); jecur in terra est, quando amor figitur in terrenum. Item in jecore est fons caloris totius corporis, qui cum nimis ascendit ad cerebrum, turbat illud, et oculos impedit. Sic nimius fervor terreni amoris turbat intellectum, et obfuscat, et cogit deficere oculum rationis; et propter hoc dicit : *Defecerunt oculi mei.* Defecit et *parvulus*, idest sensus interior, qui nihil potest, nisi dirigatur : *et lactens*, idest mens a gratiæ uberibus primum nutrimentum sumens. Nam defecerunt *in plateis oppidi*, idest in ampla, et lata via malitiæ hujus sæculi, quam sensus ingreditur, cum per ardorem nimium terrenæ cupiditatis rationis oculus obfuscatur.

Hic ergo intellectus a terrenis, vel mundanis vivificari petit a Domino secundum verbum suum, dicens : *Vivifica me secundum verbum tuum.* Verbum istud Filius est Dei Patris, Jesus Christus, sive gratia Spiritus Sancti, et illustrationis, de qua Jeremias (49, 2) : « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et auditum faciam super Rabbath filiorum Ammon fremitum prælii, et erit in

(1) In meridie. Ubi Vulgata habet : « Quæ ducit ad puteum, cujus nomen est Viventis, et Videntis : habitabat enim in terra australi; » in Hebræo legitur : « Et Isaac veniebat, etc., et ipse sedens in terra meridiei. » Et S. Augustinus quæst. 69 in Gen. tom. III, edit. Maur., Antwerp., col. 295, legit : « Et exiit Isaac exerceri in campo meridie. »

(2) *Jecore amamus.* Jecur a Platonicis dicitur sedes præcipuorum affectuum, ut amoris, iræ, etc.

tumultum (1) dissipata Rabbath. » Dies venturi, sunt gratiæ, sive illustrationis divinæ, qua homo seipsum cognoscit; quibus diebus facit audire fremitum prælii super Rabbath, quando facit hominem in temporalibus, et sæcularibus abundantem, intelligere timorem judicii. Rabbath interpretatur multum temporis, sive peccatum grande; quæ duo bene conjunguntur, quia ubi multum est de temporalibus, ibi multum est de peccatis, et immunditiis; unde in Cantico Deuteronomii (32, 15) : *Incrassatus recalcitravit*. Ad litteram : Rabbath erat civitas opulenta (2), et significat civitatem hujus mundi, quæ dicitur *filiorum Ammon*, quod interpretatur populus turbidus; quia ubi major turbatio, quam in mundo, sive in mundana hominis conscientia? quæ tamen audit, et intelligit per gratiam fremitum prælii, idest timorem judicii : dissipatur in tumultu; idest in contritione, et pœnitentia peccata ejus destruuntur, vel fugantur.

Quod autem in terrore judicii sit fremitus prælii, dicit Joel (2, 2 et 3) : « Quasi mane expansum super montes populus multus, et fortis; » et subditur : « Ante faciem ejus ignis vorax, et post eum solitudo deserti. » Populus iste multus, et fortis, erit exercitus Angelorum, qui colligent zizania, et in fasciculos colligata mittent in gehennam (3), quorum faciem præcedet ignis, ad litteram etiam reducens in solitudinem, et vastans omnem terram. Ecce fremitus, unde timor inducit in cor hominis pœnitentiæ tumultum, et vitiorum civitas dissipatur. Unde in libro Judicum legitur, quod Gedeon contra Madianitas pugnans, cum tuba clamasset, et lagunculas fregisset, *immisit Deus gladium* in Madian, *et mutua se cæde truncabant, fugientes usque ad Bethsetta, et crepidinem Abelmehula in Tebbath* (4). Gedeon, Christus : tuba, prædicatio : confractio lagunculæ, ejus passio. Hæc sunt, per quæ Deus mittit gladium, idest timorem judicii in Madian, idest in peccatores, qui seipsos interficiunt, morientes peccato, et fugiunt in Tebbath, quod interpretatur conversio peccatoris; et hoc per Bethsetta, quod interpretatur domus putei, quæ est Ecclesia, sive sacra pagina, de qua in Canticis (4, 15) : « Fons hortorum, puteus aquarum viventium. » Hæc est domus, ad quam si peccator fugerit, ducit eum ad conversionem, ad quam per crepidinem oportet pervenire, quæ est via periculosa, vel laboriosa. Est crepido super altitudinem montis, per quam periculosissimum est ire; et significat viam cœlestis patriæ, nam ardua est, et periculosa. Vadit etiam per Abelmehula, quod interpretatur vapor vallis salsæ; quo designatur miseria hujus vitæ, de qua Jacobi (4, 15) : *Vita nostra vapor est ad modicum parens*, vel spirans; nec tamen ipsum modicum est sine salsugine, et amaritudine; unde Ecclesiastici (18, 8) : « Numerus dierum hominum, ut multum centum anni, quasi gutta aquæ maris deputati sunt; » et ob hoc bene dicitur : *Vapor ad modicum parens* præsens vita. Quæ etiam dicitur *vallis* propter vilitatem, *salsa* propter amaritudinem; et tunc oportet hominem ad conversionem venire.

Vel *Abelmehula* interpretatur luctus parturientium, sive miseria habitationis. Dicitur enim luctus parturientium, quia sicut mulier in delectatione concipit, et in dolore parturit : sic peccator, cum delectatione peccans, necesse est, ut cum dolore sit parturiens; et per hoc oportet eum venire ad conversionem, vel ad confessionem. Vel miseria habitationis est secundum aliam interpretationem. Unde Job (7, 5) : « Induta est caro mea putredine, et sordibus pulveris. » Sic ergo facto strepitu cogitationum, ad Bethsetta, idest sacram Scripturam fugitur, et *Abelmehula*, idest cognitionem hujus vitæ miserabilis, et amaræ; et sic in *Tebbath*, idest in conversionem peccatoris; et ita vivificatur prius mortuus.

Vivificatus ergo per verbum Domini, subdit : *Vias meas enunciavi* tibi. Viæ sunt peccata : enunciatio, confessio. Post illustrationem enim gratiæ, et post vivificationem sequitur confessio; et tunc penitus confunditur diabolus. Non enim potest stare Aman coram Mardochæo, ut habetur in Esther (6, 13) : « Si de semine Judæorum est Mardochæus, ante quem cadere cœpisti,

(1) Vulg. : et erit in tumulum. Sic enim est in Hebræo, ait Lyranus, sed aliqui libri habent : tumultum.

(2) Erat civitas opulenta. Teste S. Hieronymo lib. VIII, Comment. in Ezechiel, cap. 25, Rabbath erat Metropolis Ammonitarum, quæ vel proprie hoc appellatur nomine, vel ob magnitudinem, Rabbath enim maxima dicitur.

(3) Matth., 13, 30 et 49.

(4) Judic., 7, 20 ad 23.

non poteris ei resistere; sed cades in conspectu ejus; » vel : Si de genere Judæorum fuerit, non poteris stare coram eo. Per *Aman* intelligitur diabolus. *Mardochæus* interpretatur amara contritio, impudentia magnanima. Quicumque est *de genere Judæorum*, idest de ordine vere confitentium fuerit, ita ut præ amaritudine peccatorum, et cordis contritione non erubescat peccatum suum confiteri, coram tali nunquam *Aman*, idest diabolus stare potest, sed victus eum deserit, et confusus. Dicitur autem impudens confitens, non quod eum pudere debeat de peccato, sed quia propter pudorem non dimittat confiteri, sicut multi faciunt; unde Ambrosius (1) : « Pudor accusat (2) suum auctorem. » De hac autem enunciatione, sive emendatione, et fructu ejus, dicit Ezechiel (36, 32) : « Confundimini, et erubescite super viis vestris, domus Israel. »

SERMO CCXXII.

De insidiis diaboli, quæ latent in viis prætereuntium; qualiter petimus deduci a Domino per viam, et semitam mandatorum; qualiter debemus inclinare cor, ut a peccatis evacuetur, et spiritualibus repleatur.

Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui : inclina cor meum in testimonia tua, non in avaritiam. (Psal. 118, 35 et 36.)

Petit hic duci *in semitam mandatorum*, scilicet per stricta, et ardua præcepta ut non præsumeret de se. Sed scitis, quod non possumus deduci in ea sine gratia; propter hoc petit, dicens : *Deduc me in semitam mandatorum tuorum.* Ideo petit adjuvari, ut, ipso Christo adjuvante, servet mandata. Noverat enim, quod qui servat ea, servatur ab eis, sicut habetur in Parabolis (7, 2) : *Serva mandata mea, et servabunt te* (3); et supra : *Custodi præcepta mea, et vives.* Et ideo petit deduci, quia semita periculosa est, eo quod cerastes in via, de quo in Genesi (49, 17) : « Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retrorsum. » Dan interpretatur judicium, et significat diabolum, qui jam judicatus est. Ipse est coluber in via, idest in ampla sæcularium via, vel vita, quibus per delectationem carnis, et oculorum blanditur, sed infundit venenum mortiferum. Ipse est *cerastes in semita.* Cerastes est serpens cornutus. Semita est via justorum arcta, et stricta ad modum semitæ. In hac ostendit se diabolus cornutum, quia quos per sæcularia desideria non potest seducere, machinatur violenter, et terribiliter nititur evertere. Sequitur : « Mordens ungulas equi, ut cadat ascensor retrorsum. » Per equum caro : per ascensorem homo, sive ratio designatur. Ungula est finis corporis, et signat finem hominis, quem mordere satagit diabolus, ut cadat ascensor retrorsum, idest homo, vel ratio. Si non plus potest diabolus, saltem in fine facit quidquid potest; unde legitur, quod super cornu crucis Dominicæ, ipso Domino passo, sedit insidians, si saltem in fine (4) in eo aliquid inveniret. Cadit ascensor retrorsum, cum homo decedit impœnitens : ante faciem vero cadit, cum sibi prævidet, et per pœnitentiam humiliatur. Propter hoc periculosa est via, idest vita currentibus in hoc mundo; unde Job (18, 10) : «Abscondita est in terra pedica ejus, et decipula illius juxta (5) semitam. In terra pedica absconditur, cum culpa sub terrenis commodis occultatur. Juxta semitam ponitur decipula, quia quantumcumque arctam, et arduam viam quis arripiat, nunquam est sine diaboli decipula; et ideo cavere debet tam sæcularis, quam claustralis. Non est tam justus, vel tam perfectus homo, cui non tetenderit decipulam in semita, idest in arcta via diabolus in circuitu.

Ideo etiam deduci petit, quia videt dissipatas vias, et semitas sine transeunte, sicut habemus in Isaia (33, 7 et 8) : « Ecce videntes clamabunt foris, angeli pacis amare

(1) Exposit. in Psal. 118, Serm. 4, n. 11.

(2) Pudor accusat, etc. In edit. Maur. Ven. tom. II, col. 385, legitur : « Verecundia excusat reum, pudor suum accusat auctorem, » seu impulsorem diabolum, addunt in notis clarissimi editores; et recte, nam S. Doctor junctim prosequitur : « Qui enim sua delicta non tacuit, videtur in se doluisse quod fecit, in diabolo prodidisse quod suasit. »

(3) Vulg. : et vives.

(4) *Si saltem in fine, etc.* Ven. Beda Exposit. Allegor. in Tobiam cap. 6 et ex eo Glossa ord. habet : Occurrit Tobiæ piscis, devorare illum cupiens : et Domino passo in cruce venit diabolus, qui eum crucifigi docuerat, quærens, si quid forte in ejus anima sceleris inveniret.

(5) Vulg. : super.

flebunt. Dissipatæ sunt viæ; cessavit transiens per semitam, irritum factum est pactum, projecit civitates, non reputavit homines. » Viæ sunt diversæ vitæ, quæ dicuntur *irritum pactum*, quia quidam in matrimonio, quidam in mercimoniis vivendo, salvantur. Hæ *viæ* sunt latæ, quæ licet latæ, tamen bene observatæ ducunt ad vitam. Sed hæ jam *sunt dissipatæ*, quia pauci sunt, qui observent, ut debent; imo potius jura ipsarum violant. Semita est vita claustralis, et religionis, quam similiter pauci intrant, et transeunt per eam. Irritatur etiam pactum baptismi, quod fecimus cum Domino in baptismo, renunciantes satanæ, et omnibus pompis ejus. Unde *projecit civitates* hujus mundi, sive hominum mundanorum cogitationes vel conversationes. Nec reputavit eos jam homines, sed jumenta in stercoribus suis, sicut ait Joel (1, 17), putrescentia. Hæc sunt pericula, propter quæ rogat Propheta deduci; cui respondet Dominus per Jeremiam (31, 8 et 9) : « Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, et congregabo eos ab extremis terræ, inter quos erit et claudus, et cæcus, et prægnans, et pariens simul. » Subditur : « In fletu venient, et in misericordia reducam eos per torrentes aquarum in via recta, nec impingent in ea. » Ita dicit Deus orantibus deduci cum Propheta. Adducit enim Deus *de terra Aquilonis*, idest diaboli, et congregat eos *ab extremis terræ*, idest ab extremis, et maximis peccatis, quibus disperguntur per alia innumerabilia peccata, et vitia. Qui autem sint, quos sic deducit Deus, et congregat, subdit dicens : *Inter quos erunt cæcus, et claudus, etc. Cæcus*, qui lumine veritatis privatus, in tenebris peccatorum ambulat, et nescit, quo vadat. *Claudus* est, qui non recte ambulat in viis Domini, et in ejus custodiendo mandata. *Prægnans* est, qui ambitiosus nequitiam habet in corde. *Parturiens*, qui satagit ad effectum perducere; de quibus in Evangelio (Luc. 21, 23) : *Væ prægnantibus, et parturientibus* (1) *in die illa*. Hos, inquam, adducet Deus in fletu peccatorum, et hoc de misericordia sua sola, per torrentes aquarum, idest per abundantes tribulationes, quæ per torrentes designantur, eo quod transeant, et non permaneant, sicut nec aqua torrentis. Eos autem ponit in via recta, idest in via sanctæ conversationis, et in qua non impingunt. Sic complet, quod Propheta petit, dicens : *Deduc me*, Domine, *in semitam mandatorum tuorum*.

Qualiter autem sit deducendus, ipse Propheta sic petit : *Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam*. Inclinatur vas, ut effundat, quod habet, et hauriat quod non habet : sic cor hominis oportet inclinari, ut extra fundat superbiam, et peccati cogitationem, et hauriat Dei gratiam et mandatorum, et testimoniorum cognitionem. *Non in avaritiam ;* de qua Habacuc (2, 9 ad 11) : « Væ, qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus. » Nihil enim faciunt divites, nisi quod ponunt nidum suum in excelso, qui vento inani exponitur, sicut nidus. Et subditur in eodem : « Cogitasti confusionem domui tuæ, concidisti populos multos, et peccavit anima tua. Quia lapides (2) de de pariete clamabunt, et lignum, quod est inter juncturas ædificii (3), respondebit. » Hæc est confusio, quæ accidet avaris in die judicii. Concidit enim avarus multos : non posset enim avarus multam pecuniam congregare, nisi depauperaret multos ; et quia in his, et in aliis peccat ejus anima, lapides de pariete clamabunt contra eum in judicio. « Et lignum, quod est inter juncturas ædificii, respondebit. » Siquidem usurarius, vel avarus, cum videt vicinum suum indigere denariis, concidit ei super domum, quam cum diu tenuerit, et ille denarios reddere non possit, et si parietes domus corruant, nunquam facit eam reparari, imo gaudet, et paulatim eam diruit, eo quod apud se sperat remanere. Unde de lapidibus, qui sic corruunt, loquitur Propheta, qui quantum in judicio clamabunt contra eum, et eum accusabunt!

SERMO CCXXIII.

De memoria promissionis factæ ad nos; et de benedictione.

Memor estor verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti. (Ps. 118, 49.)

Illud verbum revocat Propheta ad memoriam, de quo dicitur Isaiæ (65, 13 et 14) :

(1) Vulg. : nutrientibus.
(2) Vulg. : lapis de pariete clamabit.
(3) Vulg. : ædificiorum.

« Servi mei comedent, et vos esurietis : bibent, et vos sitietis : lætabuntur, et vos confundemini : servi mei laudabunt præ exultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et contritione spiritus ululabitis. » Et illud petit impleri, de quo dicitur Osee (14, 5) : Ecce « sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee : aversus est furor meus ab eis. » De his contritionibus, Isaiæ (1, 6) : « Vulnus, et livor, et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. » Vulnus, scilicet carnis concupiscentia, quæ per poros effundit semen luxuriæ, non est circumligata fasciis mandatorum : Livor, avaritia avaros lividos faciens, non est fota oleo confessionis : Plaga tumens, scilicet superbia, non est curata medicamine passionis Dominicæ. Ad hoc enim inclinavit Christus caput in cruce, ut confunderetur, et inclinaretur cervix erecta superbiæ.

Sequitur : « Diligam eos spontanee. » Hæc dilectio apparet in collatione beneficiorum Dei, quæ bona ejus benedicta intelliguntur; de qua benedictione, Ezechielis (34, 26 et 27): « Ponam eos in circuitu collis mei benedictionem, et deducam imbrem in tempore suo : et pluviæ benedictionis erunt. Et dabit lignum agri fructum suum, et terra dabit germen suum. » De hac benedictione habes in Deuteronomio (28, 6) : « Benedictus eris ingrediens, et egrediens ; » ingrediens scilicet ad secretum conscientiæ, egrediens ad exteriorem actum, idest opera communis boni; et sequitur ibidem : « Dabit Dominus inimicos tuos, idest dæmones, qui consurgunt adversum te, corruentes in conspectu tuo : per unam viam, scilicet de permissione venient contra te, et per septem fugient a facie tua ; scilicet per Spiritum septemplicis gratiæ. *Per unam viam :* Unam viam vocat permissionem Dei, qua permittit hominem labi; sed *per septem fugient*, auxilio videlicet septemplicis gratiæ. Sequitur : *Deducam imbrem*. De hoc imbre, et pluvia, Job (38, 25 et 26) : « Quis dedit vehementissimo imbri cursum, et viam sonantis tonitrui, ut plueret super terram? » Et infra (v. 28) : « Quis est pluviæ pater? vel quis genuit stillas roris? » Imber vehementissimus prædicatio est, quam operis impellit impetus : in pluvia vero, quæ levior, prædicatio sine opere designatur. « Et dabit lignum agri fructum suum. » De lignis agri loquitur Joel (1, 12) : « Vinea confusa est, et ficus elanguit; malogranatum, et palma, et malum, et omnia ligna agri aruerunt: quoniam confusum est gaudium a facie (1) hominum. » In vinea caritas designatur, quæ lætificat cor hominis, sed per defectum confusa, sicut vinum, per cujus defectum anima confunditur. Ficus succum habet lacteum, in quo opus pietatis, et misericordiæ intelligitur; et illa elanguerunt. In malogranatis, unitas Ecclesiæ. Palma est victoriosa fortitudo. Confusa sunt ligna agri, cum in fidelibus deficiunt bonorum operum fructus. Contra hoc autem dicit Deus (Ps. 84, 13) : « Terra dabit fructum suum; » unde Joel (2, 24) : « Replebuntur (2) areæ frumento, et torcularia vino, et oleo. » Areæ sunt, qui latitudinem habent, et ubertatem Sacræ Scripturæ : Torcularia, qui de sacris Scripturis sacra extrahunt mysteria. In hoc autem verbo dicit Propheta se habere spem. Cujus autem rei sit consolatio spes illa, ostendit Apostolus (Rom. 8, 22) : « Scimus, quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc. » Consolationem ponit pariter dicens (Ibid. 8, 21) : « Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. » Et nota, quod dicit, *ipsa;* quia nisi sumat homo faciem alienam, et vultum sibi a Domino datum, si ipsa imitetur, ipsa liberabitur; de cujus faciei imitatione dicit Ecclesiasticus (4, 26) : « Ne accipias faciem contra faciem tuam, nec adversus animam tuam mendacium. »

SERMO CCXXIV.

De timore bonorum, et causis ejus, quæ sunt pericula peccatorum; de quadruplici lege Domini.

Portio mea, Domine, dixi custodire legem tuam, etc. (Psal. 118, 57 et 58.)

Qui Dominum eligit in partem, non est sine timore; unde dicit Eliphaz in Job (4, 13 et 14) : « Quando solet sopor, vel pavor, occupare homines, pavor tenuit me, et tremor, sive terror, et omnia ossa mea perterrita sunt. Vigilat ille, qui terrenis rebus in-

(1) Vulg. : filiis.

(2) Vulg. : Implebuntur.

sudat, et intendit. Dormit, qui eas postponit, dicens : *Portio mea, Domine*. Pavor autem, et tremor eum obtinet, quia dum cernit quietem supernorum, pertimescit, qui fugerat sollicitudinem terrenorum. Unde bene præponitur huic octonario, in quo vir justus Deum videre desiderat, *Heth* littera (1), quod interpretatur pavor. Timor enim facit hominem memorem mandatorum Dei, et ipsum Dominum habere Patrem. Cui simile est, quod legitur in Genesi (15, 8 ad 12) de Abraham quærente a Domino : « Domine Deus meus, quomodo (2), scire possum, quod possessurus sim eam? Cui Deus : Sume vaccam, etc. : Cumque sol occubuisset (3), sopor irruit super Abram, et horror magnus, et tenebrosus invasit eum.» Solis occubitus est mundanæ felicitatis defectus : *sopor*, quies mentis a terrenis : *Horror* est timor mentis abhorrentis peccata sua, et commissa sua, et desiderantis, ne ea, quæ optat, amittat. Causa vero pavoris ostenditur in Threnis primo Alphabeto sub titulo hujus litteræ *Heth*, ubi dicitur : Peccatum peccavit Jerusalem, recedens scilicet a Deo suo : propterea instabilis facta est, fluens scilicet de peccato in peccatum ; et infra (4, 8) : « Denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis : adhæsit cutis eorum ossibus : aruit, et facta est quasi lignum. » Denigratur fervore cupiditatis, et luxuriæ facies, de qua dicitur (Psal. 4, 7) : « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. » Non cognoscitur in latitudine mandatorum Dei. *Cutis* dat intelligere infirma opera : *Ossa*, majora, et fortia. Adhæret autem *cutis ossibus*, quando infirmitas vitiorum videtur fortitudo virtutum ; quod quam periculosum sit, ostenditur, cum subditur : « Aruit, et facta est quasi lignum, » idest facta est ac si esset insensibilis. Qui enim peccatum suum putat esse virtutem, nunquam admittitur ad correctionem ; unde Gregorius : Periculosius ægrotat (4), qui se ægrotare ignorat. Et nota, quod causam præmiserat in primo Alphabeto : et ostendit, quid inde accidat, in secundo sub ejusdem litteræ titulo ita dicens : « Cogitavit Dominus destruere (5) murum filiæ Sion, » idest operationem virtutum : tetendit funiculum suum, ut scilicet quantitati culpæ respondeat pœna : « et non avertit manum suam a perditione : luxitque antemurale, et murus pariter dissipatus est. » Antemurale est fides, vel timor, qui est custos virtutum. Luget *antemurale*, quia fides videns judicium contremiscit. Quando autem timor expellitur, vel vacillat fides, tunc luget *antemurale*, de quo Job (30, 14) : « Quasi rupto muro, et aperta janua, irruerunt super me. »

Hoc pavore motus iste dicit : « Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo : miserere mei secundum eloquium tum ; » et alibi (6) : « Illustra (7) faciem tuam super servum tuum. » *Dixi custodire legem tuam* : Quia *funes peccatorum circumplexi sunt me*. Unde in tertio Alphabeto sub eadem littera (v. 5) : « Ædificavit in gyro meo, circumdedit felle, et labore, non solum corpus ædificium animæ, verum et castrum impugnans, idest animam : felle, idest luxuria, quæ etsi mel videatur propter dulcedinem falsam, fel tamen est in tormento. *Lab .r* in avaritia est, quæ sui prodiga possessoris, ipsum omnibus exponit laboribus. De quo in libro Sapientiæ (5, 7) : « Lassati sumus in via iniquitatis, et perditionis, ambulavimus vias difficiles. » Propter hoc ergo *dixi custodire legem* scilicet pœnitentiæ, quæ est quarta lex, vel quartus annus, quo servata est ficulnea ad faciendum fructum. Primo enim anno tradidit Deus legem naturæ, secundo scriptam, tertio evangelicam ; quibus transactis dat pœnitentiæ legem ; unde (Joel. 2, 11) : « Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu. » Hic est quartus annus, in

(1) *Heth littera, etc.* Cum Psalmus iste 118, per singulas Hebræorum litteras sit digestus ; litteris autem singulis octo versus subjiciantur : huic versui, *Portio mea, Domine*, præponitur octava littera *Heth*, quæ interpretatione latina, inquit S. Ambrosius Serm. 8 in hunc Psal., *dicitur pavor*, et Sanctorum pavor esse consuevit.

(2) Vulg. : unde.

(3) Vulg. : occumberet.

(4) Periculosius ægrotat, etc. S. Gregorius epistola ad Cyriacum episc. quæ in edit. Maur. Paris., tom. II, col. 852, lib. VII Epistolar. est quinta, hæc scribit : Omnes infirmi sumus, sed ille est infirmior, qui suam considerare non valet infirmitatem. Et in Expositione quarti psalmi Pœnitentialis, tom. III, ejusdem edit., part. II, col. 494, n. 2, ait : Nemo est insanabilior eo, qui sibi sanus videtur.

(5) Vulg. : dissipare.

(6) Psal. 30, 17.

(7) Vulg. : Illumina.

quo cultor dimittit ficulneam, ut fructum faciat; alioquin excidetur, et in ignem mittetur. (Matth. 3, 10.)

SERMO CCXXV.

De hilaritate cordis; de disciplina, et scientia; qualiter bona nostra dissipantur per peccatum.

Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me. (Psal. 118, 66.)

Bonitatem, idest dilectionem, et mentis jucunditatem, quam docet Deus, sicut habemus in Ecclesiastico (30, 22 et 23) : « Tristitiam non des animæ tuæ; » illam dicit, quæ est ex peccati conscientia, unde sequitur : «Jucunditas cordis hæc est via hominis, et thesaurus sine defectione sanctitatis. » Jucunditas cordis, quæ est ex vera caritate, talis jucunditas vita est : peccatoris vero jucunditas mors est. Item in eodem (6, 23) : « Sapientia doctrinæ secundum nomen ejus, et non est multis manifesta, » quia nonnisi amatoribus suis, quos cum jucunditate perducit ad conspectum Dei. De hoc in eodem (1, 11) : « Timor Domini gloria, et gloriatio, et lætitia, et corona exultationis.» Timor Domini est in reverentia : gloria Domini in eminentia operum est : gloriatio in tranquillitate conscientiæ : lætitia in spe : corona exultationis in remuneratione; et loquitur de timore filiali. De hoc ibidem (13, 30) : Bona est substantia, idest jucunda, cui non est peccatum in conscientia : et nequissima paupertas in ore impii ; paupertas scilicet boni, quæ tamen non affligit eum, imo delectat. Concordantia in eodem (40, 32) : « In ore imprudentis condulcabitur inopia, et in ventre ejus ignis ardebit. » Cum enim delectatur impius in malo suo, delectatur quantum inops bonus; et hæc est nequissima paupertas; unde (Deut. 32, 33) : Fel draconum vinum eorum, idest delectatio.

Docet etiam nos disciplinam Deus, de qua Ecclesiastici (1, 31) : « In thesauris sapientiæ significatio disciplinæ. » Sapiens enim in disciplina flagellorum, quasi thesaurum absconditum, intelligit significationem, quomodo scilicet debeat fugere a facie arcus, idest judicii, de qua significatione in Psalmis (50, 6) : « Dedisti timentibus (1) te significationem, ut fugiant a facie arcus. Docet etiam nos disciplinam Dominus, unde Jacobi ultimo (5, 11) : « Ecce beatificamus illos, qui sustinuerunt. Patientiam (2) Job audistis, et finem Domini vidistis. » Quanto magis impii sustinebunt? Unde Isaiæ (32, 13) : « Super humum populi mei spinæ, et vepres ascendent : quanto magis super omnes domos gaudii civitatis exultantis? » Hæc est mundus, super quem mittet Deus flagella, quia jam judicium cœpit a domo Dei..(I Petri 4, 17).

Docet *scientiam*. Non docet scientiam, nisi qui scientia informatur. Scientiam nos docet Salomon in Proverbiis (5, 15 et 16) : « Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui : deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide; » quasi dicat : Sic deriventur fontes doctrinæ ad alios, ut sint tui : sic potes alios, ut tu inde bibas, faciendo quod doces : non tibi sufficiat potare alios, si tu sitias. Contra illos tales, qui aliter faciunt, dicitur in Deuteronomio (28, 38 ad 40) : « Sementem multam facies, vel jacies in terram, et modicum congregabis, quia locustæ devorabunt omnia. Vineam plantabis, et fodies : et vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam : quoniam vastabitur vermibus, » idest carnalibus voluptatibus. « Olivas habebis in omnibus terminis tuis : et non ungeris oleo, » quia aliis misericordias prædicans, sine oleo pietatis, et misericordiæ remanes : quia defluent, et peribunt. Per *sementem*, doctrina corroborans sicut panis, quia jacitur in terram mentis. Per *vinum* doctrina inebrians. Per oleum doctrina exhilarans. *Vinea* est conscientia inebrians : *vermes*, carnales voluptates. Non ungeris oleo, quia defluent per lasciviam voluptatis, scilicet, qui alios impinguas, non impinguaris : aliis misericordiam prædicans, sine oleo misericordiæ, et pietatis remanes. Concordantia, Job (15, 33) : « Lædetur quasi vinea in primo flore botrus ejus, et quasi oliva projiciens florem suum. » Vinea, si *in primo flore* gelu tangitur, non facit fructum; aut si calore nimio aduritur, deficit ejus fructus. Frigus est avaritia constringens : calor, luxuria, et cupiditas dissolvens, et disponens ad omnia suum possessorem. Talis propter frigus avaritiæ, et calorem luxuriæ contabescit. Oliva, si nebula feriatur, simi-

(1) Vulg. : metuentibus.

(2) Vulg. : Sufferentiam.

liter fructum amittit. Nebula est favor humanus. Florem projicit, quia mens rudimenta boni operis ad effectum non perducit; et contra pestes has dicit Propheta : *Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me*, ut istas fallacias evitare possim.

SERMO CCXXVI.

Quod homo factus est a Domino secundum imaginem ejus; qualiter debet esse homo rectus in numero, pondere, et mensura.

Manus tuæ, Domine, *fecerunt me, et plasmaverunt me : da mihi intellectum.* (Psal. 118, 73.)

Da mihi intellectum, ut intelligam *manus*, quæ *me fecerunt*. Hæ manus sunt sapientia, et potentia. De sapientia in Apocalypsi (19, 12) : « Oculi ejus sicut flamma ignis. » Per oculos intelligitur ejus sapientia, per quam omnia occulta cognoscit, et velut flamma ignis illuminat, et accendit. Unde in Psalmis (7, 11) : *Scrutans corda, et renes Deus;* et in Evangelio (Joan., 1, 48) de Nathanael, cui dixit Dominus : Cum adhuc esses sub ficu, vidi te; et hoc cuilibet prædestinato dicitur, cujus salutem prævidit per suam sapientiam ab æterno. Cùm esses sub ficu novi te, idest cum esses in lumbis Adæ sedentis sub ficu. De potentia, ibidem Apocalypsis (19, 15) : « Gladius in ore ejus ex utraque parte acutus. » Gladius iste est illa sententia terribilis, quam proferet in damnatos, dicens : *Ite maledicti*, etc. *In ore* dicitur esse, quia quam cito profert illud verbum, tam cito sentiunt suum damnum : nulla enim erit distantia inter executionem mandati, et ipsum damnum. Qui ex utraque parte acutus dicitur, quia puniet eos dupliciter in anima, et in corpore, sive pro commissis, et omissis. Propheta sic allegans, plasmationem suam petit sibi dari intelligere, ut scilicet propter sapientiam diligat, propter potentiam timeat : nobis insinuans, scilicet nos plasmatos his manibus attendentes, intellectum nobis dari petamus, ut ipsum plasmatorem nostrum propter ejus sapientiam diligamus, et propter potentiam timeamus.

De cujus plasmatione habemus in Ecclesiastico (17, 1 et 2) : « Deus de terra creavit hominem, et secundum imaginem suam fecit illum : et iterum convertit illum in ipsam : et secundum se vestivit illum virtute. » Creavit hominem secundum imaginem suam quantum ad animam : plasmavit de terra eumdem secundum corpus : et iterum convertit illum in ipsam, quia de terra oritur, et iterum in terram vertitur. Unde Job (17, 14) : « Putredini dixi : Pater meus es; mater mea, et soror mea, vermibus. » Putredinem patrem dicit, quia ex vitiata primorum parentum origine homo descendit : matrem, et sorores vermes vocat, quia quantum ad materiam corporalis carnis de putredine exivimus quasi de matre, et cum ipsa vivimus quasi cum sorore. Vel mater est natura, soror consuetudo perversa; quæ scilicet mater, et soror vermes sunt, quia, ut dicit Gregorius (1), « ex natura corrupta, et consuetudine perversa cogimur, ut quasi quibusdam vermibus, inquietis cogitationibus fatigemur; unde dicit : « Putredini dixi : Pater meus es, etc. » Quia de putredine nascentes, et cum perversa consuetudine quasi cum sorore viventes, inquietis cogitationibus, quasi quibusdam vermibus fatigamur. Sic factus est homo secundum corpus : secundum vero animam factus est ad imaginem suam. Ad imaginem suam fecit illum quantum ad animam per memoriam, intellectum, et rationem. Ecce sapientia; unde Augustinus (2) : Meminerim te quoad Patrem, intelligam te quoad Filium, diligam te quoad Spiritum Sanctum. Sic enim homo est toti Trinitati similis quodam modo, scilicet Patri per memoriam, Filio per intelligentiam, sive sapientiam, Spiritui Sancto per dilectionem. Sed e contra in plerisque videmus accidere. Est in nobis negligentia oblivionis, ignorantia per illusionem imaginationis, procacitas perversæ concupiscentiæ per improbitatem sensualitatis.

Sequitur : « Et secundum se vestivit eum virtute. » Et hoc est, quod dicit Apostolus ad Ephesios (4, 24) : *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis*. De hoc habetur in Ecclesiaste (7, 26) : *Hoc inveni, quod fecit* (3) *Deus hominem rectum, ipse au-*

(1) Moral. l. 134 in c. 17 Job, num. 50.
(2) Ex lib. XV. de Trin. cap. 7 et alibi.

(3) Vulg. : fecerit.

tem miscuit (1) *se infinitis quæstionibus.* Rectus siquidem factus est, quia in numero, pondere, et mensura. Mensura scilicet operum, et sermonum: Operum, ut reddat superiori reverentiam, pari societatem, minori protectionem: Sermonum, ut reddat Deo laudem, proximo instructionem, sibi confessionem. In numero, idest in ordine affectionum, ut scilicet timor motus sensualitatis refrænet, intentio opera dirigat, ratio disponat, voluntas, sive liberum arbitrium exequatur. In pondere, ut scilicet videat homo, quæ præponderare debet, ne si terrena cœlestibus præponderaverit, conqueratur Dominus, et dicat ei, quod habemus in Zacharia (11, 12 et 13): « Appenderunt mercedem meam triginta argenteos, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis»: Ironice loquitur. Quod facit, qui temporalia magis diligit, quam Deum; quod accidit ex procacitate perversæ sensualitatis, de qua Job (10, 8), cum dicit: *Et sic repente præcipitas me;* ubi Gregorius (2): Quem cum tanta dignitate creasti, cur tanta vilitate despicis? Et iterum Job: « Redactus sum in nihilum: abstulisti quasi ventus desiderium meum, et velut nubes pertransiit salus mea. Nunc autem in memetipso marcescit anima mea, et possident me dies afflictionis. Nocte os meum perforatur doloribus: et qui comedunt me, non dormiunt.» Ad nihilum redigitur homo, cum sequitur vanitatem; unde Jeremiæ (2, 5): Dilexerunt (3) vanitatem, et vani facti sunt.» Ventus desiderium abstulit, cum res transitoria æternum desiderium destruxerit. Nocte os meum etc., idest virtus mea, quam diabolus nititur emollire sicut noctem. Os virtus corporis est: sic virtus est os animæ Os paulatim, et minute crebro perforatur: sic virtus animæ per dolorem, tribulationem, et tentationem paulatim annihilatur. Hi sunt dolores, qui comedentes, et corrodentes animam, nunquam dormiunt.

(1) Vulg.: miscuerit.
(2) Moral. l. XIX in c. 10 Job num. 75.
(3) Vulg.: Ambulaverunt post.
(4) *Tam crudeliter etc.* Idest, districte, absque ulla spe veniæ, ut ait S. Gregorius Lib. XX. Moral. in cap. 30 Job, num. 64: « Crudelis dicitur, qui districte feriendo non parcit, ut videlicet hoc loco crudelis districte feriens possit intelligi, et ulciscendæ culpæ non parcens. » Consule etiam Annotationem (3) ad Sermonem XIII col. 604 et (3) ad Sermonem XLVII, col. 694.

SERMO CCXXVII.

Qualiter peccatum primi hominis erat remissibile; et peccatum Luciferi irremissibile; qualiter in humilitate Filii, vel judicii humiliavit nos.

Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua: et in veritate tua humiliasti me. (Ps. 118, 75.)

In hoc apparet æquitas judiciorum Dei, quoniam homo ad humiliationem, et correctionem est castigatus, diabolus vero a damnationem est flagellatus. Ob hoc autem ad correctionem percussus est homo, quia ex fragili materia factus erat; unde Job (10, 9): « Memento, quia sicut lutum feceris me. » Lutum fit ex aqua conjuncta pulveri; sic homo ex anima conjuncta carni. Aqua admixta pulveribus lutum facit: sic delectatio mixta sensualitati. Diabolus irrevocabiliter ejectus est, eo quod de eleganti materia esset factus, et nullius vitio, nisi ex propria malitia est corruptus; unde Isaiæ (34, 5): » Inebriatus est in cœlo gladius meus: ecce super Idumæam descendet, et super populum interfectionis ad judicium.» Gladius vindicta est Dei, quæ dicitur inebriata fuisse in cœlo, cum angelis tam crudeliter (4) animadvertit Deus, et sine spe restitutionis sunt damnati. Unde bene dicitur: « Ecce descendet super Idumæam; » quæ interpretatur terrena, et significat homines ex terra formatos, super quos descendit vindicta, idest non immorata est vindicta, quia non ita severe, sicut angeli, sunt correpti; unde in Threnis (3, 3): « Tantum in me vertit, et convertit manum suam tota die; » scilicet, tantum in me convertit, non in angelo, qui nunquam sanabitur: vertit percutiendo, convertit sanando; et Jeremiæ (10, 24): « Corripe me, Domine, verumtamen in judicio, et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me; et quia factum apparet judicium Domini, vel æquitas judiciorum Domini, ideo hoc Propheta se asserit cognovisse.

Sequitur: *In veritate tua humiliasti me.* Veritas hæc est in comminationis execu-

tione, quam primis parentibus fecit, quando dixit: « Quacumque hora comederitis (1) etc. (Gen. 2, 17). Quod quia factum est, apparet veritas ejus, in qua Propheta humiliari se dicit, ut et nos humiliari multo magis debere ostendat, et innuat. Unde Job (2, 7): « Egressus satan a facie Domini, percussit Job ulcere pessimo, a planta pedis usque ad verticem capitis. Si homo attenderet, quod ita percussus est, non facile superbiret. Item : *In veritate tua etc.* idest in Filio, qui percussus est, et flagellatus pro nobis; unde Zachariæ (13, 7) : « Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohæredem (2) mihi. Loquitur Deus Pater ad frameam, idest ad tormentum, et pœnam, ut suscitetur, et abundanter oriatur, et crescat super pastorem suum, idest Christum, qui est cohæres sibi in æqualitate scilicet divinitatis; et ita fuit, quod multipliciter habuit Christus tormentum, et pœnam, non pro se, sed pro nobis. Unde debemus multipliciter humiliari, et multum timere; *quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* (Lucæ 23, 31). Item : Cum fieret vox super firmamentum, idest Christum, stabant animalia, et submittebant alas suas, scilicet superbiæ. (Ezech, 1, 25.)

Item in veritate judicii, de quo Job (25, 4 et 5) : « Numquid justificari potest homo comparatus Deo, aut mundus apparere natus de muliere? Ecce etiam luna non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus. » Luna, Ecclesia : Stellæ, Sancti, qui comparati Domino nihil sunt : omnes enim justitiæ nostræ, dicit Isaias (64, 6), sicut pannus menstruatæ. Unde in Levitico (1,16): Vessiculam gutturis, et plumas projiciet prope altare ad orientalem plagam in loco (3) cinerum. » Hoc debet facere homo justus quilibet. In *vessicula* propter tumorem significatur superbia, propter congregationem, avaritia : nam avis etiam ea congregat, quæ ventri reservat. Hanc debet projicere ad orientalem plagam, idest ad ortum nativitatis suæ, vel ad orientalem plagam, idest ad naturam originis per Adam vitiatam; et hoc prope altare, idest mentem propriam, quæ altare Domini est, prope quam, scilicet in qua debet considerare ortum suum, quam miser natus, quam viliter conceptus; in loco cinerum, qui est lex data sibi, in qua debet sæpe meditari, sicut dicit Psalmus : *Lex tua meditatio mea est.* Lex autem hæc est : *Cinis es, et in cinerem*(4) *reverteris* (Gen. 3, 19). Hic est locus cineris : Hic debes projicere, et relinquere vessiculam, idest superbiam, et avaritiam, et plumas, idest mentis inconstantiam, et levitatem. Judicet se ergo homo, et humilietur, ne judicetur in judicio Domini, quoniam sicut dicit Isaias (66, 15 ad 17) : « Veniet in igne, et quasi turbo quadrigæ ejus. Et multiplicabuntur interfecti a Domino, qui sanctificabantur, et se mundos putabant. » Quadrigæ Domini dicuntur Angeli, quibus vehitur Deus quasi quadrigis, in quibus cum veniet ad judicium, multiplicabuntur interfecti, idest damnati, et interficientur ab ipso ii, qui mundi hic reputabantur, idest quos justos hic reputamus. Quid ergo facient peccatores? Propterea dicit Ecclesiastes (9, 1 et 2) : « Sunt justi, atque sapientes, et opera eorum in manu Dei : et tamen nescit homo, utrum sit dignus odio, vel amore : *sed omnia in futuro* (5) *servantur incerta*. Et ideo in terra humilientur peccatores, et timeant.

SERMO CCXXVIII.

De triplici oculo stultorum; de duplici oculo sapientum, et de tertio scilicet contemplationis, qui obscuratur in præsenti. Qualiter per mortificationem debemus effici pellis, tympanum, et uter.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes : Quando consolaberis me? quia factus sum sicut uter in pruina. (Ps. 118, 82.)

Sunt oculi stultorum, et sunt oculi sapientum; de quibus Ecclesiastes (2, 14) : « Oculi sapientis in capite ejus. Oculi stultorum in finibus terræ, ut habetur Proverbiorum (17, 24). Sunt triplices terræ, ad quas respiciunt triplices oculis stultorum, quorum primus lascivia, et hic respicit in fines voluptatis, sicut fuit oculus Adæ (6),

(1) Comederitis etc. Versio græca LXX legit : Qua die ederitis ex eo, morte moriemini. Et S. Augustinus lib. XVI. de Civit. Dei, cap. 27 : Qua die ederitis, morte moriemini. Sed Vulgata : *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.*

(2) Vulg. : cohærentem.
(3) Vulg. : in quo cineres effundi solent.
(4) Vulg. : Pulvis es, et in pulverem.
(5) Vulg. : futurum.
(6) Oculus Adæ etc. Illud, quod de Eva tantum Scriptura commemorat, etiam Adæ noster Sanctus

qui vidit lignum vetitum, quod cum visui esset pulchrum, et ad vescendum suave, concupivit, et comedit (3, 6). Secundus oculus est elatus, qui respicit in fines vanitatis, sicut oculus Jonathæ, qui post victoriam elatus, contra prohibitionem patris, et constitutionem populi de melle (1) gustavit; unde Proverbiorum (30, 13): « Generatio cujus excelsi sunt oculi, et palpebræ ejus in alta surrectæ. » Tertius est nequam, et hic respicit in fines malignitatis, qualis fuit oculus Balaam, qui propter avaritiam venerat ad maledicendum populum Israel, et obturatus est oculus ejus, sicut habemus in Numeris (24, 3); et in Evangelio: *Si oculus tuus nequam fuerit erue eum, et projice* eum a te, vel *abs te.* (Matth. 6, 23; et 18, 9.)

Sunt etiam oculi sapientis duo, et sunt in capite ejus, idest in Christo; quorum unus ad expellendum vitia, alius ad habendum, et servandum virtutes: Unus ad acquirendum, et cognoscendum bonum, ut habeatur, et ejus oppositum fugiatur, alius ad contemplandum Deum, ut ipso fruatur. De quibus dicit justus iste, quoniam *defecerunt oculi mei etc.* Defecit namque sæpius contemplationis oculus ejus attingens ad illud ineffabile gaudium, quod habetur inter cives cœlestes; unde Job (26, 9): « Qui tenet vultum solii sui, et expandit super illud nebulam suam. » Gregorius (2): Quia in hac vita gloria ejus non cognoscitur, et sicut est, non videtur: in præsenti enim quanta sit regni ejus gloria, a nobis non capitur, et ab ipsa videnda ignorantiæ nostræ obscuritate caligamus. » Unde idem quasi lugens dicit: « Quis mihi tribuat, ut cognoscam, et inveniam illum, et veniam usque ad solium ejus? Sed Dominus, ut idem dicit (26, 10), « terminum circumdedit aquis, usque dum finiantur lux, et tenebræ; » quia scientiam hominum sic moderatur in præsenti, ut nequaquam ad cognitionem intimam claritatis perveniat, quousque lux, et tenebræ, idest vicissitudo temporum finiatur. Vel anima ipsa in contemplatione habet lucem, et tenebras, quia videt invisibilia, non tamen perfecte, imo quasi sub nube; unde super illum locum Job (4, 15): « Cum spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ; » super, inquam, illum locum Gregorius: « Nobis præsentibus spiritus transit, quoniam invisibilia Dei hic videmus raptim, non solide, nec in suavitate contemplationis diu mens figitur, quia a lumine reverberata ad se revocatur, et proficiens videt, quod videre non possit, quod diligit (3). » Ecce lux, et tenebræ, quibus deficit. Quærit: *Quando consolaberis me?* Et respondet Nahum, (1, 15) quod in patria cœlesti erit consolatio, de qua, quasi jam ad ipsum pervenerit, ei dicit: « Celebra, Juda, festivitates tuas, et redde vota tua, quia non adjiciet ultra, ut pertranseat in te Belial: universus interiit. » Belial dicitur diabolus, qui nullam potestatem penitus habet fidelem animam tentandi, cum ad illam venerit gloriam, ubi erit sol indeficiens, et luna statum non mutans, sicut dicit Isaias (60, 19 et 20): « Erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur. » Quare? Subditur: Quia Dominus erit in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctus tui. Ad hanc lucem, quæ immixta non est tenebris, in qua non deficient oculi, desiderat Ecclesia, et quælibet fidelis anima pervenire.

Et quod ad eam debeat venire ex merito, et promisso, allegat, dicens: *Quia factus sum sicut uter in pruina,* Uter fit ex pelle mortui animalis. Attendat ergo homo, nisi fuerit animal mortuum, non erit cor ejus adimplendum vino spiritualis lætitiæ, non erit insensibilis ad pruinam, idest ad diaboli tentationem; unde Ecclesiastici (43, 19): « Sicut avis deponens ad sedendum asper-

attribuit. Nam S. Augustinus lib. IX, de Genesi ad lit. cap. 31, de utroque Protoparente ait: « Neque enim clausis oculis facti erant, et in paradiso deliciarum cæci palpantesque oberrabant, ut vetitum lignum etiam nescientes adtingerent, palpantesque fructus prohibitos ignorando decerperent.

(1) Oculus Jonathæ etc. Ven. Beda lib. II. Exposit. in Samuel. cap. 9. explicans illud. *Et illuminati sunt oculi ejus,* ait: « Illuminatos dicit oculos, recreatos, et renovatos ad intuendum, qui longa, ut solet, inedia, vel labore tabere jam cæderant. Jonathan igitur, qui prius scopulorum dentes, et ictus deviceratensium, qui hostis audacia compressa, suis victoriæ causam salutisque præbuerat, improviso subito blandientis gastrimargiæ culpa consternitur. Et Glossa ord. ex eodem Beda lib. Quæst. in I Reg., cap. 6.: Illuminati sunt non ad videndum, quia ante videbat, sed ad discernendum, quia vetitum tetigerat, unde confundebatur.

(2) Moral. l. XVII in c. 26 Job, num. 39.

(3) Moral. l. V in c. 4 Job, num. 58.

git nivem, et sicut locusta demergens descensus ejus. » Diabolus, antequam insideat cordi, præmittit tentationem; et cum insederit, et hominem in superbiam elevaverit, cito descendit sicut locusta, quæ volare inchoat, et non perficit. Diabolus tanquam avis quærit, ut sedeat, et cum locum invenerit ad sedendum, spargit nivem ibi, quia dilectionem frigescere faciens in corde, malitiæ gelu odium infundit; et tunc quasi locusta corrodit, et devorat quidquid in eo pulchrum reperit. Cor etiam illud sterile reddit, sicut sal terram, et suggestionibus, quasi quibusdam tribulis pungit, et dissipat. Sequitur (Ibid. 43, 21) : « Gelu sicut salem effundet super terram, et dum gelaverit, fiet sicut cacumina tribuli. » Loquitur de aquilone, per quem intelligitur diabolus, qui in cor hominis infundit tentationem, cum peccati gelu, quod imponitur, cor reddit infructuosum, sicut sal in terram effusum ipsam facit sterilem : et conflat per inspirationem nequitiæ. Tales sunt tanquam cacumina tribuli, qui in gelu dicitur crescere : generat enim in corde punctiones, sicut aculei tribulorum, quando est gelu forte.

Nisi ergo sit animal mortuum, non erit ad pruinam insensibilis, sicut uter : non erit pellis Salomonis : non sonabit ut tympanum, Non scribitur lex in pelle viva, sed mortua : nisi enim animalitas carnalitatis moriatur in homine, non efficitur pellis Salomonis, in qua Christus, idest verus pacificus delectetur (1): non sonat in laudem Dei, ut tympanum : non inscribitur lege divina : non impletur vino gratiæ : non est insensibilis, sicut uter, ad pruinam diabolicæ tentationis.

SERMO CCXXIX.

De multiplici consummatione hominis; de honore, et gloria, et concordia bonorum in gloria.

Omnis consummationis vidi finem : latum mandatum tuum nimis. (Psal. 118, 96.)

Qui cum isto Propheta omnis consummationis finem attenderet, et videret, quam latum est mandatum Domini, vere sciret et consummationis finem. Consummatur enim vita ad mortem, mors ad judicium, malitia ad infernum, mundus ad defectum, virtus ad gloriam æternorum. De consummatione vitæ ad mortem Ecclesiasticus (14, 12): « Memor esto, quoniam mors non tardat; Ecce consummatio vitæ. Idem (38, 21 ad 23): « Memento novissimorum, et noli oblivisci : neque est enim reversio (2). Nemo ad vitam revertitur, cum moritur : et vitæ consummatio est mors. Et sequitur : « Memento (3) judicii mei : sic enim erit et tuum, mihi heri, et tibi hodie. » Vox enim est cujuslibet mortui nos hortantis, ut finem consummationis vitæ nostræ attendamus, et timeamus: heri enim mortuus est pater, hodie mortuus est filius.

Item ad judicium mors finitur; unde Ecclesiastici (16, 22) : « Longe est testamentum a quibusdam, et interrogatio omnium in consummatione est, vel erit. Testamentum dicitur observatio mandatorum legis, quæ longe est a quibusdam : pauci enim servant eam. Unde interrogatio, idest discussio actuum uniuscujusque nostrum erit in consummatione, idest in judicio. In lege transgressor mandatorum Dei moriebatur corporaliter; et nunc moritur spiritualiter qui non observat. Mors igitur tam illorum, quam istorum. Quoniam vero incertum est nobis, quis observet mandata, incertum nobis est, utrum æternaliter, vel solum temporaliter moriantur; et hoc determinabitur, et diffinietur, et quidquid qnisque fecerit, apparebit omnibus. Unde sequitur in Ecclesiastico (16, 31) : « Anima omnis vitalis denunciavit ante faciem ipsius, et in ipsam iterum reversio illorum. Ante faciem ejus, scilicet Dei, omnis vitalis denunciabit, et ad ipsam erit reversio ejus.

Item comsummatur malitia ad infernum; unde Ecclesiastici : « Memento, quoniam mors non tardat, et testamentum inferorum, quod demonstrarum est tibi. Testamentum dicitur infernus illis, qui in malitia perseverant; quia sicut in testamento quæ disponuntur, firme, et immobiliter observantur, et ille cui factum fuit legatum, certus

(1) Delectetur. Glossa ord. in illud Cantic. 1, 4. *Sicut pelles Salomonis*, ait : De pellibus rubricatis fecit sibi tabernaculum Salomon, in quo delectabatur. Et Ven. Beda, lib. II Eposit. in Canticum cap. 1 : Sicut Salomon tentoria sibi de mortuorum pellibus animalium facere solebat, ita Dominus Ecclesiam sibi de illis congregat animalibus, quæ desideriis noverunt renunciare carnalibus.

(2) Vulg. : conversio.

(3) Vulg. : Memor esto.

est de habendo; sic qui mali sunt, infernum, sicut eis legatum est, expectant; et eis tribuitur, quia eis debetur, ut sicut hæres est culpæ, et hæres sit gehennæ. Et ob hoc infernus eis dicitur esse testamentum, et demonstratur per gratiam cuilibet filio veri Salomonis, ut ipsum fugiat, devitet. Et de hoc Ezechielis : «Ibi Assur, et omnis multitudo ejus in circuitu illius sepulcra ejus : omnes interfecti, et qui ceciderunt gladio,» scilicet tentatione diabolica, «quorum data sunt sepulcra in novissimis laci, » Assur, idest diabolus. Qui enim efficiuntur sepulcra diaboli per malam conversationem, in novissimis inferni sepelientur per pœnæ fœtidæ continuationem.

Consummatio, sive finis mundi est ad defectum; sicut dicit Gregorius (1) : *Fructus mundi ruina est;* et in Ecclesiastico habetur : Testamentum hujus mundi morte moritur (2); et secundum aliam litteram (3) : mortem operatur. Testamentum mundi, qui relinquit, et aufert suis devotis hærentes, et semper tendit ad defectum. Cuicumque succedat hæreditas, vel ei deficit, vel ipse hæreditati : sed ipse prius deficit. Clamat cum sanguine, clamat mundus, quod habemus in Nahum, ubi loquitur in persona Ninive ad filios fugientes, idest mundus ad filios morientes, et deficientes : «State, state : et non est, qui revertatur. Diripite argentum, diripite aurum : et non est finis divitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus. Dissipata est, et scissa, et dilacerata (Nahum 2, 8 ad 10). » Loquitur Ninive ad cohabitatores suos, dolens quod sic interierint, dicens : State, state. Sed non est qui revertatur, dicit Propheta; imo tendunt ad defectum, et præcipue mundus, cujus fructus est ruina.

Virtus autem consummatur ad gloriam; unde Proverbiorum (11, 23) : *Desiderium justorum omne bonum est,* idest perfectum, quod consistit in septem, scilicet sapientia, honore et gloria, amicitia, concordia, potentia, securitate, et gaudio. Illam enim gloriam, quam desiderant viri justi, est sapientia æterna, de qua in libro Sapientiæ (6, 13) : « Clara est, et quæ nunquam marcescit sapientia, et facile videtur ab his, qui diligunt eam. » Claram dicit quantum ad manifestam Dei cognitionem, quam ibi habebunt; unde Joannis (17, 3) : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Ibi etiam erit honor a Sanctis, quia gaudebunt cum illis : ab elementis, quia eorum transmutatio non erit per ipsos retardata, quia in judicio cum omnia elementa (4) ab ipso esse corporali, quod habebant, in esse perpetuum, et incorporale debeant transmutari, ideo conqueruntur de peccatoribus, quod per ipsos eorum transmutatio fuit tamdiu dilata. Bonis autem honorem deferent, quod non per ipsos steterit, quin citius eorum melioratio compleretur. Quod propter malos judicii dies longe differatur, patet per hoc; quod in Apocalypsi dicitur, quod cum clamarent subtus altare (5). Vindica sanguinem nostrum (6), Domine Deus noster, responsum est eis : Adhuc expectate modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum. Quod fieret, si tot essent boni (7), quot tunc de cœlo corruerunt angeli; et sic jam esset judicii dies. Unde quia tanta est multitudo malorum, non potest numerus adimpleri; et ideo conqueruntur, quod tamdiu differantur ah hoc honore. Unde dicitur : *Hæc est vita æter-*

(1) Hom. 1 in Evang. n. 3.

(2) Vulg. : morietur.

(3) Secundum aliam litteram, etc. Teste Francisco Luca Brugensi in Notationibus ad Romanas Correctiones, ubi Vulgata habet, *morte morietur*, in nonnullis codicibus legitur, *mortem operatur*.

(4) Cum omnia elementa, etc. S. Hieronymus, lib. XIV Commentar. in Isaiam, explicans illud capitis 51 : *Levate in cœlum oculos vestros*, ait : « Omnis creatura congemiscit, et parturit, expectans revelationem filiorum Dei, ut mutetur in melius? et infra : « Perspicuum est, cœlum, et terram non perire, et in nihilum redigi, sed in melius commutari. » Et Ven. Beda in illud, *Donec transeat cœlum et terra*, Matth. 5, 18 : Hæc enim transeunt, inquit, quando mutantur in melius; et rursus in cap. 24 Matth. : Cœlum, et terra per commutationem innovationis transibunt. Præterea Glossa interlin. illud Matth. *Donec transeat cœlum et terra*, sit explicat : idest donec elementa mutentur de hac mutabili forma in immutabilitatem.

(5) Apoc. 6, 9 ad 11.

(6) *Vindica sanguinem nostrum, etc.* Testimonium illud Apocalypsis : *Usquequo non vindicas sanguinem nostrum*, S. Gregorius interpretatur de judicii. Ait enim lib. II Moral. in cap. 1 Job, tom. I, edit. Maur. Paris., col. 42, num. 11 : *Quid est animas vindictæ petitionem dicere, nisi diem extremi judicii, et resurrectionem extinctorum corporum desiderare?*

(7) Si tot essent boni, etc. Sic opinantur S. Augustinus, lib. XXII *de Civitate Dei,* cap. 1, et *Enchirid*, cap. 20, 61 ac 62; S. Gregorius, lib. XXXI *Moral.* in cap. 30 Job, num. 99; S. Isidorus, lib. I *Officior;* S. Anselmus, lib. I *Cur Deus homo*, cap. 16 et 17; et S. Bernardus Serm. I *de S. Michaele.*

na, etc. Hanc habebunt justi in futuro. Habebunt etiam et honorem ab omnibus : habebunt enim gloriam a Deo, cui cooperati sunt per liberum arbitrium : a Sanctis, quorum secundam stolam non retardaverunt : ab elementis, quorum transmutationem non prolongaverunt. De hoc honore, et gloria habetur in libro Sapientiæ (3, 15) : « Bonorum laborum gloriosus est fructus, et quæ non concidat radix sapientiæ. »

Ibi erit amicitia, idest fervens caritas; unde Isaiæ (31, 9) : « Vivit Dominus, cujus ignis est in Sion, et caminus in Jerusalem. » Per *Sion,* cœlestis Ecclesia, sive triumphans; per *Jerusalem,* terrestris, sive militans designatur. In cœlesti enim est *ignis,* idest ardentissima caritas : In terrena *caminus* ignis, amor scilicet minus fervens. Erit etiam ibi concordia, quia tanta erit ibi concordia mentium, quanta est hic concordia corporalium oculorum ; ut sicut non potest unus materialis oculus sine alio suum exercere officium : oportet enim, ut simul ambo ferantur in eodem tempore : ita ibi hominum mentes ad unum idem, et summum bonum ferentur, nec mens unius ad aliud ferri, aut aliud velle poterit, quam alterius. Erit ibi potentia voluntati commensurata : Omnes uniti ita, ut erit eis posse et velle : « Judicabunt nationes, et dominabuntur populis. » (Sap. 3, 8). Erit ibi securitas sine terrore ; unde Michææ (4, 4) : « Sedebit vir subtus vitem suam, et subtus ficum suam, et non erit, qui exterreat (1). Per vitem, propter vinum quod lætificat, spiritualis doctrina, vel lætitia ; per ficum, dulcedo divina figuratur. Erit gaudium, et exultatio; unde dicent : « Cantemus Domino : gloriose enim magnificatus est. » (Exod. 15, 1.) Hæc enim gloria et virtus est sanctorum, et justorum ; sed ut dicitur in Proverbiis (11, 23) : « Præstolatio impiorum furor, » de quo Isaiæ (34, 6) : *Victima Domini in Bosra,* quæ intrepretatur munita, et significat malos; qui muniunt se contra Dominum : et interfectio (2). Domini in terra Edom, quæ interpretatur terrena. In his exercebitur furor Domini.

Si quis hoc considerat, latum mandatum cognoscit. et cognitum in se dilatat. Sic inter nos flagella malorum a malo retrahunt, quod et præmia justorum ad bona opera nos accendunt. Hoc est, quod dicitur in Osee (11, 4) : « Traham eos in funiculis Adæ (3), in vinculis caritatis, » Funiculi Adæ sunt flagella, quibus post peccatum correctus fuit. Quia vidit se nudum, aufugit, sicut puer nudus fugit magistrum volentem eum verberare. Ecce qualiter malum debemus fugere. Vinculum caritatis est amor Dei, quo debemus ipsum diligere, et apprehendere; quod qui facit, de facili potest dicere cum Psalmista : *Omnis consummationis vidi finem : latum mandatum tuum nimis.*

SERMO CCXXX.

De dilectione legis divinæ, et de multiplici efficacia ejus, et de meditatione ejus.

Quomodo dilexi legem tuam, Domine? tota die meditatio mea est. (Psal. 118, 97.)

Quærit Propheta, quo modo *legem* dilexerit; et de ipso confidens, dicit : *Tota die meditatio mea est,* ex tanta dulcedine petens præmium. Et quantum diligenda est lex, habemus in Proverbiis (6, 23) : « Mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ, increpatio disciplinæ. » Ipsa enim lex hominem illuminat tanquam lumen ad transeundum viam hujus sæculi tenebrosam. *Via vitæ, increpatio disciplinæ.* Per hoc enim quod castigatur, et disciplinatur homo, docetur viam vitæ ingredi, et tenere. Item etiam diligenda est lex, quia sicut Jeremias sub titulo hujus litteræ (4), *Mem,* dicit in Threnis (1, 13) : « De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me : expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum ; posuit me desolatam, tota die mœrore confectam. » De excelso misit ignem caritatis in ossibus, idest cogitationum medullis contra peccatum inossatum. Per ossa, peccata indurata per consuetudinem ; unde in Psalmis (108, 18) : « Induit maledictionem

(1) Vulg. : deterreat.
(2) Vulg. : magna.
(3) Vulg. : Adam.
(4) Sub titulo hujus litteræ, etc. Eadem littera *Mem* præponitur et in Psalmo 118, versui 97 : *Quomodo dilexi, etc.*, et in Threnis versiculo 13 capitis primi, *De excelso, etc.*

sicut vestimentum; intravit sicut aqua in interiora ejus, et sicut oleum in ossibus ejus. » Peccatum enim induit homo sicut vestimentum, quando seipsum, et membra sua coarctat sicut proprio vestimento, et ex eo se quotidie induit ex consuetudine, et involvit; et tunc, sicut aqua, quæ solida dissolvit, intrat perversa cogitatio mentem ejus. « Et sicut oleum in ossibus ejus. » Pinguedo in oleo idem, quod medulla in osse, quæ tota est eorum fortitudo. Ex fortitudine, et escis surgit fortitudo totius corporis. Intrat ergo tentatio, sive peccatum in cor terreum, sicut oleum in ossibus, quando corpus hominis ad opus iniquitatis forte efficitur et robustum, sicut alia corpora strenua potentia, et abundantia medullarum. Sed immittit Deus ignem caritatis in hæc ossa, quia dissolutam ex aqua mentem consolidat. Quia hoc fecerat huic prophetæ Deus, ideo dicit : *Misit ignem in ossibus meis, et erudivit me.*

Est autem ignis iste lex Domini, quæ ligat pedes hominis, scilicet affectus mentis, ne currant in peccatum; unde sequitur in prædicta auctoritate Jeremias : « Expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum : posuit me desolatam, tota die mœrore confectam. » Loquitur Propheta in persona Jerusalem, vel Ecclesiæ, sive cujuslibet fidelis animæ. Dicit ergo : *Posuit rete, etc.* Piscis, vel avis captus rete, exire non potest. Sic divinæ caritatis igne correptus homo, incenditur ad opera bona, ad mala non potest pedem, idest affectum mentis movere. Multis autem per prædicationem, et bonum conversationis exemplum proponitur, et extenditur rete. Sed *frustra jacitur rete ante oculos pennatorum* (Prov. 1, 17.), idest ante eos, qui fecerunt sibi pennas, ut volarent ad quamlibet vanitatem; vel pennati sunt, idest mundi vanitate illecti, qui difficile trahuntur; cum alii de peccatis maximis convertantur, et hoc per legem istam, cum dicit : « Convertit me retrorsum. » Maria Magdalene *conversa retrorsum vidit Dominum* (Joan. 20, 14.) Sed peccator dorsum habens non videt eum, conversus autem videt eum. Hoc autem facit lex, sive caritas, de qua iterum dicit : *Posuit me desolatam.* Desolatur, quando solatium ei aufertur, quod fit, cum per sententias Scripturarum, vel gratiam intus infusam mundi solatium ei vertitur in mœstitiam, et etiam illud spernit; quod faciunt *sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis* (Psal. 110.) Sequitur : *Tota die mœrore confectam.* Hoc fit, cum patenter homo convertitur, et cum in confessione peccatum ejus lacrymis conficitur; et non solum in confessione, imo etiam *tota die*, idest continue semper dolet.

Cum tot, et tanta faciat lex, bene est diligenda. Et per hanc etiam prudentes efficimur *super inimicos* nostros, scilicet mundum, carnem, et diabolum, ut a longe eorum prævideamus insidias. Job de equo forti dicit (39, 25.) « Procul odoratur bellum, exhortationem ducum, et ululatum exercitus. Vir enim instructus in lege Domini procul odoratur bellum, quia a longe sibi providet a tentationibus diaboli, quia per causas præcedentes, quæ vitiorum pugna subsequatur, agnoscit. *Exhortationem ducum* vocat desiderium quorumdam peccatorum, qui sub quodam velamine rationis decipiuntur : Per ululatum vero, qui ad feras irrationabiles pertinet, intelligit peccata, quæ rationis velamen non habent, sed omnia bestialia sunt. Contra hujusmodi, vir instructus præcavet per legem Domini. Vel per equum fortem, hominem virtuosum intelligimus, et prævidentem, qui longe prævidet diaboli, et carnis insidias, ei insultum. Per *ululatum exercitus*, grossa, et aperta mala; quæ omnia superat prudens, et sapiens homo per hanc legem; quæ facit etiam, ut superemus, et *super omnes docentes* intelligamus oblectationes, a quibus docent nos falsi prophetæ non recedere. Cogitant enim multi apud se, et prophetant, se venturos ad pœnitentiam, quando senuerint, et se posse, quandiu sunt viventes, in lasciviis, et luxuriis permanere. Et hoc fatuissimum est; unde Jeremiæ in Threnis (2, 14): « Prophetæ tui viderunt tibi falsa, et stulta, nec aperiebant tibi iniquitates tuas (1), ut te ad pœnitentiam provocarent; viderunt autem tibi assumptiones et dejectiones (2). » Hujusmodi prophetiæ falsæ sunt, quas sibi faciunt ii docentes, et nihil aliud sunt, nisi quædam assumptiones ad damnationem, et dejectiones ab æterna salute. Super autem hos docentes facit nos intelligentes lex Domini, et super senes, qui sunt

(1) Vulg. : iniquitatem tuam.

(2) Vulg. : ejectiones.

diaboli. Vel etiam *dilexi*, quia *super omnes docentes me intellexi*, idest super prophetas malos, vanas videlicet mentis promissiones, de quibus in Threnis : Prophetæ tui viderunt tibi, etc. » Prophetæ isti sunt quidam pravi cogitatus, et quædam mentis auguria, quibus peccator sibi promitti prospera, vitam longiorem, facultatem pœnitendi post multa tempora, et hujusmodi. Hujusmodi autem prophetæ vident sibi assumptiones damnationis, *et dejectiones* salutis : hæc enim sequuntur post mundi prospera. Ideo etiam dilexi, quia super senes, idest dæmones intelligere fecit. Diabolus autem dicitur senex (1), ut habetur Ecclesiaste (4, 13) : « Melior est puer pauper et sapiens, rege sene et stulto. »

Hæc ergo bona, et alia multa attendens Propheta per legem Domini, ita quærit : *Quomodo dilexi legem tuam, Domine?* et respondet : Multum dilexi, quia *tota die meditatio mea est*. Bene fecerat iste præceptum Salomonis in Proverbiis (6, 20 ad 22) : « Conserva, fili, præceptum (2) patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ. Liga ea in corde tuo jugiter, et circumda gutturi tuo. Cum ambulaveris, gradiantur tecum : cum dormieris, custodiant te, et evigilans loquere cum eis » per diem jugiter. Hoc est, quod hic dicitur : *Tota die* cogitatio, vel *meditatio mea est*, cum quis facit, quod docet. *Et circunda* tibi *gutturi tuo*. Hoc est quod dicit Job (39, 19) : « Numquid circumdabis collo ejus hinnitum? » Hinnitus equi, prædicatio viri docti : collo imponitur jugum; circumdatur ergo hinnitus collo, quando supponit se homo, quasi sub jugo, idest illud quod docet verbo, prædicat facto. *Cum ambulaveris, etc.;* unde in Evangelio (Matth. 5, 25) : *Esto consentens adversario tuo, dum es in via, etc.* Cum dormieris in morte, custodient te a diabolo, ne rapiat te in infernum : Et cum evigilaveris in resurrectione, loquere cum eis, requirens scilicet præmium, quod si ea servasses, tibi promiserunt; vel requirens præmium de eo, quod legem, et præcepta patris tui custodieris.

SERMO CCXXXI.

De Martyribus, qualiter de diabolo triumphaverunt, et qualiter per martyrium hæreditatem sunt adepti.

Anima mea in manibus meis semper : et legem tuam non sum oblitus (Psal. 118, 109).

Vox ista vox Martyrum est, qui animas suas habebant *in manibus*, parati eas dare pro desiderio vitæ cœlestis. Simile habemus in Threnis (5, 9) : « In animabus nostris afferebamus panem nobis, a facie gladii in deserto. » Ita dicent Martyres in judicio. Dictum est Adæ (Gen. 3, 19) : « In sudore vultus tui vesceris pane tuo. » Panis iste est cœlestis refectio, qua vesci non poterunt, nec potuerunt, nec possunt omnes geniti, nisi cum labore multiformi. Non enim ad illam requiem pervenitur, nisi per præcedentem vexationem corporis, et laborem.

Sed adhuc adjiciunt Martyres, quia non solum persecutioni, sed etiam morti se exponunt, ut illo pane cœlesti reficiantur. Et hoc est, quod dicitur : *in animabus nostris*, exponendo videlicet animas nostras morti; quod datur intelligi per hoc, quod sequitur : *A facie gladii in deserto*. Gladius est persecutio diaboli, sive insultus inimicorum crucis. Martyres enim gladio offerebant seipsos cruciandos pro pane illo habendo; et hoc in deserto, idest in mundo, qui dicitur desertum propter bestias, idest diabolos inhabitantes. Vel afferunt panem in deserto, idest in mentibus desertis a gratia, ut

(1) *Dicitur senex, etc.* S. Hieronymus Commentar. in Ecclesiasten, cap. 4 hæc scribit : « Origenes, et Victorinus non multum inter se diversa senserunt. Post generalem enim sententiam, quæ omnibus patet, ut melior sit adolescentulus pauper et sapiens, quam rex senex et insipiens..... Super Christo et diabolo hunc locum interpretati sunt : quod puerum pauperem et sapientem, Christum velint intelligere. Puerum, juxta illud (Isa. 40, 6, sec. LXX.) Magnum tibi est vocari puerum meum. Pauperem vero : quia pauper factus est (II Cor., 8, 9), cum dives esset. Et sapientem : quia (Lucæ 2, 52), proficiebat ætate, et sapientia, et gratia apud Deum, et homines. Iste natus est in regno senis. Et idcirco dicit (Joan. 18, 36). *Si esset de hoc mundo regnum meum, ministri utique mei certarent pro me, ut non traderer Judæis : nunc autem non est de hoc mundo regnum meum.* In illius itaque stulti senis regno, qui (Matth. 4, 8) ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam ejus, natus optimus puer... processit ad regnum, et (Lucæ 19, 12) abiit in regionem longinquam... Præsago itaque spiritu vidit Ecclesiastes omnes viventes, qui possunt adolescentis participes esse dicentis (Job 14, 6). *Ego sum vita*, vetere stulto rege dimisso, Christum sequi.

(2) Vulg. : præcepta.

scilicet mentes persecutorum illum panem haberent. Hoc, inquam, faciebant in animabus suis, hoc est in periculo animæ suæ, idest vitæ, quam vitam propter hoc exponebant a facie gladii, idest in medio persecutionis.

Quod autem mentes persecutorum dicantur desertum, habemus in Joele (2, 3) : « Quasi hortus voluptatis terra coram eo, et post eum solitudo deserti,» idest ipsa persecutione, et corporum passione superabant Martyres suos persecutores, acquirentes eis istum panem; unde Isaiæ (9, 5) : « Jugum oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian. » Loquitur Propheta ad quemlibet Martyrum. *Jugum oneris ejus*. Jugum diaboli dicitur superbia, per quam tantum ponderavit, quod cœlum eum sustinere non potuit, imo dejecit. *Virga humeri* avaritia est, qua flagellatur homo a diabolo : facit enim hominem properare, et discurrere per regiones diversas causa lucrandi, sicut asinarius, qui habens virgam in manu percutit asinum, ut citius eat; unde Osee (4, 16) : «Quasi vacca lasciviens declinavit Israel, vel secundum aliam litteram (1) : « Vacca percussa oestro (2). Declinantes enim a jugo legis Dominicæ diabolus percutit oestro avaritiæ, et facit nunc hac, nunc illac discurrere; et Jeremiæ (46, 20): «Stimulator veniet ei ab Aquilone.» Sequitur: *Et sceptrum exactoris etc.* Exactor dicitur venter, qui *sceptrum*, idest principatum tenet in homine quando homo nimis datus est gulæ; unde legitur, quod Nabuzardan princeps coquorum (3) scilicet gulæ, destruxit muros Jerusalem, idest virtutes animæ; cujus sceptrum, sive principatum, et virgam humeri, et oneris jugum superat Martyr, *sicut in die Madian*, idest in sonitu tubæ prædicationis. Qualiter triumphavit *Gedeon* de Madianitis in sono tubæ, et confractione laguncularum : sic Martyres in sono prædicationis, et confractione laguncularum suorum corporum triumphaverunt de diabolo significato per Madian, quod interpretatur contradictio.

Sequitur : *Et legem tuam non sum oblitus*. Lex enim Domini est, ut ordinetur testamentum super sacrificia, sicut habemus in Psalmis (49, 5) : « Congregate illi Sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia. » Testamentum ejus est vita æterna, quæ promissa est in testamento (4) filiis Abrahæ, si sacrificaverint (5), idest si corpus, et propriam voluntatem Deo mactaverint : oportet enim præcedere istud, scilicet sacrificium martyrii : et sic erit ordo rectus. Hæc est ergo hæreditas, de qua subditur : *Hæreditate acquisivi testimonia tua*. Non dicit gloriam, ut observaret legitimum ordinem : sed *testimonia*, idest martyria, per quæ acquiritur hæreditas. A filiis Zebedæi postpositus est iste ordo, quem volebant prætermittere, ut ad gloriam festinarent. Respondit : *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* (Matth. 20, 22). Si igitur hæreditas nostra hæc, magnopere cavendum est, ne demus eam pro lenticula, sicut fecit Esau (Gen. 25, 30), et unde denominenur *Edom*, et tandem audiamus quod legitur in Threnis (4, 21) : « Gaude, et lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus : ad te quoque perveniet calix, inebriaberis, atque nudaberis. » Habitas in terra Hus, idest habes mentem in terrenis, et sequeris consilia diaboli; cui dicitur ironice : *Gaude, et lætare*. Verumtamen ad te perveniet calix pœnæ inebrians omnes malos, et gratia nudaberis.

Quia exultatio cordis mei sunt. Hæc testimonia, idest martyria, *exultatio* Sanctis fuerunt. Vel filia Edom anima est quæ delectatur in sanguine peccati et vitiis carnis. *Edom* interpretatur sanguineus, quod nomen Esau est, cujus filia, concupiscentia terrena, cui ironice dicitur : Gaude, idest gaudes nunc, et lætaris, quæ habitas in terra Hus, idest consiliatoris diaboli, qui semper consulit ea, quæ mala sunt. Sed ad te perveniet calix, idest passio æternæ damnationis, quæ omnibus promittitur, qui pro terrena concupiscentia vendiderunt, vel vendunt hæreditatem æternam, sicut Esau. Quod non faciunt, qui in ea acquirenda

(1) Versio graca LXX.
(2) Vacca percussa oestro. S. Hieronymus lib. I. Commentar. in Osee cap. 4. ait : Pro lasciviente vacca, LXX transtulerunt παροιστρῶσαν : quæ oestro asiloque percussa sit : quem vulgo tabanum vocant. De quo et Virgilius in III Georgic. lib. refert : Cui nomen asilo Romanum est : oestrum Graii vertere vocantes.
(3) *Princeps coquorum*. Consule annotationem (1) ad Sermonem LXXVI, col. 765.
(4) Gen. 22, 15 ad 18.
(5) Si sacrificaverint. Ven. Beda, Exposit. in Genesim cap. 32 : Peracto, inquit, sacrificio Deus ait Abrahæ : Per memetipsum juravi etc.

delectantur, sicut dicit Job (39, 30) : Pulli aquilæ volutantur, in sanguine (1) : hoc secundum unam litteram; et secundum aliam (2) : lambunt sanguinem, quod idem est. Aquila ista Christus est, in cujus sanguine, etiam in proprio, martyrium subeuntes pulli, idest Apostoli, et Martyres, qui in ejus sanguine, idest imitando ejus passionem delectantur; unde (Act. 5, 41) : « Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. » Hi revera sunt, qui dicunt cum Psalmista : *Anima mea in manibus meis semper.*

SERMO CCXXXII.

De pluribus carnibus carnalium, et de duabus sagittis Domini, quæ incutiunt nobis timorem.

Confige timore tuo carnes meas : a judiciis enim tuis timui. (Psal. 118, 120.)

Sunt quidam magnarum carnium, quidam parvarum. Magnarum dicuntur, in quibus caro superat spiritum, sicut sunt mundani homines, de quibus Ezechielis (16, 26) : Fornicata es cum filiis Ægypti vicinis tuis magnarum carnium, et multiplicasti fornicationem tuam ad irritandum, » vel deridendum me. Parvarum carnium sunt, in quibus caro servit spiritui, et obedit; unde Hieronymus (3) : « Justus parvarum carnium dicitur, quia scilicet in eo quotidie decrescunt carnes, et per virtutes attenuantur, » ut non dominentur spiritui. Item magnarum carnium dicuntur tripliciter, scilicet propter luxuriam, unde Ezechielis (23, 20) : « Insaniunt (4) libidine, quorum carnes sunt carnes asinorum, et sicut fluxus equorum, fluxus eorum. » Item propter gulam; unde legitur Judicum (3, 17 ad 22) : Erat Eglon crassus nimis, qui percussus est ab Aod, ita ut per secreta naturæ alvi stercora prorumperent. Hic est gulosus, qui a prædicatore ita debet percuti gladio prædicationis, ut peccata de corde prorumpant in confessione; quod etiam sine pudore, et ignominia non debet fieri, sicut nec illud de Eglon. Pudere debet homo de peccatis illa confitendo, sicut si coram hominibus viriliter loqueretur; unde Michææ (6, 14) : « Humiliatio tua in medio tui. » Venter enim, quod est vas stercorum, ut dictum est, positus est in medio hominis juxta cor, ne homo superbiat, sed inde humilietur. Medium hominis venter est, et cor ejus. Sicut ergo non sine pudore homo videt virilia, quæ in ventre sunt, ita nec eas, quæ in corde sunt, cogitationes nequissimas debet sine maxima verecundia referre, et per confessionem evomere, et esse humilis, et vilis sibi ipsi. Item propter affectum in parentes dicuntur magnarum carnium, cum ipsos parentes ab affectibus nostris ita præscindat Deus, ut etiam, sicut dicit Ambrosius (5), nec patri debeatur sepultura (6) propter Deum; unde in Evangelio illi, qui patrem volebat sepelire, antequam Dominum sequeretur, ait : « Dimitte mortuos sepelire mortuos suos : Tu autem vade, et annuncia regnum, vel verbum *Dei* (7). » De hujusmodi hominibus carnalibus, Ecclesiastici (10, 13) : « Cum morietur homo, hæreditabit serpentes, et bestias, et vermes. » Serpentes, idest principes terræ, qui pecuniam ejus habebunt; et bestias, idest diabolos, qui animam ejus deferent in infernum; et vermes ad litteram, qui carnes ejus comedent in sepulcro. Hoc est, quod de usurariis solet dici, et fieri : cum enim moritur usurarius, pecuniam ejus habet princeps, carnes, sive cadaver habent vermes, et diabolus animam; et ita hæreditant carnales homines vermes, et serpentes.

Propter hujusmodi ergo carnes dicit Propheta : *Confige timore tuo carnes meas*, idest sagittis tui timoris; quæ duæ sunt, scilicet consideratio pœnæ æternæ, et consideratio præsentis miseriæ, de quibus Ecclesiastici (31, 2) : « Cogitatus præscientiæ avertit sensum, et infirmitas gravis sobriam facit animam. » Cogitatus præscientiæ, scilicet damnationis avertit sensum a malo. Præscientia dicitur æterna

(1) Volutantur in sanguine, etc. legit S. Augustinus lib. Annotationum in Job. Versio tamen græca LXX. habet; consperguntur in sanguine.
(2) Versio Syr. et Arab.; Vulg. : lambent.
(3) Lib V Commentar in Ezech. c. 16.
(4) Vulg. : Insanivit.
(5) Lib. VII in Lucæ c. 9.

(6) Debeatur sepultura etc. In edit. Maur. Ven. Tom. II, col. 939, num. 34, legitur : Cum religiosum humandi acceperimus officium, quemadmodum hic paterni quoque funeris sepultura prohibetur, nisi ut intelligas humana posthabenda divinis ?
(7) Matth. 8, 22; Lucæ 9, 60.

damnatio, quæ præscitur, de qua si attente cogitet quis, non tardabit retrahere sensum suum a vitiis. Et infirmitas gravis, idest respectus præsentis miseriæ sobriam reddit animam, quam miseriam si homo similiter considerat, non inebriabit se voluptatibus, et præsentium dilectione. Has sagittas bene senserat Job (6, 4) : « Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, » idest quidquid in me carnaliter spirabat. Per has ergo sagittas petit Propheta configi carnes suas; unde notandum, quod dicit, *Confige*, idest simul fige cum Christo; quæ confixio fit clavis, scilicet sanctæ prædicationis, et compassionis. Istæ sagittæ duæ sunt; quarum una, consideratio pœnæ futuræ, altera, præsentis. Justorum mens non solum perpendit quæ tolerat, sed etiam prævidet, quod restat. Videt, quam gravia hic patitur : metuit, ne graviora patiatur. Hac consideratione quasi quibusdam sagittis transfigitur, et si quid in ea elationis est, totum ebibitur.

Sequitur : *A judiciis enim tuis timui;* idest a verbis tuis judicium comminantibus timui, ne forte tradant me judici, et judex tortori, et ille detrudat me in carcerem (1), unde non exeam, donec solverim novissimum quadrantem, ut qui terra est, in terram eat. Homo constat ex quatuor elementis, inter quæ novissimum est terra. Qui ergo non custodit ignem in se per fervorem caritatis : qui, quantum ad aerem pertinet, contemnit spiritualiter conversari : qui non vult observare munditiam, sive mandata, quæ dantur per aquam baptismi, non restat, nisi ut solvat novissimum quadrantem, ut qui terra est, in terram eat infernalem, quæ terra datur in manus impii. Notandum autem, quod dicit : *Confige*, scilicet clavis sacræ Scripturæ comminatoriis, et increpatoriis, quæ verba sacræ Scripturæ nos cum Deo affigunt, et ad patiendum cum Christo nos trahunt; unde in libro Ecclesiastes (12, 11) : « Verba sapientis, quasi (2) stimuli, et quasi clavi in altum defixi. » Clavus in parte altera pungit, et aperit; et in alia parte claudit, et adstringit. Similiter verbum Dei pungit cor, et aperit, ut Deum recipiat. Item claudit a sæculo, et adstringit, ut Deum receptum custodiat. Apostolus (Gal. 2, 9) : *Ut Deo vivam, Christo confixus sum cruci.* Christus confixus cruci in cruce moritur, nec statim depositus est, donec sepeliretur : sic et tu, carnales concupiscentias mortificans persevera in cruce, idest in pœnitentia, donec sepeliaris, ac in sepulcro requiescas.

(1) Math. 5, 25 et 26.

SERMO CCXXXIII.

De vano auxilio temporalium; de dissipatione legis divinæ.

Tempus faciendi, Domine : dissipaverunt legem tuam. Psal. 118, 126.)

Dicit iste, quoniam *tempus* est *faciendi*, et non dicit quid. Similiter dicit Daniel (9, 19) : *Attende, Domine, et fac.* Intelligit autem jam tempus esse faciendi misericordiam; et ideo dico, quod *tempus faciendi* est, quia jam adverto temporalium rerum fallaciam, de qua in Threnis (4, 17) : « Defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum, cum respiceremus attenti ad gentem, quæ salvare nos non poterat. » Hoc autem exponitur per illud Osee (5, 13) : « Vidit Ephraim languorem suum et Juda vinculum sum : et abiit Ephraim ad Assur, et misit ad regem ultorem, et ipse non poterit sanare vos, nec solvere poterit vinculum. » Vidit Ephraim languorem suum, et Juda vinculum suum, dum aliquis peccator considerat miseriam præsentis vitæ ; et incolatus, et quanto languore carnis sit vinculatus : *Assur* est diabolus, ad quem vadit quærens auxilium de languore. Per delicias vult habere remedium, quærens auxilium ab inimico, ut dicitur in Nahum (3, 11). Non habebit auxilium : imo quem habuit incensorem, vel incentorem, in culpa, habebit ultorem in pœna; et non poterit salvare, ut dicitur in præmissis auctoritatibus Threnorum, et Osee. Hoc est, quod dicit Isaias (30, 7) : « Ægyptus vane, et frustra auxiliabitur. »

Item *tempus* est *faciendi* misericordiam, quoniam contra me invaluit inimicus, ut dicitur in Threnis (2, 6) sub littera *Phe* : « Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui, sibilaverunt, et fremuerunt dentibus suis. » Hoc dicit contra animam in sanguine peccatorum conculcatam, contra quam quotidie inimici venantur, quid accu-

(2) Vulg. : sapientium sicut.

sando objiciant. » Felix est, » ficut dicit Paschasius, (1) « cui si objiciantur culpæ, laudes e regione assistunt quæ culpas repellunt. Sibilaverunt ut serpentes per occultam, et levem tentationem : fremuerunt dentibus suis ut leones per manifestam et gravem tentationem.

Item *tempus* est *faciendi, Domine,* quia lugeo ; et hoc propter defectum gratiæ ; unde in Threnis (1, 16) : « Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas, » vel lacrymas, « quia longe factus est a me consolator, convertens animam meam : facti sunt filii mei perditi, quoniam invaluit inimicus. » Longe factus est consolator propter defectum gratiæ : facti sunt filii perditi, videlicet opera bona per mala opera : quoniam invaluit inimicus scilicet diabolus.

Item *tempus faciendi,* quia *dissipaverunt legem tuam;* de qua dissipatione Isaias (24, 4 et 5) : « Defluxit orbis, infirmata est altitudo populi terræ, et terra infecta est ab habitatoribus suis : quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum. » Defluxit orbis in peccata : infirmata est altitudo virtutum : et terra, idest terreni infecti sunt ab habitatoribus suis, idest peccati sanguine sunt polluti per pravum exemplum cohabitantium : quia trangressi sunt leges, naturalem scilicet, et scriptam Mosaicam, et Evangelicam : mutaverunt jus consuetudinis scilicet honestæ : dissipaverunt fœdus sempiternum, quod perpigerunt in baptismo ; unde Ecclesiaste (10, 8) : Qui dissipat sepem, idest legem, mordebit eum coluber, idest diabolus ; et in Ecclesiastico (36, 27) : « Ubi non est sepes, diripietur possessio : et ubi non est mulier, ingemiscit egens. » Ubi non est sepes legis, animam muniens, diripietur a dæmonibus virtutum possessio : Et ubi non est mulier, idest sensualitas viro, idest rationi obtemperans, ingemiscit egens, scilicet anima infirmitate peccati laborat ; unde Deuteronomii (22, 5) : Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea ; quod fit quando dominatur caro, et spiritus ancillatur. De hac dissipatione, Joel (1, 10 ad 12) : Confusum est triticum etc. et Amos (2, 4) : Super tribus sceleribus etc.

Item *tempus faciendi,* quia *dilexi legem tuam* (2) *super aurum, et topazion,* idest super temporalia, et carnis voluptates ; de quibus Habacuc (2, 6) : Væ ei, qui multiplicat non sua, quoniam aggravat contra se densum lutum. Caro se habet ad instar topazii lapidis pretiosi, qui quanto magnis politur, tanto magis obscuratur : sed si naturæ suæ eum reliqueris, clarius lucet. Sic et caro, quanto diligentius curatur, immundior, et obscurior redditur : Quod si divinæ gratiæ reliqueris, plenius illustratur.

(1) Lib. II. Commentar. in Lament. Jer.

(2) Vulg. : mandata tua.

SERMO CCXXXIV.

De multiplici apertione oris ; de lacrymis, et effectu lacrymarum.

Os meum aperui, et attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam. (Psal. 118, 131.)

In apertione oris ad confessionem *attraxi spiritum* ad remissionem peccatorum. Hunc spiritum non attrahunt miseri idololatræ, quorum labia ita sibi adhærent, quod non aperiuntur ad confessionem. *Attraxi spiritum,* de quo in Threnis (4, 20) : « Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus : In umbra tua vivemus in Gentibus. » Eleganter dicitur : *Spiritus oris nostri Christus,* quia sicut spiritus oris, cum attrahitur, non videtur, sed postquam attractus fuerit, emittitur, et videtur : sic et Christus cum per inhabitantem gratiam ab aliquo trahitur, non sentitur ; sed ex quo receptus fuerit, per opera exteriora manifestatur. Per hunc vivit anima, sine ipso non vivit; unde sequitur. Nos in gentibus, idest inter gentes positi vivemus sub umbra tua ; unde in Canticis (2, 3) : « Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi : et fructus ejus dulcis gutturi meo. » Hæc est umbra crucis Christi. Umbra avertit solem ab eo, qui sedet sub arbore : sic et tu si sedeas sub arbore crucis Christi, umbra ejus solem prosperitatis mundanæ a te avertet, sicut ab illa fideli anima averterat, quæ dicebat : « Sub umbra illius, quem desideraveram sedi. »

Item : *aperui os meum, et attraxi spiritum,* os scilicet mentis aperui ad intelligendum sacram Scripturam, et attraxi spiritum intellectus, quia intellexi verba sacræ Scripturæ, quæ spiritus, et vita sunt, ut

ipse Dominus dicit in Joanne (6, 64) : « Verba, quæ ego loquor (1), spiritus, et vita sunt. » Hic est liber datus Joanni in Apocalypsi (10, 10), qni fuit in ore ejus tanquam mel dulce : sed cum devorasset eum, amaricatus est venter ejus. Similiter dicit Ecclesiasticus (11, 3) : « Brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus ejus. » Hæc est sacra Scriptura, brevis per humilitatem, quam docet. Initium dulcoris habet in prægustatione, sed amaritudinem in executione : dulcis menti, amara carni. In Psalmis (54, 22) : « Molliti sunt sermones ejus super oleum » dilectionis Dei, et proximi, prætendentes dulcedinem : sed ipsi sunt jacula perforantia corda, et hominem a patre, et matre carnalibus separantia.

Jacula sunt præcepta Dominica : pungunt cor hominis, vel oculum, et ducunt lacrymas, ut dicitur in Ecclesiastico (22, 24) : « Pungens oculum deducit lacrymas : et qui pungit cor, profert sensum. » Oculus iste mens est, quæ si pungitur per communicationem præcepti, procedit, vel producit lacrymas contritionis; unde sequitur : pungit cor, et profert sensum. Hic est sensus, ut doleamus de peccato ; in multa enim sapientia, multa indignatio. Inde est, quod Propheta dicebat : *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.* Hoc attendens Maria Magdalene, tot fecit de se holocausta, quot habuit in se oblectamenta. *Exitus aquarum, etc.* De hoc exitu in Canticis (4, 15) : « Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano ; idest de mente candidata per tribulationem procedunt aquæ contritionis abundantes, tanquam de puteo. In puteo notantur, eo quod in profundo sint, et ex profundo mentis debeant emanare. Hic est fons irrigans areolas virtutum ; unde subditur (v. 16) : « Perfla hortum, meum, et fluent aromata illius. » Lacrymæ enim contritionis quasi aromata sanant, et suaviter redolent. De hoc fonte in Genesi legitur (2, 10 ad 14), quod quatuor flumina procedebant de Paradiso : « Nomen uni Phison ; ipse est, qui circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum optimum. » Phison interpretatur oris mutatio. *Hevilath*, parturiens. Qui enim hic dolet pro pondere hujus miseriæ, ut pariat fructum per cordis contritionem, os ejus mutabitur, cum corruptibile hoc induet incorruptionem; et aurum illius cœlestis gloriæ optimum est. « Nomen fluvii secundi Gehon ; ipse est, qui circuit omnem terram Æthiopiæ. » Gehon interpretatur hiatus terræ : Per Æthiopiam nigredo peccatorum designatur, quam circuire debemus, ut sic os hiet ad confessionem. « Nomen tertii fluvii Tigris, ipse vadit contra Assyrios. » Assyrii sunt dæmones contra Deum superbia se erigentes, contra quos vadit anima lacrymis liquefacta, considerans pœnas, quas in peccatis ei paraverant, a quibus pœnitendo de peccatis, declinat. Quartus fluvius est Euphrates, qui non dicitur aliquam terram circuire. Hæc est mens solum lacrymas devotionis habens, quibus anima impinguatur ; de quibus in Psalmis : *Lavabis me, et super nivem dealbabor.*

(1) Vulg. : locutus sum vobis.

SERMO CCXXXV.

De multiplici efficacia verbi Dei, quod comparatur igni propter impetum ejus.

Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud. (Psal. 118, 140.)

Eloquium Dei dicitur *ignitum*, quia in eo est reperire proprietates, quæ notantur circa ignem, propter quas etiam Spiritus Sanctus dicitur ignis. Septem sunt autem proprietates ignis, Fumum educit : sic Dei eloquium, vel Spiritus Sanctus fumum elationis de corde pœnitentis; unde Exodi (19, 18) legitur, quod totus mons fumabat : eo quod descendisset Dominus in igne super eum, et ascendebat fumus ex eo, sicut de fornace. Cum enim Dominus in cor hominis descenderit, fumus compunctionis resolvetur a corde per ignem timoris ejus. Ignis liquefacit : sic et eloquium Dei liquefacit ; unde in Canticis (5, 6) : Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est. Ignis devorat, et in se trahendo incorporat : sic et Spiritus Sanctus corda, in quibus descendit, spiritualia reddit, et sic ea sibi incorporat : similiter et eloquium ; unde Abdias in principio (8, 11) : « Erit domus Jacob ignis, et domus Joseph flamma, et domus Esau stipula ; » et Jeremiæ (5, 14) : « Ecce

do verba mea in ore tuo in ignem, et populum istum in ligna, et devorabit (1) eos. Item ignis acutus est : Et eloquium Dei pungit per compunctiones cordis; unde Ezechielis (37, 9) « A quatuor ventis cœli veni spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant. Interfecti isti sunt peccatores in mortali peccato existentes : venit autem spiritus Domini, vel eloquium Domini ab occidente, dum peccatorem reparat lapsum ; ab aquilone, dum expugnare facit diabolum; a meridie, dum cor ad dilectionem Dei inflammat; ab oriente, dum ad gaudia superna cognoscenda illuminat.

Ignis mobilis est : et eloquium Dei decurrit per diversa peccata, ut ea eliminet, et per diversas virtutes, ut cor in eis informet; unde Ecclesiastes (1, 6) : « Lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur. » Bene dicitur, *universa*, quia lustrat cor propter peccata cogitationis; manus, et membra propter peccata operis; linguam propter peccata locutionis; unde Sapientiæ (1, 6) : « Renum illius testis est Deus, et cordis illius scrutator est verus. » Sequitur : « Et in circulos suos revertitur, » quia iterum redit ad cor, ut incitet ad diligendum Deum; ad membra, ut excitet ad bene operandum; ad linguam, ut provocet ad confitendum, vel laudandum Deum. Item ignis subtilis est : sic et eloquium Dei; unde Ezechielis (1, 7) : « Et scintillæ quasi aspectus æris candentis. » Verba Dei sunt in principio sicut scintillæ, sed tamen magnum ignem ex se eliciunt. Hæ sunt reliquiæ fragmentorum, quæ tandem impleverunt *duodecim cophinos*, ut legitur in Evangelio (Matth. 14, 20). Subtile etiam dicitur eloquium Domini, quia profunda scrutatur. Ignis lucidus est : sic et eloquium Domini; unde : *Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant*, vel habeant (Lucæ, 11, 33).

SERMO CCXXXVI.

De clamore peccatoris ad Deum, quia circumdatur a carne, a peccato, a diabolo; et quod clamandum ita, quod sonet cor cum lingua.

Clamavi in toto corde meo, exaudi me, Domine. (Psal. 118, 145.)

Conclusus (2) clamat ad Dominum. Conclusus autem dicitur diversimode : scilicet redargutus, et inclusus in carcere, scilicet peccati, vel ab hostibus circumdatus. Conclusus redargutus erat ille, qui dicebat in Threnis (1, 19) sub eadem littera *Coph :* « Vocavi amicos meos, et ipsi deceperunt me : sacerdotes mei, et senes mei in urbe consumpti sunt : quia quæsierunt cibum sibi, ut refocillarent animam suam. » Amici, quos vocaverat iste, sunt dulces affectus carnis : sed ipsi deceperunt animam sibi intentam, vel nitentem, et quia in ea ipsum regale sacerdotium, et senile maturitatis concilium laborat ad refocillandam concupiscentiam carnis, terrenis, et vanis illectam desideriis, sed hoc in vanum, quia his non saturabitur; unde Jeremiæ (4, 23) : « Aspexi terram, et ecce vacua erat, et nihil. » Quod igitur vacuum est, non potest aliud implere : si nihil est, de nihilo nihil implebitur. De concluso legitur in Ezechiele (7, 23 ad 26) : Fac conclusionem, quoniam terra plena est judicio sanguinum, et civitas plena est iniquitate. Et adducam pessimos de gentibus, scilicet dæmones : et possidebunt domos eorum, non tantum animas, sed et corpora : et quiescere faciam superbiam potentum : Angustia superveniente, requirent pacem (dicentes montibus : Cadite super nos; et collibus : Operite nos) : Et non erit pax, sed conturbatio super conturbationem, et super auditum increpationis auditus damnationis. De conclusione peccati dicitur in Threnis (3, 55 et 56) sub eadem littera : « Invocavi nomen tuum, Domine, de lacu novissimo. Vocem meam audisti : ne avertas aurem tuam a singultu meo, et clamoribus. » Ecce iste inclusus in carcere peccati clamavit ad Dominum clamore cordis, et audita est vox clamoris ejus; unde sequitur : Ne avertas aurem tuam a singultu, et clamoribus, videlicet cordis.

De concluso, idest de circumdato ab hostibus dicitur in Threnis (4, 19) sub eadem littera : « Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli, super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis. » Hi sunt dæmones fortius hominem persequentes, quam doctores Ecclesiæ sint protegentes. *Super montes*, idest prælatos Ecclesiæ persequuntur : Et in deserto iis, qui mundum fugerunt, insidiantur. Qui autem

(1) Vulg. : voravit.

(2) *Conclusus*. Versiculo, *Clamavi in toto corde*

sic conclusi sunt; debent aspicere, et clamare ad Dominum, ut eos aspiciat, secundum illud in Threnis (2, 19), sub eadem littera : « Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum. » Surgendum est in principio vigiliarum, et laudandus est Dominus etiam in nocte adversitatis, quia callidus hostis, dum flagella ingerit, ut Deus blasphemetur, intendit. Ideo iste clamat in toto corde.

Bene autem dicit, in toto corde, ut cor, et lingua consonent, et fiat quasi quædam symphonia; unde Ecclesiastici (32, 4 et 5) : « Loquere tu major natu : decet enim te primum verbum diligenti scientia, et non impedias musicam. » Musica impeditur, cum cor linguæ, vel lingua cordi obloquitur. Ubi autem hæc duo consonant, musica dulcis est; unde in eodem (v. 7) : « Gemmula carbunculi in ornamento auri, et comparatio musicorum in convivio vini; quia sicut bene sedet gemma carbunculi in auro, sic musica in convivio : delectatio enim in utroque est. Gemma in auro, virtutis opus est cum sapientia verbi Dei : Musica convivio, delectatio Dei est in mentis compunctione. Ibi convivat Dominus : ibi tanquam in nuptiis aquam in vinum convertit. Cum enim homo de peccatis compungitur, jam celebrantur nuptiæ inter Christum sponsum, et sponsam animam. Deficiente vino iniquitatis, impleatur vas cordis aqua compunctionis : et Deus convertet eam in vinum consolationis.

SERMO CCXXXVII.

De quatuor vigiliis, quibus vigilandum est contra hostes.

Præveni in maturitate, et clamavi : quia in verba tua supersperavi (Psal. 118, 147.)

Inferius iste petit vocem suam audiri, quia prævenit *in maturitate* ad clamandum. Noctis videlicet tempore in actibus aliis (1) ab orationibus incongrue vigilavit. Unde notandum, quod quatuor sunt vigiliæ, in quibus vigilandum est contra hostes, quia oportet prævenire solem ad benedictionem, ut dicitur Sapientiæ (16, 28). Prima vigilia est contemptus mundi, cujus tres sint horæ, scilicet contemptus honorum, divitiarum, et voluptatum. In istis vigilatur contra triplex monstrum, quod est in Joanne (I Joan. 2, 16), scilicet *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ:* et per istas vigilias conteritur hostis; unde in Amos (1, 5): Conteram vectem Damasci; Ecce superbia ad modum vectis inflexibilis: et disperdam habitatorem de campo idoli. Campus idoli avaritia est, quæ est idolorum servitus : et tenentem sceptrum de domo voluptatis; ecce concupiscentia carnis.

Secunda vigilia est mortificatio carnis. Caro militat contra nos per tria, scilicet per somnum, gulam, et otium. Et tribus horis vigilandum est contra hæc tria; sollicitudine animi contra somnum, juxta illud Ecclesiastici (31, 1): « Vigilia honestatis tabefaciet carnes, et cogitatus illius auferet somnum ; » jejunio contra gulam, juxta illud Ambrosii (2) : « Vide, quanta sit jejunii virtus, ut sputo suo homo jejunus serpentem interficiat; » labore manuum contra otium, unde Ecclesiastici (31, 3) : « Laboravit dives in congregatione substantiæ, et in requie sua replebitur bonis suis. » Vir enim justus, qui dives est in Domino, laborat ad congregandam spiritualem substantiam, virtutum scilicet, et bonorum operum, et in morte, quæ erit requies laborum, requiescet, et replebitur bonis æternis.

Tertia vigilia est appetitus virtutum, cujus tres sunt horæ, munda oratio, lacrymarum effusio, eleemosynarum largitio. Hæc tria notantur in Canticis (5, 12): « Oculi ejus sicut columbæ super rivos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluenta plenissima. » In oculis columbæ super rivos aquarum, intelliguntur orationis radii : In lacte, largitio eleemosynarum : in fluentis plenissimis, abundantia lacrymarum.

Quarta vigilia est desiderium æternorum, cujus tres sunt horæ, scilicet oblivio temporalium, contemplatio cœlestium, per temporalem mortem ingressus in regnum. Istis tribus horis vigilavit Jacob, sicut legitur in

meo, littera *Coph* est præposita, cujus interpretatio est, *Conclusio*, ait S. Ambrosius in Expositione Psalmi 118, Serm. 19.

(1) *In actibus aliis, etc.* Cassiodorus in illud Psalmi 6 : *Lavabo per singulas noctes lectum meum*, ait : « Si hoc ad litteram velis accipere, merito quidem lectum, quem noctibus polluerat, lacrymis abluebat. »

(2) Lib. VI. Hexaemeron, cap. 4, num. 28.

Genesi (32, 22 ad 26) : Transiens enim torrentem Jaboc, traductis omnibus, quæ ad se pertinebant, remansit solus : et ecce vir luctabatur cum eo, donec vidit auroram. Jaboc interpretatur torrens pulveris, et significat pulverem rerum temporalium. Transit ergo Jaboc, et remanet solus, qui cum contemptu rerum temporalium oblitus est. Luctatus est autem cum angelo; ecce contemplatio cœlestium. Donec vidit auroram; ecce ingressus ad Deum. Aurora finis est noctis, et initium diei. Auroram ergo videt, qui mortem expectando, quæ est finis noctis vitæ præsentis, lucis æternæ diem ingreditur.

SERMO CCXXXVIII.

De prævaricatoribus legis divinæ, et de pœna eorum; de contritione peccatoris; de custodientibus legem Dei.

Vidi prævaricantes, et tabescebam : quia eloquia tua non custodierunt. (Ps. 118, 158.)

De his prævaricatoribus, Isaiæ (24, 5) : « Transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum, » et post pauca subditur (v. 7) de pœna : « Luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes, qui lætabantur corde. » Ex vinea producitur vinum, quod lætificat. Lugere autem dicitur vinea, cum, quod solet esse causa lætitiæ, est causa tristitiæ. Lugebit igitur vinea, cum præteritarum deliciarum recordatio erit materia æterni cruciatus. Quomodo autem propter prævaricatores, vel prævaricationes tabescat, Isaias ostendit (22, 16 et 17) : » Væ mihi : prævaricantes prævaricati sunt, et prævaricatione transgressorum prævaricati sunt. Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitatores terræ. » Prævaricantes scilicet legem in Adam, quia dictum est (Gen. 2, 17) : « De ligno scientiæ boni et mali ne comedas. » Prævaricati sunt legem naturæ : et prævaricatione transgressi sunt legem scriptam Moysis : prævaricati sunt legem Evangelii. Sequitur pœna : Et ideo formido judicii, et fovea, idest contemptus, et relaxatio mentis ad peccandum, et laqueus diabolicæ tentationis, vel peccati erit super te, qui habitator es terræ, idest, qui fixisti tabernaculum tuum in terra; et post pauca (Isa. 24, 19 et 20) : « Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, agitatione agitabitur terra sicut ebrius, commotione commovebitur terra, » idest terræ amator conteretur, ita quod sit quasi vas inutile, nulli aptum usui : peccator autem nulli virtutum usui aptus est.

De hac contritione, Jeremiæ (48, 4 et 5) : « Contritus est Moab : annunciate clamorem parvulis ejus. Per ascensum enim Luith plorans ascendet in fletu, quoniam in descensu Oronaim hostes ululatum contritionis audierunt. » Confringitur terra, cum a rectitudine desideriorum cœlestium ad temporalium illicebras incurvatur; unde Job (16, 13) : « Ego quondam opulentus, repente contritus sum, tenuit cervicem meam, confregit me, et posuit me quasi in signum. » Cervix hominis est ratio, quam cum diabolus apprehenderit, et tenuerit, confringitur rectitudo desideriorum cœlestium. Commotione commovebitur terra, idest terræ amator, quia sicut legitur Matthæi (7, 27) : Descendit pluvia, idest aereæ potestatis impugnatio, et venerunt flumina, idest fluidæ concupiscentiæ delectationum, et flaverunt venti, scilicet potestatum sæcularium persecutio, et irruerunt in domum conscientiæ, et cecidit, et fuit ruina ejus magna. Agitatione agitabitur terra in gehennam, ubi transit ab aquis nivium ad calorem nimium, vel e converso.

Hæc considerans justus dicit : *Vidi prævaricantes, et tabescebam.* Sic tabescebat Isaias (15, 5), cum dicebat : « Cor meum ad Moab clamabit, vectes ejus usque ad Segor vitulam conternantem. » Moab interpretatur ex parte, et significat peccatorem filium illius, cujus opera facit, scilicet diaboli. In vectibus, superbia : in Segor, quæ interpretatur parva, vel parvuli, pœnitentis humilitas designatur. Cor ergo justi clamat ad Moab, cujus vectes sunt usque ad Segor, quia compatientis affectu desiderat, ut superbia peccatoris humilietur usque ad pœnitentiam, et pro peccatis suis maceret carnem; unde sequitur : Vitulam conternantem. In vitula enim, quæ sacrificari solet, carnis mortificatio signatur; in hoc autem, quod conternans dicitur, idest trium annorum, in qua ætate (1) bos est aptus sacri-

(1) *In qua ætate, etc.* S. Hieronymus, lib. V. Comment. in Isa., cap. 15 ait : « Possumus vitulam conternantem pro perfecta ætate accipere. Sicut enim tricesimus annus in hominibus, ita in

sic conclusi sunt; debent aspicere, et clamare ad Dominum, ut eos aspiciat, secundum illud in Threnis (2, 19), sub eadem littera : « Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum. » Surgendum est in principio vigiliarum, et laudandus est Dominus etiam in nocte adversitatis, quia callidus hostis, dum flagella ingerit, ut Deus blasphemetur, intendit. Ideo iste clamat in toto corde.

Bene autem dicit, in toto corde, ut cor, et lingua consonent, et flat quasi quædam symphonia; unde Ecclesiastici (32, 4 et 5) : « Loquere tu major natu : decet enim te primum verbum diligenti scientia, et non impedias musicam. » Musica impeditur, cum cor linguæ, vel lingua cordi obloquitur. Ubi autem hæc duo consonant, musica dulcis est; unde in eodem (v. 7) : « Gemmula carbunculi in ornamento auri, et comparatio musicorum in convivio vini; quia sicut bene sedet gemma carbunculi in auro, sic musica in convivio : delectatio enim in utroque est. Gemma in auro, virtutis opus est cum sapientia verbi Dei : Musica convivio, delectatio Dei est in mentis compunctione. Ibi convivat Dominus : ibi tanquam in nuptiis aquam in vinum convertit. Cum enim homo de peccatis compungitur, jam celebrantur nuptiæ inter Christum sponsum, et sponsam animam. Deficiente vino iniquitatis, impleatur vas cordis aqua compunctionis : et Deus convertet eam in vinum consolationis.

SERMO CCXXXVII.

De quatuor vigiliis, quibus vigilandum est contra hostes.

Præveni in maturitate, et clamavi : quia in verba tua supersperavi (Psal. 118, 147.)

Inferius iste petit vocem suam audiri, quia prævenit *in maturitate* ad clamandum. Noctis videlicet tempore in actibus aliis (1) ab orationibus incongrue vigilavit. Unde notandum, quod quatuor sunt vigiliæ, in quibus vigilandum est contra hostes, quia oportet prævenire solem ad benedictionem, ut dicitur Sapientiæ (16, 28). Prima vigilia est contemptus mundi, cujus tres sint horæ, scilicet contemptus honorum, divitiarum, et voluptatum. In istis vigilatur contra triplex monstrum, quod est in Joanne (I Joan. 2, 16), scilicet *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ :* et per istas vigilias conteritur hostis; unde in Amos (1, 5): Conteram vectem Damasci; Ecce superbia ad modum vectis inflexibilis: et disperdam habitatorem de campo idoli. Campus idoli avaritia est, quæ est idolorum servitus : et tenentem sceptrum de domo voluptatis; ecce concupiscentia carnis.

Secunda vigilia est mortificatio carnis. Caro militat contra nos per tria, scilicet per somnum, gulam, et otium. Et tribus horis vigilandum est contra hæc tria; sollicitudine animi contra somnum, juxta illud Ecclesiastici (31, 1) : « Vigilia honestatis tabefaciet carnes, et cogitatus illius auferet somnum ; » jejunio contra gulam, juxta illud Ambrosii (2) : « Vide, quanta sit jejunii virtus, ut sputo suo homo jejunus serpentem interficiat; » labore manuum contra otium, unde Ecclesiastici (31, 3) : « Laboravit dives in congregatione substantiæ, et in requie sua replebitur bonis suis. » Vir enim justus, qui dives est in Domino, laborat ad congregandam spiritualem substantiam, virtutum scilicet, et bonorum operum, et in morte, quæ erit requies laborum, requiescet, et replebitur bonis æternis.

Tertia vigilia est appetitus virtutum, cujus tres sunt horæ, munda oratio, lacrymarum effusio, eleemosynarum largitio. Hæc tria notantur in Canticis (5, 12) : « Oculi ejus sicut columbæ super rivos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluenta plenissima. » In oculis columbæ super rivos aquarum, intelliguntur orationis radii : In lacte, largitio eleemosynarum : in fluentis plenissimis, abundantia lacrymarum.

Quarta vigilia est desiderium æternorum, cujus tres sunt horæ, scilicet oblivio temporalium, contemplatio cœlestium, per temporalem mortem ingressus in regnum. Istis tribus horis vigilavit Jacob, sicut legitur in

meo, littera *Coph* est præposita, cujus interpretatio est, *Conclusio*, ait S. Ambrosius in Expositione Psalmi 118, Serm. 19.

(1) *In actibus aliis, etc.* Cassiodorus in illud Psalmi 6 : *Lavabo per singulas noctes lectum meum*, ait : « Si hoc ad litteram velis accipere, merito quidem lectum, quem noctibus polluerat, lacrymis abluebat. »

(2) Lib. VI. Hexaemeron, cap. 4, num. 28.

Genesi (32, 22 ad 26) : Transiens enim torrentem Jaboc, traductis omnibus, quæ ad se pertinebant, remansit solus : et ecce vir luctabatur cum eo, donec vidit auroram. Jaboc interpretatur torrens pulveris, et significat pulverem rerum temporalium. Transit ergo Jaboc, et remanet solus, qui cum contemptu rerum temporalium oblitus est. Luctatus est autem cum angelo; ecce contemplatio cœlestium. Donec vidit auroram; ecce ingressus ad Deum. Aurora finis est noctis, et initium diei. Auroram ergo videt, qui mortem expectando, quæ est finis noctis vitæ præsentis, lucis æternæ diem ingreditur.

SERMO CCXXXVIII.

De prævaricatoribus legis divinæ, et de pœna eorum; de contritione peccatoris; de custodientibus legem Dei.

Vidi prævaricantes, et tabescebam : quia eloquia tua non custodierunt. (Ps. 118, 158.)

De his prævaricatoribus, Isaiæ (24, 5) : « Transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum, » et post pauca subditur (v. 7) de pœna : « Luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes, qui lætabantur corde. » Ex vinea producitur vinum, quod lætificat. Lugere autem dicitur vinea, cum, quod solet esse causa lætitiæ, est causa tristitiæ. Lugebit igitur vinea, cum præteritarum deliciarum recordatio erit materia æterni cruciatus. Quomodo autem propter prævaricatores, vel prævaricationes tabescat, Isaias ostendit (22, 16 et 17) : » Væ mihi : prævaricantes prævaricati sunt, et prævaricatione transgressorum prævaricati sunt. Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitatores terræ. » Prævaricantes scilicet legem in Adam, quia dictum est (Gen. 2, 17) : « De ligno scientiæ boni et mali ne comedas. » Prævaricati sunt legem naturæ : et prævaricatione transgressi sunt legem scriptam Moysis : prævaricati sunt legem Evangelii. Sequitur pœna : Et ideo formido judicii, et fovea, idest contemptus, et relaxatio mentis ad peccandum, et laqueus diabolicæ tentationis, vel peccati erit super te, qui habitatores terræ, idest, qui fixisti tabernaculum tuum in terra; et post pauca (Isa. 24, 19 et 20) : « Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, agitatione agitabitur terra sicut ebrius, commotione commovebitur terra, » idest terræ amator conteretur, ita quod sit quasi vas inutile, nulli aptum usui : peccator autem nulli virtutum usui aptus est.

De hac contritione, Jeremiæ (48, 4 et 5) : « Contritus est Moab : annunciate clamorem parvulis ejus. Per ascensum enim Luith plorans ascendet in fletu, quoniam in descensu Oronaim hostes ululatum contritionis audierunt. » Confringitur terra, cum a rectitudine desideriorum cœlestium ad temporalium illicebras incurvatur; unde Job (16, 13) : « Ego quondam opulentus, repente contritus sum, tenuit cervicem meam, confregit me, et posuit me quasi in signum. » Cervix hominis est ratio, quam cum diabolus apprehenderit, et tenuerit, confringitur rectitudo desideriorum cœlestium. Commotione commovebitur terra, idest terræ amator, quia sicut legitur Matthæi (7, 27) : Descendit pluvia, idest aereæ potestatis impugnatio, et venerunt flumina, idest fluidæ concupiscentiæ delectationum, et flaverunt venti, scilicet potestatum sæcularium persecutio, et irruerunt in domum conscientiæ, et cecidit, et fuit ruina ejus magna. Agitatione agitabitur terra in gehennam, ubi transit ab aquis nivium ad calorem nimium, vel e converso.

Hæc considerans justus dicit : *Vidi prævaricantes, et tabescebam.* Sic tabescebat Isaias (15, 5), cum dicebat : « Cor meum ad Moab clamabit, vectes ejus usque ad Segor vitulam conternantem. » Moab interpretatur ex parte, et significat peccatorem filium illius, cujus opera facit, scilicet diaboli. In vectibus, superbia : in Segor, quæ interpretatur parva, vel parvuli, pœnitentis humilitas designatur. Cor ergo justi clamat ad Moab, cujus vectes sunt usque ad Segor, quia compatientis affectu desiderat, ut superbia peccatoris humilietur usque ad pœnitentiam, et pro peccatis suis maceret carnem; unde sequitur : Vitulam conternantem. In vitula enim, quæ sacrificari solet, carnis mortificatio signatur; in hoc autem, quod conternans dicitur, idest trium annorum, in qua ætate (1) bos est aptus sacri-

(1) *In qua ætate, etc.* S. Hieronymus, lib. V. Comment. in Isa., cap. 15 ait : « Possumus vitulam conternantem pro perfecta ætate accipere. Sicut enim tricesimus annus in hominibus, ita in

ficio, signatur fortitudo pœnitentiæ pro iis, quæ in tribus peccavit, scilicet cogitatione, locutione, opere. Hæc considerans justus tabescebat, quia aquæ Nemrim desertæ erunt, quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit, ut habetur in eodem (Isa. 15, 6) : Nemrim prævaricatio interpretatur. Aquæ ergo Nemrim, idest carnales delectationes desertæ erunt, et in amaritudinem convertentur : et herba, et viror, et germen arescent, quia quidquid delectabile in terrena felicitate germinat, annihilatur; et arescit: unde Jeremiæ (50, 38) : « Siccitas super aquas erit, et arescent : quia terra sculptilium est, et in portentis gloriantur, » idest, « quia eloquia tua non custodierunt; » de quibus in Proverbiis (3, 21 et 22) : « Custodi legem, atque consilium : et erit vita animæ tuæ, et gratia faucibus tuis. » Si enim legem Dei, et consilium custodirent, vitam animæ acquirerent; et divinis obtemperando jussionibus, dulcius ejus amorem conciperent, et gustarent.

SERMO CCXXXIX.

Qualiter quinque reges, idest quinque sensus persecutionem sustinent a quatuor regibus, idest a quatuor vitiis, et captantur; et de efficacia verbi Dei.

Principes persucuti sunt me gratis, et a verbis tuis formidavit cor meum. (Psal. 118, 161.)

De persecutione ista, qua principes spirituales persequuntur animam, habemus in Genesi (14, 1 et 2), ubi legitur, quod quatuor reges pugnaverunt contra quinque reges Sodomorum. Quinque reges sunt quinque sensus corporis, qui sunt reges Sodomorum, quod interpretatur mutum, vel pecus, vel cæcus silens; quia dum tantum exteriora attendunt, quasi cæci ad ambulandum in via Dei fiunt, et in laudem Dei mutescunt. Hi sunt illi quinque reges, de quibus præcepit Josue (10, 16 ad 27), quod educerentur de spelunca, et post recluderentur iterum in spelunca. Et est attendendus ordo. Primo enim latuerunt in spelunca; post præcepit Josue, ut obstrueretur os speluncæ; post educi eos præcepit; post pedibus conculcari; post suspendi in patibulo; post recludi in spelunca. Quinque reges sunt quinque sensus gientes ab observantia præceptorum Dei, ut terrenis adhæreant. Latent in spelunca, dum per timorem conceptum inter metas se cohibent præceptorum. Obstruuntur per comminationem suppliciorum. Educuntur, dum quidquid in eis vitio commissum est, per confessionem educitur. Conculcantur per voluptatum repressionem. Suspenduntur in patibulis per mortificationem. Postea includuntur, cum mortificatis voluptatibus, spiritui servire coguntur.

Quatuor reges contra quinque militantes sunt ii : Chodorlahomor rex Elamitarum (Gen. 14, 1) : Chodorlahomor interpretatur decorus manipulus : Elamitæ, sæculares. Hic est ergo rex sæcularium diabolus, qui ut melius hominem decipiat, offert ei temporalia quasi decorum manipulum, dicens : *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me* (Matth. 4, 9). Iste adjungit sibi Amraphel regem Sennaar. Amraphel interpretatur, dixit ut caderet. Hæc est superbia, quæ statim ut dixit in Angelo : « Ascendam in cœlum, et ero similis Altissimo » (1), cecidit in aerem tenebrosum (2). Hic est rex Sennaar, qui interpretatur fœtor eorum, quia illis præsidet, qui fœtent in naribus sanctorum. Ibi turris *Babel*, idest confusionis ædificata est, scilicet in campo *Sennaar*. Tertius rex est Thadal rex Gentium. Thadal interpretatur faciens jugum. Hæc est avaritia, quæ fere omnibus dominatur. « A majore usque ad minorem avaritiæ student omnes, » ut dicit Jeremias (6, 13). Quartus rex est Arioc rex Ponti. Arioc interpretatur ebrius, et significat gulam, quæ inebriata voluptatibus, efficitur rex Ponti, idest luxuriæ.

Ab istis quatuor capiuntur quinque reges,

pecudibus ac jumentis tertius robustissimus est. » Et Glossa ord. in hunc locum : « Unde Abrahæ præcipitur, ut offerat vitulum, et arietem, et hircum trium annorum, perfectum scilicet sacrificium. »

(1) Isa., 14, 13 et 14.

(2) *In aerem tenebrosum.* Utitur verbis S. Augustini in Enchirid., cap. 28 : « Angelis igitur aliquibus impia superbia deserentibus Deum, et in hujus aeris imam caliginem de superna cœlesti habitatione dejectis, etc. » Et lib. IV, in Heptateuchum, Quæst. 29 in Num. : « In comparatione cœli superioris, ubi sanctorum demoratio est Angelorum, peccantes angelos in hujus aeris detrusos caliginem Scriptura dicit, etc.

idest quinque sensus, et cum eis Lot, qui interpretatur declinans. Hic est animus declinans a via mandatorum Dei, nec liberatur, nisi per Abram, qui interpretatur Excelsus, scilicet per gratiam Dei. *Principes persecuti sunt me gratis*. De hoc iterum in Threnis (1, 3) : « Omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias. » Videns enim diabolus angustias hominis, in ea parte libentius tendit laqueos deceptiotionis, qua parte videt eum angustari ; et sic de facili eum apprehendit. Sequitur : *Et a verbis tuis formidavit cor meum*, idest ex verbis tuis concepi timorem, quia valde utile est formidare, quia persequitur unus mille, scilicet timor ; et duo, scilicet timor, et amor fugabunt decem millia.

Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa. Ecce, quod postquam *formidavit*, dicit se lætari super eloquia, quæ sanant vulnus, et restituunt spolia. Vulneratus est homo, et spoliatus : Verbum autem Dei, et sanitatem confert, et spolia restituit. De vulneratione dicit Job (16, 14) : « Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit, et effudit in terra viscera mea. » De spoliatione habetur in eodem (19, 9) : « Spoliavit me gloria mea, et abstulit coronam de capite meo. » De restitutione utriusque habemus Ecclesiastici (6, 31) : « Decor vitæ est in illa, et vincula illius alligatura salutaris » : Ecce sanatio vulnerum. Sequitur (6, 32) : « Stolam gloriæ indues eam, et coronam gratulationis superpones tibi » : Ecce restitutio spoliorum. Item Isaiæ (4, 3) : « Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando dividunt spolia.

SERMO CCXL.

De oratione bona.

Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo, Domine. (Psal. 118, 169.)

Magna est virtus orationis, quæ non solum appropinquat, sed etiam intrat; unde Ecclesiastici (35, 21) : « Oratio humiliantis se nubes penetrat (1), et donec appropinquet, non consolabitur, et non discedet, donec aspiciat Altissimus. » Ut ergo efficax sit oratio, et liberius ad Deum intrare valeat, condiri debet quasi thymiama, juxta illud, quod præcipitur Moysi (2) : « Sume tibi aromata stacten, et onycha, galbanum boni odoris, et thus lucidissimum : faciesque thymiama compositum opere ungentarii mixtum diligenter, et purum, et sanctificatione dignissimum.» In thure signatur mentis devotio, cui debet addi *stacten*, scilicet gutta myrrhæ (3). Hæc est lacryma fluens de cordis amaritudine, et usque ad Deum ascendere faciet mentis devotionem ; unde Isaiæ (15, 5) : « Per ascensum Luith flens ascendet, et in via Oronaim clamorem contritionis levabunt. » Luith interpretatur genæ : Per ascensum ergo Luith, idest genarum flens ascendet ad Dominum. Oronaim interpretatur foramen mœroris, et significat oculum, per quem egreditur clamor luctus ascendens ad Dominum. Sic habetur Ecclesiastici (35, 18 et 19). «Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, et exclamatio earum (4) super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt usque ad cœlum. »

Apponi debet et onycha, quod animal parvum est (5), cujus sanguis valet ad confectionem thymiamatis. Dicitur autem onycha, quasi unguis quæ exterma pars est hominis, ideo significat perseverantiam, quæ cum præcedentibus in oratione est necessaria, ne post orationem transeatur ad verba scurilia, vel maledicta. Unde Ecclesiastici (34, 29) : « Unus orans et unus maledicens : cujus vocem exaudiet Dominus ? » Item (v. 31) : « Sicut homo, qui jejunat in peccatis suis et iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se ? Et orationem ejus quis audiet (6) ? » Et paulo, post : Deprecatio pro peccatis, recedere est ab injustitia ; Et iterum (35, 20) : « Qui adorat Deum in oblectatione suscipietur, et

(1) Vulg. : penetrabit.
(2) Exodi 30, 34 et 35.
(3) Gutta myrrhæ. Glossa ord. in illud Exodi 30, 23 : Sume tibi aromata, primæ myrrhæ, ait : Hujus arboris gumma proprie stacte vocatur. Et Glossa interlin. *Stacten* vers. 34 cap. 30 Exodi sic explicat : Guttam myrrhæ arboris.

(4) Vulg. : ejus.
(5) Animal parvum est etc. Glossa ord. hic : Oniehe ostreola fertur esse parvula, suave redolens, magnitudine humani unguis, unde et oniche græce dicitur, quia Onyx græce, dicitur unguis.
(6) Vulg. : exaudiet.

deprecatio illius usque ad nubes appropinquabit. »

Galbanus boni odoris serpentes fugat (1), et hæc est carnis maceratio, vel mortificatio, quæ motus serpentinos a mente fugat. De hoc, Ecclesiastici (39,17 ad 20) : « Obaudite me divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate. Quasi Libanus odorem suavitatis habete. Florete flôres quasi lilium, date odorem, et frondete in gratiam. Date nomini ejus magnificentiam, et confitemini illi in voce labiorum vestrorum, et in canticis labiorum, et citharis. » Obaudite, idest plene, et perfecte audite. *Rivi aquarum* fluxus est populorum, inter quos sunt macerantes carnem suam ; et ideo per rosam, Libanum, et citharam designati fructificant, et *odorem* bonæ famæ extendunt. Per Libanum designantur, quod interpretatur candidatio, quia ad eam non pervenitur, nisi per tunsionem. De rosa et cithara patet.

Confitemini ergo illi voce labiorum, exteriorum scilicet : et in canticis labiorum interiorum : et citharis mortificatione carnis. Et in eodem Ecclesiastico (38 11) : « Da suavitatem orationis, et memoriam similaginis, idest oblationem Dominicæ carnis, ut recordando, per imitationem sibi incorporeris : *Et impingua oblationem* contritionis devotione, et pinguedine eleemosynæ. Unde Esther (14,2) : « Cumque deposuisset vestes regias, fletibus, et luctui apta indumenta suscepit, et pro unguentis variis, cinere, et stercore implevit caput, et corpus suum humiliavit jejuniis : Omniaque loca, in quibus ante consueverat lætari, crinium laceratione replevit (2). Vestes regias, quæ in domibus regum sunt, has deponere debet fidelis, et pœnitens, et unguenta meretricia, quibus mundo placere nitebatur; unde Proverbiorum (7, 10) : « Et ecce mulier occurrit illi meretricis ornatu, præparata ad capiendas animas. » Caput, idest mentem suam repleat cinere et stercore, idest mortis recordatione, et peccati sui stercore, vel sorde, et corpus humiliet macerando jejiniis, et omnia, in quibus lætari consueverat, dolore repleat : sicut beata Magdalena, quæ in se tot invenit holocausta, quot peccati habuerat oblectamenta (Lucæ 7, 38). Mixtum autem dicitur thymiama orationis propter virtutes, quibus conficitur; et tamen purum, quia virtus virtutem ex adjunctione non adulterat, vel corrumpit, sed puriorem reddit.

SERMO CCXLI.

De lingua dolosa triplici.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? (Psal. 119. 3.)

Contra omnem infirmitatem docet nos misericordia medicinam, Ambrosio dicente (3) : Theriaca de serpentis carne (4) confecta medetur venenis; et Christus de serpente carnis suæ (5) nostram carnem sanavit. Sed contemptoribus adhuc plus placet sibilus serpentis, quam vox medici redimentis. Lingua dolosa, sive vox serpentis est carnalis concupiscentia nostra illecebras suggerens, de qua dicitur (Psal. 101, 6) : « A voce gemitus mei, adhæsit os meum carni meæ, idest fortitudo rationis carnalitati consentit.»

Item *lingua dolosa* vox serpentis est, idest diaboli, in serpente primum hominem decipientis. Unde Jeremiæ (11, 16) : « Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum ; a voce (6) loquelæ, grandis exarsit ignis in ea, et combusta snnt fruteta ejus. » Naturam humanam olivam vocat uberem, quia dictum est (Gen. 9,1). «Crescite, multiplicamini, replete terram. » Pulchram in naturalibus, fructiferam in gratuitis, speciosam in operibus vitæ æternæ meritoriis : sed

(1) Serpentes fugat. Glossa ord. hic : Galbanus succus ferulæ esse dicitur, et nascitur in Syria optimum, cartilaginosum est, et minus lignosum, cujus odore fugantur serpentes.

(2) Vulg. : complevit.

(3) Pæfat. in Psal. 37.

(4) Theriaca de serpentis carne etc. In Patrol. Tom. XIV. col. 1012. num. 8. sic legitur : Caro ejus (serpentis) exuritur, cujus pulvere theriaca conficitur, qua veneni vis consuevit hebetari, ut nocere non possit.

(5) De serpente carnis suæ etc. S. Augustinus Enar. in Psal. CXVIII. Serm. XXVII. num. 4. : Moyses Deo miserante ac jubente exaltavit in eremo similitudinem serpentis in ligno, ut similitudo carnis peccati crucifigenda præfiguraretur in Christo. Et Enar. in Psalm. LXXIII. num. 5 : Sanari a serpente, magnum sacramentum. Quid est, intuendo serpentem sanari a serpente? Credendo in mortuum salvari a morte.

(6) Vulg. : ad vocem.

ad vocem loquelæ, idest ad suggestionem diaboli in serpente gaudia promittentis, exarsit ignis superbiæ in ea, et combusta sunt fruteta, quia ardor illius ignis posteros exarsit.

Item lingua dolosa est lingua mundanæ sapientiæ, de qua Isaiæ (11, 15) : « Desolabit Dominus linguam maris Ægypti. » Desolabit, inquam, quia, « disperdet Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam » (Psal. 11, 4). *Maris Ægypti.* Hæ sunt aquæ illæ Ægypti, quæ versæ sunt in sanguinem, quia lingua mundanæ sapientiæ convertitur aliquibus in damnationem. Hæc est illa, de qua Jacobus dicit (3, 15), quod est terrena, animalis, diabolica; de qua etiam Abdias : « Perdam sapientes de Idumæa, et prudentiam de monte Esau. » Idumæa interpretatur sanguinolenta, et significat mundanam sapientiam sanguine peccati plenam; et idem dicit per alia verba, cum, subdit : Et prudentiam de qua de monte Esau, sive Edom, quod interpretatur terrena.

SERMO CCXLII.

De Prædicatoribus, qui dicuntur sagittarii Dei.

Sagittæ potentis acutæ. (Psal. 119, 4.)

Hæ sunt sententiæ sacræ Scripturæ, de quibus Isaiæ (13, 17 et 18) : « Suscitabo super illos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint : sed sagittis parvulos interficient. Medi dicti sunt a Madai, (1) a quo descenderunt, qui interpretatur mensura, sive a potente, vel forti; et significat prædicatores, qui debent dominari a Domino forti, et potenti, ut fortiter, et potenter verbi Dei sagittam in alios jaculentur, et in se per conversationem sanctam retorqueant, et juxta qualitates auditorum verba sua mensurent : Qui argentum non quærant, nec aurum velint, sed sagittis sacræ Scripturæ interficiant parvulos hujus mundi, de quibus Job (5, 2) : « Virum (2) stultum interficiet iracundia, et parvulum invidia. Et lactantibus uteris non miserebuntur, « idest illis, qui in amœnis deliciarum nutriuntur temporalium. Hi sunt fortissimi, et egregii illi pugnatores, de quibus in primo Paralipomenon (12, 1 et 2), tendentes arcum, et utraque manu fundis saxa jacientes, et sagittas dirigentes ; tendentes arcum veteris, et novi testamenti, et dirigentes ex eo sagittas; sententias scilicet penetrativas, et pungitivas : pugnantes etiam funda, idest libra judicii, qua utuntur ad modum fundæ habentis duas habenas æquilongas. Si enim esset altera longior, non bene procederet lapis ex funda. Eadem enim districtione in disciplina, qua alios, se coerceant ; et hoc in utraque manu, dextera scilicet ad accendendum amorem spiritualium, et sinistra ad extinguendum amorem temporalium. De hoc Amos (2, 2) : « Mittam ignem in Moab, et devorabit ædes Carioth : et morietur in sonitu Moab in clangore tubæ. Moab interpretatur aqua paterna, et significat fluxum luxuriæ a patre diabolo provenientem : Carioth interpretatur occurrens, et significat ignem cupiditatis igni caritatis occurrentem : sed in clangore tubæ prædicatorum ignis mittitur in Moab, et moritur, quia fluxus luxuriæ per caritatis fervorem absorbetur in luxurioso, et ignis cupiditatis devoratur in cupido.

SERMO CCXLIII.

Qualiter Dominus custodit nos ab omni malo; de multiplici tribulatione exteriori, et interiori ; qualiter Dominus custodit introitum, et exitum nostrum.

Dominus custodit te ab omni malo : custodiat animam tuam Dominus. Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum. (Psal. 120, 7 et 8.)

Isaiæ (21 12) : Dixit custos : Venit mane, et nox : Dominus tanquam *custos* pervigil nobis nunciat mane ; et statim subjungit : Et nox : si quæritis, quærite : convertimini, et venite; quasi dicat : Nuncio vobis horam matutinam, horam scilicet aptam ad operandum; quod si nolueritis operari, venit nox, in qua non poteritis operari. Et ideo, si quæritis, quærite, idest Deum quærendum

(1) A Madai etc. S. Hieronymus lib. VI. Comment. in Isa. cap. 13, scribit : Invenimus in Genesi, quod Madai auctor gentis Medorum fuerit, qui interpretatur mensura, sive a potente, vel forti.

(2) Virum stultum. Vulg. : Vere stultum. Consule Notam (5) ad Sermonem CXLVIII, col. 960, vel potius notam (3) ad sermonem LXXX. col. 778.

discernite : quærite statim, et sic convertimini, et venite. Deus igitur custos custodiat te ab omni malo, idest malo, quod est omne, scilicet superbia, ut *per diem sol non urat te, neque luna per noctem*. Job (31, 26 et 28) : « Si vidi solem, cum fulgeret, et lunam incedentem clare : Hæc (1) est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum. » Sol in fulgore, est bonum opus in manifestatione. Sol illuminat lunam : et bonum opus famam. Luna ergo noctem illuminans incedit clare, cum fama boni operis ad illos, qui noctis tenebras patiuntur, diffunditur ; quod Job justus non vidit, quia hic ad præsumptionis gloriam non attendit : quæ esset iniquitas maxima, et negatio contra Deum.

Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum. Dominus custodiat introitum ad mentem, et exitum ad operationem. Zachariæ (8, 10) : « Siquidem ante dies illos merces hominum non erat, nec merces jumentorum erat, neque introeunti, neque exeunti erat pax præ tribulatione. » Per homines, rationales; per jumenta, simplices intelliguntur. Nec istis, nec illis merces est de operibus suis, nisi eos Deus custodiat. Nec introeunti ad mentem, ut meditetur, nec exeunti ad operationem pax est præ tribulatione, qua undique angustatur; unde Amos (5, 19) : Quomodo si fugiat vir a facie leonis, idest superbiæ, et occurat ei ursus, scilicet luxuriæ, et ingrediatur domum, et innitatur manu sua super parietem, et mordeat eum coluber. Quando fugit homo a facie leonis, et occurit ei ursus luxuriæ, innititur homo super parietem, confidens de fortitudine carnis propriæ, utpote qui multum jejunaverit, multum eam sibi subjugaverit : tamen quandoque mordet eum coluber latens in carne. Ecce quanta tribulatio interius, et exterius. Item in Threnis (1, 20) : « Vide, Domine, quoniam tribulor, et amaritudine plena sum : foris interficit gladius, et domi mors similis est. » Ecce quod fidelis anima tentationibus fatigata se attritam intus, et foris deplorat : intus morte, vel motibus suggestionum, foris gladio persecutionum.

Item *Dominus custodiat introitum, et exitum tuum.* Oportet siquidem, quod Dominus *custodiat* prædicatoris, vel prædicationis exitum ad instruendum proximum, et introitum ad considerandum seipsum. De hoc Zachariæ (9, 8) : « Circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi euntes, et revertentes, et non transibit super eos ultra exactor. » Isti sunt prædicatores, et doctores euntes ad instructionem proximi, et revertentes ad considerationem sui ; et istis circumdat Deus suam domum, idest Ecclesiam, ne transeat super eam exactor, idest diabolus.

Vel sic : *Dominus custodiat introitum, et exitum tuum;* introitum in adversitate, et prosperitate ; et exitum a prosperitate similiter, et adversitate. Introitum in prosperitate immittendo contemptum prosperitatis. Unde Job (3, 20) : « Quare misero data est lux, et vita his, qui in amaritudine animæ sunt? « Lux ista, de qua Job conqueritur, prosperitas est, quam, quia mentem per amorem temporalium ab amore spiritualium dividit, in hac peregrinationis miseria habere contemnit; unde subdit : Et vita, scilicet præsentis gloriæ data his, qui in amaritudine animæ sunt. Et in Psalmis (138, 12) : « Sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus. » Sicut tenebræ adversitatis, sic et lumen prosperitatis est justo viro. Utrumque enim parvipendit : nec adversitate frangitur, nec prosperitate extollitur. Hoc est illud æquinoctium, de quo dicitur, quod sol æquinoctialis (2) mittebat radios per ostium porticus templi ad arcam. In porticu, pœnitentia ; in templo, vitæ justitia designatur. Per ostium istorum duorum vir justus, æque se bene habens ad diem prosperitatis, et ad noctem adversitatis (et ideo sol æquinoctius appellatur) mittit radios, idest opera luminosa, intra ad arcam testamenti, idest Christum. Item de introitu in adversitate : « Nox illuminatio mea in deliciis meis (3). » De exitu a prosperitate, et adversitate habemus in Psalmis : *Exitus matutini et vespere delectabis*. Psal. 64, 9.)

(1) Vulg. : Quæ.
(2) Sol æquinoctialis etc. Ven. Beda lib. *de Templo Salomonis*, cap. 6, ait : Templum erat conversum ad orientem, sicut et tabernaculum, habebatque ostium porticus ab oriente contra ostium templi, juxta quod historicus Judæorum Josephus (Antiquit. lib. VIII, c. 3) apertissime docet ; ita ut sol æquinoctialis oriens, directis radiorum suorum lineis per ostia tria porticus videlicet, templi, et oraculi, arcam testamenti perfundere posset.
(3) Psal. 134, 11.

SERMO CCXLIV.

De lætificatione justorum, et de causa speciali, unde lætantur.

Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi. (Psal. 121, 1.)

Lætatus sum, quia lapis abscissus de monte sine manibus crevit in montem magnum (1). De hoc dicit Isaias (25, 7 et 8) : « Præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, et telam, quam orditus est super omnes nationes : præcipitabit mortem in sempiternum. » In monte isto, scilicet Christo præcipitabit Dominus, et destruet faciem, idest præsentiam, et instantiam vinculi, peccati a primis parentibus in nobis colligati, et telam infirmitatis carnalis, quam orditus est diabolus a primo homine usque ad ultimum, unde omnes vestimur; præcipitabit etiam mortem, idest diabolum, vel dissolutionem corporis, et animæ usque in sempiternum, ne amodo moriatur, vel boni diabolum patiantur. Hoc autem fiet, quando hoc corruptibile induet incorruptionem, et mortale hoc immortalitatem (2).

Lætatus sum in hoc etiam, quod « Dominus faciet omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ (3).» Faciet Dominus convivium omnibus populis, idest ex omni populo electis ad salutem, in monte æternæ beatitudinis, convivium pinguium, quia faciet eos delectari quasi in convivio, exterius per opera misericordiæ ad proximum : Convivium pinguium medullatorum, ut jucundentur interius propter caritatem ad Deum. Vindemia defæcata sanguis Christi est, in quo delectabuntur, cum intelligent qualiter sanguinem suum Christus fundere voluit, idest mori pro eis.

In his, quæ dicta sunt mihi per Isaiam (43, 14) : « Propter vos misi in Babylonem, et detraxi vectes universos, et Chaldæos in navibus suis gloriantes. » Propter vos, dicit Pater, misi Filium meum in Babylonem, idest in mundum, et detraxi vectes universos, idest omnia impedimenta abstuli, et Chaldæos, idest dæmones per fluctus hujus mundi miseras animas quasi naves circumducentes.

In domum Domini ibimus, transeuntes in fabricam domus illius, de quo dicitur tertio Regum (5 et 6), quod Salomon ædificavit domum Domini de lignis cedrinis, et lapidibus dolatis, et quadratis, et vestivit eam auro : cedros autem exciderat Hiram de Libano, et mittebat ei per mare. Hiram interpretatur excelse videns, et significat doctores vita præeminentes, qui præcidunt cedros de Libano, idest celsitudinem sanctorum de candore mundanæ gloriæ, aliter non transirent in ædificium domus Dei : dolantur per tribulationes : quadrantur per virtutes : vestiuntur auro, idest caritatis splendore : adducuntur per mare, idest per mundi amaritudinem. In lapidibus autem notatur fortitudo virtutum; in cedris opinio bonæ conversationis.

Item *lætatus sum in his, etc.* quia primo dictum est : Terra es, et in terram ibis (4); modo dicitur : Cœlum es: et in cœlum ibis. In domum igitur Domini lætantes ibimus, quia si sumus hic domus per gratiam, habitatores erimus domus æternæ per gloriam lætantes, et exultantes, juxta illud (Isaiæ 30, 29 et 30) : « Canticum erit vobis sicut, vox (5) sanctificatæ solemnitatis, et lætitia cordis, sicut qui pergit cum tibia, ut intret in montem Domini, » offerens scilicet de fructibus totius anni : et tunc auditam faciet Deus gloriam vocis suæ in glorificatione dicendo : *Venite benedicti Patris mei, etc.* (6) : et terrorem brachii sui ostendet in communicatione furoris, et flamma ignis devorantis. Hoc erit, cum dicet : *Ite maledicti in ignem æternum, etc.* (7).

SERMO CCXLV.

De duobus laqueis mortis; de venatoribus, et canibus diaboli; qualiter adjuvamur a Domino, et liberamur ab his laqueis.

Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium : laqueus contritus est, et nos liberati sumus. (Psal. 123, 7.)

Vox ista Martyrum est, qui erepti sunt *de laqueo venantium*. Laquei venantium sunt

(1) Dan. 2, 34 et 35.
(2) I Cor., 15, 53.
(3) Isaiæ, 25. 6.
(4) Gen. 3, 19, juxta Vers. græc. LXX.
(5) Vulg. : nox.
(6) Matth. 25, 34.
(7) Matth. 25, 41.

illi, de quibus dicitur (Psal. 17, 6) : « Præoccupaverunt me laquei mortis, » scilicet fragilitas, et concupiscentia carnis, quæ duo ante sunt in carne nostra seminata, quam sit ipsa caro anima vivificata. Dum autem alter istorum laqueorum laxatur, alter constringit, et e converso. Unde Isaiæ (24, 18) : « Qui fugerit a facie (1) formidinis, cadet in foveam : et qui se explicaverit de fovea, tenebitur laqueo. » Qui enim angustiis miseriæ exterritus a facie hujus formidinis fugit, et mundi voluptates quærit, cadet in foveam concupiscentiæ : et qui se ab ea explicare voluerit per carnis macerationem, tenebitur laqueo carnalis angustiæ; et ita uno laxato, stringetur aliis. De istis laqueis venantium, Ecclesiastici (9, 20) : « Communionem mortis scito : quoniam in medio laqueorum ingredieris, et super arma dolentium ambulabis. » Communionem mortis scito, quod mors est communis majoribus, et minoribus, et senioribus : In medio laqueorum prædictorum ingredieris, et super arma dolentium ambulabis. Dolentes sunt dæmones, qui dolent de illis, qui evadunt illos laqueos, quorum arma sunt asperitates adversitatum, super quæ ut valeas ambulare, « prohibe pedem tuum a nuditate, et guttur tuum a siti, » ut legitur Jeremiæ (2, 25). Calceatos debemus habere pedes affectuum calceis virtutum : Et prohibeas guttur tuum a siti concupiscentiæ; et sic non capieris a laqueis venatorum.

Venatores sunt dæmones habentes laqueos suos, ut dictum est, et sagittas, et canes venaticos. Sagittæ sunt tentationes, quibus vulnerant animam; unde Job (16, 14) : « Convulneravit lumbos meos, non pepercit, et effudit in terra viscera mea. » Canes diaboli sunt illi, de quibus Jeremiæ (5, 26 et 27) : « Inventi sunt in populo meo impii insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes, et pedicas ad capiendos viros. Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plenæ sunt dolo. » Et de eodem, Michææ (7, 2) : « Omnes in sanguine insidiantur, » unusquisque « vir fratrem suum venatur ad mortem. » De his igitur laqueis dicitur in Habacuc (1, 15) : « Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua, et congregavit in rete suum. » Per *sagenam*, quæ major est, et amplior, intelliguntur majores honores animas illaqueantes; per rete minores.

De hujusmodi prædictis laqueis Sancti liberati exultant, dicentes : *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* quod est *Emmanuel, quod interpretatur, Nobiscum Deus* (2), per quod confirmata sunt castra hominum, et debilitata castra dæmonum. Unde in Numeris (14, 9) legitur Josue dixisse, ad populum Israel : « Nolite rebelles esse contra Dominum, neque timeatis populum terræ hujus, quia sicut panem, ita possumus eos devorare : recessit ab illis omne tempus, » alia littera (3) : *Deus nobiscum est, nolite timere.* Valde siquidem debilitata sunt castra dæmonum, ex quo datus est nobis *Emmanuel*, et nobiscum est : Et recessit tempus ab eis, videlicet prosperitatis antiquæ, dies longæ vitæ. Et hujusmodi laqueus contritus est, et nos liberati sumus in nomine Domini : Aliter forte vivos deglutissent nos, nec pertransisset anima nostra aquam intolerabilem (4). Aqua intolerabilis dicitur aqua nihil ferens. Hæc est aqua voluptatis nihil Dei sustinens, sed omnia absorbens; unde mari mortuo comparabilis est, quia nihil in se sustinet, sed cuncta absorbet, et devorat.

SERMO CCXLVI.

De fortitudine illorum, qui confidunt in Domino, et debilitate eorum, qui confidunt in hoc mundo; de auxilio, quod confertur justo.

Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion : non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem. (Psal. 124, 1.)

De hac confidentia dicitur Jeremiæ (17, 7 et 8) : « Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. Erit quasi lignum, quod plantatum est (5) super quod aquas, ad humorem mittit radices suas, et non timebit, cum venerit æstus. » Aqua defluit, lignum plantatum fixum manet. Hoc ergo dicitur ibi lignum plantatum, quod hic, *qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur.* Hoc lignum ad

(1) Vulg. : voce.
(2) Matth. 1, 23.
(3) Alia littera. Versio græca LXX legit : Abscessit enim tempus ab eis. Sed Vulg. : Recessit ab eis omne præsidium.
(4) Psal. 123, 3 et 5.
(5) Vulg. : transplantatur.

humorem gratiæ mittit radices, non timebit, cum venerit æstus tentationis, vel gehennæ; ut enim dicit Job (29, 19) : « Radix mea aperta est secus aquas, et ros morabitur in messione mea. Radix aperta, est cogitatio mentis expansa ad suscipienda fluenta gratiæ : et ros gloriæ morabitur in messione, cum anima scilicet metetur, et separabitur a corpore, ut transferatur ad horreum vitæ æternæ. *Non commovebitur* : Proverbiorum (30, 21 ad 23) : « Per tria movetur terra, et quartum non potest sustinere : Per servum, cum regnaverit : per stultum, cum saturatus fuerit cibo : per odiosam mulierem, cum in matrimonium fuerit assumpta : et per ancillam, cum fuerit hæres dominæ suæ. Terra est mens hominis, quæ movetur de bono in malum per ista quatuor, scilicet per servum cum regnaverit, idest per affectum cogitationis pravæ, cum morosa fuerit : per odiosam mulierem, cum in matrimonium fuerit assumpta, idest per ipsam pravam cogitationem, quæ quasi per consensum rationis *in matrimonium* transit : *per stultum, cum saturatus cibo*, scilicet per animum, cum affectum ad effectum, et opus peccati perduxerit: et per ancillam, cum fuerit hæres dominæ suæ, hoc est, cum consuetudo peccandi quasi jure hæreditario diu animam possederit; tunc ancilla, scilicet sensualitas rationi dominæ suæ dominatur. Hanc non potest sustinere, quia cum ante consuetudinem peccatum sit quasi funiculus, et de facili rumpi possit, in ista quasi vinculum plaustri efficitur; unde Isaiæ (5, 18) : « Væ, væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum. »

Benedictus est, qui confidit in Domino, ut dictum est; sed e contrario : Maledictus, qui confidit in homine, ut habetur Jeremiæ (17, 5). Ipse enim est, quasi qui ædificat super arenam; et maledictus est, quia continget ei illud, quod legitur in Ezechiele (13, 13) : « Erumpere faciam spiritum tempestatum in indignatione mea, et imber inundans in furore meo erit, et lapides grandes in ira in consumptionem. » Spiritus tempestatis ventus est tempestatem adducens : Ventus autem flat, et per flatum evertit. Imber rigorem emollit. Lapis, idest impulsus adversitatis cito frangit.

Qui vero confidit in Domino ab his non timebit, quia *montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui* (Ps. 124, 2). Montes, idest Angeli, et sancti omnes sunt in circuitu ejus quasi murus, et Dominus etiam est in circuitu populi. Isaiæ (26, 1) : « Urbs fortitudinis nostræ Sion, salvator ponetur in ea murus, et antemurale. » Ecce Christus, murus, et defensio Sanctorum. Et in Zacharia (2, 5) : « Ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, et in gloria ero in medio ejus. » Et antemurale sicut Prophetæ, et Apostoli, de quibus (Ps. 47, 13) : « Circumdate Sion, et complectimini eam, narrate in turribus ejus. » Circumdate ut muri, et antemurale; et complectimini ut patres; narrate ut præcones; in turribus ejus existentes ut vigiles et speculatores. Muri etiam sunt prælati Ecclesiæ : quorum quosdam Deus de pulvere combustionis lapides, et columnas in Ecclesia erexit; unde dicitur in Esdra (II, 4, 2) : « Nunquid ædificare poterunt lapides de acervis pulveris qui combusti sunt? » Et in ardore vitiorum ædificantur tanquam fortes lapides in Ecclesia; et iterum (v. 3) : « Si ascenderit vulpes, transibit (1) murum eorum lapideum. De hoc muro Jeremiæ (1, 18) : « Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum æreum super omnem terram. » Prælatus enim debet esse quasi civitas munita, se, et suos muniens contra hostes : columna ferrea per fortitudinem, et rigorem : murus per defensionem : æreus, per prædicationem.

SERMO CCXLVII.

De contrarietate Aquilonis, et Austri; de duplici captivitate peregrinationis, et iniquitatis.

Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in Austro. (Psal. 125, 4.)

Auster flat a meridie et est contrarius Aquiloni; quoniam Auster inducit claritatem, et Aquilo fumum indicat (2) : Auster refrigerium contra ardorem, et contra gelu

(1) Vulg. : transiliet.

(2) Fumum indicat etc. Glossa ord. in illud, *Ab Aquilone fumus veniet*, Isa. 14, 31, ait : *Ab Aquilone olla Jeremiæ succenditur*. Igitur Aquilo fumum indicat illius ollæ succensæ. Auster vero, cum sit humidus, et calidus (qui tamen a Virgilio dicitur

ejus calorem. Auster est gratia Spiritus Sancti : Aquilo malitia diaboli. Fumus ab Aquilone venit; unde Isaiæ (14, 31) : Ulula porta, clama civitas : prostrata est Philisthæa omnis : ab Aquilone enim fumus veniet, et non est, qui effugiat agmen ejus. » Civitas anima fidelis est : porta quinque sensus corporis, per quos ululat : per portam intrat mors, vel vita ad animam. Dicitur fideli animæ, ut clamet per compassionem, porta sensus ululet per vehementis doloris ostensionem; quia omnis Philisthæa, quod interpretatur duplex ruina, et significat sæculares, qui duplici ruina, superbiæ scilicet, et luxuriæ cadunt, prostrata est in peccatis. Ab Aquilone enim, scilicet diabolo venit fumus, idest tenebræ peccatorum, quæ contraria sunt lumini, quod adducit Auster gratiæ; et non est qui effugiat agmen ejus, quia nullus sine peccato est, nec etiam infans unius diei (1).

Refrigerium etiam præstat Auster contra ardorem Aquilonis; de quo Jeremiæ (1, 13) : « Ollam succensam ego video, et faciem ejus a facie Aquilonis. » Olla succensa est cor humanum igne malitiæ, quem insufflat diabolus, et accendit. Contra frigus et gelicidium dat calorem, de quo habemus Ecclesiastici (43, 22) : «Frigidus ventus aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aqua. » Diabolus enim primo facit cor humanum frigidum, et de peccato in peccatum fluidum sicut aqua, postea congelat per consuetudinem, deinde indurat per desperationem in crystallum, quæ non solvitur per calorem; sed congelatum, ad flatum Austri, sive Noti, quod idem est dissolvitur; unde in eodem (43, 17) : In conspectu ejus commovebuntur montes, idest superbi in peccatis solidati : Et in voluntate ejus aspirabit Notus, dissolvens glaciem peccatorum.

Converte, Domine, captivitatem nostram etc. Est captivitas duplex, scilicet peregrinationis et iniquitatis, quæ detinet nos in hac vita. Utramque petit converti, *sicut torrens in Austro,* idest per Austrum convertitur. De captivitate peregrinationis dicit Job (10, 16) : « Propter superbiam quasi leænam capies me, reversusque mirabiliter crucias. » Ubi dicit Gregorius (2), quod « leæna, dum catulis suis escam inhians quærit, in foveam cadit : sic mens hominis in libertate condita, dum carnis desideria nutrire voluit, in foveam deceptionis pro cibo vetito cecidit, ubi caveam, idest carcerem corruptionis pertulit : per gratiam remissionis ad veniam revocata, a carcere semper restringitur, ne per desideria evagetur. » Convertitur autem hæc captivitas, quando considerato, quod tota præsens miseria transitoria est, et finem habeat velocem, felicitas autem, quæ succedit, æterna est, oblito temporali exilio, spe æternorum mens exultat; unde Jeremiæ (15, 18) : « Quare factus est dolor meus perpetuus, et plaga mea desperabilis? » Quasi dicat : Quandiu sum in hac vita, tanta miseria crucior, quod quasi jam de sanitate despero; et statim, quasi ad mentem reversus, suddit : *Renuit curari,* scilicet plaga mea; et quare? quia facta est mihi quasi mendacium aquarum infidelium. Aquas infideles vocat aquas torrentis, quæ subito ex aquis congelatis producuntur, cum et quasi sub quodam mendacio duraturas se præferunt, cum cito transeant, et tanto citius, quanto impetuosius efferuntur. Sic præsentis sæculi miseria aquis torrentis similis est, quia transitoria est, licet duraturam se pluribus mentiatur : quo transitu considerato a viris justis, curari renuunt, vilipendentes plagam ejus.

De captivitate iniquitatis habemus Isaiæ (23, 12 : « In Cethim consurgens transfreta, ibi quoque non erit tibi requies. » Cethim interpretatur mare congelatum, et significat peccatum, quod ducit ad amaritudinem, et congelat mentem, ne liquescat humore gratiæ. Dicitur ergo animæ peccatrici : O tu anima, quæ es in Cethim, idest in amaritudine, et gelicidio vitiorum, consurgens per pœnitentiam transfreta per opera bona.

frigidus lib. IV Georgic. vers. 261 :

Frigidus ut quondam silvas immurmurat Auster,

forte quia, ut dicit Macrobius, sit origine frigidus, et ex transitu per Zonam calidam calidus) humore suo ardorem temperat ollæ succensæ ab Aquilone imminuit glaciemque dissolvit.

(1) Infans unius diei. Glossa interlin. in illud, *et non est, qui effugiat etc.* ait : Nemo enim sine peccato, nec infans unius diei. Sic enim illud Job 14, 4. « Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu, qui solus es? legit Versio græca LXX : Qui enim mundus erit a sorde? at nemo, etsi unus dies sit vita ejus super terram; et S. Leo Serm. I. in Nativ. Dom. : « Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram. »

(2) Moral. l. IX, in c. 10 Job, num. 86.

quia ibi, scilicet in peccatis non erit tibi requies. Hanc autem captivitatem dissolvit Auster; unde Osee (13, 15) «Adducet Dominus ventum urentem de deserto ascendentem, et siccabit venas mortis, et desolabit fontem ejus et diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis.» Ventus iste Christus est, quem adduxit Deus de deserto uteri virginalis, nullo humano opere exculti: Per fontem signatur diabolus, a quo scilicet processerunt duæ venæ, scilicet culpæ, et pœnæ (1). Has desiccavit Christus, sed diverso modo; propter quod non solum dicitur ventus, sed urens. Ventus desiccat, et consumit, sicque bibendo humorem ad se trahit, et inde quasi humidus efficitur; ignis vero nihil humoris in sé retinendo consumit. Sic Christus, quasi ventus, in nobis venam pœnæ consumpsit, quia eam bibendo, sibi eam attraxit, qui de torrente in via bibit (Psal. 109, 7): Venam autem culpæ ut ignis, nihil se prorsus retinendo, ex toto consumpsit, et annihilavit; et sic direpta sunt vasa desiderabilia scilicet sanctorum animæ a prædicta captivitate liberatæ.

SERMO CCXLVIII.

De multiplici genere persecutorum; de vindicta eorum.

Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores. Dominus justus concidet (2) *cervices peccatorum.* (Psal. 128, 3 et 4.)

Ex hoc verbo commendabile redditur nobis bonum patientiæ. In tribulatione enim justorum solidatur patientia ad similitudinem incudis sub malleo. Iniquitate autem impiorum, et persecutorum ad modum ferri extenditur, et prolongatur; ut in Psalmis (26, 2): « Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas, » scilicet consumant carnalitatem meam, dicit vir justus. Per tribulationem enim, si quid in eo carnale est, consumitur; unde in Evangelio (Lucæ 22, 31): *Ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum.* Cum cribratur triticum, paleæ sursus evolant, et pulvis deorsum cadit, et solum granum frumenti remanet purgatum: sic justi cum cribrantur in cribro tribulationis, si qua palea in eis vanitatis est, superevolat, et pulvis venialium tollitur, ipse vero purgatus remanet in æternæ felicitatis horreo reponendus. Item Amos (1, 3): « Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum, eo quod trituraverint in plaustris ferreis Galaad. » Galaad interpretatur acervus testimonii, et significat Ecclesiam, in qua coacervata sunt præcepta Dominica, et mandata sacræ Scripturæ, quæ testimonium perhibent de Christo. Damascus interpretatur oculus sanguinis, et significat malos, qui non habent oculum, nisi ad sanguinem. Isti triturant Galaad, idest Ecclesiam plaustris ferreis, idest persecutionibus duris, et inflexibilibus, quod significatur per ferrum, sed transitoriis tamen, quod significatur per plaustrum, quod est volubile; et sic triturando separatur granum a palea vanitatis. Item ad idem, Danielis (3, 49 et 50): « Angelus autem Domini descendit cum Azaria, et sociis ejus in fornacem, et excussit flammam ignis de fornace, et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem. » Si enim in tribulationis fornace sancti sint, et expectatio beatitudinis est cum eis quasi ventus refrigerans. Illi autem, qui fornacem incendunt, comburuntur, sicut et illi, qui flammam tribus pueris incendebant, quia gravius affliguntur interius ipsi tortores (Ibid. 3, 48), quam patiantur exterius ipsi martyres, sicut patet in beato Vincentio qui plus poterat in martyrio sustinere, quam posset, qui torquebat, inferre (3).

Sequitur de vindicta, quam Dominus exercet in persecutores: *Dominus concidet cervices peccatorum.* Hoc est quod dicit Job (13, 12): *Memoria vestra comparabitur cineri, et redigentur in lutum cervices vestræ.* Quantumcunque superbus pro memoria nominis sui elaboret, et quasi præcellens bonos opprimat, cito memoriam suam rapit ventus mortalitatis, ut cinerem, et cervix sua tabescet in putredine. Et in eodem Job (24, 24): « Elevati sunt ad modicum, et non subsistent; » Et ibidem sequitur: « Humiliabuntur, et auferentur. » Alia translatio habet (4): « Emarcuerunt, sicut malva in æstu. Sequitur: « Et sicut summi-

(1) Ex S. Hier. lib. III. Comm. in hunc loc.
(2) Juxta Vers. S. Hieron. Vulg.: Concidit.

(3) S. August. Serm. 2. de S. Vincentio num. 2.
(4) Versio græca LXX.

tates spicarum conterentur. » Summitates spicarum sunt aristæ, quæ aculeatæ, et asperæ sunt, et aridæ crescendo paulisper, superius a se rigide distinguuntur, inferius vero concorditer grana premunt. Hi sunt divites, et potentes hujus mundi, aculeos habentes contra pauperes, peccatis asperi, gratia aridi, qui crescentes ad mundi gloriam vicissim dividuntur, dum contra se superbiunt, sed ab inferiori parte viros bonos unanimiter affligunt. In ultima autem tritura, granis illæsis prodeuntibus, aristarum rigiditas æterno supplicio conteretur. Unde Isaiæ (14. 11) : *Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum.* Loquitur de Nabuchodonosor (1), collocans ei lectum in inferno. Postea sequitur de culcitra, et de coopertorio : « Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes. » Item Sapientiæ (16, 9) : « Illos enim locustarum, et muscarum morsus occiderunt, et non est inventa sanitas animæ illorum : quia digni erant ab hujusmodi exterminari. » In locustis superbia, in muscis inquietudo cogitationum significatur, quæ sunt tormenta impiorum. Item de pœna eorumdem habemus in Machabæis (2) ubi sic legitur : « Erat autem in eodem loco turris quinquaginta cubitorum, aggestum undique habens cineris : hæc prospectum habebat in præceps. Inde in cinerem jussit projici (3) sacrilegum, omnibus eum propellentibus ad interitum. » Turris ista elatio est superborum, quæ licet in altum elevetur, undique cinere mortis cingitur, et prospectum habet in præceps, quia tandem præcipitat in gehennam : Inde jussit projici sacrilegum (Ibid. 13, 3), scilicet Menelaum, qui interpretatur viscera maledicta, per quæ possunt intelligi ambitiosi, qui ab altitudine dignitatum dejiciuntur in abyssum cinerum infernalium, ubi cum omnibus malefactoribus punientur.

SERMO CCXLIX.

Quod non poterimus sustinere, si iniquitatem nostram voluerit Deus observare.

Si iniquitates observaveris, Domine; Domine, quis sustinebit. (Psal. 129, 3.)

Si iniquitatum nostrarum Dominus observaverit abundantiam, non poterimus sustinere vindictam. De quarum abundantia habemus Sapientiæ (14, 25 et 26) : « Omnia commista sunt, sanguis, homicidium, furtum, et fictio, corruptio, infidelitas, turbatio, et perjurium, tumultus bonorum, Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio mœchiæ, et impudicitiæ. » De sanguine, homicidio, et furto, et perjurio habmus in Osee (4, 1 et 2) : « Non est veritas; non est scientia Dei in terra. Maledictum, et mandacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. » *fictio*, hypocrisis est, quæ est genus rapinæ : nomen enim sanctitatis rapit, quod suum non est, sed alterius; de quo Job (27, 8) : « Quæ est enim spes hypocritæ si avare rapiat, et non liberet Deus animam ejus? » Sequitur *Corruptio*. Hæc est malum exemplum, per quod multi corrumpuntur, de quo Job (13, 27) : « Posuisti in nervo pedem meum, et observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti. » Pedem hominis *in nervo* deposuit, quando pravam actionem forti districtionis suæ sententiæ ligavit : semitas observat, quia cogitationes singulas dijudicat : vestigia vero pedum considerat, quia prava exempla, quæ scandalizant alios, et extra viam mandatorum Dei distorquent, diligenter examinat. Sequitur infidelitas, de qua dicit Gregorius (4) : « A me fide discrepat, qui mihi opere non concordat. » Sequitur Dei immemoratio, quod grande peccatum est, scilicet Dei beneficia oblivisci; de quo Jeremiæ (2, 32) : *Nunquid obliviscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? populus vero meus oblitus est mei;* quasi dicat : Mirum est, cum illa non obliviscatur, et isti me, qui ornamentum sum animarum suarum, oblivioni tradunt, et parvipendunt.

Sequitur : animarum inquinatio quoad fornicationem : nuptiarum inconstantia quoad adulterium : inordinatio mœchiæ, et impudicitiæ quoad omnem inordinationem concubitus : nativitatis immutatio quoad sodomiticum vitium, Sodoma, quæ immutat nativitatem, et creaturæ substantiam, et

(1) De Nabuchodonor etc. Interpretatio est S. Hieronymi lib. V Commmentar. in Isa. cap. 14 : Sermo ad regem Babylonium dirigitur in inferis constitutum.

(2) II Mach. 13, 5 et 6.
(3) Vulg. : dejici.
(4) Moral. l. XVIII in c. 27 Job, num. 12.

dignitatem exuit, cum vel mulier in virum, vel vir in mulierem se transformat; unde cum nec sit hoc, nec illud, in catalogo creaturarum ad laudem Dei non invitatur. Rana, et bufo, si vocem haberent, clamare possent ad Dominum : *Pater meus es tu*, cum inter creaturas locum obtineant. Solus sodomita non potest, cum a creatura alienum se faciat; unde congrue sodomita, idest mutus nuncupatur. Item de eadem iniquitatum abundantia dicitur in Ecclesiastico (40, 4 ad 6): « Ab eo, qui utitur hyacintho, et portat coronam, usque ad illum, qui operitur lino crudo : furor, zelus, tumultus, fluctuatio, et timor mortis, iracundia perseverans, et contentio, et in tempore refectionis in cubili somnus noctis immutat scientiam ejus. » Cum enim deberet in cubili per somnum membra reficere, diurnas volvit iniquitatis congitationes, et in tempore sibi dato ad requiem nescit requiescere; unde sequitur : « Modicum tanquam nihil in requie, » videt enim in nocte illusiones turpitudinis, quam cogitavit in die. Sequitur : « Et ab eo in somnis, quasi in die respectus. »

Si iniquitates observaveris, Domine : quis sustinebit? Quis, inquam, sustinebit vindictam, cum portet causam? Si grande supplicium sine causa; quid erit, si non deerit causa? Unde Job (9, 17) : « In turbine conteret me, et multiplicabit vulnera mea etiam sine causa, » videlicet actualis peccati. *Quia apud te propitiatio est, et propter legem tuam sustinui te, Domine* (Psal. 129, 4). Propitiatio scilicet peccatorum, de qua Ecclesiastici (7, 34) : « De negligentia te purga; » et post pauca (Ibid., v. 35) : « Datum brachiorum tuorum, et sacrificium sanctificationis offeres Domino, et initia sanctorum : et pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio tua. » Sequitur : *Et propter legem tuam sustinui te, Domine*, quæ scilicet dicit : In quacunque hora (1) peccator ingemuerit, omnium iniquitatum ejus, non recordabor amplius (Ezech. 18, 22); et per illam non judicabit Deus bis in idipsum (2). Licet autem sit Dominus patiens, quia mitis : tamen est redditor, quia justus; unde Ecclesiastici (5, 4 ad 7) : « Altissimus est patiens redditor. De propitiatio peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum. Et ne dicas : Miseratio Dei magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim, et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respiscit ira ejus. »

SERMO CCL.

De fragilitate hominis; de bonis uberibus, et malis.

Si non humiliter sentiebam : sed exaltavi animam meam, sicut ablactatus est super matre sua. (Psal. 130, 2.)

Ad amorem humilitatis, et detestationem superbiæ invitamur in hoc Psalmo. De humilitate habemus in Ecclesiastico (10, 11 et 12) : « Languor prolixior gravat medicum : brevem languorem præcidit medicus. » Languorem infirmitatis suæ homo secum portans, et cognoscens, mederi non cessat, quærendo cibum, et potum, et carni delectabilia. Non tamen se habet melius, sed deterius, quia inde fragilior efficitur. Hæc est mulier Evangelica, quæ omnem substantiam suam expenderat in medicos, et nullius arte curari poterat (Lucæ, 8, 43). Ex hoc ergo homo invitatur ad humilitatem, suam considerans infirmitatem. Item Ecclesiastici (7, 19) : « Humilia valde spiritum tuum : quoniam vindicta carnis impii, ignis, et vermis. » Item in eodem (3, 30) : « Synagogæ superborum non erit sanitas : frutex peccati eradicabitur in illis. » Sequitur : « Sed exaltavi animam meam. » Hoc contra superbiam, de qua Job (15, 33) : « Lædetur quasi vinea in primo flore botrus ejus, et quasi oliva projiciens florem suum. » Si florentem vineam immoderatum frigus, vel æstus attigerit, discusso flore botrus tabescit. Sic illos, qui bonis deside-

(1) *In quacunque hora, etc.* Sic legit S. Augustinus, Serm. XX, tom. V, edit. Maur. Antwerp, col. 76, num. 3, semel tamen; nam Sancti Patres ea ut plurimum utuntur dictione, *In quacunque die.* Sic idem S. Augustinus ibidem, et alibi pluries. Sic S. Gregorius Epistolar. lib. IX, ep. 52, tom. II, edit. Maur. Paris., col. 969 : *Peccator in quacunque die conversus ingemuerit, etc.* Verum utraque dictio et in Textu hebr. et in cunctis versionibus desideratur.

(2) Consule annotationem (2) ad Sermonem CCIV, col. 1096.

riis florent, dum frigus avaritiæ a calore divini amoris retrahit, vel æstus humanæ laudis foris exurit, a flore virtutum, et sanctorum desideriorum, et a fructu alienos facit: Et sicut oliva cum floret, si nebula tangitur, a fructu evacuatur, sic qui bona inchoant, fructum perdunt, si nebulæ vanæ laudis insistant.

Sed exaltavi animam meam, sicut ablactatus est super matre sua. Qui igitur exaltat animam suam, similis est ablactato. Mater nostra est Ecclesia, quæ duo habet ubera, unum lactis, et alterum vini. Uno delectat, et altero inebriat. De ubere lactis dicit Isaias (60, 16): « Suges lac gentium, et mamilla regum lactaberis. De ubere vini habemus in Canticis (7, 8): « Et erunt ubera tua sicut botri vineæ. » Ab istis uberibus debemus pendere, ut dicamus cum Job (29, 18): « In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies. » Et contra de illo, qui ablactatur, et se separat ab hoc lacte, dicitur in Osee (9, 11): « Ephraim quasi avis avolavit, gloria ejus, vel eorum a partu, et ab utero, et a conceptu. » Hi sunt divites hujus mundi, qui sumptis alis potentiæ, et divitiarum avolant, et separant se a nido Ecclesiæ; et gloria eorum in peccato est a conceptu delectationis, et ab utero consensus, et a partu operis.

Habet et Babylon sua ubera; unde Zachariæ (9, 6 et 7): « Sedebit separator in Azoto, et disperdam superbiam Philisthinorum, et auferam sanguinem ejus de ore ejus, et abominationes ejus de medio dentium ejus. » Azotus interpretatur ignis uberum. Duo ubera Babylonis sunt temporalitas, et iniquitas, idest amor temporalium, et amor peccandi. Separator est Christus, qui separabit grana a paleis in secundo adventu (Matth. 10, 35). In primo adventu venit separare patrem a filio, et socrum a nuru, et hujusmodi. Tunc sedet separator in Azoto, quando facta separatione inter animam, et ignem cupiditatis temporalium, et oblectationem peccandi, quiescit in anima per gratiam: et disperdet superbiam Philisthinorum, idest potione cadentium: et auferet abominationes, idest vana, et turpia de medio dentium eorum. Habet et filios suos Babylon, sicut Ecclesia; unde Ecclesiastes (4, 2 et 3): « Laudavi magis mortuos, quam vivos (1). Et feliciorem utroque judicavi, qui necdum natus est; » quasi dicat: Meliorem judicavi qui mortuus est peccato, qui scilicet in exordio peccati ab eo se retraxit, quam qui vivit in peccato, et multo melior est, qui nondum peccato natus est per consensum.

(1) Vulg.: viventes.

SERMO CCLI.

De sollicitudine prælatorum circa subditos; et qualiter debent præparare domum Domini in corde peccatoris; quod in clericis auditur tantum, sed in laicis invenitur.

Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei. (Ps. 131, 3 ad 6.)

Quanta sollicitudo debeat esse prælatis quærendi *locum Domino, et tabernaculum Deo,* bene ostenditur in hoc loco, ubi dicitur, nec licere introire in domum, nec ascendere in lectum, nec dare somnum oculis, nec dormitationem palpebris, donec inveniatur locus Domino in se, et in subditis. Unde Proverbiorum (6, 1 et 2): « Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti animam tuam apud extraneum, illaqueatus es verbis oris tui, et captus sermonibus tuis; » quasi dicat: O prælate, si animam subditi tui in periculo custodiæ tuæ conversationis acceperis, ligatus es, et teneris sponsione tua custodire eam, et Deo reddere. « Fac ergo, quod dico, fili mi, et temetipsum libera: quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum. Ne des (2) oculis tuis somnum, nec dormitent palpebræ tuæ (Ibid. 6, 3 et 4). » Ecce quanta sollicitudo debeat esse circa subditum, quomodo oportet discurrere, festinare, amicum suscitare, nec dare somnum oculis, nec dormitationem palpebris, nec etiam intrare, in tabernaculum domus, quia dicitur Matthei (24, 17): « Qui est in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua. » Hic est prælatus, qui supereminet, et carnem excedit, qui non debet aliquo affectu inclinare ad carnem, rediens ad actus pristinæ conversationis, ut tollat de carne, vel mundo aliquid; ut sic faciendo, vitet exemplum corruptionis. Hic est lectus, in quo jacebat paraliticus, quo sanato, dictum est ei a Do-

(2) Vulg.: dederis.

mino : *Tolle grabatum tuum, et ambula* (Joan, 5, 8). Hæc est mollities carnalis delectationis, in qua jacet anima dissoluta illecebris, de qua Jeremiæ (31, 22) : « Usquequo dissolveris deliciis, filia vaga? » Et in eodem (50, 11) : « Exultatis, et magna loquimini, diripientes hæreditatem meam : quoniam effusi estis sicut vituli super herbam, et mugistis sicut tauri; » petulantia lascivientes ut vituli, in comminationibus terribiles, ut tauri. Grabatum tollitur, quando quod fuerat deliciosum, fit onerosum. Item non debet dare somnum oculis prælatus sollicitus exemplo Jacob, qui ad Laban socerum suum ita loquitur (1) : « Quidquid furto (2) peribat, a me exigebas : die, ac nocte æstu urebar, et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. » Hoc est, quod Apostolus dicit (II Cor. 11, 28) : *Instantia mea quotidiana*, sollicitudo omnium Ecclesiarum. » Quidquid furto inimici periit per negligentiam pastoris, exigitur a pastore. Cum æstu tribulationis, vel gelu infidelitatis ovis uritur, debet pastor uri per compassionem, et vigilanter saluti subditorum incumbere.

5 *Donec inveniam locum Domino*. De hoc in Paralipomenon, ubi dicit David ad Ornan Jebusæum : « Da mihi locum areæ tuæ, ut ædificem in ea altare Domino (3), » et sicut ibidem dicitur, constituit ibi altare, et sacrificavit Domino. Ornan interpretatur lumen Jebusæus, conculcatus. Area ergo Ornæ Jebusæi est mens peccatoris conculcati prius, sed per gratiam illuminati, ubi constituitur altare Domino, quia ipsa efficitur verum altare, in qua dignum sacrificium offertur. Et fit ibi tabernaculum Domino, locus scilicet militaris Domino, qui jam pro omnibus vicit in se, in nobis plus vincere desiderans, sicut dicit Origenes (4) : Vult Dominus (5) supergrandes, et mirabiles res facere, et de locustis vult triumphare gigantes, de infirmis cœlestes superare nequitias. Magnum tamen videtur, si homo in carne positus, fragilis, et caducus, fide Christi, et verbo armatus superat legiones dæmonum. Hoc est, quod legitur in Evangelio (Joan. 14, 12) : « Qui crediderit (6), opera, quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet; » et quamvis ipse sit Christus, qui vincit, plus tamen dicit esse, quod in homine, vel per hominem vincit.

Audivimus eam in Ephrata : *invenimus eam in campis silvæ*. Hoc dicitur ad confusionem clericorum, et maxime prælatorum, et doctorum, qui sunt *Ephrata*, idest speculum aliorum, qui speculantur, et inquirunt Scripturas, et omnia vident juxta illud Ecclesiastes (2, 11) : Vidi in omnibus vanitatem, et afflictionem spiritus, vel animi, et nihil permanere sub sole. In his audiuntur ista, scilicet locus, domus, et tabernaculum Domini; docent enim hæc : sed inveniuntur in campis silvæ, idest vetulis, et laicis agrestibus. Hoc est, quod dicit Isaias (32, 11) : Erit desertum in charmel, et charmel in saltum reputabitur. » Charmel interpretatur scientia circumcisi a vitiis : sed hodie *in Charmel* fit *desertum, et Charmel in saltum* reputatur, quia clerici sunt infructuosi, et laici fructuosi.

SERMO CCLII.

De lucerna, humanitate Christi; et de Joanne Baptista, qui dicitur lucerna.

Paravi lucernam Christo meo. (Psal. 131, 17.)

Per hanc lucernam humanitas Christi intelligi potest. Hæc est enim illa lucerna, quam mulier accendit, ut quæreret drachmam unam perditam (7), quia Dei virtus, et Dei sapientia ad quærendum hominem, qui a similitudine Creatoris recesserat, in carne apparuit. Lux enim in testa, Verbum est in carne. De hac lucerna, Isaiæ (62, 1) : « Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem

(1) Gen. 31, 39 et 40.
(2) Vulg. : furtim.
(3) I Paral. 21, 22.
(4) Homil. 7, in Num.
(5) *Vult Dominus, etc.* In edit. Maur. Ven. t. II, pag. 217, col. 1, sic legitur : « Vult enim semper Jesus res mirabiles facere, vult de locustis vincere gigantes, et de iis, quæ in terris sunt, cœlestes superare nequitias. Et fortasse hoc est, quod dicebat in Evangeliis, quia qui credit in eum, non solum faciet illa, quæ ipse fecit, sed majora, inquit, horum faciet. Vere enim majus mihi videtur, quod homo in carne positus, fragilis, et caducus, fide tantum Christi, et verbo ejus armatus superet gigantes, dæmonum legiones. Quamvis ipse sit qui vincit in nobis, plus tamen esse dicit quod per nos vincit, quam quod per se vincit. »
(6) Vulg. : credit in me.
(7) Lucæ 15, 8.

non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, et Salvator ejus ut lampas accendatur. » In lampade tria sunt, lumen, vitrum, et oleum. Lumen est divinitas, vitrum humanitas, oleum gratia, quæ in Christo simul fuerunt.

Lucerna etiam ista, quæ Christo parata est, dicitur Joannes Baptista, de quo in Evangelio (Joan. 5, 35) : *Ille erat lucerna ardens, et lucens.* Hæc missa est a Deo Patre, ut viam pararet Christo, sicut dicitur Malachiæ (3, 1) : « Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. » Hæc lucerna fuit accensa in utero matris per sanctificationem : *Exultavit*, inquit, *infans in utero meo* (1). Exposita fuit in deserto per prædicationem ; unde : *Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu : et erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israel* (2). Extincta fuit martyrio per capitis amputationem; unde : Misso spiculatore præcepit Herodes amputari caput (3). Notandum, quod sicut aurora præcedit diem, sic Joannes Christum ; unde lucerna præcedit sequentem. Ipse Joannes aurora dicitur; unde Job (38, 12) : « Nunquid post ortum tuum præcepisti diluculo, et ostendisti auroræ locum suum. » Ortus Christi secundum divinitatem ortus æternus est : ortus vero Joannis temporalis est; qui ortus per diluculum signatur, quia sicut diluculum præcedit solem, sic Joannes ortum Christi, qui est sol justitiæ secundum humanitatem. Præcepit ergo Deus, et ostendit auroræ locum suum cum Joannem ortum suum præcedere fecit, ut tanquam aurora devideret noctem legis a die gratiæ. Vel *locus* aliter potest intelligi. De Joanne enim dicitur (4) : *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista;* et statim subditur : *Qui autem minor est in regno cœlorum, major est eo*, idest Christus. Hic est locus auroræ, Joannis videlicet, ut licet sit minor Christo, omnibus aliis sit ipse major.

Item de eodem in eodem Job (38, 32) : « Nunquid producis Luciferum in tempore suo, et Vesperum super filios terræ consurgere facis ? » Luciferum vocat, quem et prius auroram, scilicet Joannem, qui productus est in suo tempore, in fine scilicet legis, et ortu gratiæ. De hoc Lucifero habemus Ecclesiastici (50, 6 et 7) : « Quasi stella matutina in medio nebulæ, et quasi luna plena in diebus suis lucet, et quasi sol refulgens sic ille refulsit in templo Dei. » Joannes comparatur Lucifero, sive stellæ matutinæ, quia sicut stella illa noctem terminat, et diem inchoat, et omnibus stellis recedentibus non recedit ipsa, donec solem ostendat : sic et Joannes legem terminavit, et gratiam inchoavit, et omnibus prophetis per mortem recedentibus ipse non recessit, donec verum solem, idest Christum, digito demonstravit. Stella etiam illa dormientes excitat, somnolentos increpat : sic et Joannes. Audi excitationem dormientium : *Ego vox clamantis in deserto : Dirigite viam Domini* (5). » Audi increpationem somnolentis : *Genimina viperarum, quis vos docuit* (6) *fugere a ventura ira? Jam securis ad radicem arboris* (7) *posita est* (8).

Fuit etiam Joannes quasi stella in medio nebulæ, idest temporalis gloriæ, et excellentiæ, cujus vita austera, cibus mellis silvestris et locustarum, habitus zonæ pelliceæ de pilis camelorum (9), nebulam temporalis gloriæ disgregavit. Luna vero plena fuit, quando per radios prædicationis tenebras ignorantiæ, et cæcitatis excussit. Quasi sol fulget in templo Dei, quia jam sumptus ad æternam requiem, præmio fulget mirabili (10). Sequitur in Job : Et Vesperum super filios terræ consurgere facis. Vesperus est stella diem terminans, et noctem initians. Hic est diabolus, qui super filios terræ, illos scilicet, qui terrena quærent, non cœlestia, divinæ gratiæ terminat diem, et noctem peccati ministrat.

(1) Lucæ 1, 44.
(2) Ibid., 1, 80.
(3) Marci 6, 27.
(4) Matth. 11, 11.
(5) Joan. 1, 23.
(6) Vulg. : ostendit vobis.
(7) Vulg. : arborum.
(8) Luc. 3, 7 et 9.
(9) Marci 1, 6.
(10) Lucæ 3, 3 ad 18.

SERMO CCLIII.

De rore gratiæ. Quod Spiritus Sanctus propter diversa dona diversis censetur nominibus; de benedictione Domini.

Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion. Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem. (Psal. 132, 3.)

Hermon interpretatur lumen exaltatum, et significat Christum (1), qui exaltatus in cruce, et postea in ascensione in cœlum, descendit in Apostolos in die Pentecostes (2). De rore dicitur Proverbiorum (3, 20): « Sapientia illius eruperunt abyssi, et nubes rore concrescunt. » Abyssi, idest profunda sapientia Apostolorum, eruperunt a sapientia Dei : et nubes, idest Apostoli, rore divinæ gratiæ concrescunt. Visibiles enim nubes concrescunt ex aquis marinis : sed nubes istæ ex rore divinæ gratiæ concrescunt.

Notandum, quod Spiritus Sanctus propter diversa dona diversis censetur nominibus. Dicitur enim ficus, lux, oleum, ignis, ros, columba, ventus; unde versus :

Ficus, lux, oleum simul, ignis, rosque, columba,
Nec non et ventus fore fertur Spiritus almus.

Ficus dicitur, quoad donum Sapientiæ, cui dono respondet pax cordis, qua nihil dulcius est. Lux dicitur, quantum ad donum Intellectus, cui dono comparatur cordis munditia, sine qua nullus illuminatur. Oleum dicitur, quantum ad donum Consilii, cui dono misericordia conjungitur : Per oleum enim misericordia designatur. Ignis dicitur, quantum ad donum Fortitudinis, cui convenit virtus exurens, qua nihil fortius, et quæ semper ad se trahit velut ignis. Ros dicitur, quantum ad donum Scientiæ, cui virtus luctus attribuitur : per luctum enim dum videt homo, quibus malis involvitur, rore cœlestis gratiæ fœcundatur. Columba dicitur, quantum ad donum Pietatis, cui virtus mansuetudinis adscribitur : per hanc enim mansuetus, quasi columba, ad perferendas molestias quis invenitur. Ventus etiam vehemens dicitur; unde in Actibus (2, 2) : *Tanquam Spiritus vehemens replevit totam domum,* quantum ad donum Timoris, cui virtus paupertatis adaptatur; quia sicut ventus exsufflat pulveres, et dispergit, sic paupertatis virtus, scilicet temporalium abdicatio paleas temporalium abjicit, et contemnit.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem. De hac benedictione habemus Ecclesiastici (40, 17) : « Gratia sicut paradisus in benedictionibus, et misericordia in sæculum permanet; » Et alibi in eodem (11, 24) : « Benedictio Dei in mercedem justi festinat, et in hora veloci processus illius fructificat. » Item in Genesi (49, 25) : « de benedictione Jacob super Joseph : « Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum, etc. » quod supra expositum est.

SERMO CCLIV.

De magnis peccatoribus, qui postmodum facti sunt magni prædicatores, qui nubibus, ventis, thesauris, nivi, et nebulæ comparantur.

Educens nubes ab extremo terræ : fulgura in pluviam fecit; qui producit ventos de thesauris suis. (Psal. 134, 7.)

Educit Deus nubes de extremis terræ; cum de novissimis, et vilibus prædicatores facit, et de gradu humilitatis extollit ad fastigium dignitatis; unde Hieronymus (3) : « Qui vult primus esse, fiat novissimus. » Aliter nemo fit nubes. Nubes de mari assumpta, ad cœli fastigium elevata, omnem fœtorem deponit, et amaritudinem, et efficitur aqua dulcis, et versa in pluviam terram fœcundat. Sic et prædicatores, nubes dicti, de amaritudine vitiorum educti, prædicationis officio assumpto, omni amaritudine deposita, pluviam verbi Dei debent infundere mentibus subditorum, ut fructum Domino valeant generare.

Sequitur : *fulgura in pluviam fecit,* cum terror communicationis, et blandimentum promissionis in prædicatoribus adjungitur. *Qui producit ventos de thesauris suis;* de quibus habemus Zachariæ (6, 5) : « Isti sunt quatuor venti cœli, qui egrediuntur, ut stent coram Dominatore universæ terræ. » Quatuor venti cœli sunt prædicatores Evangelii

(1) Ex S. Aug., Enar. in Psal. 132, num. 11,
(2) Joan. 14, 16 et 18.

(3) *Epist.* de tribus virtutibus, *S. Hier. adscripta.*

sub quaternario traditi, qui sic debent egredi per officium prædicationis, ut stent quasi pugnantes perseverando in operibus bonis. De his thesauris habemus Job (18, 22 et 23): « Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti? Quæ præparavi in tempus hostis, in diem pugnæ, et belli? In nive, et grandine Dominus se habere thesaurum dicit, quia multos prædicatores suos, qui prius iniquitatis torpore erant frigidi; per gratiam assumptos in Ecclesia lucere facit, et pravorum corda torpentia doctrinæ illorum ictibus tundit. Talis fuerat Paulus, talis Augustinus, quorum corda per iniquitatem frigida sicut nivem, fecit lanam, dum per eos calefecit cæteros gelicidio peccatorum congelatos. « Aut thesauros grandinis. » Grando dure percutit, sed mox ut percusserit, in humorem resolvitur, et terram fœcundat, quam percussit. Sic prædicatores, mox ut comminatione percusserint mentes auditorum, debent in lacrymas caritatis resolvi, et per promissionem æternæ beatitudinis, quas percusserint fœcundare.

Quæ præparavi in tempus hostis. Hostes sunt illi, de quibus dicitur (Psal. 80, 16): *Inimici Domini mentiti sunt ei*, qui videlicet non servant pactum in baptismo contractum: sed quia mentiti sunt, erit tempus eorum in sæcula. Tempus Sanctorum (1) erit æternitas: tempus autem inimicorum Domini erit in sæcula, idest mutatio de tormentis in tormenta. Inimici Domini sunt: et tamen de petra, melle satiat eos (Psal. 80, 17). Mel in petra Divinitas est in carne. De petra melle satiat Dominus, quando de doctrina sacræ Scripturæ, quasi de divinitate in humanitate sua instructione continue reficit. Magis autem eleganter dicitur de petra melle, quam si diceretur de terra melle, quia caro Christi consolidata est, et indurata per resurrectionem. Non diffluebat sicut cera ad ignem in morte per putredinem: *Non dabis*, inquit, *Sanctum tuum videre corruptionem* (Psal. 15, 10). Sequitur: « In diem pugnæ, et belli. » Pugna est, cum donis naturalibus, quæ in nobis sunt, Deum impugnamus, ut fortitudine. pulchritudine, intellectu, ingenio, et hujusmodi. Bellum vero est, cum exterioribus eum impugnamus, verbi gratia divitiis, potentia, et hujusmodi Deum impetimus, Ad pugnam istam, et ad bellum hujusmodi reservat sibi Deus prædicatores, qui pugnent pro eo contra hostes.

De his thesauris iterum Ecclesiastici (41, 15 et 16): « Aperti sunt thesauri, et evolaverunt nebulæ sicut aves. In magnitudine sua posuit nubes, scilicet prædicatores, quos nebulas vocat, quia sicut nebula diem turbat, et tamen ad videndum solem viam præstat: sic ipsi prædicatores diem mundani gaudii turbant in homine, ut melius ad visionem veri Solis corda præparent. Evolant autem sicut aves, quia pennas habent virtutum, et bonorum operum, nec mole carnis retardantur, sicut carnales, qui multum habent carnis, et parum pennarum, ut struthio (2), et ideo non volant: Ipsi autem parum habent carnis, et multum pennarum, et ideo volare possunt ut aves. Job (5, 7): « Homo nascitur ad laborem, avis autem ad volatum. » Carnalis enim, qui pennas non habet, quibus evolet, mala mundi sustinet, et in his affligitur: bonus vero pennis virtutum ad alta elevatus, nil mali sentit, imo gaudet etiam de flagellis.

SERMO CCLV.

Quod mens justi dicitur terra propter stabilitatem, quæ fundatur super aquas, idest delicias; de intellectu Sanctorum.

Qui fecit cælos in intellectu: Qui firmavit terram super aquas (Ps. 135, 5 et 6.)

Aquæ istæ sunt deliciæ temporales: Terra est mens hominis, quam firmat Deus super aquas, quando dat firmum propositum quasi

(1) *Tempus Sanctorum, etc.* Quia in actu beatifico nulla est successio, seu vicissitudo; beatitas enim tota simul; idcirco actus beatificus non mensuratur tempore, sed æviternitate, seu æternitate. *Tempus autem inimicorum Domini*, inquit, *erit in sæcula, idest, mutatio de tormentis in tormenta.* Ait enim Glossa ord. in hunc locum: *Variatio eorum per pœnas.* Idem docet Angelicus Doctor P. I. Quæst. 10, art. 3, ad 2: *Ignis inferni dicitur æternus propter interminabilitatem tantum. Est autem in pœnis eorum transmutatio, secundum illud Job 24: Ad nimium calorem transibunt ab aquis nivium. Unde in inferno non est vera æternitas, sed magis tempus, secundum illud Psalmi: « Erit tempus eorum in sæcula. »*

(2) *Ut struthio, etc.* S. Gregorius, lib. XXXI Moral. in cap. 39 Job, tom. I, edit. Maur. Paris., col. 1001, num. 12: « Struthio, ait, raris pennis induitur, et immani corpore gravatur: ut etsi volare appetat, ipsa pennarum paucitas molem tanti corporis in aera non suspendat. »

intransgressibilem terminum, ne possint ad eam ascendere deliciæ temporales; aliter non est firmata terra super aquas. In Genesi (1, 2) legitur, quod Spiritus Domini ferebatur super aquas : et columba emissa, in aquis, vel luto noluit sedere, sed ad arcam reversa est (Ibid., 8, 9) : quia Spiritus Domini non insidet mentibus lutuosis, et sordidis, et deliciis occupatis, sed ad arcam Ecclesiæ, in qua sederat, revertitur.

Qui firmavit terram super aquas. De hac firmatione, Jeremiæ (10, 12) : Qui fecit (1) terram in fortitudine sua, de qua terra, Origines : « In terra nostra, de qua dictum est : Terra es, in terram ibis, necessariam habemus fortitudinem Dei (2) sine qua impossibile est exsequi quod repugnat carni. » Item Job (38, 4 ad 6) : « Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi, si habes intelligentiam. Quis posuit mensuram ejus, si nosti? vel quis tetendit super eam lineam? Super quo bases illius solidatæ sunt? aut quis demisit lapidem angularem ejus? » Quando ponebam fundamenta terræ; Gregorius (3) dicit : « Si peccatoris animus pulvis est, quia in superficie attollitur, et tentationis aura rapitur, nihil obstat, terram intelligi animam justi, cujus fundamentum fides est. Hoc (4) terræ fundamentum jacitur, quando in occultis cordis soliditatis causa divinus amor inspiratur. » Item in eodem (Job 38, 18) : « Quando fundabatur (5) pulvis in terra, et glebæ compingebantur. » Pulvis mobilis, et agitabilis est : Terra immobilis. Pulvis ergo in terra fundatur, cum peccator ad fluctum tentationis mobilis soliditate fidei firmatur, ne secundum quemlibet tentationis impulsum moveatur. Glebæ vero in hac terra compinguntur, cum peccatores exemplo ejus, glutino caritatis uniuntur. Quis posuit mensuram ejus, scilicet terræ, idest mentis humanæ. De his mensuris Ezechielis (40, 3) : « Funiculus lineus in manu ejus, et calamus mensuræ in manu ejus. « Linum cum multa attritione ad candorem perducitur. Funiculus ergo lineus est imitatio Dominicæ passionis : Calamus mensuræ sacra Scriptura est, per quam mensurabitur perfectio nostra. Inter has mensuras debet poni, et arctari mens fidelis. Quis tetendit super eam lineam? Ubi dicit Gregorius (6) : « Super hanc terram linea tenditur, quando unicuique electæ animæ ad sumendam vivendi regulam Patrum præcedentium exempla monstrantur, ut ex illorum vita consideret, quid in suis actibus servet. » Super quod bases illius solidatæ sunt? Bases sunt intentiones, in quibus totum innititur ædificium operum; quia *si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit* (Matth. 6, 22). Bases istæ omnes solidatæ sunt.

Qui fecit cœlos in intellectu. Hoc est, quod sequitur in eodem : « Quis demisit lapidem angularem ejus? » Lapis enim angularis est ad sacram Scripturam intellectus duplex, qui tunc permittitur quadam libertate perfrui, dum in præceptis Dei sufficit vel exequendo exteriora agere, vel contemplando interiora sentire; et sic facit Deus cœlos idest Sanctos in intellectu, ut sciant conversari in medio nationis pravæ, et perversæ (7), et ad Deum per contemplationis studium mentem valeant erigere. Talis fuit Christus, qui in urbibus prædicabat, et sanabat; in montibus contemplabatur, et orabat. De his cœlis, Jeremiæ (10, 12) : « Prudentia sua extendit cœlos; » et in Psalmis (103, 3) : « Extendit (8) cœlum sicut pellem. » Sancti sunt pelles, quia quid sit agendum, legitur in iis. Sunt et cœlum, quia per eos aliis lux monstratur. Sed Matthæus (24, 29) ponens signum judicii, dicit : « Sol obscurabitur, et luna non habebit splendorem suum (9), et stellæ cadent de cœlo; » Et Joel (2, 30) etiam dicit : « Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem; » quia plures hodie, qui deberent esse sol ad illuminandos cæteros in operibus caritatis, et luna, præstando lumen in nocte peccati, jam fiunt tenebræ, et in peccati sanguinem convertuntur : quod signum est futuri judicii.

(1) Vulg. : facit.
(2) Gloss. ord. in cap. 10 Jer.
(3) Moral. lib. XXVIII in c. 38 Job, num. 20.
(4) In editis : Hujus.
(5) Vulg. : fundebatur; at S. Gregorius legit, fundabatur.
(6) Moral. lib. XXVIII, in cap. 38 Job, num. 26.
(7) Philip. 2, 15.
(8) Vulg. : Extendens.
(9) Vulg. : non dabit lumen suum.

SERMO CCLVI.

De duobus fluminibus Babylonis, scilicet de infirmitate carnis, et de transitu dulcoris.

Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus. (Psal. 136, 1.)

Duo flumina snnt Babylonis, scilicet Chobar, et Tigris. Chobar autem interpretatur gravedo, et significat infirmitatem carnis : Tigris interpretatur velox, et significat transitum temporalis delectationis. Bene autem hæc duo dicuntur flumina, quia sicut in flumine quædam pars defluit, quædam affluit : sic semper affluit quod gravat, et cito effluit quod delectat. De Chobar, idest de gravedine, habemus Sapientiæ (9, 15) : « Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem ; » et in Ecclesiastico (40, 1) : « Occupatio magna data (1) est omnibus hominibus, et jugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium, » et Job (7, 20) : « Factus sum mihimetipsi gravis. » Gravis est sibiipsi homo, et seipsum grave pondus portat, dum tantam gravedinem in carne, tot adversa in anima tolerat. Idem (30, 11) : « Pharetram suam aperuit, et afflixit me, et frænum posuit in os meum. » Pharetram aperuit, et afflixit, cum sagitta carnalis infirmitatis hominem percussit. Frænum autem in ore equi ad comedendum impedit, et a cursu pro voluntate sedentis avertit. Sic et gravedo carni imposita ab esu delectationis debet retrahere, et a cursu iniquitatis per regimen rationis debet avertere. Et in eodem (30, 16) : Nunc autem marcescit in memetipso anima mea, et possident me dies afflictionis. » Sanctorum anima nunc marcescit : sed postmodum æterna exultatione virescet; et quam modo afflictio possidet, dies lætitiæ hilarem reddet. Item in eodem (30, 17) : « Nocte perforatur os meum doloribus : et qui me comedunt, non dormiunt; » quasi dicat : quidquid est in me, doloris plenum est : corpus enim gravatur suo pondere, et dæmones etiam in nocte animam per tentationem non sinunt quiescere.

(1) Vulg. : creata.
(2) Vulg. : Abstulisti.

De Tigri, idest velocitate, et fluxu delectabilium habemus in Job (30, 15) : « Abstulit (2) quasi ventus desiderium meum : et velut nubes pertransiit salus mea. » Ventus tollit desiderium, cum res transitoria æternitatis destruit appetitum. Nubes autem in altum erigitur, sed non figitur, quia gloria perversorum, quo altior est, fixa non est. Item in eodem (9, 25 et 26) : « Dies mei velociores fuerunt cursore : fugerunt, et non viderunt bonum. Pertransierunt quasi naves poma portantes. » Cursor quandoque expectat quem nunciat : dies autem hominis vitam prætendunt, et nunciant, quam tamen morte imminente non expectant. Qui autem poma portat, odorem quidem sentit, sed de fructu non sentit : sic et nos in diebus nostris Dei promissionis odorem sentimus, sed de fructu non gustamus, sed aliis gustandum deserimus. Item Ecclesiastici (40, 11 ad 13) : « Aquæ omnes in mare revertentur. Omne munus, et iniquitas delebitur, et fides in sæculum stabit. Substantiæ impiorum (3) quasi fluvius siccabuntur. » Ecce quam velox fluida substantia temporalium, quæ tanquam fluvius transitorius velociter desiccatur. Item Sapientiæ (5, 15) : « Spes impii quasi lanugo est, quæ a vento tollitur : et tanquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur. » Arundo, cujus fructus lanugo est, fragili calamo surgit, et radicatur in luto : sic vita carnis fragilitati innititur, luto immunditiæ radicatur; cujus fructus lanugo est, quia non quærit, nisi ut deliciis nutriatur. Hic autem fructus a vento modicæ febris exurgente tollitur, et quasi spuma gracilis a procella futuri judicii dissipatur.

Sequitur : *In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra.* Salices, nobiles sunt hujus mundi, et potentes, qui rigantur in fluminibus Babylonis, scilicet abundantia hujus mundi. Sed tamen steriles sunt a bono opere. In his suspenduntur prædicatorum organa, juxta illud Michææ (1, 10) : « In Geth nolite annunciare, lacrymis ne ploretis, in domo pulveris pulvere vos conspergite. » Geth interpretatur torcular, et significat potentes hujus sæculi, qui sunt torcular pauperum per oppressionem; idest: O vos prædicatores, nolite annunciare, la-

(3) Vulg. : Injustorum.

crymis ne ploretis; quasi dicat : Et in vanum hoc faceretis : sed in domo pulveris, illorum videlicet, qui reputant se pulverem, pulvere vos conspergite, idest vos humiliate, et pulverem vos ostendite.

SERMO CCLVII.

De anima in carnali voluptate posita; de consiliariis, et amicis ejus malis; et de calice damnationis ejus.

Memor esto filiorum Edom, in die Jerusalem. (Psal. 136, 7.)

Similis sententia habetur in Threnis (4, 21) : circa finem : « Gaude, et lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus : ad te quoque perveniet calix, inebriaberis, atque nudaberis. » Hic petitur, ut sit memor, retribuendo filiis Edom : ibi dicitur, ad te perveniet calix, pro retributione, filia Edom. Filia ergo Edom est anima sæcularibus illecebris capta. Edom enim interpretatur terrena, vel sanguinea, quæ habitat in terra Hus, consilio videlicet dæmonum, in terrenorum amore, non divinorum versari suggerentium.

De quibus consiliariis habemus Michææ (7, 5) : « Nolite credere amico, et nolite confidere in duce : ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. » Amicus iste qui fingit se amicum, sed non est, diabolus, vel carnis affectus est, quibus credendum non est, dum suggerunt, et proponunt delicias hujus mundi. Illa vero, quæ dormit in sinu, illecebra est carnis, a qua custodienda sunt claustra oris, ne vel in verbis, vel in cibis carnis illecebras sequamur. De his consiliariis Abdias (1, 7) : « Omnes viri fœderis tui illuserunt tibi : invaluerunt adversus te viri pacis tuæ : qui comedunt tecum, ponent insidias subter te. » Quantumcunque fœderatus est alicui diabolus, semper illudit : Et qui comedunt cum homine, affectus scilicet carnales, insidiantur ei. Et in Threnis (1, 2) : « Omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici. » Item in Proverbiis (1, 10) : « Si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. » Item de muliere vaga in Proverbiis (7, 16 ad 18) : « Intexui meum lectum (1) funibus, stravi tapetibus pictis ex Ægypto : Aspersi cubile meum myrrha, et aloe, et cinnamomo. Veni, inebriemur uberibus, et fruamur amplexibus. » Mulier hæc est sensualitas, quæ in homine lectum, idest carnis mollitiem intexit funibus illecebrarum carnalium, et sæcularium. Ægyptus interpretatur tenebræ, sive mœror. In pictis tapetibus illecebrarum varietas designatur. Lectus ergo carnalis sternitur tapetibus pictis ex Ægypto, quia licet varietate illecebrarum delectetur, tenebris peccatorum, et mœrore aspersus est; unde sequitur : Aspersi cubile meum myrra, et aloe, et cinnamomo, quæ licet prætendant odorem suavitatis, in se tamen habent vim amaritudinis.

De his consiliariis, Sapientiæ (2, 6 ad 9) : « Venite, et fruamur bonis, quæ sunt, et utamur creatura tanquam in juventute celeriter. Vino pretioso, et unguentis nos impleamus : et non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant : nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo sit exors luxuriæ nostræ. » Et in Apocalypsi (17, 1 et 2) dicitur ; « Veni, et ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terræ, et inebriati sunt, qui inhabitant terram, de vino prostitutionis ejus. » Hæc Babylon mnndus est, de quo inebriantur carnales. Et post pauca : « Mulier erat circumdata purpura, et coccino, et inaurata auro, et lapide pretioso, et margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominationum, et immunditiarum (2) fornicationis ejus. » In poculo aureo facile inebriatur quis : dum enim considerat vasis speciem, bibens non advertit potus fortitudinem, et sic de facili inebriatur. Sic de aureo calice hujus mundi bibentes, cito inebriantur. Isaiæ (28, 7) : « Hi præ vino nescierunt, et præ ebrietate erraverunt; » et alibi (19, 14) : « Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis : et errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius, et vomens. » In mundo Dominus spiritum vertiginis posuit, in quo avari spiritu avaritiæ agitati terras, et mare circumeunt : deliciosi voluptatum varietatem curiose inquirunt, et hujusmodi.

(1) Vulg. : lectulum.

(2) Vulg. : abominatione, et immunditia.

« Et errare fecerunt Ægyptum, etc. » Ebrius, quando vomit, ab ebrietate solet aversari, et voluntas bibendi vertitur in fastidium. Quidam autem aureo calice mundi inebriati, licet quandoque per confessionem evomant, nihilominus ad vomitum revertuntur, ut iterum inebrientur. Sequitur : *Nudaberis;* de qua nuditate, Isaiæ (20, 3 et 4) : « Sicut ambulavit servus meus Isaias nudus, et discalceatus : sic minabit rex Assyriorum captivitatem Ægypti. » Hoc erit in futuro. Item Apocalypsis (16, 15) : « Beatus, qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet. » Erit igitur Dominus memor filiorum Edom tunc, quando scilicet, ut dicit Abdias (1, 21) in fine, *ascendent salvatores ad montem Sion,* idest Apostoli, per quorum ministerium salus facta est in Ecclesia, *judicare montem Esau,* scilicet elationem malorum : *et erit Domino regnum,* videlicet sancti, in quibus Deus regnat in æternum.

SERMO CCLVIII.

Quod imitari debemus Angelos in humilitate, in dilectione, et in contemplatione.

In conspectu Angelorum psallam tibi : orabo (1) *ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.* (Psal. 137, 1 et 2.)

Psallentes Domino, intueri, sive conspicere debemus Angelos, ut imitemur eos in humilitate. Ut enim ait beatus Bernardus (2). « In supernis spiritibus non solum admirabilis dignitas, sed etiam dignatio admirabilis (3) invenitur, quoniam omnes sunt administratorii spiritus, missi propter eos, qui capiunt hæreditatem salutis (4), quia eorum rex non venit ministrari, sed ministrare (5), qui licet tanto sit excellentior Angelis, tanto se minori ministerio mancipavit, quoniam minusti eum paulo minus ab Angelis (Ps. 8, 7). Qui non solum ministravit, sed etiam ministraturus est; unde in Canticis (2, 8) : « Ecce venit saliens in montibus, transiliens colles? » In montibus, idest Angelis majoribus : transiliens colles, idest ministerium Angelorum. Angeli enim majores, et minores de alieno offerunt, quia ab hominibus materiam offerendi accipiunt, scilicet bona opera, quæ Deo Patri præsentant, et ministrant. Christus vero de seipso, imo seipsum ministravit, et adhuc non desinit ministrare. Unde in Apocalysi (8, 3 et 4) : « Data sunt ei incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum : Et ascendit fumus incensorum de manu Angeli coram Deo. » Ecce quomodo Angelus offert de nostro.

Item psallentes Domino, inspicere debemus Angelos, ut imitemur in dilectione, ut diligamus, sicut et ipsi diligunt. Diligunt enim nos propter Dominum Deum suum; propter nos etiam diligunt nos ; et propter se. Propter Deum, quia nos sumus catelli sub mensa Domini : ut vulgo dicitur : Qui diligit dominum, diligit et catellum suum. Propter nos, quia rationales sumus, sicut ipsi ; et in nobis libenter suam speciem considerant, juxta illud Job (5, 24) : « Visitans speciem tuam, idest nos, non peccabis. Propter se etiam, quia de nobis ruina angelica est reparanda ; unde ipsi clamant pro nobis ad Dominum, dicentes : « Benigne fac in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri tui Jerusalem (Psal. 50, 20), qui destructi sunt in casu peccantium Angelorum. Diligamus igitur nos, sicut et ipsi diligunt. Non sit zelus, et contentio inter nos, sicut nec inter ipsos, ne improperent nobis illud Apostoli : *Cum sit zelus, et contentio inter vos :* nonne homines estis? *nonne carnales estis* (6)? Et recedentes a nostra protectione, et communione, dicant : Non permanebimus cum hominibus istis, quia caro sunt.

Circumspicere etiam debemus Angelos propter illud, quod dicitur in Evangelio a Domino (Matth. 18, 10) : « Videte, ne contemnatis unum de his pusillis; dico enim vobis, quia Angeli eorum vident semper faciem Patris mei. » Cum scandalizatur quis a nobis de minoribus, Angeli querimoniam deferunt coram Domino. Hoc notandum, et circumspiciendum circa Angelos; quoniam, ut dicit Gregorius (7) : « Sic exterius implent ministerium, quod interius per contemplationem a Domino non recedunt, et quocunque mittuntur, intra ipsum existunt. » Sic et nos debemus facere, ut quocumque religiosus mittatur, intra claustrum se esse existimet quoad conversationem, et actus

(1) Vulg. : adorabo.
(2) Serm. I in festo S. Michaelis.
(3) In edit. amabilis.
(4) Hebr. 1, 14.
(5) Matth. 20, 28.
(6) I Cor. 3, 3.
(7) Hom. 34 in Evang.

sic expleat actionem, ut non vacet a contemplatione, mentis oculum ad Deum habendo; unde : Orabo ad templum sanctum tuum, idest in corde, vel pro æternis, ut sim socius Angelorum : *et confitebor nomini tuo*, quod est Emmanuel, hoc est, nobiscum Deus. Confitendum est ergo huic nomini; secure enim possumus ab eo indulgentiam, vel gratiam impetrare. Qui enim pro nobis se dedit, omnia nobis dabit; imo jam in se dedit omnia, juxta illud Apostoli : « Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum : quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? » (Rom. 8,31 et 32.)

SERMO CCLIX.

Qualiter Deus formavit Filium, et dedit eum in fœdus populi; et qualiter ipsum propter nos percussit; qualiter Christus per prudentiam suam percussit diabolum.

Tu formasti me, et posuisti super me manum tuam. Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, et non potero ad eam. (Psal. 138, 5 et 6.)

Loquitur Filius ad Patrem. De qua formatione, Isaiæ (49, 5) : « Formans me ex utero servum sibi. » Servus enim a servando dicitur; unde in eodem (49, 8 et 9) : « Servavi te, et dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, et possideres hæreditates dissipatas : ut diceres his, qui vincti sunt : Exite; et his, qui in tenebris » sunt : *Revelamini.* Christus ergo servus Dei Patris dicitur, quia servavit eum, et dedit eum ad hoc, ut esset in fœdus populi. Gentes in confirmatione fœderis solebant portam laniare, ad significandum, ita laniandum esse, quicunque fœdus infringeret. Judæi solebant aquam effundere, qua effusa, nihil in vase remanet. Christus in reformatione, et confirmatione fœderis inter nos, et Deum Patrem, non portam laniavit, non sanguinem hircorum, vel vitulorum obtulit, non aquam fluminis, sed sanguinem proprii corporis effundere voluit, ut firmum, et stabile esset fœdus. Sequitur : *Ut suscitares terram,* idest hominem in peccatis mortuum, cui dictum est: « Terra es, et in terram ibis. Et possideres hæreditates dissipatas, » idest populum Israeliticum, de quo dicit alibi (Isa. 19, 25): *Hæreditas mea Israel.* Hæc septa fuit, quandiu munitionem Dei, et auxilium (1) habuit; unde Isaiæ : *Sepivit eam, et lapides elegit ex ea;* sed ablata sepe, facta est, ut ibi dicitur, *in conculcationem,* patens viatoribus, et porcis immundis, videlicet dæmonibus. Item est, si intelligas de anima, quæ munita virtutibus (2) : destructa munitione, subjicit se dæmonibus conculcandam. *Ut diceres his, qui vincti sunt : Exite,* eorum solutis vinculis peccatorum; de quibus Isaiæ (52, 2) : « Excutere de pulvere, consurge; sede, Jerusalem : solve vincula colli tui, captiva filia Sion. » Excutere de pulvere, idest amore temporalium : *consurge*, idest expedito mentis cursu veni ad Dominum : *sede* cum Job (2, 8) *in sterquilinio,* idest in recordatione vilitatis, cum *testa* pœnitentiæ *radens saniem* peccatorum. Et sequitur : *His, qui in tenebris sunt: Revelamini;* de quibus tenebris Isaiæ (60, 1) : « Surge, illuminare, Jerusalem : quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. »

Sequitur : *Posuisti super me manum tuam,* quia videlicet me percussisti; de qua, Isaiæ dicit Deus : *Propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepultura, et divites pro morte sua* (3). Pro impiis enim, idest gentibus, et divitibus, idest Judæis de lege gloriantibus, Deo Patri acquirandis percussus est Christus, mortuus, et sepultus.

Sequitur : *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Hoc dicit Filius Patri : *Mirabilis facta est scientia,* sive prudentia. Sicut enim hydrus involvit se luto, ut absorbeatur a crocodilo, et absorptus dirumpat crocodilum; ita Christus involutus est luto carnis nostræ, ut dirumperet diabolum, de quo

(1) *Quandiu munitionem Dei, et auxilium, etc.* S. Hieronymus lib. II Commentar. in Isa., cap. 5: « Per metaphoram, ait, vineæ describit populum Judæorum, quem sepsit angelorum auxilio; et infra : Quoniam feci vineæ meæ cuncta, quæ debui, et pro uvis attulit labruscas, auferam universa, quæ dederam. Tollam angelorum auxilia, etc. » Et lib. XIV, cap. 52 : « Certe ad angelicas potestates, et præsides templi angelos loquitur Deus : Quid hic facitis? cur non relinquitis populum blasphemantem? Quod et Josephus. lib. VI de bel. Jud., cap. 12, refert : Apertis repente januis templi, et sponte reseratis, quas multi homines claudere vix poterant, vocem de adytis templi exisse dicentium : Transeamus ex his sedibus. »

(2) Glossa ord. in cap. 5 Isa.

(3) Isa. 53, 8 et 9.

per mortem mirabiliter triumphavit. De hoc Job (26, 12 et 13) « Prudentia ejus percussit superbum; et obstetricante manu ejus eductus est coluber tortuosus. » Mulier non bene potest parere, nisi adsit obstetrix, per cujus manum educitur partus : sic nec anima potest Deo parere fructus dignos pœnitentiæ, nisi per manum Domini educantur, Bene autem dicit : « Prudentia ejus percussit superbum; quia non Dei potentia, cum de facili hoc posset, sed prudentia (1) hoc fecit. Hæc est clavis David, quæ aperit, et nemo claudit, et e converso (2). Clavis, quandiu est in ostio, potest converti hac, et illac, ut claudatur ostium, vel aperiatur. Sic divina prudentia nobis est modo quasi in ostio; per eam enim possumus, vel reserare, vel claudere nobis ostium beatitudinis : sed in futuro, remota clavi de ostio, non habebit potestatem claudendi, vel aperiendi. *Confortata est*, quoniam percussit inimicum : *et non potero ad eam;* quasi dicat : Ad eam prudentiam non potero comparare prudentiam, vel virtutem aliquam; quia, ut dicit Augustinus (3) : Alius modus (4) nostræ redemptionis fuit Deo possibilis, sed nullus convenientior fuit.

SERMO CCLX.

Qualiter gratia Dei communis est omnibus sicut sol; qualiter Deus suos honorat; qualiter nox adversitatis sicut dies illuminatur, et dies prosperitatis et nox obscuratur.

Tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur : sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus. (Psal. 138, 12.)

Tenebræ non obscurabuntur a te. Per tenebras intelliguntur peccatores, qui non non obscurantur a Domino; imo facit quantum in eo est, in illuminentur, unde ispe est *lux in tenebris, et tenebræ eum* (5) *non comprehenderunt*, (Joan. 1, 5) quia caritatem non habuerunt. Caritas est fons proprius, cui non communicat alienus; unde in Proverbiis (5, 16 et 17). « Aquas tuas divide. Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui. » Aquas gratiæ, et misericordiæ suæ dividit Deus, et expandit, sicut sol radios, paratus eas infundere cuilibet. Si enim homo faciat quod suum est, et Deus non omittet, quod suum est, facere. Alieni autem a caritate non sunt participes aquarum istarum salientium in vitam æternam :

(1) *Sed prudentia, etc.* Est sententia S. Gregorii, lib. XVII Moral. in cap. 26 Job, num. 46 et 47, edit. Maur. Paris. Tom. I, col. 552 et 553 dicentis : « Vigilanter intuendum puto, quod vir iste prophetico plenus spiritu superbum diabolum prudentia Dei potius maluit dicere, quam fortitudine esse percussum. Non enim ait, *fortitudo* sed *prudentia* ejus percussit superbum. Nam quamvis, sicut dictum est, propter naturam simplicem, Dei fortitudo sapientia sit : Dominus tamen diabolum, quantum ad faciem spectat, non virtute, sed ratione superavit. » Eadem scribit S. Bernardus Hom. 2, super *Missus est*, tom. III edit. Maur. Paris., vol. I, col. 747, num. 13 : « In hoc tam magnifico opere suo, nostræ videlicet reparationis, non tantum potentiam suam, sed et prudentiam ostendere voluit. Et quanquam illud aliter, quomodo vellet, perficere potuisset; placuit ei tamen eo potius et modo, et ordine hominem sibi reconciliare, quo noverat cecidisse : ut sicut diabolus prius seduxit feminam, et postmodum virum per feminam vicit : ita prius a femina virgine seduceretur, et post a viro Christo aperte debellaretur : quatenus malitiæ fraudi dum ars pietatis illuderet, ac maligni fortitudinem Christi virtus contereret, diabolo Deus et prudentior appareret, et fortior. » Præivit his Patribus S. Augustinus, qui lib. XIII de Trinitate, cap. 13, ait : « Non autem diabolus potentia Dei, sed justitia superandus fuit; » et sequenti cap. 14 : « Quæ est igitur justitia qua victus est diabolus? Quæ, nisi justitia Jesu Christi? Et quomodo victus est? Quia cum in eo nihil morte dignum inveniret, occidit eum tamen. Et utique justum est, ut debitores, quos tenebat, liberi dimittantur, in eum credentes, quem sine ullo debito occidit. » Et Serm. 130, de verb. Evang. Joan. 5, num. 2 : « Incidimus in principem hujus sæculi, qui seduxit Adam, et servum fecit, et cœpit nos tanquam vernaculos possidere. Sed venit Redemptor, et victus est deceptor. Et quid fecit Redemptor noster captivatori nostro? Ad pretium nostrum tetendit muscipulam crucem suam : posuit ibi quasi escam sanguinem suum. Ille autem potuit sanguinem istum fundere, non meruit bibere. Et in eo quod fudit sanguinem non debitoris, jussus est reddere debitores; fudit sanguinem innocentis, jussus est recedere a nocentibus.

(2) Apoc. 3, 7.

(3) *De Trinit.*, lib. XIII, cap. 10.

(4) *Alius modus, etc.* In edit. Maur. Antwerp., tom. VIII, col. 663, num. 13, sic legitur : « Eos itaque qui dicunt : Itane defuit Deo modus alius, quo liberaret homines a miseria mortalitatis hujus, ut unigenitum Filium Deum sibi coæternum, hominem fieri vellet, induendo humanam animam et carnem, mortalemque factum mortem perpeti? parum est sic refellere, ut istum modum, quo nos per Meditatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum Deus liberare dignatur, asseramus bonum, et divinæ congruum dignitati : verum etiam ut ostendamus, non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati cuncta æqualiter subjacent, sed sanandæ nostræ miseriæ convenientiorem modum alium non fuisse, nec esse oportuisse. »

(5) Vulg. : eam.

sed ipse solus, caput cum membris eas habet.

Vel per tenebras intelliguntur adversitates, quæ non obscurantur a Domino, sed illuminantur, ut sit gloriosum esse in adversis, sicut in prosperis. Esther (6, 9) : *Sic honorabitur, quem* (1) *rex voluerit honorare*. Hic est honor, quem rex noster exhibet amico suo, quem vult honore regio sublimare, ut vestimentis regis, et corona, videlicet panniculis, et spinarum memoria, quibus coronatus fuit, illum induat, et passionis suæ imitatorem efficiat. In Joanne (2) : *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra*. Mundum vincit, qui non extollitur prosperis, nec frangitur adversis; et hoc fit per fidem. Qui enim veram habet fidem, Christo vult assimilari patiendo adversa, non dissimilari inhærendo prosperis.

Et nox sicut dies illuminabitur. De hoc Job (17, 11 et 12) : « Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum. Noctem verterunt in diem, et rursus post tenebras spero lucem. » Dies sunt prosperitates quæ cito transeunt. Cogitationes torquentes cor sunt curæ, et meditatio terrenæ prosperitatis, quæ cum ipsa prosperitate de facili dissipantur. Dissipatæ autem cogitationes noctem vertunt in diem, ut dicit Gregorius, (3) quia justis quandoque ex adversitate amplius placet mala perpeti, quam ex prosperitate terrenæ dispensationis cura fatigari.

Sequitur : *Sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus*. Lumen peccatorum prosperitas est, quod tamen fiet tenebra; unde Job (18, 6) : « Lux obtenebrescet in tabernacolo illius, et lucerna, quæ super eum est extinguetur. » Lux in tabernaculo impi obtenebrescit, quia in ejus animo gaudium deficit, quod de temporalibus fuit. Lucerna in pelle, gaudium est in carne, quod de facili sicut lucerna extinguitur. Super eum autem dicitur esse, quia mens impii a terreno gaudio tota possidetur. Vel tenebræ sunt peccata, quæ dum quis non confitetur, suas tenebras obtenebrat : Cum autem confitetur, Deus illuminat; unde Isaiæ (58, 10): « Orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies. » Confitendo enim, lux gratiæ in mente oritur illuminans tenebras peccatorum. Job (3, 4) : « Dies illa vertatur in tenebras, non requirat eam Deus desuper, et non sit in recordatione (4), et non illustretur lumine. » Dies in tenebras vertitur, cum prosperitatis delectatio in dolorem pœnitentiæ commutatur. Et tunc non requiretur a Deo, ut in judicio puniat; nec illustrabitur lumine, ut arguat : sed quasi tegetur, ut ad mentem judicantis non redeat. Si enim tegis, Deus detegit : si detegis, Deus tegit.

(1) Vulg. : quemcumque.
(2) I Joan. 5, 4.
(3) Moral. lib. XIII, in c. 17 Job, num. 47.
(4) *Et non sit in recordatione*. Id *in Hebræo* non legi, *nec in libris correctis* notat noster Lyranus in postilla. In aliquibus tamen codicibus MSS. et impressis haberi testatur P. De la Haye in Bibl. Max.

SERMO CCLXI.

De resurrectione Christi, et qualiter nobis januas cœli aperuit; et qualiter per vulnera sua, nostra sanavit. De resurrectione nostra.

Surrexi (1), *et adhuc tecum sum*. (Psal. 138, 18.)

Resurrexit Dominus, per suam resurrectionem nostram confirmans, et certificans resurrectionem. Isaiæ (22, 20 ad 23) : « In die illa vocabo servum meum Eliacim : et dabo clavem domus David super humerum ejus : et aperiet, et non erit qui claudat; et claudet, et non erit qui aperiat. Et figam illum paxillum in loco fideli. » Eliacim interpretatur Domini resurrectio, et significat Christum qui est resurrectio nostra, in præsenti animam faciens resurgere a peccatis, in futuro corpora a pulveribus. Super humerum Deus Pater posuit clavem domus David, idest crucem, quæ clavis est, januas aperiens paradisi homini. Unde est, quod claudit? Claudit eas malis, et non est, qui aperiat. Quare ergo remanet quis extra paradisum, ex quo fabricata est clavis paradisi in fornace passionis, quæ omnibus aperiret, si vellent? Quare quis mortuus remanet, cum mors mortificata sit per nostram resurrectionem resurgentem? Et figam illum paxillum, cui videlicet innitantur debiles, et infirmi : In loco fideli, idest in Ecclesia. Jeremiæ (8, 21 et 22) : « Stupor obtinuit me. Numquid resina non est in

(5) Versio Arabica, Vulg. : Exurrexi.

Galaad? aut medicus non est ibi? Quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei? » Admiratur Jeremias, quomodo cicatrix peccati in populo non obducatur, et vulnera non curentur, cum sit ibi optimus medicus, scilicet Christus, et medicina efficax, resina terebinthina, quæ est melior inter ceteras; sanguis videlicet Jesu Christi valens ad curandas animæ, et corporis ægritudines. Quare ergo non sanatur omnis infirmitas, cum talis sit medicina?

Item in eodem (51, 8) : « Ululate super eam, tollite resinam ad dolorem ejus, si forte sanetur. » Hoc dicit Deus Angelis, et prædicatoribus tanquam medicis in verbo Dei curantibus. Et quia homines nolunt curari, respondent Angeli : « Curavimus Babylonem, et non est sanata (Jer. 51, 9),» quasi dicant: Non est vitium artis, vel resinæ : sed quia contemnunt obedire. Et post subditur : « Derelinquamus eam, et eamus, unusquisque in terram suam,» ad proprium videlicet, et domesticum negotium. Ecclesiastici (38, 7) : « In his curans mitigabit dolorem, et unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis. » In hominibus quidem peccatorum ulcere vulneratis Deus mitigavit dolorem, conferendo aromata, sicut pigmentarius; unde : « Attritus est propter scelera nostra, et disciplina pacis nostræ super eum, cujus (1) livore sanati sumus (53, 5). Amos in fine (9, 11) : « In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit, et reædificabo aperturas murorum ejus, et ea, quæ corruerant, instaurabo, et reædificabo eum (2). » In die illa, scilicet resurrectionis Christi, dicit Deus Pater, suscitabo taberculum David, idest corpus Christi manu fortis, et aspectu desiderabilis, quod cecidit per mortem. « Et reædificabo aperturas murorum ejus.» Per resurrectionem enim Christi firma, et certa spes data est sanctis, qui sunt ædificati in Ecclesia, quod reædificabuntur et ipsi per resurrectionem generalem; et ea, quæ corruerant, instaurabuntur.

Sequitur : *Et adhuc tecum sum.* Resurrexit Christus, et adhuc cum Patre est in dextera ejus, scilicet occultus, donec manifeste videatur in judicio, quando dabit voci suæ vocem virtutis (3), et suscitabit corpora de monumentis. Unde Ezechielis (37, 4 ad 6) : « Ossa arida audite verbum Domini. Hæc dicit Deus ossibus his : Ecce ego intromittam in vos spiritum, et vivetis, Et dabo super vos nervos, et succrescere faciam in vos carnes, et superextendam in vobis cutem, et dabo vobis spiritum, et vivetis. » Et infra (Ibid. v. 9) : «A quatuor ventis cœli veni spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant. » Et Isaiæ (26, 19) : «Expergiscimini, et laudate, qui habitatis in pulvere; quia ros lucis ros tuus. » Pulvis, qui aridus est, et in se dispersus, solet compingi, et coadunari per rorem. Sic corpora, quæ arida sunt, et dispersa, compingentur in resurrectione. Sed quia in compactione pulveris aliquid extrinsecus per rorem additur : ne idem in resurrectione videatur fieri, caute adjungitur : Quia ros lucis ros tuus. Sicut enim per lucem in vitro lucente nihil extrinsecum commiscetur : sic semetipsa redintegrabuntur a suo creatore. Unde Job (14, 7) : « Lignum habet spem : si præcisum fuerit, rursum virescit, et rami ejus pullulant. » Lignum si præcisum fuerit, scilicet corpus hominis, si fuerit per mortem præcisum, spem habet resurrectionis, quia rursum virescit in resurrectione. Et « si senuerit in terra radix ejus, et in pulvere mortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, et faciet comam quasi cum primum plantatum est (Ibid, 14, 8 et 9). » Ad odorem dicit, non ad commixtionem aquæ, quia ita reparabitur, quod nihil extrinsecum admiscebitur.

SERMO CCLXII.

Qualiter Deus probat hominem per tribulationem, et increpat per dolorem, et cognoscit cor ejus; qualiter interrogat, et interrogabit in judicio.

Proba me, Domine (4), *et scito cor meum: interroga me, et cogn sce semitas meas.* (Psal. 138, 23.)

Probat tentationibus, quia scit illud, quod dicitur in Ecclesiastico (6, 7) : *Si possides amicum, in tentatione possideas* (5) *illum;* Et in eodem (4, 18) : « In tentatione am-

(1) Vulg. : et livore ejus.
(2) Vulg. : illud.
(3) Psal. 67, 34.

(4) Vulg. : Deus.
(5) Vulg. : posside.

bulat cum eo, et in primis elegit eum, videlicet ab æterno; Et iterum (Ibid. 4, 19): « Timorem, et metum, et probationem inducet super illum, et cruciabit illum in tribulatione doctrinæ suæ. » Tribulatio enim ejus doctrina est, quæ fingit dolorem in præcepto; unde Job (22, 19) : « Increpat per dolorem in lectulo ejus, et omnia ossa marcescere facit. » Ossa sunt virtutes, de quibus non poterimus inflari, cognito infirmitatis nostræ tædio, sed extenuamur, et omnis nostra gratulatio anxietate turbatur. Dicit Gregorius (1) : Eorum lectus requies est temporalis. Increpat igitur Deus per dolorem in lecto, quia mundi hujus iter asperum facit, ne dum quisque præsentis vitæ requie, quasi viæ amænitate pascitur, magis eum diu pergere, quam citius pervenire delectet. Unde sequitur (33, 20) : Abominabilis fit ei in vita sua panis, et animæ illius cibus ante desiderabilis, quia dum talis pulsatur tentatione, a mente gaudium omne respuitur, quæ prius eodem gaudio quasi satiata lætabatur : Tabescet caro ejus, et ossa quæ tecta fuerant, nudabuntur (Ibid. v. 21); quia dum flagellis arguentibus carnalis delectatio extenuatur, ea, quæ quasi sub carne latuerant, virtutum fortia patefiunt. Nemo quippe quantum profecerit, nisi inter adversa cognoscitur.

Sequitur : *Et scito cor meum, et cognosce semitas meas.* Scit Deus corda, et cognoscit semitas hominum; unde in Proverbiis (16, 2) : «Omnes viæ hominis patent oculis ejus; » Ecce semitarum cognitio : Spirituum ponderator est Deus; Ecce cordium, et cogitationum certa comprehensio. Frequenter enim homo intentione sua fallitur, puta in opere de genere bonorum, cum credit esse vitæ meritorium. Sed Deus comprehendit infallibiter, et certa libra cuncta ponderat, et mensurat. Sequitur : *Interroga me.* Interrogat Dominus nos, sicut interrogavit Adam : Adam *ubi est* revocans eum ad considerationem sui. Et in libro Ecclesiastes (8, 5) : « Tempus, et responsionem cor sapientis intelligit » Tempus, idest temporis brevitatem, et responsionem, quomodo scilicet debeat respondere in judicio de operibus suis Domino interroganti, hoc sapiens intelligit, et de interrogatione illa seipsum interrogat. Item in Ecclesiastico (18, 20) : « Ante languorem adhibe medicinam, et ante judicium interroga teipsum. » Ante languorem, idest antequam fœtes cum Lazaro per peccati consuetudinem, adhibe medicinam pœnitentiæ; Et ante judicium interroga teipsum, ne a Domino interrogeris. Et in eodem (16, 22) : « Longe est testamentum a quibusdam, et interrogatio omnium in consummatione est, » Et iterum : Anima vitalis denuntiat (2) ante faciem ipsius.

SERMO CCLXIII.

Quod Deus est virtus nostra, et salus, et ab eo procedit salus, a nobis perditio; et quidquid mali habemus, a nobis est: ab ipso autem bonum.

Domine, Domine, virtus salutis meæ : obumbrasti super caput meum in die belli. (Psal. 139, 8.)

Virtus salutis meæ Deus. A ipso enim mihi salus, a me vero perditio; unde Osee (13, 9) : « Perditio tua, Israel : tantummodo in me auxilium tuum; » quidquid enim mali habemus, a nobis habemus : a Deo autem bonum. Ipse est salus in die belli, idest tribulationis, de quo Job (40, 27) : « Memento belli, nec ultra addas loqui; » ac si dicatur : Si oculi mentis bellum consideras, quidquid a me pateris, non accusas : a me enim dispensationis medicamine agitur, ut exterioribus doloribus internum vulnus adimatur, et flagellorum sectionibus repellatur ea, quæ mentem occupare potest, interior putredo vitiorum (3).

Non tradas me a dsiderio meo peccatori; quasi dicat : Non permittas, ut per desiderium meæ concupiscentiæ pandatur introitus diabolo, et sic intret ad me. Nahum in in fine (3, 13 et 14) : « Adapertione portæ pandentur terræ tuæ, devorabit ignis vectes tuos. Aquam propter obsidionem hauri tibi, extrue munitiones tuas. » Per desiderium enim concupiscentiæ panduntur portæ quinque sensuum; et sic ignis cupiditatis, et luxuriæ ad terram mentis intrans devorabit vectes tuos, idest fortitudinem vi-

(1) Moral. lib. XXIII in c. 33 Job, n. 46 et 47.
(2) Vulg. : denuntiavit.

(3) Ex S. Greg., lib. XXXIII Moral. in c. 40 Job.

rium (1) naturalium, quæ debent obstare, ne hostes intrent. Si ergo times hostium obsidionem, hauri tibi aquam videlicet lacrymarum, de quibus dicitur (Psal. 41, 4) : « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte. » Ut enim in Genesi (4, 7) dicitur : « Si male egeris, statim in foribus peccatum aderit. » Cavendum est ergo, ne cum primis motibus tentamur, per desiderium pravum diabolo mentis portas aperiamus, et intrans ad animam, privet eam vita sua. Legitur in secundo Regum, quod inimici Isboseth ferentes spicas tritici intraverunt domum ejus, et ostiaria purgante triticum dormiente, interfecerunt eum percussum in inguine. Isboseth vir confusionis interpretatur. Qui igitur forti virtutum custodia discutiendo virtutes a vitiis separat, si obdormierit, ad interficiendum malignis spiritibus ostium pandet (2) : Qui ingressi spicas afferunt, virtutes tollunt, in inguine feriunt. In inguine ferire est vitam mentis carnis delectatione perforare.

Obumbrasti super caput meum, ne super me caderent prunæ ab olla succensa a facie Aquilonis ; de quibus Job (41, 12) : « Halitus ejus prunas ardere facit. » Diabolus prunas accendit, quando mentem occulta suggestione pertrahit. Sequitur : *In ignem dejicies eos, in miseriis non subsistent.* Vas luteum in igne solidatur. Adam de luto factus, in justitia, qua creatus est, non substitit; quod videns Deus misit hominem in ignem tribulationis, et miseriæ, ut ibi consolidetur : sed nec sic homo subsistit, imo dejicitur ; et ideo dicit : *In ignem dejicies eos.*

SERMO CCLXIV.

Quomodo Propheta petit, ut Deus ponat custodiam ori suo; ut cor sit continens, congregatum, simplex, sanctum, prudens, et amarum.

Pone, Domine, custodiam ori meo etc. (Psal. 140, 3 et 4.)

Pone custodiam ori, ut cor sit continens, congregatum, simplex, sanctum, prudens, et amarum. Ecclesiastici, (30, 24) : « Contine, et congrega cor tuum in sanctitate ejus, et tristitiam longe repelle a te. » Contine, idest simul tene, juxta illud in eodem (18, 30) : « Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. » Congrega, scilicet in unum, non disperge in varias cogitationes; unde in eodem (5, 11) : « Non te ventiles in omnem ventum, et non eas in omnem viam ; » et in Psalmis (146, 2) : « Ædificans Jerusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit. » Dominus enim cogitationes cordis, quæ prius dispersæ fuerant, ad unum congregat, ut ædificentur muri Jerusalem, idest virtutum in anima. Contrarium fit in malis; unde Jeremiæ (13, 24) : « Disseminabo eos quasi stipulam, quæ a vento rapitur (3); » Et Ezechielis (36, 19) : « Dispersi eos in Gentes, et ventilati sunt in terras : juxta vias eorum, et adinventiones judicavi eos. » Dispersi eos permittendo, in gentes, idest in vitia, et ventilati sunt in terras amore vario terrenorum ; juxta vias eorum, et adinventiones eorum, idest diversas cogitationes eorum, et multiplices, judicabo eos. De cordis simplicitate habetur Ecclesiastici (3, 28) : « Cor ingrediens duas vias, non habebit successus, et pravus corde in illis scandalizabitur. » De sanctitate, in eodem (3, 27) : « Cor durum habebit male in die novissimo : et qui amat periculum, in illo peribit : » Et iterum (3, 29) : « Cor nequam gravabitur in doloribus, et peccator adjiciet ad peccandum. » De prudentia cordis habemus in eodem (3, 32) : « Sapiens cor et intelligibile abstinebit se a peccatis, et in operibus justitiæ successus habebit ; » Et alibi (37, 17) : « Cor boni consilii statue tecum : non est enim aliud tibi plus (4) illo. » De amaritudine cordis habemus in Proverbiis (4, 10) : « Cor, quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extraneus. »

Item, *Pone custodiam ori meo*, ut non inde procedat verbum mendax, juratorium, indisciplinatum, improvidum, excusatorium. Ecclesiastici (22, 33) : « Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea si-

(1) Idest fortitudinem virium etc. Utitur interpretatione S. Hieronymi, Comment. in Nahum cap. 3, qui ait : Porro quod dicitur : *Comedit* (sic legunt LXX) *ignis vectes tuos* : hujuscemodi est. Si quid naturalis boni in anima tua videbatur esse, quod in similitudinem vectium hostes, qui per portas sensuum tuorum conabantur irrumpere, prohibere posset et repellere : hoc Babylonio igni succensum est.

(2) Ex Glossa ord. in II. Reg. cap. 4.

(3) Vulg. : quæ vento raptatur.

(4) Vulg. : pluris.

gnaculum certum, ut non cadam ab ipsis, et lingua mea perdat me? » Et in Proverbiis (21, 23) : « Qui custodit os suum, et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam. » De verbo mendacii, Ecclesiastici (20, 27) : « Potior est fur, quam assiduitas viri mendacis; perditionem autem ambo hæreditabunt. » De verbo juratorio, Ecclesiastici (23, 9) : « Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa. » De verbo indisciplinato, in eodem (23, 17 et 18) : « Indisciplinatæ loquelæ non assuescat os tuum : est enim in illa verbum peccati. Memento patris, et matris tuæ, » idest Adæ, et Evæ, quorum uterque habuit verbum indisciplinatum; ut eorum exemplo te corrigas. De verbo improvido habemus in eodem (21, 29) : « In ore fatuorum cor illorum ; et in corde sapientium os eorum. » De verbo excusatorio habemus Ecclesiaste (5, 5) : « Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam ; » quasi dicat : Ne te excuses, ut te dicas ex carnis fragilitate peccare : neque dicas coram angelo, scilicet sacerdote, dum confiteris peccata tua : Non est providentia, sed casu aguntur omnia : ne forte iratus Deus super sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum.

SERMO CCLXV.

Quomodo sit orandum in conspectu Dei. Ut oratio effundatur cum abundantia, oportet, ut procedat ex mentis desiderio.

Effundo in conpectu ejus orationem meam, et tribulationem meam ante ispsum pronuncio. (Psal. 141, 3.)

Hic docemur, quomodo sit orandum. Orandum est ita, ut oratio effundatur cum abundantia in conspectu Domini, et cum defectu spiritus nostri. Quod autem sic effundatur oratio, oportet, ut procedat ex mentis desiderio, ita ut orans sit Daniel vir desideriorum. Ad hoc ut ascendat, oportet, ut sit Judith, quod interpretatur confessio. Hæc enim tollit nubem, quæ opponitur quibusdam, ne transeat oratio. Quod et faciat in conspectu Domini, et non hominum; et erit Esther, idest absconsa. Matthæi (6, 6) : « Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum, et clauso ostio, ora Patrem tuum. »

Signanter autem dicitur : *Effundo*, quasi ubique fundo. In toto corpore, et toto corde, et toto habitu debet extendi, et prætendi oratio, sicut legitur Esther (14, 1 ad 3) : « Confugit ad Dominum, pavens periculum, quod imminebat. Cumque deposuisset vestes regias, fletibus, et luctui apta indumenta suscepit, et pro unguentis variis, cinere, et stercore implevit caput, et corpus suum humiliavit jejuniis : omniaque loca, in quibus lætari consueverat, crinium laceratione replevit (1). Et deprecabatur Dominum. » Ecce qualiter corde, et habitu orationem complebat, vel orationi incumbebat. Sic debet etiam facere fidelis anima. Rejectis vestibus gloriæ temporalis, fletum, et luctum pœnitentiæ in oratione suscipiat, pro unguentis variis delectationum temporalium, *cinere*, idest memoria fragilitatis, *et stercore*, idest recordatione propriæ iniquitatis, mentis *caput* aspergat. De his *unguentis* dicitur in secundo Paralipomenon (16, 14), quod « posuerunt Asam super lectum suum, plenum aromatibus, et unguentis meretriciis, quæ erant arte pigmentariorum confecta. » Hæ sunt delectationes sæculi, quæ a dæmonibus, velut a pigmentariis arte maligna conficiuntur.

Sequitur de Esther, quæ corpus suum humiliavit jejuniis, quia fideliter orans maceratione carnis carere non debet. loca etiam, in quibus delectata fuerat, crinium laceratione replevit. Ita et omnia, quot in se habuit oblectamenta, tot de se inveniat holocausta. In ipsa etiam, secundum quod dicitur in hoc loco : Deficiendo ex me spiritum meum, defecerat spiritus superbiæ; nam dicebat (14, 16) : Tu scis necessitatem, et infirmitatem meam, et quod ego abominer signum superbiæ, et gloriæ meæ, quod est super caput meum in die (2) ostentationis meæ et detester illud quasi pannum menstruatæ. Ecce qualiter defecerat spiritus superbiæ, et vis propriæ confidentiæ. Unde sequitur (15, 10) : « Cum rex elevasset faciem, et ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit, et in pallorem colore mutato, lassum super ancillam (3) reclinavit caput. » Sic fidelis ani-

(1) Vulg. : complevit.
(2) Vulg. : diebus.

(3) Vulg. : ancillulam.

ma, quantumcunque ornatu virtutum, et decore polleat, ad Christum respiciens, quali ter venturus est ad judicium, caput mentis humiliat, et per humilitatem contemptus sui corruit, nullam habens de meritis suis fiduciam; et in hoc casu plus placet regi, et audit sicut Esther(15, 14) : *Accede, et tange sceptrum.* Tandem amplexu regio fruitur, et lætatur.

Sequitur : *Et tribulationem meam ante ipsum pronuncio;* illam scilicet, de qua in Threnis (1, 20) : « Vide, Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus, subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum. Vide, Domine, quoniam tribulor, variis doloribus scilicet interioribus vexor. *Venter meus,* idest mens mea conturbata est; unde Jeremiæ (4, 19) : *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo.* Quis autem sit dolor, ostenditur, in Isaia (37, 3) : « Quia venerunt filii usque ad partum, et non est virtus pariendi. » Cum enim debeat homo emittere, per confessionem partum peccati, et non possit emittere, tunc est in mente magna tribulatio, et dolor nimius. Subversum est cor meum, idest de cœlo ad terram versum. Et quia sic tribulatur, ideo petit : Vide, Domine, humilitatem meam, et laborem meum, et dimitte omnia delicta mea; Humilitatem idest vilitatem, de qua Job (30, 19) : « Comparatus sum luto, et assimilatus favillæ, et cineri; de quo Ecclesiastes (30, 10) : *Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea.*

SERMO CCLXVI.

Quare Propheta rogat Dominum, ut educat animam suam de carcere. Quid est carcer animæ.

Educ de custodia, vel *de carcere* (1) *animam meam ad confitendum nomini tuo.* (Psal. 141, 8.)

Carcer dicitur caro; unde Job (7, 12): « Numquid mare sum ego, aut cetus, quia circumdedisti me carcere? » Mare sunt corda amara carnalium tumidis cogitationibus fluctuantia. Cetus est diabolus. Mare ergo et cetus suis terminis coarctantur quia nec diabolus nec suis complicibus licet, quantum voluerint, sed quantum permissi fuerint, in bonos degrassari. Sed ego, dicit vir justus, qui corde in cœlo jam habito, cur *carcere* carnis circumdatus premor? Sed hoc est ex ipsius carnis maceratione vel corruptione ex peccato procedente; quia, ut dicitur Sapientiæ (9, 15) : Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam; et Job (10, 16) : Propter superbiam quasi leænam capies me, Leæna a venatoribus in fovea capitur, et in cavea constringitur catenis ferreis, ne exilire possit. Sic homo propter superbiam suam captus carcerem corruptionis pertulit, et eo sempter stringitur, ne per desideria evagare possit.

Carcer etiam dicitur Limbus inferni; unde Zachariæ (9, 11) : « Tu quoque in sanguine testamenti tui eduxisti (2) vinctos tuos de lacu, in quo non erat (3) aqua. Carcer etiam dicitur mundus. Hic est lacus ille, sive carcer, in quo erant septem leones, et Danielem ibi positum non tetigerunt, quia noluit gustare de cibo regio. Vir enim justus in hoc mundo positus, a septem vitiis principalibus non tangitur, cum se a mundi delectationibus moderatur. Item carcer Babylonis carcer est diaboli, idest peccati, in quo missus est Sedecias, cujus eruti sunt oculi, filii etiam interfecti, tandem turpiter denudatus (4) ignominiose laxatus est (5) inter hostes. Hic est peccator, qui peccati carcere concluditur, cum bona ejus opera per peccatum mortificantur, oculi spiritualium inspectores auferuntur, et turpiter nudatus virtutibus, inter hostes, idest dæmones cum ignominia propalatur. De hoc, Ezechielis (16, 39) : « Auferent vasa decoris tui, et derelinquent te nudam, atque plenam ignominia; et Jeremiæ (13, 26 et 27) : Ego nu-

(1) Versio Syriaca et Arabica; et S. August.
(2) Vulg. : emisisti.
(3) Vulg. : est.
(4) *Turpiter denudatus.* S. Hieronymus lib. I. Commentar. in Habacuc, cap. 2. in illud v. 15 : Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum, et inebrians, ut aspiciat nuditatem ejus. scribit : Contra Nabuchodonosor invectio est : quod oblitus conditionis suæ, et quasi ignorans se esse hominem, alteri homini fel, et amaritudinem propinavit. Possumus autem eum regem intelligere Judææ, vel generaliter omnes homines, quod inebriaverit eos malis, ut videret Sedechiæ et captivorum omnium nuditatem.
(5) *Laxatus est etc.* Consule Annotationem (2) ad Serm. LII col. 703.

davi femora tua contra faciem tuam, et apparuit ignominia tua, adulteria tua, et hinnitus tuus, scelus fornicationis tuæ. »

Sequitur : *Periit fuga a me.* Periit siquidem fuga ab incluso populo in carcere, et nisi eum Deus solverit, exire non poterit; unde in Threnis (3, 7) : » Circumædificavit adversum me, ut non egrediar : aggravavit compedem meum. » Carnis corruptio circumædificat adversus animam, ut ejus compedibus aggravata, ad bene operandum exire non valeat. Compedes aggravantur, quando miseriæ, et corruptioni voluntas additur, juxta illud Job (30, 3) : Squallentes calamitate, et miseria. Nullus enim, ut dicit Gregorius (1), calamitate squalleret, si in suis necessitatibus miseriæ voluptatis non adhæreret. De conclusione secundi carceris dicitur in Isaia (42, 6 et 7) : « Servavi te, et dedi in fœdus populi, ut educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. » De tertia conclusione, Job (19, 12) : « Simul venerumt latrones ejus, et fecerunt sibi viam per me, et obsederunt in gyro tabernaculum meum.» De quarta conclusione, in Threnis (3, 9) : Conclusit vias meas lapit dibus quadris, idest peccatis, quæ haben sex latera. Primum latus sunt primi motus ad peccandum : Secundum, delectatio : Tertium, consensus : Quartum, operis executio : Quintum, consuetudo : Sextum, desperatio, sive præsumptio.

De his carceribus conclusos educit Deus. De primo educet, quando corruptibile hoc induet incorruptionem (2). De secundo eduxit, quando, sicut dicitur in Epistola ad Colossenses (2, 14) : « Delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci. » Facto chirographo dividitur illud in duas partes, et altera illarum uni parti traditur, altera alteri commendatur, ut quandocunque partes illæ allatæ fuerint, et adunatæ, fiat ratum quod per eas factum est. Data est siquidem lex homini primo in paradiso; hæc scilicet : Quocunque die de ligno tali comederis, morieris (Gen. 2, 17). Factum est unde chirographum; et diviso illo, data est una pars homini, pars altera diabolo ad confirmationem pactionis. Facta autem transgressione, ne possent partes coadunari, et ratum haberi quod factum fuerat, delevit Christus sanguine suo proprio illud chirographum, et irritatum est. Numquid diabolus per eum vendicare putabat,? De tertio carcere educit Deus traducendo eos per mare hujus mundi in nube refrigerii contra tentationum ardorem, igne luminis contra ignorantiæ obscuritatem. De quarto eduxit, quando portas æreas contrivit, et vectes ferreos diabolicæ suggestionis confregit (Ps. 106, 16); quod factum est in passione sua, unde Isaiæ (43, 14) : Propter vos misi in Babylonem, subaudi, Filium meum, dicit Deus Pater, et detraxi vectes universos, et Chaldæos in navibus suis gloriantes, idest dæmones in mentibus inquietis, et fluctibus hujus mundi agitatis exultantes

SERMO CCLXVII.

Quomodo petit, quod Deus non intret cum eo ad judicium; et quomodo debemus nos judicare; et quomodo ipse judicabit.

Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, *quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* (Ps. 142, 2.)

Hoc judicium, quod timet iste intrare cum Domino, comminatus est Deus in alio Psalmo (74, 3), dicens : *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* Nunc nostrum est judicium, nunc subit Deus forum nostrum. Licet enim nobis judicare de nobis, scilicet nobiscum justitias, et opera conferre; quia si non judicaverimus nos in æquitate : cum tempus acceperit, justitias nostras, et opera, etiam de genere bonorum facta ipse judicabit. De judicio, quod nunc est, dicit Isaias (41, 26) : « Reduc me in memoriam, et judicemur simul : narra, si quid habes, ut justificeris, Arguit autem præsumentes de judicio in Jeremia (2, 29) : « Quid vultis mecum judicio contendere ? »

De districtione autem judicii, quam metuendum sit illud subire cum Domino, ostenditur per Malachiam (3, 2 et 3) : Ipse quasi ignis conflans, et quasi herba ful-

(1) Apud Gloss. ord. in hunc locum.

(2) I Cor. 15, 53.

lonum : et sedebit conflans, et emundans argentum, et emundabit, vel purgabit filios Levi. Super quem locum dicit Hieronymus (1). Si filii Levi, idest sacerdotes conflandi sunt, et purgandi; quid de ceteris dicendum est, cum judicium incipiat a domo Dei? Si autem et argentum camino ignis excoquetur, quid fiet de stanno, et plumbo? Istud judicium timebat Job, dicens (9, 30 et 31) : « Si lotus fuero quasi aquis nivis, et si fulserint velut mundissimæ manus meæ : tamen sordibus intinges me. » Aquæ nivis sunt lacrymæ pœnitentis resolutæ per calorem Spiritus Sancti : Manus mundissimæ sunt opera recta. Quantumcumque igitur loti fuerimus per lacrymas, quantumcumque mundi per recta opera, sordibus tamen intingimur, quia fomes peccati, quandiu vivimus, in nostro corpore radicatur. Unde consulto respondet in eodem (9, 14 et 15) : «Quantus ego sum, ut respondeam ei, et loquar verbis meis cum eo? Qui etiamsi, habuero quippiam justum, non respondebo sed meum judicem deprecabor; » et iterum (23, 6 et 7) : « Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat : Æquitatem proponat contra me, et perveniet (2) ad victoriam judicium meum ; » quasi dicat : Quis in examine justus inveniri valeat, si secundum majestatis suæ fortitudinem vitam hominum discutiat? Sed æquitatem, scilicet Christum mediatorem Dei, et hominum contra me ponat, ut per ejus electionem meipsum judicem; et sic perveniet judicium meum ad victoriam. Item (Job 31, 5 et 6) : Si ambulavi in vanitate, et festinavit in dolo pes meus : appendat me in statera justa, et sciat Deus simplicitatem meam. Verbum istud simile est præcedenti. Statera enim justa est Christus, in quo æqua lance præsentantur merita nostra, et in quo cognoscimus, quid minus in vita nostra habeamus. Quid enim faciam ut dicitur in eodem, (31, 14), cum surrexerit ad judicandum Deus? Vel secundum aliam translationem (3) : Si examinationem (4) mei faciat : quid respondebo illi?

Sequitur : *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* scilicet huic mundo; quia non justificatur, nisi qui mortuus fuerit peccato, sicut dicit Apostolus ad Romanos (6, 7) : « Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato; » et iterum (6, 6) : « Hoc scientes, quia vetus homo simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato » : Ille autem justificatur, qui potest dicere : *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* (Gal. 6, 14.) Non vivit mundo; non enim accepit Jacob uxorem de filiabus Heth, quod interpretatur vita, quia Christus illi animæ adhærere renuit, quæ delectationibus hujus sæculi vivit.

(1) Comment. in Malach. c. 3.
(2) Vulg. : perveniat.
(3) Versio græca LXX.

SERMO CCLXVIII.

Quomodo demonstrat Propheta, quam vilis sit homo ex se, quam magnus sit ex gratia.

Domine, qvid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum? (Psal. 143, 3.).

Insinuat Propheta in hoc loco, quam vilis sit homo ex se, quam magnus sit ex gratia. Quid sit ex se, ostendit Job (25, 6) : « Homo putredo, et filius hominis vermis ; » Et in Evangelio (Matth. 23, 31 et 32) : « Serpentes genimina viperarum, implete mensuram patrum vestrorum, » scilicet addentes peccata cumulo peccatorum vestrorum.

Sequitur : *Innotuisti ei.* Innotuit Deus illo signo, quod habetur in Luca (2, 12) : « Et hoc vobis signum : Invenietis infantem positum in præsepio ; » et in Habacuc (3, 2) : « In medio duorum animalium cognosceris (5) ; » et Isaiæ (1, 3) : « Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui : Israel autem me non cognovit. » Bruta cognoverunt Dominum suum ; et utinam nos homines, qui sumus animalia rationabilia, eum cognosceremus, et cognoscentes non rugiremus, ut onager, et non mugiremur ut bos ante præsepe vacuum. Job (6, 5) : Numquid rugiet onager cum habuerit herbam? aut mugiet bos, cum ante præsepe plenum steterit? » Jam enim plenum est præsepe nostrum pretioso fœno Incarnationis Jesu Christi ; et tamen, quod valde mirandum est, nos mugimus, vel rugimus esuriendo temporalia, nec dignamur

(4) Ibid. : inquisitionem.
(5) In Vers. græca LXX, et Arabica.

refici sanguine Jesu Christi. Bruta cognoverunt; et Israel non cognovit me, imo cognoscere noluit; unde Jeremiæ (2, 31) : « Numquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina? Quare ergo dicit populus meus : Recessimus, non veniemus ultra ad te? » quasi dicat : Ideo recessit, quia credit, quod ei adhærendo nullum ex eo fructum recipiat; et in eodem (2, 18) : « Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? et quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis? » In via quidem Ægypti, idest hujus mundi, aqua, idest delectatio turbida est, quia et turbationem, et iniquitatem mixtam habet. Et transitoria, quasi aqua fluminis, est fructificatio, vel delectatio temporalis; et tamen a carnalibus diligitur; unde in Threnis (4, 5) : « Qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis, et qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora, » idest immunditias.

Sequitur : *Aut quid est filius hominis, quia reputas eum*, idest tanti facis, ut recompenses? Non enim homo redimi poterat. Digna autem fuit hæc recompensatio, et congrua. Adam enim medius inter Deum, et hominem, quia factus est mortalis (1), et immortalis. Medius ergo inter Deum immortalem, et hominem mortalem, obedientiam postposuit, et post eam mortem incurrens, hominibus mortem induxit. Dei autem Filius, recompensare volens damnum, quod intulit, cum æqualis esset Deo, inter Deum, et hominem per carnem assumptam medium se fecit, et obedientiam præponendo, mortem incurrit, per quam ad immortalitatem homines reduxit.

Sequitur : *Innotuisti ei*; quia *apparuit benignitas, et humanitas Salvatoris nostri Dei* (Tit. 3, 4). Homini primo instituto in paradiso mandatum, et prohibitionem dedit: *De omni ligno paradisi comede : De ligno autem scientiæ boni, et mali ne comedas* (Gen. 2, 16 et 17). Ipse transgressus est; et ideo homini exulanti novum paradisum plantavit, et lignum vitæ, scilicet Christum in eo posuit, et mutata sententia mandatum dedit, ut de illo comedat homo, et vivat in æternum. *Innotuisti ei*, quando per Angelum nunciata est nativitas Salvatoris. In domo panis datus est nobis panis Angelorum: *Invenietis*, inquit, *infantem*. Infans iste senem lactat; ut enim dicit Augustinus (2) : Ideo verbum caro factum est, ut sic crescerem ad panem Angelorum : ut panem Angelorum manducaret homo, ipsum Verbum factum est caro, ut per carnem panis cœlestis transiret ad infantes.

SERMO CCLXIX.

Quomodo Deus inclinavit cœlos, quomodo plantavit; et quid intelligitur per cœlos.

Domine, inclina cœlos tuos, et descende : tange montes, et fumigabunt. (Psal. 143, 5.)

Inclinavit Deus cœlos, et *exinanivit se formam servi accipiens* (Philip. 2, 7). De qua inclinatione, Isaiæ (51, 26) : *Sub* (3) *umbra manus meæ protexi te, ut plantes cœlos, et fundes terram*. Cœlos inclinavit, quando cœlos plantavit. Quod plantatur, in terra plantatur. Cœlum ergo plantatur, quando Divinitas incarnatur (4). *Cœlos* plantavit, et *terram* fundavit, scilicet carnem. Plantati sunt cœli, vel inclinati in Incarnatione : fundata est terra in Ascensione. Quandiu enim vivimus, quandiu caro nostra in mundo versatur, fluit, et defluit. Cum autem *rapiemur obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus* (Thess. 4, 16), tunc terra nostra, idest caro fundabitur, ut effundat quod habet, et hauriat quod

(1) *Factus est mortalis, etc.* S. Augustinus, lib. VI de Genesi ad lit. cap. 25, agens de Adæ corpore, ait : « Illud ante peccatum, et mortale secundum aliam, et immortale secundum aliam causam dici poterat : idest mortale, quia poterat mori, immortale quia poterat non mori. Aliud est enim non posse mori sicut quasdam naturas immortales creavit Deus : aliud est autem posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis; quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ : a quo ligno separatus est cum peccasset, ut posset mori, qui nisi peccasset posset non mori. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Creatoris. »

(2) Ex Enar. I in Psal. 32, num. 6, et in Ps. 134, num. 5, et ex Serm. 97 de verb. Ev. Jo. 1 (al. 38 de verb. Dom.), num. 16.

(3) Vulg. : In.

(4) *Quando divinitas incarnatur*; idest, cum *Divinitas* per hypostaticam Verbi unionem *juncta fuit humanitati*, uti dixerat Sermone CLV, et alibi. Hic autem alludit ad præcedentia Apostoli verba, quibus inhærens etiam Glossa ord. ait : « Tunc innotuit, quando incarnatus apparuit. Inclina cœlos, quia hæc, nisi inclinata divinitate, fieri non poterant. Inclinati sunt cœli, quando honor et virtus supernorum ad hominem descendit, et forma Dei formam servi suscepit. »

non habet. Sic Majestas divina inclinata est, ut nobis effunderet quod habebat, scilicet divinatem, et a nobis hauriret quod non habebat, scilicet humanitatem. De hac inclinatione dictum est supra.

Simile habetur in alio Psalmo (17, 10 et 11) : « Inclinavit cœlos, et descendit, et caligo sub pedibus ejus; et ascendit super Cherubim. » Caligo ista sunt mali Angeli, qui et tenebræ alibi nuncupantur; ibi scilicet, ubi dicitur (Gen. 1, 4) : *Divisit* Deus (1) *lucem a tenebris.* Hæc *caligo* in descensu Christi fuit *sub pedibus ejus*, quia per Incarnationem conculcavit dæmonem, magnum serpentem antiquum (2), qui seduxit universum orbem : sed ascensus fuit *super Cherubim*, quia *elevata est magnificentia tua super cœlos* (3), Deus. Job (38, 14) : « Restituetur ut lutum signaculum. » In hoc duæ restitutiones notantur : quia sicut lutum restitutum est, sic signaculum restituetur. In plasmatione primi hominis spoliatum est lutum ita, quod si stetisset homo, nunquam restitueretur, quia nunquam moreretur, vel in terram redigeretur. Sed per peccatum restitutum est lutum, quando dictum est homini : *Terra es, et in terram ibis* (4). Sic restituetur signaculum, idest homo ad imaginem Dei factus. Qui enim per peccatum spoliatus est immortalitate, restituitur in præsenti per gratiam, et in futuro per gloriam immortalitate gaudebit.

Sequitur : *Domine, inclina cœlos tuos, et descende : tange montes, et fumigabunt.* Idem petit Isaias (64, 1 et 2) : « Utinam dirumperes cœlos, et descenderes : a facie tua montes defluerent. Sicut exustio ignis tabescerent, atque (5) arderent igni. » Utinam dirumperes cœlos a celando (6) Incarnationem : a facie tua montes defluerent. Hoc est, quod dicit Habacuc (1, 6) : « Incurvati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus. » Sicut exustio ignis tabescerent. Quod igne exuritur, fumum emittendo tabescit, et exinanitur. *Montes* igitur sicut exustio ignis tabescunt, et in fumum abeunt, quando homini igne divino accenso videtur, quod omnis firmitas, et soliditas temporalis sit quasi quiddam inane, et fumi recessus. Isaiæ (9, 18) : « Succendetur in densitate saltus, et convolvetur in superbia fumi, » idest ad modum fumi, cui comparatur superbia, quia quanto magis ascendit, tanto magis annihilatur, et tabescit. Concordat Zacharias (14, 12) : « Tabescet caro uniuscujusque stantis super pedes suos, et oculi ejus contabescent in foraminibus suis, et lingua eorum contabescet in ore suo. » Hoc facit ignis Spiritus sancti, ut caro, idest carnalitas uniuscujusque stantis super pedes suos » per pœnitentiam tabescat in eo : Et oculi concupiscentiæ in primis parentibus male aperti contabescant. Facit etiam, quod lingua ad loquendum soluta tabescat per silentium. Sequitur : *Et arderent igni*, igne illo scilicet, de quo dicitur : *Ignis a facie ejus exarsit, carbones succensi sunt ab eo* (Psal. 17, 9). A facie enim humanitatis a Christo assumptæ in nobis debet succendi caritas, et in consideratione ejus ii, qui *carbones* sunt, nigri scilicet fuligine, sive rubigine peccatorum, nullam scintillam caritatis habentes, accendi debent.

SERMO CCLXX.

De magnitudine Domini; quomodo laudandus; et quod magnitudinis suæ non est finis.

Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non finis. (Psal. 144, 3.)

Concordat Job (37, 23) : « Magnus fortitudine, et judicio, et justitia, et enarrari non potest. » Magnus fortitudine, superando adversarium; unde Isaiæ (27, 1) : In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, et grandi, et forti super Leviathan serpentem vectem, et super Leviathan serpentem tortuosum; et occidet cetum, qui in mari est. » In die illa, scilicet extremi judicii visitabit Dominus puniendo in gladio sententiæ suæ duro, cujus duritiam explicat Isaias (33, 14) : « Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Grandi, ut omnes comprehendat, quia neque ab oriente, neque ab occi-

(1) *Divisit Deus, etc.* S. Hieronymus, lib. II Comment. in Isa., cap. 5, vers. 20, ait : « In Barraba intelligamus diabolum, qui cum fit nox et tenebræ, tranfiguratur in angelum lucis..... Unde in Genesi mystico sermone narratur, quod diviserit Deus inter lucem, et tenebras. »

(2) Apoc. 12, 9.
(3) Psal. 8, 3.
(4) Gen. 3, 19, versio græca LXX.
(5) Vulg. : aquæ.
(6) Sic legitur. Forte legendum esset : *accelerando.*

dente, neque a desertis montibus quis effugiet, quoniam Deus judex est.» Et forti, ut nemo resistat. Ipse enim est Deus, dicit Job (9, 13), « Cujus iræ nemo resistere potest.» Visitabit, inquam, super Leviathan, qui serpens in terra, draco in aere, cetus in mari, scilicet in voluptuosis, superbis, et avaris potestatem exercens. Durus erit gladius contra mollitiem luxuriosorum, quibus diabolus est serpens : grandis contra pusillanimitatem avaritiæ, cui diabolus est cetus : et fortis contra vigorem superbiæ, cui diabolus vectis est. Ab hoc gladio non timet Mulier, quæ est amicta sole, et luna sub pedibus ejus (Apoc. 12, 1). Qui enim indutus est novo homine, scilicet Christo, qui est sol justitiæ, et temporalia conculcat sub pedibus ejus, ab illa sententia non timebit vectem. Hic est etiam malleus universæ terræ, ut dicit Jeremias (50, 23) : « Quomodo contritus est, et confractus malleus universæ terræ. » Iste malleus confringitur, cum tentationibus ejus non acquiescitur : Conteritur, cum justus evadens in fine salvatur. Hunc non timet vir justus, quia ut dicit Amos (7, 7) : « Dominus stat super murum litum ; » alia translatio (1) : Murum adamantinum. Super murum adamantinum Christus stare dicitur, quia ut dicit Origenes (2) : « Licet superstet malleus, et subjaceat draco quasi incus, non tamen frangitur justus. »

Magnus est igitur fortitudine : Magnus etiam judicio. Quod enim putatur ira, est gratia ; et quod putatur gratia, est ira. Quod putatur ira, est gratia ; unde Job (9, 9) : « Qui facit Arcturum, et Oriona, et Hyadas, et interiora Austri. » Arcturus in axe cœli septem stellis lucet, sumper versatur, nunquam mergitur. Hæc est Ecclesia, quæ septem dona gratiæ septiformis habens, ab axe veritatis lucet, et semper tribulatur, sed nunquam deficit, et in modum Arcturi versatur, et erigitur (3) ; unde addit, Oriona, quæ hiemali tempore oriuntur, et in ortu tempestates excitant, et mare, terrasque conturbant. Hi sunt martyres, quos dum cœlum, idest Ecclesia edidit, hiems, idest frigiditas malorum in tempestate exercuit, et non solum turbidos, sed etiam placidos in eorum necem erexit. Hyades nascuntur, cum sol calidior dies extendit. Hyados græce, pluvia latine ; unde Hyades a pluviis dicuntur, quæ ortæ faciunt, unde fruges uberius crescunt. Hi sunt Ecclesiæ doctores, qui subductis martyribus, eo tempore ad mundi notitiam venerunt, propter quos repressa hieme fides clarius lucet, et calet. Per Austrum fervor Spiritus sancti accipitur, quo dum repletus quisquam fuerit, ad amorem cœlestium ignescit. Magnus est judicio, quoniam quod putatur gratia, ira est frequenter ; unde Jeremiæ (51, 39 et 40) : « In calore eorum ponam potus eorum, et inebriabo eos, ut sopiantur, et dormiant sommum sempiternum, et non consurgant, dicit Dominus. Deducam eos quasi agnos ad victimam ; » quasi dicat : Juxta quod desiderant, dabo eis in eorum perniciem.

Magnus est justitia ; unde Evangelium (Lucæ 16, 26) : Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris » : Ecce justitia. Ideo petebat Habacuc (3, 16 et 17) : « Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat, » quasi dicat : Omnia partiar, totus in putredinem resolvar : Ut requiescam in die tribulationis, et ascendam ad populum accinctum nostrum ; qui scilicet de mundo triumphavit. Ficus enim, idest dulcedo sæculi non florebit, imo dicetur (Apoc. 18, 7) : Quantum glorificavit se, tantum date illi de tormentis. » Et non erit germen in vineis, imo in tristitiam convertetur lætitia, juxta illud Osee (2, 12) : « Corrumpam vineam ejus, et ficum ejus, de quibus dixit : Mercedes hæ meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei ; » et Joel (1, 10) : « Confusum est vinum, scilicet lætitiæ, elanguit oleum medicinale, quod enim putatur hic a voluptuosis medicinale, in languorem fiet eis.

SERMO CCLXXI.

Quod gloria regni est in remuneratione Sanctorum : potentia in percussione reproborum ; et quod gloria regni consistit in duplici stola, animæ scilicet, et corporis.

Gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur. (Psal. 144, 11.)

Gloria regni est in remuneratione Sanc-

(1) Versio græca LXX.
(2) In cap. 50 Jer.
(3) S. Gregor., lib. IX Moral., in cap. 9 Job.

torum: Potentia in percussione reproborum. Gloria regni consistit in duplici stola, animæ scilicet, et corporis. Septem autem erunt beatitudines in corpore, claritas, agilitas, subtilitas, soliditas, vel firmitas, immortalitas, fortitudo, voluptas. Priorum quatuor habemus exemplum in Sole: *Fulgebunt* enim *justi sicut sol in regno Patris* (1) *mei* (Matth. 13, 43); Ecce claritas. Et sicut sol emittit radios suos in momento ab oriente ad occidentem, sic justi, quamcito voluerint, ubicumque placuerit, ibi erunt; Ecce agilitas. Et sicut sol subtiliter intrat, vel perforat vitrum, sic Sanctos nulla soliditas retardabit; Ecce subtilitas. Et sicut sol nulla percussione læditur, sic Sancti nulla violentia lædi poterunt; Ecce soliditas vitæ. Sequuntur tres, immortalitas vitæ, scilicet indeficiens æternitas: Fortitudo, quia nihil eis poterit resistere: Voluptas, omnium sensuum deliciosa jucunditas.

Item septem erunt in anima, videlicet Sapientia, quæ resultabit eis dum videbunt Deum *facie ad faciem* (I Cor., 13, 12): ad Deum Amicitia; unde Isaiæ (31, 9) *Cujus ignis est in Sion, et caminus in Jerusalem*: Concordia ad proximum, quanta est concordia oculorum; quo enim vertitur unus, eo et alius: Potentia, quæ erit voluntati commensurata: Honor, quia Christus *transiens* (2) *ministrabit illis* (Lucæ 12, 37): Securitas; unde Nahum (1, 15): « Celebra, Juda, festivitates tuas, et redde vota tua, quia non adjiciet ultra, ut pertranseat in te Belial. » Gaudium; unde Isaiæ (66, 24) in fine: « Egredientur, et videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me; » ubi Glossa: « Satiabuntur de beatitudine sua, agentes gratias, visa impiorum ineffabili pœna.

Potentia regni consideratur in damnatione reproborum, quorum duplex erit pœna, in corpore scilicet, et in anima. Et septem erunt incommoda in anima. Erit insipientia, quia, ut dicit Augustinus: Erit in mentibus (3) oblivio Dei; tantis enim afficientur doloribus, ut illuc solum tendat impetus cogitationis, ubi sentitur vis doloris. Inimicitia ad Deum, quia « superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper (Psal. 73, 23). » Discordia ad proximum, scilicet ad damnatos secum punitos; unde Ecclesiastici (41, 10) « De patre impio conqueruntur filii, quoniam propter illum sunt in approbrium (4). » Impotentia, non valentes resistere; unde dicent *montibus: Cadite super nos, et collibus: Operite nos* (Lucæ 23, 30). Dedecus, sive confusio; unde Jeremiæ (20, 11): « Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod nunquam delebitur. » Pavor, quia ut dicit Gregorius super Job (5): « Ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, » Vere nullus ordo, quia cum timor sit futuri mali, quod cum jam patitur aliquis, timor abiit: tamen in ipsis tormentis timor cruciabit. » Tristitia, quia ibi erit fletus, scilicet oculorum, et stridor dentium (6).

In corporibus etiam erunt septem incommoda: Deformitas; unde Isaiæ (13, 8): « Unusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustæ vultus eorum. » Ponderositas, quia non erunt calceati *ianthino*, idest operibus spiritualibus, ut dicit Ezechiel (16, 10); et ideo, ut dicit Jeremias (17, 13), recedentes a te, in terra scribentur pulveri adhærentes, ut scriptura facta in pulvere. Segnities. unde Isaiæ (14, 19): « Projectus es de sepulcro tuo quasi stirps inutilis pollutus, et obvolutus cum his, qui interfecti sunt gladio, et descenderunt » ad pro-

(1) Vulg.: eorum.

(2) *Quia Christus transiens, etc.* S. Gregorius Homil. 13 in Evangel. locum istum Lucæ sic interpretatur: « Transiens autem Dominus ministrat; quia lucis suæ illustratione nos satiat. Transire vero dictum est, cum de judicio ad regnum redit... Ad judicium quippe veniens, in forma servi omnibus apparet, quia scriptum est: Videbunt in quem transfixerunt. Sed cum reprobi in supplicium corruunt, justi ad claritatis ejus gloriam pertrahuntur. »

(3) Erit in mentibus, etc. Istud in editis S. Augustini operibus non invenimus, sed in Magistro Sententiarum, qui libro IV, Dist. 50, qnærens: Quare illæ tenebræ, quibus involventur mali in gehenna, dicuntur tenebræ exteriores? Respondet: « De hoc Augustinus sic ait: Ira Dei et in judicio erit, et hic in cœcitate mentis... Sane exteriores tenebræ intelligi possunt quædam malignitas odii, et voluntatis, quæ tunc excrescet in mentibus reproborum: et quædam oblivio Dei, quia tormentorum interiorum, et exteriorum doloribus adeo afficientur, et turbabuntur, ut ab illis ad cogitandum aliquid de Deo, vix, vel raro, vel nunquam mentem revocent. Ut qui nimio premuntur pondere, adeo stupescunt, et turbantur, ut interim in alia cogitationem non extendant: sed illuc tendit impetus cogitationis, ubi sentitur vis doloris. »

(4) Vulg.: opprobrio.

(5) Moral. lib. IX, in cap. 10 Job apud Gloss. ord.

(6) Matth. 8, 12.

fundum, vel ad fundamentum (1) laci, quasi cadaver putridum. Servitus; unde : *Ligatis manibus, et pedibus, mittite eum in tenebras exteriores* (Matth. 22, 13). Miseria; unde Isaiæ (13, 8) : « Torsiones, et dolores tenebunt, et dolebunt quasi parturiens. » Infirmitas in membris, unde Isaiæ (14, 10 et 11) : « Et tu vulneratus es sicut et nos, nostri similis effectus es. Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum. » Mortis æternitas, unde Gregorius (2). Ibi mors semper vivit, finis semper incipit, defectus deficere nescit.

SERMO CCLXXII.

De bono viro, qui propter adjutorium Dei fit Jacob, et de Jacob fit Israel.

Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius. (Ps. 145, 5.)

Beatus siquidem vir, *cujus* est *adjutor Deus Jacob*, per cujus adjutorium de Jacob fit Israel. De hoc in Deuteronomio (33, 29): *Beatus es tu, Israel : quis similis tui?* Vere de tali, scilicet Jacob, idest supplantatore fit *Israel*, idest vir videns; de quo dici potest : *Quis similis tui?* Ipse enim habitabit, ut dicitur in eodem, confidenter, et solus oculus Jacob in terra frumenti, et vini, cœlique caligabunt rore. Terra frumenti, et vini est beatitudo cœlestis, ubi frumentum satietatis æternæ, et vinum jucunditatis perpetuæ electos reficiunt. Ibi habitat Israel confidenter; de qua confidentia, Michææ (4, 4) : « Sedebit vir subtus vitem suam, et subtus ficum suam, et non erit, qui exterreat (3). Sequitur : *Et solus oculus Jacob*, supplantatoris scilicet vitiorum videbit : et *caligabunt cœli rore.* Cœli sunt Sancti, a quibus descendit lux doctrinæ. Per rorem intelligitur gratia cœlitus collata. In futuro autem tanta conferetur electis gratia, quod Sancti caligabunt, idest doctores, et prædicatores, qui de gratia conferenda multa prædixerunt, parum, vel nihil dixisse videbuntur, cum gratiæ collatæ abundantia cuncta excedat eorum promissa. Item Numerorum (24, 5 et 6) : « Quam pulchra sunt tabernacula tua Jacob, et tentoria tua, Israel : Ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula, quæ fixit Dominus. » Jacob, ut dicit Origenes (4), est corpus laudabile in continentia, et in sanctitate. Pulchra ergo sunt tabernacula, in quibus militat anima in continentia, et sanctitate. Hic possunt poni, et adaptari ea, quæ dicuntur in Genesi de fœdere inito inter Jacob, et Laban, de quo satis supra dictum est.

Item in Genesi (32, 11) dixit Jacob orans ad Dominum : « Erue me, Domine, de manu fratris mei Esau, quia valde timeo eum : ne forte veniens percutiat matrem cum filiis. » Per Jacob, spiritus luctator; per Esau, caro intelligitur. Clamat igitur spiritus, ut eruatur de potestate carnis illecebrosæ, quam valde timet, ne forte prævalens interficiat matrem cum filiis, idest animam cum bonis operibus : et tunc per clamorem ejus tantum præstatur ei a Domino auxilium, quod res succedit in contrarium. Unde dicitur in Osee (10, 14) : « Vastatus est Salmana a domo ejus, idest Jerobaal, qui judicavit Baal in die prælii, matre super filios allisa (5). Salmana interpretatur umbra commotionis, et significat temporalia, quæ quasi umbræ commovent hominem, et a bono statu ad se trahunt.

Item Baal interpretatur devorator, vel superior, et significat vitium gulæ, et avaritiæ, quæ omnia devorant, et vitium superbiæ : Superbus enim cæteris appetit superesse. Qui est igitur Jerobaal, idest fortis contra *Baal*, scilicet contra tria prædicta vitia, iste talis potest vastare *Salmana*, idest amorem temporalium in se et in aliis contemnere, *matre allisa*, idest carne cum suis motibus mortificatis. Ecce quomodo Esau, idest caro interficitur cum filiis, cum ipse matrem, et filios Jacob voluerit interficere. Amos (1, 11) : « Super tribus sceleribus Edom, et super quatuor non convertam eum : eo quod persecutus sit in gladio fratrem suum, et violaverit misericordiam ejus, et tenuerit ultra furorem suum, et indignationem suam servaverit usque ad finem. » Edom idem est quod Esau, super tribus sceleribus cujus Dominus non con-

(1) Vulg. : fundamenta.
(2) Moral., lib. IX in cap. 10 Job, num. 100.
(3) Vulg. : deterreat.

(4) Hom. 17 in Num.
(5) S. Hier., lib. III Comment. in Osee 10.

vertitur. Hoc supra expositum est. Non convertitur, eo quod in gladio suo fratrem suum persequitur. Hæc est caro, quæ semper motibus suis, tanquam gladio persequitur spiritum fratrem : et violat *misericordiam ejus*, idest misericordiam in crudelitatem convertit, dum vacando delectationibus, sibi parcit. Furor autem iste, et indignatio priorum motuum durat usque in finem hominis. Unde de quodam legitur, quod dum esset in extremo mortis periculo, et mulier ad eum accessisset, dixit : *Tolle, tolle paleam, quia adhuc vivit igniculus* (1). Sic Esau Jacob persequitur. Ipse tamen evadit, si in baculo Jordanem transeat. Sic legitur dixisse Jacob (Gen. 32, 10) : « In baculo meo transivi Jordanem istum : et nunc cum duabus turmis regredior. » Qui enim vere luctator est, *in baculo* crucis *Jordanem*, idest fluxum deliciarum transit, et sic *cum duabus turmis*, scilicet activæ, et contemplativæ operibus patriam festivat.

Spes ejus in Domino Deo ipsius, qui fecit cœlum, et terram. In alio Psalmo (39, 5) : « Beatus, cujus est nomen Domini spes ejus, est non respexit in vanitatés, et insanias falsas, » idest non respexit res vanas, et falsas; quod facere est insanire. Unde Isaiæ (24, 6) : « Maledictio vorabit terram, prævaricaverunt, vel peccaverunt (2) habitatores ejus; et relinquentur homines pauci, » et post pauca (Isaiæ 24, 11) : « Deserta est omnis lætitia, translatum est gaudium terræ. » Ecce quanta est insania, ut relicto cœlesti gaudio, terrenis inhæreat homo ; quod est mortis occasio.

SERMO CCLXXIII.

Quomodo Deus ædificat Jerusalem, idest animam, sed peccatum dispergitur.

Ædificans Jerusalem Dominus : dispersiones Israelis congregabit. (Psal. 146, 2.)

De hac dispersione, Zachariæ (2, 14) : « Dispersi eos per omnia regna, quæ nescierunt : et terra desolata est ab eis, eo quod non esset transiens, et revertens : et posuerunt terram desiderabilem in desertum. » Per omnia regna dæmonum dispergentur, quæ prius nescierunt, qui in uno persistere noluerunt : de uno enim vitio in aliud ruitur. Et terra mentis eorum desolatur, et destituitur a gratia, eo quod non sit transiens, et revertens, qui scilicet terram præsentem currendo transeat, ut ad terram promissionis, terram nativitatis, ad æternam videlicet beatitudinem revertatur. Item de hac dispersione, Exodi (5, 12) : « Dispersus est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas. » Populus malorum *ad paleas* temporalium igne cremandas dispergitur, non ad grana spiritualium, quibus æterna merces debetur. Item in Genesi (11, 2 ad 8) : Profecti de Oriente venerunt in campum Sennaar, ædificaverunt turrim, et postea confusi sunt, et divisi in universas terras. Sennaar interpretatur fœtor eorum, vel excussio dentium. In dentibus signatur discretio, in turri elatio. Qui ergo, relicto vero Oriente, idest Christo, ædificant in loco fœtoris turrim elationis, ab eo excutiuntur dentes discretionis, et ita mente confunduntur, ut non intelligant quid appetendum sit, quid fugiendum, sed circumquaque, quocumque duxerit impetus, disperguntur. Congregantur hujusmodi dispersiones, cum reversus ad mentem dicit : *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ* (Psal. 26, 4).

Ædificatur autem Jerusalem in sex portis, ut habetur Esdræ (3) : sic et spiritualis Jerusalem. Prima est porta gregis. Hæc est innocentia, quam ædificant illi, qui sunt grex *tonsarum*, qui sua deponunt vellera, ut inde alios vestiant. Secunda est *porta piscium*. Hæc est patientia, quæ ad modum piscis in fluctibus persecutionis mergitur, sed non immergitur, vel submergitur : tunditur, sed non impingitur. Tertia est *porta vetus*. Hæc est caritas, de qua dicit Joannes (II, 1, 5) : *Mandatum novum non scribo vobis, sed quod habuimus ab initio.* Circa hanc portam ædificant aurifices, et pigmentarii, quia et in se pretiosa est; quod in auro : et aliis odorifera; quod disignatur in pigmento. Quarta est *porta vallis*, sine qua cæteræ non veniunt in ædificium; quoniam.

(1) S. Greg., lib. IV Dial., cap. 11.
(2) Vers. gr. LXX et arab.; Vulg. : peccabunt.

(3) II Esdræ 3, 1.

ut dicit Gregorius (1): « Qui virtutes sine humilitate congregat, quasi pulverem in ventum portat; » et in Psalmis (64, 14): *Valles abundabunt frumento*, idest humiles fruge virtutum, et bonorum operum. Quinta est *porta sterquilinii*, per quam efferebantur immunditiæ civitatis. Hæc est confessio, per quam expelluntur sordes nostræ, quia ut dicit Glossa super illum locum: « Non minoris est virtutis, vel utilitatis immunda de civitate efferri, quam munda afferri (2). Sexta porta est *fontis*. Hæc est pœnitentia, de qua procedunt rivuli lacrymarum.

Hæc erat Probatica piscina, quinque porticus habens, et ad motum aquæ sanabatur unus, quia ubi est in pœnitente abundantia lacrymarum pro peccatis quinque sensuum, facta turbatione aquæ per contritionem sanatur unus. Bene unus; unum enim oportet esse pœnitentem voce, habitu, et affectu, si sanari voluerit, non divisum in pluribus, et diversis. Hic est ille fons, de quo legitur in Genesi (2, 10 et 11), qui dividitur in quatuor capita. Nomen uni Phison, quod interpretatur mutatio oris. Ipse est, qui circuit terram Hevilath, quod interpretatur dolens, vel parturiens. Qui enim vere pœnitet, mutare debet statum oris juxta mutationem cordis, et peccata parere cum dolore, quæ concepit cum delectatione. Nomen secundi fluvii Gehon, quod interpretatur turbidus. Ipse circuit totam terram Æthiopiæ, et eam fœcundat. quia plena de peccatis turbatio quid aliud est, quam mentis peccatricis fœcundatio? Nomen tertii fluvii Tigris, qui sic propter velocitatem nuncupatur, et vadit contra Assyrios. Hic est impetus bonorum operum directus contra diabolum, qui ab eo ad persequendum etiam amplius irritatur; unde Job (3, 8): « Maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan; quasi dicat: *Maledicunt* nocti, tenebras peccatorum damnando, *qui maledicunt diei*, suggestiones dæmonum deprehendendo, et cavendo, bonis operibus insistendo, *qui parati sunt suscitare Leviathan*, quia quanto altius pœnitentes surgunt ad opera bona, tanto graviora sustinent hostis bella. Nomen quarti fluvii est *Euphrates*, cujus non determinatur cursus, et interpretatur frugifer; quia tantus est fructus pœnitentiæ, quod non potest determinari a viatore, unde et de ipso dicit Isaias (24, 16): « Secretum meum mihi. secretum meum mihi. »

Ecce in his portis ædificatur Jerusalem. Faciendæ sunt *valvæ, et seræ, et vectes*, sicut in terrestri Jerusalem. *Valvæ* dicuntur a volvendo, quia volvuntur a cardine, pandendo aditum amicis, et claudendo, ne pateat inimicis. In *seris* prudentia: in *vectiqus* fortitudo notatur; sic enim fortiter pœnitens ad exteriora opera debet egredi, ut prudenter ad mentem post opera revertatur. Zachariæ (9, 8): « Circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi euntes, et revertentes: et non transibit super eos ultra exactor. » Circumdabo domum meam, idest Ecclesiam ex his, qui exeunt foris per opera, et ad curam proximi, et postea redeunt ad curam sui. Et sic exactor per eos, vel super eos transire non potest, quia contra eum cum prædictis vectibus sunt muniti.

(1) Homil. 7 in Evang.

(2) Glossa ord. ex Beda.

SERMO CCLXXIV.

Quomodo Deo placent timentes eum, et quomodo eum inquirunt.

Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis, qui sperant super misericordia ejus. (Psal. 146, 11.)

Beneplacitum est Deo *super timentes eum*, quia beneplacitum est super eum timentibus Deum; unde Ecclesiastici (2, 19): « Qui timent Dominum, inquirent, quæ beneplacita sunt ei. » Beneplacitum etiam est *in eis, qui sperant super misericordia ejus;* unde in eodem (2, 9): « Qui timetis Dominum, sperate in illum: et in oblectationem veniet vobis misericordia; » et iterum (1, 11 et 12): « Respicite filii nationes hominum: et scitote, quia nullus speravit in Domino, et confusus est. Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est? » Sed *non in fortitudine equi voluntatem habebit*. De quo equo Aggæus (2, 23): « Subvertam quadrigam, et ascensorem ejus; et descendent equi, et ascensores eorum. » Quadriga ista est temporalitas, quæ quatuor temporibus, quasi quatuor rotis volvitur. Equus, humana felicitas, sive superbia est, quæ fallax est ad salutem. Equus autem quatuor habet pedes, qui si in uno infirmus est, quantum-

cumque fortis sit in tribus, inutiles sunt. Pedes hujus equi sunt voluptates, divitiæ, honores, sanitas corporis. Quantumcumque solidi sint tres pedes hujus equi, quartus tamen infirmus est; et ideo totus inutilis judicandus. Judicum (5, 22) : « Ungulæ equorum ceciderunt, fugientibus impetu, et per præceps ruentibus fortissimis hostium. » Ungula pars solida, et extrema in equo est, quæ si cadat ab equo, inutilis efficitur. Ungula igitur finalis est soliditas, quæ cadit ab equo felicitatis temporalis. Bene totus equus inutilis est reputandus. *Fugientibus in impetu hostibus, et per præceps ruentibus.* Iste est *Barac,* quem hostes fugiunt, et fugiendo ruunt. Barac interpretatur fulgurans, vel percutiens, per quem signatur Christus, quem multi fortissimi in temporalibus fugiunt, sectantes in impetu desideria cordis sui : sed quando fulgurabit, et percutiet in judicio, tunc non licebit effugere, imo de ipsis victoriam obtinebit. De hac fuga habemus secundo Esdræ (9, 29): « Dederunt humerum recedentem, et cervicem suam induraverunt, nec audierunt, » scilicet vocem Domini post terga monentis.

Sequitur : *Nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.* Et quare? Quia similes sunt statuæ, quam vidit Nabuchodonosor, ut habetur Danielis (2, 32 ad 35), « cujus caput erat ex auro, pectus autem, et brachia ex argento, venter et femora ex ære, tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars fictilis, quædam ex ferro. » Lapis autem de monte abscissus, in ea parte, in qua fictilis erat statua, percussit, et contrivit. Licet enim homo sapientiam habeat, quæ in auro signatur, et eloquentiam, quæ in argento, et divitias, quæ in ære, et potentiam, quæ in ferro : tamen in carne, quasi in extrema parte sua fragilis, et fictilis est, et in ea parte mortis duritia percutitur, et conteritur. Itaque non in tibiis viri beneplacitum erit Deo, idest non in potentia audacis, et superbi, et tamen fragilis beneplacitum erit Domino.

Beneplacitum est ei super timentes eum; unde Ecclesiastici (1, 22) : Corona sapientiæ, timor Domini, replens pacem, et salutis fructum. » Corona sapientiæ dicitur timor Domini, quia perducit ad gloriam, et coronam ; ut ibidem (1, 11) : « Timor Domini gloria, et gloriatio, et lætitia, et corona exultationis. » Sequitur : *Replens pacem, et salutis fructum.* Perficit pacem, cum satisfacit : replet autem, cum per timorem studet homo satisfacere, donec veniat ad fructum satisfactionis. Timor enim quasi tortor inexorabilis est, compellens reddere debitum satisfactionis usque ad quadrantem, ubi est accusator cogitatio, testis conscientia, judex ratio. Est *replens* etiam *salutis fructum ;* unde in eodem (1, 21) : « Omnem domum illius implebit a generationibus, et receptacula a thesauris illius. » Unde alibi in eodem (40, 28) : « Timor Domini sicut paradisus benedictionis, et super omnem gloriam operuerunt illum » thesauri, scilicet æternæ felicitatis præmia.

SERMO CCLXXV.

Quomodo nemo potest stare ante faciem frigoris ejus; et quomodo cor hominis destruitur, quando a Deo relinquitur : includitur, et non aperitur, nec emolliri potest nisi per gratiam suam.

Ante faciem frigoris ejus quis sustinebit? (Psal. 147, 17.)

Concordat Job (12, 14 et 15) : « Si destruxerit, nemo est qui ædificet : si incluserit hominem, nemo est qui aperiat. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur : et si emiserit eas, subvertent terram. » Deus humanum cor destruit, cum relinquit : includit, cum non aperit, nec emollit. Continet aquas gratiæ, vel doctrinæ et siccantur omnia. Quod si emiserit eas, terra subvertetur, quia cor ab immobilitatis suæ obstinatione permutatur. Item de hoc in eodem (38, 29 et 30) : « De cujus utero egressa est glacies? et gelu de cœlo quis genuit? In similitudinem lapidis aquæ indurantur, et superficies abyssi constringitur. » Per uterum, sive cœlum intelligitur secretum Dei judicium (1),

(1) *Secretum Dei judicium, etc.* S. Augustinus in Hept., lib. II, quæst. 18. in Exodum, exponens illud, *Indurabo cor Pharaonis,* ait : « Quam vis uniuscujusque cordis in malitia qualitas, idest, quale cor habeat ad malum, suo fiat vitio, quod inolevit ex arbitrio voluntatis : ea tamen qualitate mala ut huc vel illuc moveatur, cum sive huc sive illuc male moveatur, causis fit quibus animus propellitur : quæ causæ ut existant, vel non existant, non est in hominis potestate, sed veniunt ex occulta providentia, justissima plane et sapientissima, universum quod creavit disponentis et administrantis Dei. Ut ergo tale cor haberet Pharao, quod patientia Dei non moveretur ad pietatem, sed

de quo glacies egreditur, et gelu gignitur, idest mentis frigiditas, et duritia habet esse. Unde sequitur : « Et in similitudinem lapidis aquæ indurantur, et superficies abyssi constringitur. » Aqua per glaciem in superioribus induratur, sed intus fluida est, quia corda hominum fluxa a superioribus indurata, in inferioribus defluunt.

Sequitur : *Emittet verbum suum, et liquefaciet ea*, scilicet *nivem*, *crystallum*, *et nebulam*. Licet ista diversarum naturarum sint, unum tamen *verbum* emissum dissolvit illa. De quo in Apocalypsi (1, 14) ; « Oculi ejus velut flamma ignis. » Oculi Domini sunt prædicatores, qui in flamma verbi divini dissolvunt nebulam, nivem, et glaciem cordis hnmani. Licet autem discutiatur erroris nebula, manet tamen nostræ infirmitatis, vel fragilitatis ænigma (1), ut dicere possis (Exod., 12, 10) : « Si quid residuum fuerit, igne comburetur » (2), idest Spiritu Sancto commendetur : non enim per nos ad hoc sufficimus ; unde Proverbiorum : *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas habere non potes*.

Sequitur : *Qui dat nivem sicut lanam*. De congelatis enim facit, ut sunt vestis Christi sine macula, et sine ruga, de qua Danielis (7, 9) : « Capilli capitis ejus quasi lana munda. » Capilli capitis sunt doctores, Christo immediate adhærentes, et de ipsis tanquam de *lana* texitur vestis Christi. *Mittit crystallum suam sicut buccellas*, quia facit quandoque de obstinatis panem, ut scilicet pascant alios verbo Dei. De hoc Job (39, 9 et 10) : « Numquid volet rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum ? Numquid ligabis ad arandum rhinocerota loro tuo, aut confringet glebas vallium post te ? » Rhinoceros indomitæ, et indignantis naturæ est adeo, ut si capitur (3), moritur ; et designat potentes hujus sæculi, qui potius mori volunt, quam Christo servire. Multos tamen tales servire sibi facit Dominus, sicut fecit Paulum. De Saulo factus est Paulus : de rhinocerote factus est animal mansuetum : moratus est ad præsepe, ut pabulum vitæ reciperet, et post aliis ministraret. Bos arans fuit, quando prædicationis laboribus insudavit, et Ecclesiam inde pavit. *Loro* timoris contrictus *glebas vallium* contrivit, cum duritiam cordium ad recipiendum Dei semen emollivit.

Sequitur : *Flabit spiritus ejus, et fluent aquæ* : Spiritus, inquam, non aquilo, qui infrigidat, et congelat ; unde Ecclesiastici « Frigidus aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aqua. » Sed e contra flabit *Auster*, scilicet Spiritus sancti gratia, *et fluent aromata illius* (Cant. 4, 16). Perflavit *Auster* mentem Pauli, et fluxerunt *aromata illius*. Non dixit, fluent verba ; sed aromata : quia prædicatoris verba debent comitari vitæ bonæ, et famæ condimenta. De fluxu aquarum istarum, Ezechielis (6 ad 9) : « Et duxit me, et convertit ad ripam torrentis. Cumque me convertissem, ecce in ripa torrentis ligna multa nimis ex utraque parte. Et ait ad me : Aquæ istæ, quæ egrediuntur ad terminos, vel tumulos sabuli Orientalis, et descendunt ad plana deserti, intrabunt mare, et exibunt, et sanabuntur aquæ. Et omnis anima vivens, quæ serpit, quocunque venerit torrens, vivet, » et postea subditur : In ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum. Ex omni parte, quia in militanti Ecclesiæ per prædicationem pomis sanctorum pascuntur, et in triumphanti, delectando satiabuntur.

SERMO CCLXXVI.

Quod laus Dei major est ex ipso, quam ex creaturis.

Exaltatum est nomen ejus solius etc.
(Ps. 148, 12 et 13.)

Exaltatum est nomen ejus solius, scilicet Dei, quia *confessio ejus super cælum, et terram*. Major enim est sua laus ex ipso, quam ex creaturis. Job (28, 13 et 14) : « Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra

potius ad impietatem, vitii proprii fuit : quod vero ea facta sunt, quibus cor suo vitio tam malignum resisteret jussionibus Dei (hoc est enim quod dicitur induratum, quia non flexibiliter consentiebat, sed inflexibiliter resistebat) dispensationis fuit divinæ, quæ tali cordi non solum justa, sed evidenter justa pœna parabatur. »

(1) *Fragilitatis ænigma*, idest imago, et figura ; quo sensu Prudentius Cathemerinon Hymno 10, vers. 134 ad 136 cecinit :

Non immemor illa requiret
Sua munera fictor et auctor,
Propriique ænigmata vultus.

(2) Vulg. : comburetis.

(3) Ex S. Greg., lib. XXXI Moral. in hunc locum Job.

suaviter viventium. Abyssus dicit : Non est in me; et mare loquitur : Non est mecum.» Nescit homo pretium ejus, idest æstimationem pretii, quia si sciret, non repelleret; de qua repulsione dicitur (Ps. 61, 5) : « Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere.» Sequitur :« Non invenitur in terra suaviter viventium. » Idem (6, 2) : « Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui : et calamitas, quam patior, in statera.» Statera ista Christus et (1), habens lancem misericordiæ, et justitiæ; et peccatum per misericordiam remissum, vel relaxans, leve esse, et calamitatem moriendo gravis esse ponderis ostendit. Dicit ergo : *Utinam appenderentur peccata etc;* quasi dicat : Malum nostræ damnationis leve esse creditur, sed utinam veniat, qui ostendens patriam, grave esse ostendat exilium, vel doceat. Unde sequitur (Ibid. 6, 3): *Quasi arena maris hæc gravior appareret.* Arenæ, quæ, æstu maris undarum exterius pellitur, calamitas comparatur, quia homo peccans fluctibus tentationum motus, ab intimis exterius exit. Gravior autem dicitur, quia dura fuisse pœna ostenditur, dum per misericordiam culpa levigatur. *Abyssus dicit : Non est in me.* Per abyssum corda carnalium fluxa, et tenebrosa intelliguntur. Ista nesciunt, ubi vera sit sapientia : sed ubi vera non sit, *abyssus dicit* : *Non est in me. Mare loquitur : Non est mecum,* quia perturbatæ mentes sæcularium, quæ per *mare* exprimuntur, clamant eo quod a vera sapientia longe sint, quod quietæ non sunt.

Ideo *confessio ejus super cœlum, et terram.* Et vere, quia ut dicit Job (28, 15 ad 17) : « Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus. Non conferetur Indiæ tinctis coloribus, nec adæquabitur ei aurum, vel vitrum. » Aurum obrizum, vel optimum sunt Angeli, qui fulgent claritate justitiæ, et nullis maculantur sordibus culpæ : sed nullus eorum datus est ad redemptionem. *Nec argentum,* idest aliquis sonorus in prædicatione, pro Christi commutatione in cruce appensus est : quia quilibet eorum minus sufficiens est inventus ad redemptionem. Nec conferetur in tali commutatione hujus mundi sapientibus, qui aliud se esse, quam sint, verborum compositionibus, quasi superductis *coloribus* inveniuntur. *Nec æquabitur ei aurum, vel vitrum.* Aurum lucet, vitrum translucet. Per *aurum* igitur, et *vitrum* Sancti in patria intelliguntur; quia non solum in se fulgebunt per claritatem, sed etiam mentem suam ab aliorum oculis intuentium invicem non abscondent : nec tamen Christo adæquabuntur. Sequitur (Ibid. 28, 22) : « Perditio, et mors dixerunt : Auribus nostris audivimus famam ejus, quia per eum, qui est salus, perditio destructa est; per eum, vita est, mors ipsa mortificata est.

Sequitur : *Exaltavit cornu populi sui.* Hoc est, quod alibi dicitur : *Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui* (Lucæ 1, 69). Per *cornu,* quod est supra carnem, et infra os, mollius est osse, et durius est carne, humanitas Christi intelligitur, quæ supra omnem creaturam est, infra Creatorem tamen subsistit. Vel per cornu, quod in animali est, sed cum animali non nascitur, virtutes intelliguntur, quæ in homine sunt, nec tamen cum eo nascuntur, sed eum muniunt tanquam cornua animal. Vel aliter : *Exaltavit cornu populi sui.* Cornu, et os sunt in animali : sed cornu est fortitudo extra carnem; os vero fortitudo in carne. *Cornu* ergo, idest fortitudinem extra carnem, idest carnalitatem, exaltat Dominus, non fortitudinem in carne : Hæc est enim fortitudo asini, qui in parte illa, videlicet in humeris, ubi portat crucem, ibi debilis est : fortis, ubi crux finitur, scilicet in posterioribus. Sic quidam in cruce pœnitentiæ sunt debiles; in voluptatibus vero fortes. Talis fortitudo non exaltatur, imo dejicitur a Domino. *Cornu* autem dicit exaltandum, non cornua; quia sicut dicit alibi: *Ædificavit unicornium sanctificium suum* (Psal. 77, 69). Illos enim facit sibi *sanctificium,* idest sanctificat, qui sunt *unicornes,* quos scilicet firma spes in unum illud dirigit, vel erigit de quo dicitur : *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* (Psal. 26, 4).

(1) *Ex S. Gregor. lib. VII* Moral. *in hunc locum Job.*

SERMO CCLXXVII.

Quod viri justi debent lætari in Domino, nec molestari poterunt, quia abscondit eos in abscondito faciei suæ, idest notitiæ, quæ modo latet; et quod filii Sion exultent in rege suo.

Lætetur Israel in eo, qui fecit eum, et filii Sion exultent in rege suo. (Ps. 149, 2.)

Lætetur, inquam, *Israel in eo, qui fecit eum;* quia *abscondet eos in abscondito faciei suæ a conturbatione hominum* (Psal. 30, 21). Nulla enim humana molestabit eos turbatio, cum absconditi fuerint *in abscondito faciei suæ*, idest notitiæ, quando scilicet videbunt per speciem, quæ modo latet, et quasi nobis velata est; unde Job (26, 9) : « Qui tenet vultum solii sui, et expandit super illum (1) nebulam suam. » Vultus solii ejus tenetur, quia a nobis in hac vita gloria ejus non cognoscitur. Propter hoc etiam super eum nebula expandi dicitur, quia illa, sicut est, gloria cœlestis non videtur. Hujus cognitionem petebat Job (23, 3), cum dicebat : *Quis mihi tribuat, ut cognoscam, et inveniam illum, et veniam usque ad solium ejus?* idest solii cognitionem; vel potius: Ut ergo sim solium ejus. De quo solio, Jeremiæ (14, 21) : « Solii gloriæ tuæ recordare, ne irritum facias fœdus tuum nobiscum; » quasi dicat : Fac nos solium, et regnum, in quo sedeas, et regnes, sicut promisisti. Tobias (13, 20) : « Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Jerusalem. » In semine opera : in reliquiis seminis præmia intelliguntur operum. Baruch (5, 1) : « Exue te, Jerusalem, stola luctus, et vexationis tuæ : et indue te decore, et honore ejus, quæ a Deo tibi est, gloriæ sempiternæ. » Stola luctus, et vexationis est fragilitas, et miseria carnis, quam exuent Sancti in resurrectione generali. Induentur *decore*, *et honore* tanquam diploide, stola scilicet animæ, et corporis. Unde Isaiæ (60, 18) : *Occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio.* Salus occupabit contra infirmitatem, *et portas laudatio* contra dolorem.

Lætetur igitur *Israel in eo, qui fecit eum;* et lætari debet, quoniam torrente voluptatis suæ potabit eos (Psal. 35, 9). De quo torrente dicitur Apocalypsis (22, 1) : « Ostendit mihi fluvium aquæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei, et Agni. » Flumen aquæ est abundantia felicitatis æternæ. Flumen autem aquæ dicitur, non torrens spinarum, de quo Joel (3, 18) : « Fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum. » Torrens spinarum est fluvius miseriarum, qui tunc *egredietur*, vel finietur, cum *fons* æternæ felicitatis Sanctos in corpore, et in anima *irrigabit*. Fons iste fluet contra torrentem, de quo dicitur (Psal. 17, 5) : « Circumdederunt me dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturbaverunt me. Hoc est igitur flumen aquæ, quod ostensum est Joanni. Sed quia flumen effluit, et pertransit : ne pertransire videatur felicitas, subjungitur : *Splendidum tanquam crystallum.* Aqua in crystallum induratur, et splendorem retinet. Et felicitas illa per aquam signata, in æternum solidabitur, et splendorem indeficientem retinebit.

Sequitur : *Et filii Sion exultent in rege suo.* Et quare? Hoc Michæas exponit (2, 13): « Ascendet enim pandens iter ante eos; divident, et transibunt portam, egredientur (2) per eam : et transibit rex eorum coram eis » scilicet ministrans (3) : *et Dominus in capite eorum.* Ascendit quidem Dominus, et iter nobis aperuit ascendendi, sicut dicitur ad Ephesios (2, 14 ad 16) : « Medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua, duos in unum reconciliavit, pacem faciens. Dividentes autem transibunt portam gloriæ, et egredientur de loco afflictionis, et miseriæ : et transibit rex eorum coram eis ministrans : et Dominus in capite eorum, tanquam dux eorum, et magister.

Exultabunt Sancti in gloria, quæ est bonorum actuum, vel frequens laudatio; et de tali gloria Sancti in futuro gloriabuntur, et laudabuntur, et lætabuntur. Unde Proverbiorum in fine (31, 30) : *Mulier timens Dominum, ipsa laudabitur*. Laudabitur autem a Domino dicente : « Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus. » Sequitur : *Et gladii an-*

(1) Vulg. : illud.
(2) Vulg. : ingredientur. Versio græca LXX : egressi sunt.

(3) Scilicet ministrans. Vide Notam (2) ad Serm. CCLXXI, col. 1248.

cipites in manibus eorum : ut faciant judicium conscriptum. Item Abdias in fine (1, 21) : « Ascendent salvatores in montem Sion judicare montem Esau : et erit Domino regnum. »

SERMO CCLXXVIII.

Qualiter omnes laudare debemus Deum.

Omnis spiritus laudet Dominum. (Psal. 150, 6).

Qualiter debeat laudari, docuit nos supra, ubi dixit : *Laudate eum in sono tubæ*, idest in consideratione futuræ ressurectionis nostræ ; unde ad Corinthios : *Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur* (1). Sequitur *Laudate eum in psalterio*, quod sonat a superiori, idest pro eo quod de cœlo ad terram descendit carnem assumens de Virgine ; unde Ecclesiastici (24, 7) : « Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis ; » quasi dicat : Qui altus eram per divinitatem, me humilians thronum mihi feci *in columna nubis*, assumpta humanitate. Dicitur autem caro Christi *nubes*, quia fuit immunis a pondere peccati : *Columna*, quia sustentamentum præstat nostræ infirmitati. *Laudate in cithara*, quæ ab inferiori sonat, idest *laudate eum* pro eo quod de imis ad summa ascendit. Unde Isaiæ (46, 11) : « Vocans ab oriente avem, et de terra longinqua virum voluntatis meæ. » Idem est ergo per hæc tria dicere : *Laudate eum in sono tubæ : laudate eum in psalterio, et cithara ;* quasi dicat : Laudate eum considerando Incarnationem, et Ascensionem, et pro misericordia conferenda in generali resurrectione.

Vel sic : *Laudate eum*, tanquam regem, tanquam Dominum, tanquam sponsum. Tanquam regem, qui triumphavit de Moab, idest diabolo in sonitu tubæ, et clangore ; unde Amos (2, 2) : « Morietur Moab in sonitu et clangore tubæ. » Triumphavit in clangore tubæ, qui clangor fuit in voce magna quando clamans in cruce *emisit spiritum.* (Matt. 27, 50). Item tuba sonans vocat, et incitat ad bellum : et sic ipse Jesus tubaliter clamans, nos invitat ad bellum ; et instruit, ut, sicut ipse moriens triumphavit de diabolo, sic et nos mundo, et vitiis moriendo, triumphemus de hoste nostro. De qua voce habemus in Job (16, 19) : « Terra, ne operias sanguinem meum, nec locum latendi in te clamor meus inveniat. » Si rex interfectus fuerit in prælio, semper habet populus inimicitias, et exercitus ejus contra interfectorem. Sic de nobis vult Dominus, et hoc est, quod dicit : « Terra, ne operias sanguinem meum ; » hoc est : O tu homo, ne operias per oblivionem, imo semper habeas in memoria sanguinem meum effusum, ut odio habeas diabolum effusorem. « Nec inveniat locum latendi in te clamor meus, » quia clamavi in cruce, ut ad bellum consimile provocarem.

Laudate in psalterio, tanquam Dominum. Deus cultum religionis exigit a nobis, ut in ipso quasi *in psalterio* sibi decantetur, et in eo laudetur ; de quo Augustinus (2) : Si dilectione facitis, in psalterio cantatis : si autem timore, psalterium portatis, sed non cantatis : si autem nec timore, nec dilectione, psalterium projicitis. Psalterium decachordum est decalogus, Tange autem decem chordas, et occides decem bestias. Tange primam chordam, qua unus colitur Deus ; et cadet bestia superstitionis. Tange secundam ut non accipias nomen Dei in vanum ; et morietur bestia erroris. Tange tertiam : *Memento, ut diem sabbati sanctifices ;* quod facies, si quidquid facies, spe vitæ æternæ facies ; et sic interficietur crudelior ceteris bestiis, amor mundi. Tange quartam, ut honorem parentibus feras ; et occides bestiam impietatis. Tange quintam, quæ est (3) : *Non mœchaberis ;* et occidetur bestia libidinis. Tange sextam, ut non occidas ; et cadet bestia crudelitatis. Tange septimam, ut non furtum facias ; et cadet bestia rapacitatis. Tange octavam, ut non falsum testimonium dicas ; et corruet bestia falsitatis. Tange nonam, ut non concupiscas uxorem proximis tui ; et elidetur bestia adulterimæ cogi-

(1) I Cor. 15, 52.

(2) Ex S. Aug. Enar., 2, in Psal. 32, et Enar. in Ps. 91 et alibi.

(3) Tange quintam quæ est, etc. Adhæret Glossæ ord. in cap. 9 Exodi, imo Ven. Bedæ cap. 20 Exposit. in Exod. scribentibus : Quintum est, Non mæchaberis : Sextum, Non occides. Verum consule Sermonem CXCVII, ubi Decalogi præcepta enumerans, diserte ait : Quintum mandatum est : Non occides... Sextum præceptum est : Non mæchaberis.

tationis. Tange decimam chordam, ut rem proximi tui non concupiscas; et eliminabitur bestia cupiditatis.

Laudate eum in cithara tanquam sponsum; ideo enim tanquam sponsus in nuptiis suis, videlicet in cruce, ubi de latere suo sponsam produxit Ecclesiam, sonuit in in cithara septem chordarum, cum tantum septem protulit verba. In prima chorda sonat Dei bonitas, cum pro istis qui peccant per ignorantiam non per malitiam, intercedit, dicens : *Pater, dimitte illis, quia nesciunt, quid facunt* (Lucæ 23, 34). In secunda sonat misericordia, ostendens quod nunquam sera est pœnitentia : non restabat enim latroni, nisi unicus singultus; et in eo pœnitens audivit a Donino : *Hodie mecum eris in Paradiso* (Ibid 23, 43). In tertia chorda discipulo prosequenti eum ad crucem, Matris dedit patrocinium; dicens : *Mulier ecce filius tuus* (Joan. 19, 26 et 27); protege eum ut mater. *Ecce mater tua;* protege eam, ut filius ejus in omni profectione. Hujusmodi protectionem ipse etiam situs corporis beatæ Virginis designabat, quæ aquiloni opposita (1), ex alia parte Joannem habebat; unde Canticis (7, 4) : *Nasus tuus sicut turris, quæ respicit contra Damascum.* Naribus sentitur, quod remortum est. Beata igitur Virgo quasi *nasus*, sive naris est, quia longe sentit diaboli versutias, se opponens pro suis *contra Damascum*, quod interpretatur poculum sanguinis, idest contra diabolum malignum spiritum, mortem nostram, et sanguinem sitientem. In quarta chorda pro suis in tribulatione positis paternum interpellat auxilium, dicens : *Eli, Eli; hoc est : Deus meus, ut quid dereliquisti me?* (Matt. 27, 46). In quinto verbo, quasi in quinta chorda, de nostra salute suum ostendit desiderium, dicens : *Sitio.* In sexta chorda suum de nostra iniquitate manifestavit supplicium, cum dixit; *Consummatum est;* nam *super dolorem vulnerum,* pro perditione in peccatis eorum *addiderunt* inferre mortem. In septimo verbo, quasi septima chorda, ineffabilis dilectionis, vel delectationis, est argumentum : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* (Lucæ 23, 46).

(1) Quæ aquiloni opposita etc. Inea est sententia, beatissimam Virginem juxta crucem stetisse a sinistris, non vero, ut pingi solet, a dextris. Neque enim ignorabat S. Joannis Damasceni doctrinam. lib. IV *de Fide* cap. 13 : « Non simpliciter, et fortuito ad orientem adoramus... Christus crucifixus ad occidentem respiciebat; et sic adoramus ad ipsum suspirantes. » Itaque si Christi Domini cruci affixi conversa erat facies ad occidentem; ejus dextera ad Damascum et aquilonem extendebatur, læva ad meridiem : et Virgo beatissima si Damascum et aquilonem contuebatur, sinistram Filii tenebat non dexteram.

FINIS IN PSALMOS EXPOSITIONIS.

INDEX MATERIARUM

QUÆ IN TOMO SEXTO CONTINENTUR.

AD SANCTI FRANCISCI ASSISIATIS OPERA

PROLEGOMENA.

BEATI FRANCISCI OPERUM

PARS PRIMA. — EPISTOLÆ.

Quinque alia opuscula.

PARS SECUNDA. — REGULÆ.

Prima regula quam seraphicus pater scripsit fratribus Minoribus.

Secunda regula B. patris Francisci pro fratribus Minoribus.

Prima regula sanctimonialium S. Claræ a beato Francisco pro eisdem conscripta.

suaviter viventium. Abyssus dicit : Non est in me; et mare loquitur : Non est mecum.» Nescit homo pretium ejus, idest æstimationem pretii, quia si sciret, non repelleret; de qua repulsione dicitur (Ps. 61, 5) : « Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere.» Sequitur : « Non invenitur in terra suaviter viventium. » Idem (6, 2) : « Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui : et calamitas, quam patior, in statera. » Statera ista Christus et (1), habens lancem misericordiæ, et justitiæ; et peccatum per misericordiam remissum, vel relaxans, leve esse, et calamitatem moriendo gravis esse ponderis ostendit. Dicit ergo : *Utinam appenderentur peccata etc*; quasi dicat : Malum nostræ damnationis leve esse creditur, sed utinam veniat, qui ostendens patriam, grave esse ostendat exilium, vel doceat. Unde sequitur (Ibid. 6, 3): *Quasi arena maris hæc gravior appareret.* Arenæ, quæ, æstu maris undarum exterius pellitur, calamitas comparatur, quia homo peccans fluctibus tentationum motus, ab intimis exterius exit. Gravior autem dicitur, quia dura fuisse pœna ostenditur, dum per misericordiam culpa levigatur. *Abyssus dicit : Non est in me.* Per abyssum corda carnalium fluxa, et tenebrosa intelliguntur. Ista nesciunt, ubi vera sit sapientia : sed ubi vera non sit, *abyssus dicit* : *Non est in me. Mare loquitur : Non est mecum,* quia perturbatæ mentes sæcularium, quæ per *mare* exprimuntur, clamant eo quod a vera sapientia longe sint, quod quietæ non sunt.

Ideo *confessio ejus super cœlum, et terram.* Et vere, quia ut dicit Job (28, 15 ad 17) : « Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus. Non conferetur Indiæ tinctis coloribus, nec adæquabitur ei aurum, vel vitrum. » Aurum obrizum, vel optimum sunt Angeli, qui fulgent claritate justitiæ, et nullis maculantur sordibus culpæ : sed nullus eorum datus est ad redemptionem. *Nec argentum,* idest aliquis sonorus in prædicatione, pro Christi commutatione in cruce appensus est : quia quilibet eorum minus sufficiens est inventus ad redemptionem. Nec conferetur in tali commutatione hujus mundi sapientibus, qui aliud se esse, quam sint, verborum compositionibus, quasi superductis *coloribus* inveniuntur. *Nec æquabitur ei aurum, vel vitrum.* Aurum lucet, vitrum translucet. Per *aurum* igitur, et *vitrum* Sancti in patria intelliguntur; quia non solum in se fulgebunt per claritatem, sed etiam mentem suam ab aliorum oculis intuentium invicem non abscondent : nec tamen Christo adæquabuntur. Sequitur (Ibid. 28, 22) : « Perditio, et mors dixerunt : Auribus nostris audivimus famam ejus, quia per eum, qui est salus, perditio destructa est; per eum, vita est, mors ipsa mortificata est.

Sequitur : *Exaltavit cornu populi sui.* Hoc est, quod alibi dicitur : *Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui* (Lucæ 1, 69). Per *cornu,* quod est supra carnem, et infra os, mollius est osse, et durius est carne, humanitas Christi intelligitur, quæ supra omnem creaturam est, infra Creatorem tamen subsistit. Vel per cornu, quod in animali est, sed cum animali non nascitur, virtutes intelliguntur, quæ in homine sunt, nec tamen cum eo nascuntur, sed eum muniunt tanquam cornua animal. Vel aliter : *Exaltavit cornu populi sui.* Cornu, et os sunt in animali : sed cornu est fortitudo extra carnem; os vero fortitudo in carne. *Cornu* ergo, idest fortitudinem extra carnem, idest carnalitatem, exaltat Dominus, non fortitudinem in carne : Hæc est enim fortitudo asini, qui in parte illa, videlicet in humeris, ubi portat crucem, ibi debilis est : fortis, ubi crux finitur, scilicet in posterioribus. Sic quidam in cruce pœnitentiæ sunt debiles; in voluptatibus vero fortes. Talis fortitudo non exaltatur, imo dejicitur a Domino. *Cornu* autem dicit exaltandum, non cornua; quia sicut dicit alibi: *Ædificavit unicornium sanctificium suum* (Psal. 77, 69). Illos enim facit sibi *sanctificium,* idest sanctificat, qui sunt *unicornes,* quos scilicet firma spes in unum illud dirigit, vel erigit de quo dicitur : *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* (Psal. 26, 4).

(1) *Ex S. Gregor. lib. VII* Moral. *in hunc locum Job.*

SERMO CCLXXVII.

Quod viri justi debent lætari in Domino, nec molestari poterunt, quia abscondit eos in abscondito faciei suæ, idest notitiæ, quæ modo latet; et quod filii Sion exultent in rege suo.

Lætetur Israel in eo, qui fecit eum, et filii Sion exultent in rege suo. (Ps. 149, 2.)

Lætetur, inquam, *Israel in eo, qui fecit eum;* quia *abscondet eos in abscondito faciei suæ a conturbatione hominum* (Psal. 30, 21). Nulla enim humana molestabit eos turbatio, cum absconditi fuerint *in abscondito faciei suæ*, idest notitiæ, quando scilicet videbunt per speciem, quæ modo latet, et quasi nobis velata est; unde Job (26, 9): « Qui tenet vultum solii sui, et expandit super illum (1) nebulam suam. » Vultus solii ejus tenetur, quia a nobis in hac vita gloria ejus non cognoscitur. Propter hoc etiam super eum nebula expandi dicitur, quia illa, sicut est, gloria cœlestis non videtur. Hujus cognitionem petebat Job (23, 3), cum dicebat: *Quis mihi tribuat, ut cognoscam, et inveniam illum, et veniam usque ad solium ejus?* idest solii cognitionem; vel potius: Ut ergo sim solium ejus. De quo solio, Jeremiæ (14, 21): « Solii gloriæ tuæ recordare, ne irritum facias fœdus tuum nobiscum; » quasi dicat: Fac nos solium, et regnum, in quo sedeas, et regnes, sicut promisisti. Tobias (13, 20): « Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Jerusalem. » In semine opera: in reliquiis seminis præmia intelliguntur operum. Baruch (5, 1): « Exue te, Jerusalem, stola luctus, et vexationis tuæ: et indue te decore, et honore ejus, quæ a Deo tibi est, gloriæ sempiternæ. » Stola luctus, et vexationis est fragilitas, et miseria carnis, quam exuent Sancti in resurrectione generali. Induentur *decore, et honore* tanquam diploide, stola scilicet animæ, et corporis. Unde Isaiæ (60, 18): *Occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio.* Salus occupabit contra infirmitatem, *et portas laudatio* contra dolorem.

Lætetur igitur *Israel in eo, qui fecit eum;* et lætari debet, quoniam torrente voluptatis suæ potabit eos (Psal. 35, 9). De quo torrente dicitur Apocalypsis (22, 1): « Ostendit mihi fluvium aquæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei, et Agni. » Flumen aquæ est abundantia felicitatis æternæ. Flumen autem aquæ dicitur, non torrens spinarum, de quo Joel (3, 18): « Fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum. » Torrens spinarum est fluvius miseriarum, qui tunc *egredietur*, vel finietur, cum *fons* æternæ felicitatis Sanctos in corpore, et in anima *irrigabit*. Fons iste fluet contra torrentem, de quo dicitur (Psal. 17, 5): « Circumdederunt me dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturbaverunt me. Hoc est igitur flumen aquæ, quod ostensum est Joanni. Sed quia flumen effluit, et pertransit: ne pertransire videatur felicitas, subjungitur: *Splendidum tanquam crystallum.* Aqua in crystallum induratur, et splendorem retinet. Et felicitas illa per aquam signata, in æternum solidabitur, et splendorem indeficientem retinebit.

Sequitur: *Et filii Sion exultent in rege suo.* Et quare? Hoc Michæas exponit (2, 13): « Ascendet enim pandens iter ante eos; divident, et transibunt portam, egredientur (2) per eam: et transibit rex eorum coram eis » scilicet ministrans (3): *et Dominus in capite eorum.* Ascendit quidem Dominus, et iter nobis aperuit ascendendi, sicut dicitur ad Ephesios (2, 14 ad 16): « Medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua, duos in unum reconciliavit, pacem faciens. Dividentes autem transibunt portam gloriæ, et egredientur de loco afflictionis, et miseriæ: et transibit rex eorum coram eis ministrans: et Dominus in capite eorum, tanquam dux eorum, et magister.

Exultabunt Sancti in gloria, quæ est bonorum actuum, vel frequens laudatio; et de tali gloria Sancti in futuro gloriabuntur, et laudabuntur, et lætabuntur. Unde Proverbiorum in fine (31, 30): *Mulier timens Dominum, ipsa laudabitur.* Laudabitur autem a Domino dicente: « Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus. » Sequitur: *Et gladii an-*

(1) Vulg.: illud.
(2) Vulg.: ingredientur. Versio græca LXX: egressi sunt.

(3) Scilicet ministrans. Vide Notam (2) ad Serm. CCLXXI, col. 1248.

cipites in manibus eorum : ut faciant judicium conscriptum. Item Abdias in fine (1, 21) : « Ascendent salvatores in montem Sion judicare montem Esau : et erit Domino regnum. »

SERMO CCLXXVIII.

Qualiter omnes laudare debemus Deum.

Omnis spiritus laudet Dominum. (Psal. 150, 6).

Qualiter debeat laudari, docuit nos supra, ubi dixit : *Laudate eum in sono tubæ*, idest in consideratione futuræ ressurectionis nostræ ; unde ad Corinthios : *Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur* (1). Sequitur *Laudate eum in psalterio*, quod sonat a superiori, idest pro eo quod de cœlo ad terram descendit carnem assumens de Virgine ; unde Ecclesiastici (24, 7) : « Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis ; » quasi dicat : Qui altus eram per divinitatem, me humilians thronum mihi feci *in columna nubis*, assumpta humanitate. Dicitur autem caro Christi *nubes*, quia fuit immunis a pondere peccati : *Columna*, quia sustentamentum præstat nostræ infirmitati. *Laudate in cithara*, quæ ab inferiori sonat, idest *laudate eum* pro eo quod de imis ad summa ascendit. Unde Isaiæ (46, 11) : « Vocans ab oriente avem, et de terra longinqua virum voluntatis meæ. » Idem est ergo per hæc tria dicere : *Laudate eum in sono tubæ : laudate eum in psalterio, et cithara ;* quasi dicat : Laudate eum considerando Incarnationem, et Ascensionem, et pro misericordia conferenda in generali resurrectione.

Vel sic : *Laudate eum*, tanquam regem, tanquam Dominum, tanquam sponsum. Tanquam regem, qui triumphavit de Moab, idest diabolo in sonitu tubæ, et clangore ; unde Amos (2, 2) : « Morietur Moab in sonitu et clangore tubæ. » Triumphavit in clangore tubæ, qui clangor fuit in voce magna quando clamans in cruce *emisit spiritum.* (Matt. 27, 50). Item tuba sonans vocat, et incitat ad bellum : et sic ipse Jesus tubaliter clamans, nos invitat ad bellum ; et instruit, ut, sicut ipse moriens triumphavit de diabolo, sic et nos mundo, et vitiis moriendo, triumphemus de hoste nostro. De qua voce habemus in Job (16, 19) : « Terra, ne operias sanguinem meum, nec locum latendi in te clamor meus inveniat. » Si rex interfectus fuerit in prælio, semper habet populus inimicitias, et exercitus ejus contra interfectorem. Sic de nobis vult Dominus, et hoc est, quod dicit : « Terra, ne operias sanguinem meum ; » hoc est : O tu homo, ne operias per oblivionem, imo semper habeas in memoria sanguinem meum effusum, ut odio habeas diabolum effusorem. « Nec inveniat locum latendi in te clamor meus, » quia clamavi in cruce, ut ad bellum consimile provocarem.

Laudate in psalterio, tanquam Dominum. Deus cultum religionis exigit a nobis, ut in ipso quasi *in psalterio* sibi decantetur, et in eo laudetur ; de quo Augustinus (2) : Si dilectione facitis, in psalterio cantatis : si autem timore, psalterium portatis, sed non cantatis : si autem nec timore, nec dilectione, psalterium projicitis. Psalterium decachordum est decalogus, Tange autem decem chordas, et occides decem bestias. Tange primam chordam, qua unus colitur Deus ; et cadet bestia superstitionis. Tange secundam ut non accipias nomen Dei in vanum ; et morietur bestia erroris. Tange tertiam : *Memento, ut diem sabbati sanctifices ;* quod facies, si quidquid facies, spe vitæ æternæ facies ; et sic interficietur crudelior ceteris bestiis, amor mundi. Tange quartam, ut honorem parentibus feras ; et occides bestiam impietatis. Tange quintam, quæ est (3) : *Non mœchaberis ;* et occidetur bestia libidinis. Tange sextam, ut non occidas ; et cadet bestia crudelitatis. Tange septimam, ut non furtum facias ; et cadet bestia rapacitatis. Tange octavam, ut non falsum testimonium dicas ; et corruet bestia falsitatis. Tange nonam, ut non concupiscas uxorem proximis tui ; et elidetur bestia adulterimæ cogi-

(1) I Cor. 15, 52.
(2) Ex S. Aug. Enar., 2, in Psal. 32, et Enar. in Ps. 91 et alibi.
(3) Tange quintam quæ est, etc. Adhæret Glossæ ord. in cap. 9 Exodi, imo Ven. Bedæ cap. 20 Exposit. in Exod. scribentibus : Quintum est, Non mæchaberis : Sextum, Non occides. Verum consule Sermonem CXCVII, ubi Decalogi præcepta enumerans, diserte ait : Quintum mandatum est : Non occides... Sextum præceptum est : Non mæchaberis.

tationis. Tange decimam chordam, ut rem proximi tui non concupiscas; et eliminabitur bestia cupiditatis.

Laudate eum in cithara tanquam sponsum; ideo enim tanquam sponsus in nuptiis suis, videlicet in cruce, ubi de latere suo sponsam produxit Ecclesiam, sonuit in in cithara septem chordarum, cum tantum septem protulit verba. In prima chorda sonat Dei bonitas, cum pro istis qui peccant per ignorantiam non per malitiam, intercedit, dicens : *Pater, dimitte illis, quia nesciunt, quid facunt* (Lucæ 23, 34). In secunda sonat misericordia, ostendens quod nunquam sera est pœnitentia : non restabat enim latroni, nisi unicus singultus; et in eo pœnitens audivit a Donino : *Hodie mecum eris in Paradiso* (Ibid 23, 43). In tertia chorda discipulo prosequenti eum ad crucem, Matris dedit patrocinium; dicens : *Mulier ecce filius tuus* (Joan. 19, 26 et 27); protege eum ut mater. *Ecce mater tua;* protege eam, ut filius ejus in omni profectione. Hujusmodi protectionem ipse etiam situs corporis beatæ Virginis designabat, quæ aquiloni opposita (1), ex alia parte Joannem habebat; unde Canticis (7, 4) : *Nasus tuus sicut turris, quæ respicit contra Damascum.* Naribus sentitur, quod remortum est. Beata igitur Virgo quasi *nasus,* sive naris est, quia longe sentit diaboli versutias, se opponens pro suis *contra Damascum,* quod interpretatur poculum sanguinis, idest contra diabolum malignum spiritum, mortem nostram, et sanguinem sitientem. In quarta chorda pro suis in tribulatione positis paternum interpellat auxilium, dicens : *Eli, Eli; hoc est : Deus meus, ut quid dereliquisti me?* (Matt. 27, 46). In quinto verbo, quasi in quinta chorda, de nostra salute suum ostendit desiderium, dicens : *Sitio.* In sexta chorda suum de nostra iniquitate manifestavit supplicium, cum dixit; *Consummatum est;* nam *super dolorem vulnerum,* pro perditione in peccatis eorum *addiderunt* inferre mortem. In septimo verbo, quasi septima chorda, ineffabilis dilectionis, vel delectationis, est argumentum : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* (Lucæ 23, 46).

(1) Quæ aquiloni opposita etc. Inea est sententia, beatissimam Virginem juxta crucem stetisse a sinistris, non vero, ut pingi solet, a dextris. Neque enim ignorabat S. Joannis Damasceni doctrinam. lib. IV *de Fide* cap. 13 : « Non simpliciter, et fortuito ad orientem adoramus... Christus crucifixus ad occidentem respiciebat; et sic adoramus ad ipsum suspirantes. » Itaque si Christi Domini cruci afflixi conversa erat facies ad occidentem; ejus dextera ad Damascum et aquilonem extendebatur, læva ad meridiem : et Virgo beatissima si Damascum et aquilonem contuebatur, sinistram Filii tenebat non dexteram.

FINIS IN PSALMOS EXPOSITIONIS.

INDEX MATERIARUM

QUÆ IN TOMO SEXTO CONTINENTUR.

AD SANCTI FRANCISCI ASSISIATIS OPERA

PROLEGOMENA.

BEATI FRANCISCI OPERUM

PARS PRIMA. — EPISTOLÆ.

Quinque alia opuscula.

PARS SECUNDA. — REGULÆ.

Prima regula quam seraphicus pater scripsit fratribus Minoribus.

Secunda regula B. patris Francisci pro fratribus Minoribus.

Prima regula sanctimonialium S. Claræ a beato Francisco pro eisdem conscripta.

Regula Tertiariorum, sive fratrum de pœnitentia.

PARS TERTIA. — COLLATIONES.

PARS QUARTA. — OFFICIUM ET CANTICA.

PARS QUINTA. — ORACULA.

Appendix. — Opuscula dubia.

AD OPERA SANCTI ANTONII PADUANI

ORDINIS MINORUM

PROLEGOMENA

I.

ERRATA.

Col. 110, in summario cap. VIII, pro : *ad ipsum affici*, melius legendum est : *ad ipsum allici*.

Col. 274, cap. XV, summarii lin. ultima, *equitem*, lege : *equitent*.

Col. 301, nº 25, lin. 1, *acter, et,* lege : *ac ter et*.

Col. 508, lin. 40, *minina*, lege : *minima*.

Col. 513, sic restituendum est cap. XII summarium : *Diabolus Virum sanctum præfocare conatur. Frequentissimus ad illius conciones concursus auditorum*.

Coll. 526, lin. 12 : *congressus*, lege : *congressu*.

Col. 532. sic, forte restituendum est summarium capitis XXVIII : *Miracula frequentissima plurimos illuc ad invisendum ejus corpus pertraxere*.

Col. 570, lin. 15, *celeberrimns*, lege : *celeberrimus*.

Paris. — Imp. PAGNIER et Cᵉ. Aveuue d'Orléans, 32.